UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

Visual Library

Th. 18a.

H
VIII
19
Hs B. VII
19.

ILLVSTRISSIMI VIRI

PETRI DE MARCA

ARCHIEPISCOPI PARISIENSIS

DISSERTATIONVM

DE CONCORDIA

SACERDOTII ET IMPERII,

SEV

DE LIBERTATIBVS

ECCLESIÆ GALLICANÆ;

TOMVS SECVNDVS.

PARISIIS,

Apud FRANCISCVM MVGVET, Regis & Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Pariſienſis Typographum, viâ Citharæ, ad inſigne Adorationis trium Regum.

M. DC. LXIX.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ILLVSTRISSIMI VIRI

PETRI DE MARCA

ARCHIEPISCOPI PARISIENSIS

DISSERTATIONVM

DE CONCORDIA

SACERDOTII ET IMPERII,

SIVE

DE LIBERTATIBVS

ECCLESIÆ GALLICANÆ.

TOMVS SECVNDVS.

PARISIIS,

apud FRANCISCVM MVGVET, Regis & Illustrissimi Archiepiscopi Parisiensis Typographum, viâ Citharæ, ad insigne Adorationis trium Regum.

M. DC. LXIX.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

DE CONCORDIA SACERDOTII ET IMPERII, SEV DE LIBERTATIBVS ECCLESIÆ GALLICANÆ,

Dissertationum Liber quintus.

CAPVT PRIMVM.

Synopsis.

I. Agendum hoc libro de Legatis à latere. In primis autem explicandæ Legatorum species quæ in jure Romano occurrunt.

II. Alij sunt Legati municipales. Alij provinciales, quæ explicantur. De iis capienda lex Hos accusare *ff. de accusat.*

III. Alij sunt Legati cum jurisdictione. Divisio provinciarum inter Principem & populum, ab Augusto. Proconsules dicti qui provinciis populi præficiebantur, etsi consulatum non gessissent. Explicata Iustiniani Novella. Insignia Proconsulum.

IV. Consilium Augusti in assumendo Proconsulis nomine & imperio. Proconsules Romam ingressi deponebant imperium, excepto Principe. Quare retinenda est lectio Spartiani, quam viri eruditi sollicitant. De proconsulari imperio dato extra urbem *Marco Aurelio Cæsari.*

V. Legati dabantur Proconsulibus, à Senatu; ut eos parte curarum levarent. Proconsules mandabant jurisdictionem Legatis in provincia; quam nec eis adimere poterant, nec in eos jus gladij transferre. Custodias audiebant, sed non animadvertebant.

VI. Dignitas Legatorum Proconsularium, ex Spartiano. Fasces & vehiculum. Apparitio. magistratum gerebant. dabant tutores. & vindictâ apud eos manumitti poterat. Contrarium docet Paulus, scilicet apud eos manumitti non posse. Conciliatio ἀντινομίας.

VII. Legati isti differunt ab Assessoribus, etsi aliter videatur eruditis. Assessores erant privati homines, qui juris peritiam præstabant, & magistratibus adsidebant. Elegans ea de re Iosephi locus. Salaria illis constituta à publico. Singulis magistratibus unus Assessor datus cum salario, ne fiscus gravaretur. De hoc Assessore seu Consiliario intelligenda Iustiniani Novella, non autem de Legato Proconsulis.

VIII. Legati Cæsaris præfecti provinciis Principis. qui passim dicti Consulares. *Minutis provinciis præfecti, Præsides: quamvis Præsidis nomen generale sit. Immutata post Constantinum magistratuum nomina.*

I X. Vicarij Præfectorum prætorio instituti à Constantino. Vices gerunt Præfectorum; sed vice sacra judicant. Vicarij instituti in unaquaque Imperij Diœcesi. Alij sunt qui vicem Præsidis obtinent in provincia, ex mandato Principis, puta Præside defuncto, vel aliam ob causam.

X. Legati alterius generis, qui à Principe delecti, negotia publica cum exteris gentibus procurant.

I. POST assertam superiore libro conservandarum Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ auctoritatem, Legatorum à latere dignitas & claritudo priorem locum sibi vindicat in his Dissertationibus, quæ jura illa specialia & eximia complectuntur quorum usus in regno à multis seculis invaluit. Ne autem imparati in hanc materiam incidamus, ante omnia sedulò perspiciendum est quo exemplo in Ecclesiam Legatorum & significatio & auctoritas confluxerit. In eum finem juris Romani vestigia nobis consectanda sunt; ubi varias Legatorum species inveniemus, quæ ad Legatos Ecclesiæ aliqua ex parte accommodatæ sunt.

D. & C. de legationibus.

II. Quidam Legati municipales dicuntur, quibus ordinis sui vel curiæ decreto legatio injungitur; non ut lites municipiorum, quod Syndici universitatis est officium, sed ut reipublicæ negotia apud Præsidem provinciæ, vel Præfectum prætorio, vel etiam apud Principem prosequantur. Alij sunt provinciales Legati, qui tractatu habito in Concilio ordinario totius provinciæ, vel etiam extraordinario, ad Principem vel ad sedem præfectorianam pro repentinis casibus, quibus provincia vexatur, mittendi designantur. De his Legatis provincialibus intelligenda est lex Venuleij (etsi de Legatis Proconsulum agi hoc loco putet vir eruditissimus) qui ejus duntaxat criminis eos accusari posse ait quod antè commiserint quàm in legationem venerint. Iis qui publicas istas legationes obeunt, sumptus seu legativa præstantur; & officio functis, biennij vacatio indulgetur. Ne autem superfluis impensis civitates onerarentur, edicto Vespasiani præcipitur ne plures quàm ternos Legatos mittant. Sed legationes istæ inter munera recensentur ad quæ subeunda unusquisque civium ordine cogitur; ita ut vicarios dare non possit, nisi filios suos; neque alienis neque propriis negotiis se interponere, quandiu legatione fungitur. Hujus quoque generis sunt legationes illæ quæ ab exercitibus aut à corporibus missæ ad Principem: quarum frequens mentio apud historicos.

L. 3. C. de Legat. L. *Hos accusare.* ff. de accusat.

L. 4. ff. ult.

L. 8. ff. eod.

III. Alia est Legatorum species; quibus jurisdictio competit unà cum reipublicæ administratione. Quod ut accuratè intelligatur, observandum est ex institutione & partitione Augusti duodecim provincias pacatiores assignatas fuisse populo Romano; quarum duæ proconsulares erant, Asia & Africa; decem verò prætoriæ, quas enumerat Strabo. Reliquas omnes sibi Cæsar retinuit, & regendas suscepit. Initio autem populus auctore Senatu, deinde verò Senatus solus consulares viros, aut prætorios, provinciis suis præficiebat, qui consulatu vel prætura functi, illis imperio proconsulari præessent; quamvis ab ea lege paulisper discessum fuerit, & iis administratio commissa qui nunquam eos magistratus gessissent. Inde Proconsules dicti omnes quibus populi provinciæ creditæ erant, nulla ratione habita an functi essent consulatu; quemadmodum ex Tacito colligere licet, qui Petronij meminit Proconsulis Bithyniæ, ad consulatum deinde provecti; & ex Constantij lege, quæ separatim nominat eos qui Consules ordinarij fuerunt, & qui proconsulari honore erant sublimes. Quò respexit etiam Iustinianus in Novella xxx. dum observat provincias olim decretas fuisse, vel iis qui consulatu functi essent, vel aliis qui Proconsules dicerentur. Hæc sunt verba interpretis: *Romanis in more fuit ut vel designatis Consulibus, vel his qui illorum loco proficiscerentur, quos Proconsules vocabant, provincias sortirentur.* Non sincerè reddidit Græca. Non enim designatis Consulibus, sed iis qui consulatum gessissent, γενομένοις ὑπάτοις, non verò γενησομένοις, Iustinianus ait datas fuisse provincias. Plenissimam autem jurisdictionem in provincia Proconsul habebat; adeo ut omnium partes qui Romæ vel quasi magistratus vel extra ordinem jus dicerent, ad ipsum pertinerent, majúsque imperium in provincia haberet post Principem. Vnde sex fascibus utebatur, quæ erant proconsulatus insignia, ut notavit Vlpianus; vel (ut pleniùs explicat Iustinianus, Proconsuli Cappadociæ à se recens instituto proconsulatus ornamenta decernens) carruca argentea & fasces cum securi. *Proconsul Cappadociæ*, inquit Iulianus in Epitome Novellæ, *habeat carrucam argenteam, & securem, & fasces, & omnia vetera proconsularia insignia.* Quibus addi potest πρόεγνος, sive vestis purpurea palmata, quam solennioribus & festis diebus Proconsul induebat, teste Iustiniano, qui hoc antiquum ornamenti genus Proconsuli Palæstinæ concessit.

Strabo lib. 17.

Tacitus l. 16. Annal.

C. Tit. de Præsc.

Iustin. Nov. 30. c. 8.

L. 4. C. de Iustin. Procons.

Nov. 30. c. 8. Nov. 103.

IV. Quare prudenter Augustus, cùm magistratuum omnium qui intra vel extra Romam imperio uterentur auctoritate & titulis ornari atque augeri vellet, proconsulare

imperium non omisit. quod deinde sequentibus Imperatoribus delatum est, qui ex eo dicti sunt etiam sæpissime Proconsules; ut patet è variis inscriptionibus antiquis, & ex epistola Heliogabali apud Dionem, qui se ἀνθύπατον seu Proconsulem inscripsit. Quod eo consilio mihi videtur Augustus instituisse, ut Proconsules, qui provincias populi administrabant, se auspiciis Augusti, qui summus erat Proconsul, eas gerere non ignorarent. Itaque illud erat eximium in Principe, quòd etsi Proconsules à provinciis reduces portam Romæ ingressi deponerent imperium, ut docuit Vlpianus, tamen id datum Augusto & ceteris Principibus ut etiam intra pomœrium Vrbis proconsulare imperium retinerent, teste Dione. Quare ut aliquod discrimen supereesset inter Augustum & Cæsarem, Antoninus Imperator Marco Aurelio appellatione Cæsaris à se donato tribunitiam potestatem contulit, & proconsulare imperium *extra Vrbem*, ut loquitur Capitolinus, non autem intra Vrbis pomœrium. Itaque assentiri non possumus viris eruditis, qui existimant vanam esse adjectionem illam, *extra Vrbem*, in loco Capitolini laudato. Nam, inquiunt illi, imperium proconsulare extra Vrbem tantùm fuit. Quod verum in ceteris omnibus, præter solum Principem.

V. Ex eodem autem Augusti instituto, provinciarum Præfectis, si Consulares essent, tres Legati adjungebantur; unus autem Legatus, si essent Prætorij; quemadmodum observat Dio. Eos verò Legatos non pro arbitrio suo sibi Proconsul quisque legebat, sed ei dabantur à Senatu. Vnde Capitolinus adnotavit, Gordiano Proconsuli Africæ filium ejus à Senatu Legatum fuisse datum. Quia verò Principes hanc Senatus auctoritatem debilitaverant, Probus Imperator ejus restaurandæ cupidus *permisit patribus ut Proconsules crearent, Legatos Proconsulibus darent*. Legati autem dati Proconsulibus, ut in partem curarum venirent, & administrandę provinciæ onere illos levarent; quemadmodum rectè adnotavit Appianus: ὁ τῷ ἡγεμόνι δ' ἑπόμενος ἐκ τῆς βουλῆς ἐπόμενος εἰς βοήθειαν. Quod ex liberæ Reipublicæ institutis profectum, ut patet è locis Varronis & Ciceronis, quos viri docti collegerunt. Quare statim atque Proconsul ingressus esset provinciam, mandare jurisdictionem suam Legato debebat. Legatus enim nihil proprium habebat, nisi ei mandata esset jurisdictio; quam ei adimere Proconsul non poterat inconsulto Principe, quemadmodum nec potestatem gladij sibi datam ad Legatum transferre. Idéoque si quid esset quod majorem animadversionem exigeret, rejicere apud Proconsulem Legatus debebat. Neque enim jus habebat animadvertendi, coërcendi, vel atrociter verberandi: quamvis causas criminales audire posset, ea conditione, ut præauditas custodias ad Proconsulem remitteret. Si quid etiam incideret arduì, Legatus non Principem consulebat, sed Proconsulem suum, qui ad ejus consultationes respondebat. L. 6. §. 4.

VI. De Legatis Proconsulis intelligendus est Spartianus; ex quo quanta esset eorum dignitas colligi potest. Fasces enim illis præferebantur, privati ab eorum amplexu arcebantur; iisque datum ut in vehiculo æquè ac Proconsules sederent. Elegans est locus de Severo: *Acta quæstura Sardiniensi, legationem Proconsulis Africæ accepit. In qua legatione quum eum quidam municipum suorum Leptitanus, præcedentibus fascibus, ut antiquum contubernalem ipse plebeius amplexus esset, fustibus eum sub elogio ejusdem præconis cæcidit*: Legatum populi Romani homo plebeius temerè amplecti nolito. *Ex quo factum est ut in vehiculo etiam Legati sederent*. Vnde apparitio communis erat Proconsuli & ejus Legatis, ut docent Arcadius & Honorius. Itaque dubitandum non est quin Legati Proconsulum à privatorum sorte remoti, verum magistratum gererent. Quare tutores dare poterant, etsi tutoris datio esset actus legitimus; & apud eos vindictâ manumitti poterat, ut docet verbis conceptis Paulus I C. Non me latet in contrarium sensum Paulum trahi à summo viro Cujacio, addita ad textum negatione, ut conciliet hanc legem cum Marciano, qui disertè scripsit Proconsules quidem statim quàm Vrbem egressi fuerint, habere jurisdictionem, non contentiosam, sed voluntariam; unde & manumissiones & adoptiones apud eos fieri possunt: *Apud Legatum verò Proconsulis nemo manumittere potest, quia non habet jurisdictionem talem*. Plures conciliandæ hujus ἀντινομίας modos commenti sunt eruditi viri, repudiata negatione quam superioris legis textui Cujacius injecerat. Sed non est quòd tantopere laborent in re facili. Discrimen assignat Marcianus Proconsulis & Legati. Ille insignia proconsulatus gerit statim atque Vrbem egressus est; & potestatem exercet antequam ingrediatur provinciam, non contentiosæ quidem jurisdictionis, sed voluntariæ, ita ut apud eum manumissiones & adoptiones fieri possint. Legatus verò ne voluntaria quidem jurisdictione uti potest; quia nulla illi mandari potest à Proconsule, nisi ut ea utatur in provincia; sed post adventum suum, mandatam jurisdictionem exercet, jus dicendo, judices

Spartianus.

L. 2. C. De apparitoribus Proconsulis & Legati lib. 12. l. pen. off. de offic. Proconsul. & Leg. L. 17. ff. de manumissis vindictâ. L. 2. & 3. ff. de officio Proconsul.

Cujac. l. 1. Observat. c. 1.

L. 4. ff. eod.

dando, tutores constituendo, & manumissionibus apud se factis.

D. & C. de offic. Adsess.

VII. Itaque falluntur viri docti qui inter privatas personas hos Legatos referunt, eósque inter Assessores numerant. Etenim Assessores erant Iuris studiosi, quos magistratus sibi ut consiliorum participes adsciscebant. Itaque quamvis jus non dicerent, nec pronuntiarent, ab eorum tamen sententia vix magistratus recedebant; ut colligitur ex Augustino, cùm verba facit de Alipio assessionem exercente. Elegans est locus Iosephi, dum comparationem instituit Iudæorum cum Romanis in legum patriarum peritia. Illos enim de suis legibus citiùs responsuros asserit quàm de nomine proprio; hos autem ignorantiam suam profiteri, cùm Præsides provinciarum Adsessores sibi assumant, qui peritiam legum in judiciis præstent. Ceterùm privati erant omnino, adeo ut absente magistratu nec causas audire nec libellis subscribere possent. Attamen ex instituto Alexandri Severi, salaria illis constituta sunt: *Assessoribus salaria instituit; quamvis sæpe dixerit eos esse promovendos qui per se Rempublicam administrare possent, non per Assessores.* Quod exemplo Pescennij decretum est. Hic enim, teste Spartiano, *addidit Consiliariis salaria, ne eos gravarent quibus adsidebant, dicens judicem nec debere dare nec accipere.* Annonas quoque Adsessoribus è publico præstari solitas testatur Theodosius. Ne autem immensis sumptibus premeretur ærarium, unico tantùm Assessori annonæ è publico constitutæ sunt; quemadmodum docuit Iustinianus in Novella de mandatis Principum; ubi Præsidibus præcepit ut virum gravem & manibus castum adhibeant consiliis suis, qui contentus sit iis quæ à fisco præstantur, quíque ab iis amoveri possit, si quid contra spem illorum egerit. Quare non erat cur viri docti sibi persuaderent Legatos in Assessorum numerum referendos, Assessorésque vocari in Novellis XXX. & CIII. Etenim licèt unicus Assessor tribuatur à Iustiniano Proconsulibus Cappadociæ & Palæstinę à se recens institutis, eíque salarium præstari jubeat è publico, hoc dictum è forma quam erga ceteros omnes provinciarum rectores observatam vidimus, quibus unicum Assessorem sibi socium adsciscere permissum est. Quare ut apud ceteros magistratus Assessor ille pro Legato sumi non potest, qui solis Proconsulibus dabatur olim à Senatu; ita quoque cùm de Proconsulibus illis novis Cappadociæ & Palæstinæ agitur, Assessorem pro Consiliario, non autem pro Legato, accipere par est. Vnde rectè Iulianus παρεδρον (ita enim dicitur in dictis Novellis) *Consiliarium* utrobique vertit.

Aug. l. 6. Conf. c. 10.

Iosephus l. 2. contra Appionem.

Lamprid. in Alex.

L. un. C. De annon. & C. administr.

Nov. 6. de mandatis Principum c. 6.

Iulianus Ep. Ep. ante Novell.

VIII. Quemadmodum provinciæ assignatæ populo, per Proconsules administrabantur; ita provinciæ quas Augustus Principum curæ retinuerat, per Legatos Cæsaris. quæ alia erat species Legatorum distincta à Legatis Proconsulum. quamvis etiam Legati Cæsaris suos quoque secundarios Legatos haberent ex instituto Augusti, teste Dione. In eas autem provincias quæ consulares erant vel prætoriæ mittebantur ex parte Cæsaris Legati, qui *Consulares* dicti, vel *Legati pro Prætore*. Strabo eas vocat πρεσβευτὰς ὑπατικὰς ἢ πρεσβευτὰς στρατηγικούς. Passim occurrunt in veterum monumentis *Consulares*: qui trahendi ad Legatos Cæsaris & provinciarum rectores, quibus jure consulari provinciæ administrandæ concessæ erant, etsi nunquam gessissent consulatum; quemadmodum suprà monuimus id usurpatum in Proconsulibus qui jure consulari provinciis populi erant præfecti. Minutis provinciis rectores præficiebantur ex equestri ordine, Præsidum nomine, vel Procuratorum. Vnde fluxit illa distinctio provinciarum in proconsulares, legatorias, & præsidiales, quæ aliquoties occurrit in scriptoribus historiæ augustæ. Ceterùm, ut inquit Macer, *Præsidis nomen generale est; eóque & Proconsules & Legati Cæsaris, & omnes provincias regentes, licèt Senatores sint, Præsides appellantur.* Post Constantini ætatem imminuta sunt pleraque magistratuum nomina & officia, omnem harum rerum curam ad se trahente Principe. Mitto de Legatis exercituum, legionum, & cohortium verba facere, quia nihil ad institutum nostrum conferre possunt.

Strabo l. 17.

L. 1. ff. de offic. Præsidis.

IX. Novum genus magistratuum emersit ex Constantini institutione, scilicet Vicarij Præfectorum prætorio; de quibus hîc pauca dicenda, quæ illustrandis aliquot hujus Dissertationis articulis usui futura erunt. Quatuor Præfectis, quibus orbem Romanum ferè partitus Constantinus, aliquos Vicarios adjecit, qui non jurisdictione mandata à Præfectis, sed à Principe sibi data, in judiciis reddendis uterentur. Ne tamen de dignitate Præfectorum prætorio detrahi videretur, vices Præfectorum agere dicuntur Vicarij, unde illis nomen, & apud Ausonium præfecturarum titulo secundo provincias tenere, & in Codice Vicariam agere præfecturam, & præfecturę prætorianę trahere portionem. Fascibus & securi ornati erant, & vice sacra judicabant. Vetus Poëta de Valerio Proculo: *Ter vice qui sacrâ discinxit jurgia judex.* Vicariorum autem certus erat numerus; qui à Principe missi, in Diœcesibus sibi assignatis, id est, in tractu multas provincias com-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

plectente, jus dicebant. Omnes illi Vicarij, tum in Notitia utriusque Imperij, tum in legibus Codicis referuntur. In imperio Orientis erant tres Vicarij, Asianæ, Ponticæ, & Thracicæ Diœceseon; quibus additus est Vicarius Macedoniæ, post recisam ab Occidente illam partem Illyrici. In Occidente erant septem Vicarij, Vrbis, Italiæ, Illyrici, Africæ, sub Præfecto prætorio Italiæ; Vicarius septem provinciarum in Gallia, Vicarius Hispaniarum, & Vicarius Britanniarum, sub Præfecto prætorio Galliarum.

Alia est ratio eorum qui vicem alicujus Præsidis obtinent in provincia. Illi enim à Legatis Proconsulum differunt, & à Vicariis Præfectorum prætorio; & ad tempus provinciam administrandam obtinent, mandato Principis speciali, puta Præside defuncto, vel aliam ob causam. Vnde fit ut nonnunquam Procurator Cæsaris, Præsidis vice fungatur; ut contigit Pilato in Syria. Ei autem qui vicem alicujus judicis obtinet permissa sunt omnia quæ judici cujus locum tuetur; ut docet Cujacius in Tit. God. de officio ejus qui vicem alicujus judicis obtinet.

X. Restat ultima Legatorum species, quæ jure gentium apud omnes populos consecrata est; de quibus unica lege in toto Iuris corpore agitur. Legati hujus generis dicuntur, qui à Principe delecti negotia publica cum exteris gentibus ad eas missi disceptant; vel, ut Belisarius eos descripsit apud Procopium, si quid à conterminis gentibus desideratur, id postulatum iis mittitur per Legatos. Ij pro rei tractandæ magnitudine nunc illustriores, nunc verò inferioris gradus mittebantur. Quod usurpari solitum ab Imperatoribus Constantinopolitanis, & à Regibus Persarum, observavit Menander in Eclogis. De Legatis istis copiosam & eruditissimam Dissertationem edidit V.C. Carolus Paschalius; à quo peti possunt quæcunque ad materiam illam pertinent.

CAPVT II.

Synopsis.

I Diversæ Legatorum species in Ecclesia. Indicatur breviter in quo componi possint Legati Ecclesiæ cum Legatis Imperij.

II. Legati à synodis provinciarum missi ad Romanam sedem, vel ad Principem, collati cum Legatis provincialibus. Ejus generis Legati missi à Cypriano ad Cornelium Papam, pro gerendo negotio impositi, absque ulla jurisdictione. Legatio non absimilis missa à Synodo Carthaginensi ad Anastasium Pontificem, & ad Episcopum Mediolanensem, pro venia Synodi Capuanæ, de baptizatis à Donatistis. Ad Mediolanensem Episcopum Legati directi, sed præcipuè ad Romanum.

III. Missi quoque à Synodo Carthaginensi Legati ad Principes, una cum literis. Quid sit libera legatio in illo Concilio. Differt ab ea cujus meminit Cicero & Vlpianus. Hæc titulo tenus & ad dignitatem data; illa verò, quæ nullis mandatis est adstricta, similis procurationi liberæ.

IV. Ab Orientis Ecclesiis directi quoque Legati ad Romanam sedem, scilicet à Synodo Antiochena, & Alexandrina, in causa Athanasij, & à Concilio Lampsaceno. Infinitum est ejusmodi legationes recensere.

V. Romani quoque Pontifices mittebant aliquando hujus generis Legatos, ut Julius ad Orientales; quibus ministerium nudum injunctum erat, nulla verò jurisdictio. Ad hanc speciem pertinet legatio Faustini ad Concilium Carthaginense. Nulla jurisdictio illi mandata; sed impositum ministerium de capitibus aliquot tractandi.

VI. Magno honore excepti Faustinus ejusque socij ab Africanis. Non poterant sententiam dicere in synodo Africana jure proprio, quia peregrini, nec jure delegationis. Quid permitteretur peregrino Episcopo. Consessus in Ecclesia ante Presbyteros. Et facultas offerendi.: quæ concessa à Concilio Arelatensi. Olim peregrinis Eucharistia tantum missa domum; deinde inductum ab Aniceto ut porrigeretur illis in Ecclesia. Explicatus ea de re, nova interpretatione, Irenæi locus.

VII. Faustinus illiúsque socy, ex beneficio Africanorum, in synodum admissi, sententiam quoque dixerunt. Tertius locus illis datus. quia negotiorum tantùm procuratores erant, nulla jurisdictione instructi.

VIII. Refelluntur Novatores, qui ex hoc Concilio Metropolitas Legatis omnibus Romanis anteponendos censent.

I. IN Ecclesia locum quoque habent legationes diversi generis. Quidam enim Legati mittuntur ad negotiorum publicorum prosecutionem, qui Legatis provincialibus respondent. Quidam instructi sunt jurisdictione quadam quæ illis mandatur, qui aliquo pacto componi possunt cum Legatis Proconsulum. Quibusdam plena jurisdictio in provincias vacantes conceditur, qui aliqua ex parte Legatos Cæsaris & Consulares referunt. Quidam suæ jurisdictioni ordinariè in aliquot provincias adjunctam habent vicariam apostolicæ sedis auctoritatem; quos, ratione Diœceseos quam administrant, conferre licet cum Vicariis Præfectorum prætorio. Legatis autem à sede apostolica missis sanctitas illa, quæ Legatis Principum debetur ex jure gentium, à Christianis Principibus conservari debet. Vnde patet quantam lucem dicendis fœnerari possimus ex iis quæ capite primo adnotata sunt.

II. Ac primò quidem Legati qui à synodis provinciarum ad Romanam sedem vel ad Principes mittebantur olim, nullo jure alio censeri poterant quàm illo quod in Legatis provincialibus obtinebat, adeo ut nulla jurisdictione data, sola illis gerendi negotij quod mandatum erat sollicitudo immineret. Hujus generis erant Episcopi Calidonius &

Cypr. ep. 42. ad Cornelium. Fortunatus, Legati à Cypriano & Synodo Carthaginensi ad Cornelium Pontificem & Romanam Ecclesiam missi, ut quantum fieri posset eniterentur ad componendam consiliis suis Ecclesiæ unitatem, quæ factione Novatiani scissa erat, & ut de Cornelij ordinatione quæ sibi essent comperta referrent ad Africanos; quò scrupulo omni excusso, Cornelij *communicationem, id est, catholicæ Ecclesiæ unitatem pariter & caritatem probarent firmiter & tenerent.* Hos Episcopos ad Cornelium missos disertè Cyprianus Legatos vocat. In Concilio quoque Carthaginensi legatio decreta fuia anno CDI. ad Anastasium sedis apostolicę Episcopum, ad Venerium Sacerdotem Mediolanensem, & ad Imperatores, ut Ecclesię Africanę necessitatibus consuleretur. Etenim cùm in Concilio Capuano generali vetitum fuisset anno trecentesimo octuagesimo nono ne baptizatis à Donatistis in clerum aliquando adsciscerentur, Africanę Ecclesiæ ad eam Clericorum inopiam redactæ ut plerisque earum desertis ne unus quidem Diaconus vel illiteratus reperiretur, hanc necessitatem suggesserunt Episcopis Romano & Mediolanensi. *Ex his enim sedibus*, inquiunt illi, *hoc fuerat prohibitum.* Quare eorum ope *communi periculo providendum* aiunt. A generali autem prohibitione eos excipi postulant qui apud Donatistas parvuli baptizati, agnita deinde veritate ad Ecclesiam catholicam accedentes, per manus impositionem susceperi sunt. *Tantùm de his qui infantes baptizati sunt satagimus*, inquiunt, *ut nostræ, si placet, in iisdem ordinandis consentiant voluntati.* Quare ad interpretandam Concilij plenarij definitionem necessarium existimabant Africani sedis apostolicę consensum. Hoc enim ab ea sede *maximè* pendere profitentur in simili specie, de Clericis Donatistarum; etsi ad ceteros quoque transmarinos Episcopos literas suas dirigant: ex quorum consilio, & præcipuè Mediolanensis Episcopi, qui erat Italiæ Primas, Romanus Pontifex res istas constituebat.

Cypr. ep. 45. *Cùm statuissemus collegæ quamplures, qui in unum conveneramus, ut Legatis ad vos Coepiscopis nostris Calidonio & Fermmato missis &c.*

Coll. Concil. Afric. c. 57. & in Præfat.

Coll. Concil. Afric. c. 68.

III. Eadem legatione postulatum est ab Imperatoribus ut templa paganorum abolerentur in Africa, & aliquot alia capita, quæ recensentur in dicto Carthaginensi Concilio. Anno quoque CCCCIV. ex altero Concilio Carthaginensi Theasius & Evodius Episcopi ad Principes missi sunt adversùs Donatistas; quibus Legatorum nomen impositum, & literę datę ad Imperatores & magistratus. *Illud præterea cunctis nobis placuit, ut literæ de cœtu nostro ad glorioſissimos Imperatores & eminentissimas potestates dirigantur, quibus instruantur nostro omnium consensu ad beatissimum comitatum Legatos à nobis esse directos.*

In d. Collect. c. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64.

In d. Coll. c. 95.

Frequentes visuntur in Conciliis Carthaginensibus decretæ ad Imperatores legationes adversùs paganos & hæreticos. Sed observanda est in primis illa quæ injuncta est Vincentio & Fortunatiano anno CDVII. de qua his verbis constitutum est: *Placuit ut legationem liberam habeant ad comitatum missi delecti Legati.* C. 95. Vbi alio sensu accipienda est libera legatio quàm usurpetur ab Vlpiano: *Qui libera legatione abest*, inquit, *non videtur reipublicæ causa abesse. Hic enim non publici commodi, sed sui causâ abest.* Apud Vlpianum enim libera legatio dicitur quæ nulli negotio gerendo adstricta, nec ullo tempore finita, viris clarissimis à Senatu olim, deinde ab Imperatoribus concedebatur titulo tenus, ut in provinciis privatas res suas curantes, vel etiam voti solvendi causâ, fana & sacra loca adeuntes, Legatorum dignitate ornarentur. quæ ultima legationis species etiam votiva dicebatur. Vtriusque autem legationis frequens mentio apud Ciceronem & aliquot veteres. In dicto verò canone Carthaginensis Concilij, libera legatio dicitur quæ liberis mandatis constituta erat. *Libera mandata* voco cum Livio ea quæ Legatis dantur nulli formulæ adstricta, quæque rem omnem gerendam eorum fidei & prudentiæ committunt. His autem verbis libera illa Legatorum potestas explicatur à patribus Africanis: *Placuit & illud, ut adversùs Donatistas & Paganos, vel eorum superstitiones, Legati missi de hoc glorioso Concilio, quicquid utile perviderint, de glorioſissimis Principibus impetrent.* Itaque istiusmodi Legati similes videntur Procuratoribus, quibus mandato generali libera rerum administratio commissa est; de quibus Iurisconsulti.

L. 14. ff. de Legat.

Cic. ad Att. lib. 1. ep. 4. 5. 16. lib. 6. ep. 1. lib. 11. ep. 5. 6. & alibi. Agnelli. lib. 2 Tibet. c. 11. Livius lib. 7.

In d. Coll. c. 108.

L. Procons. ff. de procon.

IV. Ab Orientalibus Episcopis missos olim ad Romanum Pontificem Legatos docet epistola Iulij apud Athanasium, qui disceptationem Martyrij Presbyteri & Hesychij Diaconi Legatorum Orientalium apud se habitam cum Legatis Athanasij & Synodi Alexandrinæ refert; his communionem Athanasij non esse rejiciendam à Pontifice Romano contendentibus; illis verò damnati hominis consortium non esse amplectendum asserentibus, & postulantibus novum judicium à Iulio, si opus esset, instaurari. Præterea Lampsacenum Concilium Episcoporum Orientalium, tres Legatos ad Liberium misit, Eustathium, Silvanum, & Theophilum, qui repudiato Ariminensis & Seleucienſis Conciliorum decreto, Nicænam fidem se retinere profiterentur. Lampsacenæ synodi legationem sibi ad Liberium in-

Iulij ep. ap. Athan. ep. 4.

junctam & ad ceteros Italiæ & Occidentis Episcopos profitentur apud Socratem : *Ejus synodi legationem obeuntes, ad tuam benignitatem & ad omnes Italos Occidentísque Episcopos literas afferimus.* Prætermitto infinita hujusce modi exempla, quæ facilè cumulari possent; cùm ista sufficiant ad ostendendam hujus moris vetustatem, in mittendis ad Romanam sedem ab Oriente & Occidente Legatis.

V. Vicissim quoque Romani Pontifices hujus primi generis Legatos quandoque mittebant, qui nulla jurisdictione instructi, ea tantummodo negotia curarent quæ mandatis continebantur. In hunc sensum referri debet legatio Elpidij & Philoxeni decreta à Julio ad Orientales in causa Athanasij, *ut incitarent eos qui judicium scriptis postulaverant, ut præsto esse vellent.* Quare nulla causæ cognitio illis concessa erat; solo tantùm monendi & evocandi ad Concilium ministerio defungebantur. Ad hanc speciem Legatorum pertinet quoque legatio Faustini Episcopi & Philippi atque Asselli Presbyterorum Ecclesiæ Romanæ, missa ad Concilium Carthaginense à Zozimo Papa. Nulla enim auctoritate vel jurisdictione sibi mandata Legati illi ornati erant; sed solum ministerium illis impositum erat ad tractanda capita mandatis comprehensa, de appellationibus Episcoporum & Clericorum ad Romanam sedem. *Injuncta sunt nobis à sede apostolica aliqua per scripturam, aliqua etiam in mandatis, cum vestra beatitudine tractanda.* Infrà : *De his ergo primitus, si placet beatitudini vestræ, tractemus; & postea cetera quæ acta vel inchoata sunt, inserta firmabuntur, ut ad sedem apostolicam rescriptis vestris intimare possitis.* Vnde patet negotiorum gerendorum causa decretam fuisse legationem à Zozimo & ab Ecclesiæ Romanæ synodo. Quod patet evidentissimè ex ipsius Commonitorij verbis, quod datum est Legatis : unde constat eos quidem vices Zozimi egisse, sed in procuratione negotiorum, non autem in aliqua jurisdictionis functione. *Vobis commissa negotia non latent*, inquit Zozimus. *Vos ita ut nostra, imò quia nostra ibi in vobis præsentia est, cuncta peragite; maximè cùm & hoc nostrum possitis habere mandatum*; cui canones Sardicenses de appellationibus inserit.

VI. Etsi autem Legati Romanæ Ecclesiæ solis negotiis curandis intenti essent, nullâque pars auctoritatis pontificiæ illis commissa esset, non vulgari honore excepti sunt à Concilio Carthaginensi. Etenim cùm Faustinus esset peregrinus Episcopus, & synodi Italicæ, τοὺς ἐπαρχιώτας, alienæ provinciæ negotiis sese immiscere contra canones non poterat jure proprio, nec etiam jure delegationis, cùm Zozimi mandatum ad tractanda capita quædam de privilegiis Ecclesiæ Romanæ restrictum esset. Illud unum ex usu hujus seculi obtinere poterat, ut in Ecclesia Carthaginensi post Episcopum civitatis ante Presbyteros consideret. quod peregrino Episcopo dabatur, ut docent Episcopi Africani in Collatione Carthaginensi. Adde, ad sacrificij oblationem peragendam admitti potuisse ex canone Arelat. Concilij primi, quo inductum est anno CCCXIV. ut peregrinis Episcopis ad offerendum detur locus : *De Episcopis peregrinis, qui in urbem solent venire, placuit eis locum dari, ut offerant.* Etenim ante hujus Concilij definitionem Eucharistia tantùm in Ecclesia illis porrigebatur, juxta morem ab Aniceto Papa inductum; quo usus est erga Polycarpum Smyrnensem, quem Eucharistiæ communione *in Ecclesia* donavit; licèt ante illud tempus peregrinis Episcopis Eucharistia *domum* mitti consuevisset, ne à communione viderentur alieni. Vtriusque consuetudinis, & illius antiquissimæ, & indulgentioris ab Aniceto inductæ, meminit Irenæus, qui κατ' ἐνιαυτὸν concessam in Ecclesia Polycarpo Eucharistiam observat disertis verbis. Ἐνιαυτὸν in eo versabatur, ex mea quidem sententia, quòd Anicetus sacramenta non misisset domum, sed Polycarpo permisisset iis participare contra Ecclesiæ cancellos. Malè enim interpretes hunc locum ad celebrationem Liturgiæ ab Aniceto permissam trahunt, quemadmodum adnotavit vir doctissimus; cujus censura hac nostra observatione & canone Arelatensi omnino confirmatur.

In Collat. Carthag. c. 16.

Euseb. lib. 5. c. 24. Græcè edit.

Fr. Florent ad Tit. de Translat. Episc. Vide H. Valesij Notas ad Euseb. lib. 5. hist. eccles. cap. 24. pag. 109.

VII. Cùm ergo in eo positi essent Legati ut res Africanas attingere non possent, ad confessum tamen unà cum ceteris Episcopis admissi sunt; illis præsentibus, de negotiis eorum curæ commissis deliberatum est; atque jus promendæ sententiæ, in iis quæ constituta sunt de disciplina, delatum; ut patet ex capite quarto de abstinentia Clericorum ab uxoribus, quæ disertè Faustino censente decreta est. Aurelius Episcopus Carthaginensis jure metropolitico præfuit synodo. Proximum ab eo locum tenuit Valentinus primæ sedis provinciæ Numidiæ Episcopus. Deinde *Faustinus Ecclesiæ Potentinæ, provinciæ Italiæ Piceni, Legatus Ecclesiæ Romanæ*; qui ceteris provinciarum Africanarum Legatis numero ducentis & quindecim prælatus est. Post omnes Episcopos confederunt Philippus & Asellus Presbyteri, atque Legati Ecclesiæ Romanæ; nullis aliis Presbyteris, neque ipsius Ecclesiæ Carthaginensis, ad hunc cœtum admissis. Quare si negotiorum pro-

curatoribus, vel potiùs Legatis provincialibus à Synodo Romana & Pontifice missis tantus honor habitus est, dubitandum non est quin Legatis mandata sibi jurisdictione pontificia fungentibus integra dignitas olim in synodis conservata fuerit. Quod obtinuisse videbimus non solùm in Conciliis Oecumenicis, sed etiam in Conciliis provincialibus & diœcesanis. Discrimen horum Legatorum ex eo proficiscitur, quòd isti magistratu quodam funguntur, & vices Pontificis gerunt in jurisdictione exercenda; illi verò nulla jurisdictione instructi, Legatis provincialibus respondent.

VIII. Frustra ergo sunt Novatores; qui hoc Legatorum discrimine non animadverso, eorum jura & dignitatem fœdè permiscentes, Concilij Carthaginensis præjudicio Legatos quoscunque Romanæ Ecclesiæ Metropolitis postponendos ex jure veteri censent. Licèt autem concoquere non possint excogitatas à viro eruditissimo ad rem istam explicandam voces, scilicet Legatos cathedraticos, & personam Papæ agentes, & judiciariam, attamen verbis à jure ipso petitis, quæ ad hujus difficultatis interpretationem attulimus, eos nullo negotio cessuros existimo. Neque verò tantum illis indulgendum censeo, quantum vir ille eruditissimus concedere videtur: qui Legatos Conciliorum præsides in Conciliis Oecumenicis tantùm agnoscit, non autem in particularibus, ita ut consessus prærogativam à Conciliorum conditione, non autem à legationis discrimine, potissimùm trahere videatur. Mihi verò certum est, non solùm in Conciliis Oecumenicis, sed etiam in aliis extraordinariis, Legatos Romanæ Ecclesiæ jus illud obtinuisse, ex Concilio Sardicensi.

M. Card. Perronius Replic. c. 40.

CAPVT III.

Synopsis.

I. Episcopi à synodis provincialibus missi ad synodos Diœcesicon, vel ad Oecumenicas, sua & mandata jurisdictione utebantur. Legati dicuntur in Conciliis Africanis, in Aquileiensi, & alibi. In synodo Ephesina, Legati dicti absentium Episcoporum Vicarij.

II. In Legatis hujus generis emicuit olim auctoritas Romanæ sedis. Eorum discrimen à Legatis synodorum provincialium.

III. Inquiritur an Legati Romani præfuerint Conciliis Oecumenicis. Osius Cordubæ Episcopus præfuit Nicæno, unà cum Presbyteris Vitone & Vincentio.

IV. Legatione Romani Pontificis fungebatur. Quod probatur non solùm argumentis, sed etiam testimonio Eusebij, apud Gelasium Cyzicenum. cujus meminit Photius.

V. Legatio Osij deest in editione Eusebij vulgata, & in ea quæ relata est à Socrate. Theodoretus & Sozomenus solos Vitonem & Vincentium Legatos Romani Pontificis agnoscunt. Distinctio Legatorum in externos & internos non satisfacit.

VI. Locus Eusebij mutilus in codice quem Socrates sequebatur. Labes illa manifesta; quæ collato Gelasij codice facilè deprehenditur.

VII. Alio quoque argumento idipsum ostenditur, nimirum auctoritate Niceræ Choniatis, qui Episcopum urbis regiæ apud Eusebium explicat de Metrophane Episcopo Constantinopolitano.

VIII. Sozomenus emendatus, qui Vitonem & Vincentium Julij Episcopi Romani Legatos fuisse scripsit. Rejecta Cardinalis Perronij conjectura; quæ tamen viam aperit ad veram emendationem, quæ indicatur.

I. ALIUD Legatorum genus in Conciliis reperitur, qui mandata sibi jurisdictione utuntur, in iis articulis quorum causâ legatio illis imposita est. Hi sunt Episcopi quos provinciarum synodi ad Diœcesana Concilia, quæ vulgò *Nationalia* dicuntur, vel etiam ad Oecumenica mittere consueverunt. Etsi enim indubitatum sit Episcopis illis jus suffragij competere, attamen injuncta legatio id præstat, ut non solùm sua, sed etiam aliena, id est, totius provinciæ auctoritate instructi, de rebus in synodo propositis decernant. Quare cùm cœtibus illis intersint non tantùm suo sed etiam provinciæ nomine, inde illis datum est Legatorum nomen; ut constat ex Concilio Carthaginensi: *Singulis quibusque annis Concilium convocetur: ad quod omnes provinciæ, quæ primas sedes habent, de Conciliis suis binos, aut quantos delegerint, Episcopos Legatos mittant.* Vnde passim occurrunt in Conciliis Carthaginensibus Legati provinciarum Numidiæ, Mauritaniæ, Byzacenæ, & Tripolitanæ: qui porrectis legationis suæ literis, iisque recitatis, & in acta redactis, à Concilio admittebantur; ut patet ex Concilio anni quadringentesimi tertij. Enimvero quia plerunque accidebat ut mandatis fines quidam Legatis præscriberentur, quos excedere piaculum ducerent, constitutum fuit anno CDV. in altera Carthaginensi synodo *ut libera legatio ab omnibus provinciis ad Concilium dirigeretur.* Hujus autem vocis usus non in Africa sola obtinuit, sed passim quoque in ceteris Occidentis Ecclesiis; quemadmodum docet Ambrosius in epistola synodica Concilij Aquileiensis ad Gratianum, cui *ex omnibus provincijs Occidentalibus missos adfuisse Legatos* scribit; inter quos Constantius & Iustus *Legati Gallorum* in actis referuntur, qui Episcoporum Gallicanorum provinciæ Viennensium & Narbonensis primæ & secundæ vices gerebant, eorúmque præsentiam supplebant, ut fatetur Aquileiense Concilium. Quamvis in Ephesina Synodo Legatorum nomen ad

Concil. Carthag. III. can. Conciliorum Græc. Lat. Cod. Canon. Ecclesiæ Afric. c. 18.

Cassiod. lib. c. 32.

Epistola Concil. ad Episcopos Gal-lia.

Vicarios

Vicarios absentium restringatur: ubi Philippus Presbyter ait Concilium illud conflatum fuisse ex Episcopis Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis, qui aut præsentes aderant ipsi, aut per Legatos.

II. In Legatis hujusce generis emicuit olim amplissima Romanæ sedis dignitas & auctoritas, quæ Legatorum suorum ministerio Synodis Oecumenicis præfuit, hæreses profligavit, hæreticos proscripsit, canones de disciplina ecclesiastica unà cum ceteris Episcopis ad Concilia evocatis decrevit. In eo autem conveniunt Legati Romanæ sedis cum reliquarum Ecclesiarum Legatis, quòd Romani Pontificis, à quo mittuntur, vices agunt, & integram ipsius dignitatem atque auctoritatem repræsentant; quemadmodum ceteri Legati suarum provinciarum præsentiam & suffragia exhibent. Sed in eo maximè differunt, quòd Romani ea jurisdictione aucti sunt quæ illis legatione dempta non competeret; cùm provinciarum Legati suo nomine suffragia ferre possent in synodis, etsi legatione destituerentur. Sed Paschasinus & Lucentius Episcopi, multò minùs Bonifacius Presbyter, Concilio Chalcedonensi non præfuissent, neque jure relationis & suffragij prærogativa usi forent, nisi ob legationem à Leone injunctam, qui jurisdictionem suam illis ad Eutychen confodiendum in synodo mandavit.

III. Quoniam verò magna contentione certatur an primum locum in Synodis Oecumenicis Legati Romani obtinuerint, non alienum erit ab instituto, quæ ad rem istam pertinentia aliquando observavimus, breviter & dilucidè promere. Primus pugnæ gradus in Synodo Nicæna, quæ ex orbe Christiano à Constantino coacta, Orientalium Episcoporum frequentissimo numero celebrata est; ex Italia verò & remotioribus Occidentis partibus Legati tantùm adfuerunt. Huic sanctissimo & celeberrimo cœtui Osium Episcopum Cordubæ præsedisse fatentur omnes, post Athanasium; qui eum ducem & antesignanum synodorum fuisse docet, & ab Arrianis Præsidem synodorum appellatum. Quod etiam demonstratur è Socrate; qui Athanasij Synodicum secutus, Episcoporum insignium qui synodo interfuerant nomina recensens, ab Osio Episcopo Cordubæ, Vitone & Vincentio Presbyteris, auspicatur; quibus subjungit Alexandrum Ægypti, Eustathium Antiochiæ, & Macarium Hierosolymorum Episcopos; eodem ordine in recensendis Episcopis illis servato quem Nicæni canones Romanæ, Alexandrinæ, Antiochenæ, & Hierosolymitanæ sedi assignarunt. Primus denique Concilio subscribit Osius, cum Vitone & Vincentio Romanæ Ecclesiæ Presbyteris.

IV. Sed probandum nobis incumbit Osium legatione Romani Pontificis in hac synodo functum. Sanè si argumentis ageretur, difficultas ista uno verbo confici posset. Cùm enim è Synodico Athanasij habeamus Vitonem & Vincentium Romanæ Ecclesiæ Presbyteros Ægypti & Orientis Patriarchis prælatos, (quod alio jure niti non poterat quàm jure legationis illis à Romano Pontifice impositæ, ut sedium jura in eadem synodo confirmata, illibata servarentur) nemo absque pervicacia negare poterit quin Osius Occidentalis Ecclesiæ Episcopus eodem legationis jure & Patriarchis & Romanis Presbyteris prælatus fuerit. Alioquin illud quoque absurdum sequeretur, Alexandrinum Episcopum non secundum locum sibi juxta mores antiquos decretum, sed tertium occupasse, si Osio legationis Romanę dignitas adimatur. Donec ergo judicio synodi Nicænę aut Constantini delegatione doceatur Osio delatam fuisse προεδρίαν, necesse est ut ejus dignitatem à legatione Pontificis & Synodi Occidentalis accersamus; præsertim cùm id quod asserimus docuerit olim Eusebius, juxta fidem Gelasij Cyziceni, qui circa annum CDLXXX. acta Concilij Nicæni collegit. Hic enim auctor ex tertio libro Eusebij de vita Constantini se ista ad verbum transcripsisse profitetur. *Ipse ex Hispanis valde celebratus Osius, obtinens locum magnæ Romæ Episcopi Silvestri, cum Presbyteris Romæ Vitone & Vincentio, cum plurimis aliis considebat. Urbis autem illius quæ nunc imperat Episcopus, Metrophanes nomine, propter senectutem non adfuit; ipsius verò Presbyteri qui aderant, ejus locum supplevere; quorum unus erat Alexander, qui urbis episcopatum post Metrophanem adeptus est.* Αὐτὸς τε Σπανῶν ὁ πάνυ βοώμενος ὁ Ὅσιος, ἐπέχων τε τὸν τόπον τῆς μείζονος Ῥώμης ὑπισχνεῖτο Σιλβέστρου, σὺν πρεσβυτέροις Ῥώμης Βίτωνι τε καὶ Βικεντίῳ τοῖς πολλοῖς ἅμα συνεδρεύουσι τῆς τε νῦν βασιλευούσης πόλεως ὁ μὴ παρεῖναι, Μητροφάνης τὄνομα, διὰ γῆρας ὑστέρει. πρεσβύτεροι δὲ αὐτοῦ παρόντες τὴν αὐτοῦ τάξιν ἐτέλουν. ὧν ὁ εἷς Ἀλέξανδρος ἦν ὁ μετ' αὐτὸν ἐπίσκοπος τῆς αὐτῆς γεγονὼς πόλεως. Ne quis autem suspicetur editioni Gelasij Cyziceni per impostura à nostris, qui opus illud è Bibliotheca Vaticana & ex altero codice Constantinopolitano publicarunt, pericopam illam insertam fuisse, præstò aderit Photius Patriarcha Constantinopolitanus, vir quidem multiplicis lectionis & eruditæ, sed amaro in Pontifices animo, atque auctor schismatis Orientalium. Hic ergo testatur à se perlecta Concilij Nicæni acta à Gelasio Cyziceno

Vide Valesij Notas ad Socr. lib. 1. c. 15.

Gelas. Cyzic. lib. 2. c. 5.

Photius in Bibliotheca c. 89.

interpolata ; in quibus referretur Osium Cordubensem, Vitonem & Vincentium Romanos Presbyteros, vice Silvestri Romani Episcopi interfuisse, ipsúmque Eustathium Antiochenum ; Alexandrum verò Presbyterum vice Metrophanis Constantinopolitani, qui decrepita senectute laborabat, synodo adfuisse. Quam sententiam ipse Photius suffragio suo probavit in epistola ad Michaëlem Regem Bulgarorum ; ubi legationem à Silvestro injunctam fuisse Cordubensi Osio & duobus Presbyteris Romanis scripsit.

V. Sed testimonio Gelasij opponitur non solùm Eusebij editio, quæ hodie extat, sed etiam illa quæ Socratis historici tempore, qui paulò antiquior est Gelasio, manibus omnium terebatur ; à qua verba illa de legatione Osij, Vitonis, & Vincentij omnino absunt. Ita se habet locus Socratis: *Eusebius libro tertio de vita Constantini hæc ait ad verbum: Ipséque ex Hispanis valde celebratus, cum aliis multis consedit. Vrbis verò illius quæ imperat Episcopus, propter senectutem non adfuit. ipsius vero Presbyteri qui aderant, ejus locum supplevere.* Αυτός τε Σπανδν ὁ πάνυ βοώμενος, εἰς ἰῶ τοῖς πολλοῖς ἅμα συνεδρεύων. τῆς δέ γε βασιλευούσης πόλεως ὁ μὲν πρεσβεύς, διὰ γῆρας ὑπέρει. πρεσβύτεροι ἦ αὐτὸ παρόντες, τὸν αὐτὸ τόξιν ἐπλήρουν. Quin etiam Sozomenus atque Theodoretus hanc Eusebij lectionem quæ à Socrate profertur secuti, Osij nulla mentione facta, Pontificem Romanum ingravescente ætate præpeditum ne synodo interesset, duos Presbyteros delegasse scribunt ; quos Vitonis & Vincentij nomine Sozomenus designat. Ex horum trium historicorum testimonio duo quædam colliguntur, quæ hanc disceptationem profunda veluti caligine involvunt. Vnum est, legationem Osij in codicibus Eusebij, quibus illi utebantur, omnino dissimulatam. Alterum, legationem Romani Pontificis ad duos Presbyteros à Sozomeno & Theodoreto restrictam. quod legationem omnem adimit Osio. Non me latet viris eruditis placuisse distinctionem quandam Legatorum, quos in externos dividunt & internos ; ita ut de solis internis & veluti domesticis Ecclesiæ Romanæ Legatis à latere Pontificis missi loquantur Theodoretus & Sozomenus. quod legationi Osij non detrahit, quam ex mandato Papæ & Synodi Occidentalis gerebat. Sed distinctio ista in sexta Synodo initium sumpsit, ut dicemus suo loco.

VI. Verùm, ut sine ullo partium studio eloquar quod sentio, locus Eusebij in vulgatis editionibus mutilus esse mihi omnino videtur. quod ante me professus est vir eruditissimus Ioannes Morinus. Illam verò labem nolim audaciæ Græculi cujusdam adscribere qui è Socrate & Eusebio verba illa eraserit ; cùm è Theodoreto & Sozomeno constet illorum ætate codices Eusebij & Socratis vitio illo laborasse, ut statim dicam. Proclivis error ex amanuensium incuria, qui unum aut alterum versùm inter exscribendum omiserunt. Neque enim in verborum immutationibus, sed in pericopę unius omissione error iste versatur. Fatendum quidem est absque subsidio melioris codicis labem illam deprehendi non posse ; ita ut de negligentia Socratis, Sozomeni, & Theodoreti nemo conqueri possit, neque de illorum bona fide aliquid sinistri suspicari : qui si codices integriores nacti fuissent, veram lectionem non dissimulassent ; quemadmodum neque Gelasius Cyzicenus eam dissimulavit. Sed profiteri ausim ex indicio Gelasij, facillimum esse cuique non obtusi omnino ingenij viro hiatum illum apud Eusebij codices vulgatos deprehendere. Quis enim non statim advertit aliquid deesse in his Eusebij verbis, *Ex Hispanis celebratus ille* adfuit cum ceteris? Quis tandem erit ille Hispanus, licèt famæ celebritate conspicuus, si nomen ejus taceatur? Hoc loquendi genus aliquo pacto ferri posset in oratione panegyrica : quod tamen sine vitio usurpari non potest in historia, quæ virorum illustrium nomina posteritati commendare debet. Si consulatur Gelasij codex, statim labes illa deprehenditur. Verbis enim illis generalibus Eusebij subjungitur Osij nomen & legatio.

VII. Deinde si quis accuratè expendat Eusebium, cùm agit de urbis regiæ Episcopo ob ætatem ingravescentem impedito ne synodo interesset, de Metrophane Constantinopolitano accipiendum intelliget, non autem de Silvestro Romano. Hic enim undecim annis superstes fuit Concilio Nicæno. Metrophanes verò morbo & ætate fessus, statim post synodum obiit ; in cujus locum suffectus est Alexander ; ut demonstratum est à viro doctissimo Ioanne Morino. Itaque Nicetas Choniates, emunctæ naris, hæc Eusebij verba ad Episcopum Constantinopolitanum referenda esse subodoratus est: *Eusebius Pamphili*, inquit, *in tertio libro vitæ Constantini abfuisse ait Episcopum Constantinopoleos ob senectutem*, (*sed illius nomen non declarat*) *illius verò locum tenuisse ejus Presbyteros. Sed Acta synodi referunt tunc Metrophanem Constantinopolitanum Episcopum fuisse, ob decrepitam verò etatem non interfuisse Concilio, ejúsque locum suppleviſſe Alexandrum.* Quam explicationem assecutus est ope Actorum Concilij Nicæni à Gelasio Cyziceno collectorum. Hoc subsidio destituti Theodoretus

Locum Eusebij esse mutilum apud Socratem probatur infrà in Addit. ad caput 12. hujus libri, §. 5.

Socrates lib. 1. c. 5.

Sozom. lib. 1. c. 16 Theodor. lib. 1. c. 7.

Morinus lib. 1. Exercitat. 20. pag. 143.

Nicetas in Isaac.

& Sozomenus locum Eusebij mutilum à Socrate prolatum, de Romano Episcopo, etsi contra historiæ circumstantias, interpretati sunt. Theodoreti hæc sunt verba: *Episcopus Romanus propter ætatem admodum ingravescentem abfuit. Verùm duos illò misit Presbyteros, potestate illis concessa actis illius Concilij assentiri.* ὁ γὰρ τῆς Ῥώμης διὰ τὸ γῆρας ἀπελείφθη βαθύ. δύο μέντοι πρεσβυτέρους ἀπέστειλε συνδόξους τοῖς πραττομένοις παρεγενήσατο.

VIII. Posita vera & sincera Eusebij interpretatione, quod attinet ad Episcopum urbis regiæ, quis non videt statim lacunam illius loci, ubi deest legatio Silvestri, quæ supplenda est è codice Gelasij? Alioquin accideret Eusebium in exacta illa quam inivit provinciarum enumeratione, quæ Episcopos suos ad synodum miserunt, Italiam & urbem Romam omisisse. quo nihil absurdius fingi potest. Quæ ratio impulit Theodoretum & Sozomenum ut veteri Romæ tribuerent quæ de nova scripserat Eusebius. Locus Sozomeni non tantùm Presbyterorum Ecclesiæ Romanæ meminit; sed etiam nominibus suis illos effert, Vitonem scilicet & Vincentium; imò verò Iulium fuisse docet Romanum Pontificem, qui illis legationem imposuit: *Iulius*, inquit, *Romanorum Episcopus propter senium abfuit: ipsius autem vice interfuerunt Presbyteri illius Ecclesiæ Vito & Vincentius.* Ἰούλιος ὁ Ῥωμαίων ἐπίσκοπος διὰ γῆρας ἀπελιμπάνετο. παρῆσαν ὁ αὐτ' αὐτοῦ βίτων καὶ βικέντιος πρεσβύτεροι τῆς αὐτῆς ἐκκλησίας. Manifestus error in nomine Iulij admissus est. Etenim post undecim annos solidos à Concilio Nicæno Iulius Romanam sedem adeptus est; ut monuit ipse Sozomenus. Itaque vix fieri potest ut tam supinæ oscitantiæ hunc scriptorem damnemus, ut in re adeo seria, adeóque manifesta, in errorem lapsus sit, Iuliúmque Silvestro substituerit. Scio quidem mendum esse vetus, quod in Historiæ Tripartitæ interpolatione è Sozomeno retinuit Epiphanius Scholasticus, eúmque secutus Beda. Tentavit vir illustrissimus medicinam facere huic morbo, legendo πόλιος pro Ἰούλιος. Sed præterquàm quòd dictio illa poëtis familiaris, insolens est apud historicos, hoc loco locutionem redderet omnino barbaram. Attamen non inficiandum est, ex conjectura illa viam aperiri ad veram emendationem, si vice τοῦ Ἰούλιος legatur πόλεως, lectióque ita constituatur: πόλεως δὲ Ῥωμαίων ἐπίσκοπος, *Vrbis autem Romanorum Episcopus.*

Conf. Pagium in Crit. Gelas. Cotleri., & Rubeum, c. 41.

OBSERVATIO
STEPHANI BALUZII.

I. EVSEBII Pamphili locum de Episcopo τῆς βασιλευούσης πόλεως, qui propter senium non accessit ad Concilium Nicænum, cùm in diversum nonnulli trahant, pronuntiaveritque non ita pridem vir clarissimus Henricus Valesius ferri non posse explicationem quæ de Constantinopolitano Episcopo heic agi docet, operæ pretium me facturum putavi, si in eam rem paulò accuratiùs incumberem; præsertim cùm in me susceperim curam illustrandarum harum Dissertationum asserendarúmque opinionum illustrissimi Archiepiscopi. Quæ disputatio ut ordine procedat, referenda sunt ipsa Eusebij verba. Sic ergo loquitur ille in libro III. de vita Constantini cap. VII. τῆς δέ γε βασιλευούσης πόλεως ὁ μὲν πρεσβὺς ὑπέρκειτο ἅμα γῆρας· πρεσβύτεροι δ' αὐτῷ παρῆσαν, τιμὴ αὐτῷ τάξιν ἐκπλήρουσι. Hunc locum iisdem omnino verbis refert Socrates ex Eusebio. Sozomenus autem & Theodoretus existimantes heic agi de Episcopo urbis quæ regnabat quo tempore Nicæna Synodus habebatur, illum intellexerunt de Episcopo Romano, qui tum erat Silvester. At Gelasius Cyzicenus, Nicetas Choniates, & Epiphanius Scholasticus interpretati sunt de Episcopo urbis penes quam imperium fuit post tempora Concilij Nicæni, de Metrophane nimirum Constantinopolitano. Valesius verò illos redarguens in Notis ad Eusebium, ait hanc explicationem ferri non posse. nondum enim dedicatam fuisse Constantinopolim, nec regiæ urbis vocabulo decoratam, cùm synodus congregata est in urbe Nicæa. itaque hæc Eusebij verba de Episcopo urbis Romæ necessariò intelligenda esse. Gravissimum sanè argumentum, si constaret libros de vita Constantini editos ab Eusebio fuisse statim post habitam synodum. Sed cùm Eusebius ipse nos doceat scriptos illos fuisse post mortem Constantini, id est, tredecim saltem annis post eam synodum, adeóque diù post dedicatam Constantinopolim, quæ statim post synodum habitam decorata est urbis regiæ vocabulo, nihil vetat quin locum Eusebij capiamus de Episcopo Constantinopolitanæ urbis; habita videlicet ratione, non ipsius rei, sed temporis quo ista scribebat Eusebius. Nam & ipse non loquitur simpliciter de urbe regia, sed de urbe quæ tunc regnabat, βασιλευούσης, ad differentiam Romæ, quam infrà in libro IV. de vita ejusdem Constantini cap. LXIX. βασιλίδα πόλιν constanter vocat in duobus locis, nunquam βασιλεύουσαν. Quare ut verus ac genuinus Eusebij sensus retineatur, sic Latinè verti debet hic locus, *Episcopus urbis illius penes quam imperium est*, ut rectè vertit Christophorsonus apud Eusebium & Socratem, vel *quæ nunc imperat*, ut est apud Gelasium Cyzicenum. Recepta verò semel hac interpretatione, facilè intelligemus necessarium non esse ut Eusebij verba accipiamus de Episcopo urbis Romæ; præsertim cùm apud omnes in confesso sit Silvestrum, qui tum Romanam cathedram tenebat, decem saltem annis superstitem fuisse Concilio Nicæno. Proclivius est ut Gelasij Cyziceni aliorúmque explicationem sequamur, qui de Metrophane Constantinopolitano heic agi putarunt. Nam & ille tum valde senex erat, & non ita multò pòst obiit; si qua eidem Gelasio fides, & auctori Politiæ sanctorum Metrophanis & Alexandri, quæ extat in Bibliotheca Photij.

II. Scio viros eruditissimos contendere Metro-

phanem obiisse aliquot annis ante habitam synodum Nicænam, argumento ducto ex morte Alexandri, quem mortuum esse volunt anno CCCXXXIX. vel XL. cùm per annos tres & viginti cathedram Constantinopolitanam tenuisset post Metrophanem. Sanè si res ita se habet, fateor Eusebium non posse intelligi de Metrophane. Sed non inde tamen sequitur heic agi de Episcopo Romano. Superest enim adhuc integra explicatio loci Eusebiani, ea quæ de senectute Episcopi urbis regnantis dicta sunt referendo ad Alexandrum: qui si excessit è vita anno Christi trecentesimo trigesimo nono, ætatis verò suæ octavo & nonagesimo, ut Socrates scribit, annum omnino octuagesimum quartum agebat eo tempore quo Nicæna synodus habebatur.

III. Quanquam si liberè loqui liceat, facilè crediderim erratum à librario esse apud Socratem in nota numeri, ut sæpe contingit, próque δεκατρία legendum esse δεκατρία. quod cùm fortassis scriptum esset per abbreviationem, ut in Chronographia Nicephori, proclive librario fuit κγ' scribere pro ιγ'. Nam cujus magni boni gratia fingi potuit tota illa narratio, quæ extat apud Gelasium Cyzicenum & auctorem Politiæ, de summa senectute mortéque Metrophanis, si ea vera non esset? Immo tot argumenta concurrunt quæ suadent Metrophanem perveniſse usque ad tempora synodi Nicænę, ut penè necessaria mihi videatur emendatio illa, cùm apud Socratem, tum apud Sozomenum, qui ex Socrate accepit. Nam & Theophanes & Nicephorus sedisse eum omnino scribunt annos decem. Quòd si anno nono imperij Constantini, ut Cedrenus tradit, id est, anno Christi trecentesimo decimo quarto, ordinatus est Episcopus, & Concilio Nicæno interfuit, ut idem Cedrenus scribit, non quidem per se, sed per Presbyteros suos, necesse est omnino affirmare mendosam esse lectionem quæ hodie extat apud Socratem, dicendúmque Alexandrum in cathedra Constantinopolitana sedisse per annos tantùm tredecim, quot excurrunt à Concilio Nicæno usque ad annum quo ille mortuus est. Vnde patet rejiciendam esse sententiam Baronij, qui contra scriptorum omnium fidem, & absque ulla vetusti codicis auctoritate, tempora sedis Metrophanis coërcens intra triennij spatium, falli eos ait qui eum Ecclesiæ præfuisse tradunt annos decem.

IV. Attamen, ne quid dissimulem, huic meæ conjecturæ de initiis episcopatus Alexandri, & de numero annorum quibus Constantinopolitanæ Ecclesiæ præfuit, obstare prima fronte valde videntur ea quæ leguntur apud Theodoretum in libro primo historiæ ecclesiasticę; in quo recitatur epistola ab Alexandro Episcopo Alexandrino scripta ad Alexandrum cognominem suum, ὁμώνυμον, quem titulus epistolę appositus eum esse docet qui Constantinopolitanus Episcopus fuit, hoc modo: Ἀλεξάνδρῳ θεοσεβεστάτῳ Ἀλεξάνδρειος θεοσεβῶν παρὰ Ἀλεξάνδρου θεοσεβεστάτου Κωνσταντινουπόλεως. *Alexandri Episcopi Alexandrini epistola ad Alexandrum Episcopum Constantinopolitanum.* Nam si ista certa sunt, cùm Theodoretus dicat hanc epistolam scriptam esse antè quàm Nicæna Synodus haberetur, certum quoque esse debet Metrophanem eo tempore mortuum fuisse, adeóque Alexandrum (quod scribit Nicephorus Callistus lib. VIII. hist. eccles. cap. VII.) in cathedra Metrophanis sedisse ante Concilij Nicæni tempora. Qua unica argumentatione pessumdantur quæcunque de annis Metrophanis & Alexandri dicta hactenus sunt. Gravis sanè difficultas; quæ nullo modo solvi posset, si constaret heic agi de Alexandro Constantinopolitano. Verùm aliter se res habet, ut ego quidem arbitror. Nam Theodoretus tractans hanc causam, non ait epistolam illam scriptam esse ad Alexandrum Constantinopolitanum; illud tantùm ait, scriptam esse ab Alexandro antistite Alexandrino ad cognominem suum, nihil præfatus de dignitate ejus neque de regione in qua ille habitabat. Tum refert ipsam epistolam, cum hac inscriptione: τῷ τιμιωτάτῳ ἀδελφῷ καὶ ὁμοψύχῳ Ἀλεξάνδρῳ Ἀλέξανδρος ἐν κυρίῳ χαίρειν. *Reverendissimo & unanimi fratri Alexandro Alexander in Domino salutem.* In titulo tamen epistolæ adnotatum est, uti diximus, eam esse scriptam ad Alexandrum Episcopum Constantinopolitanum.

Theodoret. lib. 1. hist. eccles. cap. 3. 4.

V. Hunc titulum illustrissimus Cardinalis Baronius putavit non esse Theodoreti, ea de causa, quòd nondum ea tempestate Byzantium fuerit in Constantinopolim commutatum, inde porrò erroris occasionem fluxisse quòd cùm epistola illa antistitis Alexandrini fuerit communis ad omnes Episcopos, ejusdem exemplar inter Alexandri Episcopi CP. monumenta repertum, eo titulo fuerit pariter consignatum. Ego verò tanti viri præjudicio fretus omnino persuasum habeo titulum illum non esse Theodoreti, sed librarij cujusdam posteriorum temporum, aut interpretis: qui cùm epistolam illam datam videret ad Alexandrum Alexandri Episcopi Alexandrini coætaneum, deceptus similitudine nominum & fortassis etiam auctoritate Epiphanij Scholastici aut Nicephori Callisti, putavit ad alium Alexandrum referri non posse quàm ad eum quem per eas tempestates noverat administrasse CP. Ecclesiam. At ego contrà sentio cum illustrissimo Cardinale Baronio, ut mox dicam: si priùs admonuero titulum illum qui hodie legitur in editionibus Græcis historiæ ecclesiasticæ Theodoreti, non extare in duobus vetustissimis codicibus MSS. Bibliothecæ regiæ, in quibus eadem Theodoreti historia continetur, neque in editione Græca Roberti Stephani, editionem verò Latinam Basileæ emissam anno MDCXI. hæc tantùm in titulo habere: *Epistola missa ab Episcopo Alexandrino ad suum cognominem.* Vnde concludi certò potest titulum illum non esse Theodoreti, cùm non reperiatur in codicibus antiquis nec in antiquissima editione Roberti Stephani, & diverso modo legatur in editionibus, adeóque adjectum esse à librario, vel ab interprete.

Baron. ad an. 381. n. 18.

VI. Quoniam verò semel emendato isto Theodoreti loco, eversum quoque est argumentum quod afferri poterat adversùs conjecturam meam de numero annorum quibus Alexander rexit Ecclesiam Constantinopolitanam, liberúmque deinceps cuivis est investigare ad quem istius nominis hominem tum viventem ea epistola scripta sit; quanquam non sit operę pretium, promam tamen meam sententiam, ut etiam hoc ecclesiasticæ historiæ caput illustrem pro mea virili. Existimo itaque eam datam esse ad Alexandrum Thessalonicensem, magni tum nominis Episcopum, & qui nobilissimæ Ecclesiæ apostolicæ præsidebat, idque ea de causa factum ab Alexandrino antistite, quòd solerent tum Episcopi, quoties occasiones incidebant ingentium causarum, ad apostolicas sedes recurrere. Etenim per ea tempora nihil gravioris momenti agi in Ecclesia poterat extra consciențiam Episcoporum sedibus illis præsidentium, uti diximus ad librum Agobardi de comparatione utriusque regiminis. Itaque cùm Arrij dementia turbaret Ecclesiam Alexandrinam, Ecclesiæ illius Episcopus de ea re scribens ad Episcopum Antiochenum & ad alios quosdam, Alexandrum Thessalonicensem non omisit, cujus Eccle-

Lib. 1. III. Tripart. cap. 2. Theophan. in Add. eccles. cap. 3.

sia non ultimum locum obtinebat inter apostolicas. Quo postea exemplo magnus Athanasius, qui in sede Alexandrina successit Alexandro, cùm se multis malis accusationibus circumventum videret, ac prævalere inimicorum suorum fraudes & potentiam, de causa sua certiorem in primis fecit Alexandrum Episcopum Thessalonicensem; ut docet ejusdem Alexandri epistola ad Athanasium, quæ extat in secunda istius apologia. Quin & ex epistola quam idem Alexander in causa Athanasij scripsit ad Dionysium Comitem, manifestè colligimus magnam ejus auctoriratem fuisse, dum invehitur adversùs calumniatores Athanasij, qui nonnulla recenter adversùs eum tentaverant, *nullo nobis*, inquit, *ejus rei indicio facto*. Ipse quoque miser Eutyches, tamenetsi Constantinopolitanæ urbis Archimandrita, cùm appellaret synodos Ecclesiarum apostolicarum post sententiam à Flaviano CP. adversùs ipsum datam in Concilio Constantinopolitano, Thessalonicensem quoque appellavit, ut rectè observatum est ab illustrissimo Archiepiscopo in libro VII. cap. VI. istius operis.

VII. Ex his quæ dicta sunt facilè colligitur non constare de epistola Alexandri Episcopi Alexandrini ad quem scripta sit, videri porrò datam esse ad Alexandrum Thessalonicensem. Nondum enim ea tempestate Byzantinam Ecclesiam regebat Alexander. Præterea, nondum ea erat sive dignitas sive auctoritas Episcopi Byzantini ut de gravioribus causis ad eum scriberetur è longinquis provinciis, nondum videlicet dedicata Constantinopoli neque urbis regiæ vocabulo decorata, unde illi initium claritudinis & adiumentum ingens, non solùm ad capessendam auctoritatem apud exteras gentes, sed etiam ad invadendum imperium in provincias finitimas.

CAPVT IV.

Synopsis.

I. Osius præfuit Synodo Sardicensi. Inquiritur an Romani Episcopi legatione illic fungeretur. Quod probatur per consequentiam. Objicitur legationem Ecclesiæ Romanæ fileri ab Osio in subscriptionibus hujus Concilij; quæ tamen non omittitur in Archidami & Philoxeni subscriptionibus. Respondetur exemplo Flaviani Episcopi Philippensium in Macedonia; qui in subscriptione sententiæ à Synodo Ephesina latæ adversus Nestorium nullam mentionem fecit legationis quam ab Episcopo Thessalonicensi & à Synodo Illyriciana susceperat.

II. Episcopi legationis suæ literas proferebant in exordio Concilij. Suo tamen tantùm nomine subscribebant, quòd jus sententiæ haberent jure proprio. Hunc ordinem tenuit Osius. Archidamus & Philoxenus, quibus nullum jus præter legationem suppetebat, nomine Julij subscripserunt.

III. In secunda Synodo, Legati sedis Romanæ non adfuerunt. Ea synodus relationem ad Romanam Ecclesiam totiusque Occidentis Synodum misit de rebus à se gestis.

IV. Cyrillus Alexandrinus vices Celestini Episcopi Romani gessit in Concilio Ephesino. Probatur ex ipsis Celestini verbis: qui non solùm vicem suam Cyrillo mandavit, sed etiam locum. *Probatur iterum auctoritate ipsius Concilij.*

V. Objiciunt Novatores Celestinum vices suas mandasse Cyrillo ante coactam Synodum Ephesinam. Objectio illa exploditur auctoritate Actorum Synodi.

VI. Inquiritur an suo nomine Cyrillus, ut Episcopus Alexandriæ, Concilio præfuerit, an alieno. Asseritur, nomine Episcopi Romani primum locum obtinuisse. In Actis Concilij Chalcedonensis scriptum est Celestinum & Cyrillum præfuisse Synodo Ephesinæ. Probatur etiam auctoritate Balsamonis; qui Phrygij usum, qui etate sua Alexandrino Patriarchæ competebat, à Celestino arcessit.

VII. Quæritur cur tres alios Legatos Cyrillo adjunxerit Celestinus. Ita visum expedire, ob conceptas à Theodosio Imperatore suspiciones, quasi Cyrillus Nestorium insectaretur proprio odio. Differentia inter Cyrillum & ceteros Legatos.

VIII. Tres illi Legati sè Romanæ Ecclesiæ vel sedis apostolicæ Legatos vocant. Eorum consessus in Concilio, ex epistola Celestini, & ex Actis synodi. Perturbatio subscriptionum in eo Concilio fluxit ab incuria librariorum. Mandatum synodi corruptum ab iisdem. Rejecta Card. Perronij conjectura. Sententia auctoris confirmatur auctoritate Leonis I. Papæ.

I. SYNODUM Nicænam excepit Sardicensis, à Constante & Constantio ex provinciis Occidentis & Orientis evocata, ut dissidia de fide per Arrianorum fraudes exorta componerentur, & judicium de Athanasio & aliquot aliis Orientalibus Episcopis instauraretur. Huic Concilio Osium præfuisse nemo dubitat, quod patet ex epistola Orientalium, è subscriptionibus Concilij, è Sozomeno, & ex Allocutione Concilij Chalcedonensis. Sed lis iterum movetur de legatione, an ei imposita fuerit à Iulio; præsertim cùm Osius primus subscripsisse reperiatur non adjecta Legati mentione, deinde secundo loco Iulius per Archidamum & Philoxenum. Sed constituta legatione quam in Concilio Nicæno Osius obivit, superfluum videtur laborare de secunda in Concilio Sardicensi. Etenim dignitas illa Legati, judicio Pontificis semel collata in Osium, & ab eo in florentissimo universæ Ecclesiæ cœtu cum summa laude obita, ab illo sine gravi injuria in alium transferri non potuit. Obtinebat namque ea tempestate æquitas illa juris, quam lege deinde firmarunt Imperatores, ut is qui dignitatis alicujus meruerit missionem, ejus obtineat insignia, & aliis omnibus in ordine & consessu præferatur qui postea illis dignitatibus ornantur. Quare ad exemplum Synodi Nicænę tribus Legatis vices suas Romanus Episcopus commisisse censendus est, Osio Episcopo Cordubensi, & Archidamo & Philoxeno Presbyteris. Vel si quis novam legationem Osij pertinaciter rejiciat, dicendum prærogativam consessus illi competivisse ex veteri dignitate quam in Synodo Nicæna ex Silvestri delegatione obtinuerat. Neque enim aut apostolicę sedis dignitas, vel etiam synodi generalis, patitur ut illustris

In ep. synodica: Ὅσιος ἐπίσκοπος ὑπέγραψε πρῶτος. Epist. Synodi Orient. *Ij qui cum Osio erant.* Sozom. lib. 3. c. 11. Allocutio Concilij Chalcedonensis ad scarciarium, de Sardicensibus Episcopis: ἐν τῷ μέσῳ Ὅσιος ἔστηκε τῆς γνώμης.

l. ult. de privil. eor. qui in sacro Palat. milit. l. 2. ut dignit. ordo serv. l. XII. Codicis.

legatio, quæ Metropolitis & Patriarchis præesse debebat, duobus Presbyteris sine Episcopo, qui caput esset legationis, imponeretur. Si quis opponat epistolę synodicę Concilij subscripsisse Episcopos ordine, *Osius ab Hispania, Iulius Romæ per Archidamum & Philoxenum, Protogenes Sardicæ*, unde colligi videatur solos Archidamum & Philoxenum legationis munere ornatos, respondendum mihi videtur id factum eodem consilio quo Flavianus Philippensium in Macedonia Episcopus sententiæ à Synodo Ephesina latę adversùs Nestorium subscripsit, nulla mentione facta legationis quam à Rufo Thessalonicensi Episcopo & à synodo Illyriciana susceperat: *Flavianus Philippensium Episcopus unà cum sancta synodo decernens subscripsi*. Atqui actione prima Concilij Flavianus dicitur vices gessisse Rufi Thessalonicensium Episcopi; qui morbo detentus, ad synodum accedere non potuerat.

II. Scilicet eum ordinem servabant patres, ut Episcopi legationis suæ literas proferrent in ipso Concilij exordio; unde constare poterat an suo tantùm vel etiam alieno nomine sententiam ferrent. quod in Acta referebatur; quemadmodum superiùs adnotavimus ex Concilio Carthaginensi, & nunc ex Concilio Ephesino. Deinde suo tantùm nomine subscribebant, minùs sollicitos se de legatione impositа præstantes, quia jure proprio suffragium ferre sibi liberum esse ducebant. Hunc ordinem tenuit Osius: qui veteris legationis jure fretus, quæ fortasse renovata erat à Iulio, satis habuit nomen proprium inscribere; de cujus munere aliunde constabat. At verò Archidamus & Philoxenus Presbyteri, quibus nulla ratio suffragabatur alia, præter legationem, cur synodo interessent, Iulij nomine subscripserunt. Ceterùm, quàm alienus esset Osius à minuenda sedis apostolicæ dignitate & auctoritate, inde constat manifestissimè, quòd eo referente, in hoc ipso Sardicensi Concilio de appellationibus dejectorum Episcoporum ad Episcopum Romanum ex tota Ecclesia deferendis, & de Legatis ad judicia retractanda mittendis, sancitum est, eóque subscribente patres Concilij omnia negotia ad sedem apostolicam tanquam ad caput Ecclesiarum referenda esse professi sunt. Itaque ex Osij scriptis de Osij gestis judicium feratur, & de læsa apostolicę sedis dignitate illius acerrimus vindex nullo modo periclitabitur.

c. 3. Concil. Sardic.

Epist. synod. Concilij Sardic. ad Iulium.

III. Cùm Synodus secunda Oecumenica, ex solis Orientis Episcopis conflata, nullis ornata fuerit Romanę Ecclesiæ Legatis, non est quòd de eorum consessu disputemus. Relatione ad Romanam Ecclesiam totiúsque Occidentis synodum facta, atque mutuo Orientis & Occidentis consensu, Macedonij hæresis ceteræque pravorum dogmatum pestes extinctæ sunt, & Concilium illud Oecumenici auctoritate per universam Ecclesiam celebratum est.

Vide infrà cap. 20. hujus libri §. 8. & cap. 21. §. 11.

IV. In tertia Synodo Oecumenica seu Ephesina extat splendidissimæ legationis exemplum. Cyrillus Alexandrinus vices agens Celestini, trésque alij sibi adjuncti Legati à Celestino ad synodum missi, huic ornatissimo Concilio præfuerunt. Nestorius Constantinopolitanus Episcopus admissa societate quadam naturę divinę in Christo, personæ unitatem perfidè inficiabatur. Ea de re monitus à Cyrillo, eò prorupit audaciæ, ut Romanis auribus hanc blasphemiam ingereret. Disputatione tota ad Celestinum delata, ille Concilium Romanum contrahit, Nestoriúmque universalis Ecclesiæ communione multat, nisi intra decem dies à die conventionis numerandos scripto sacrilegam novitatem condemnet. Sed quia præsentiam suam necessariam videbat Celestinus ad sententiæ executionem, ob gratiam qua Nestorius apud aulicos flagrabat, vices suas Cyrillo Alexandrino delegavit. *Et quia nostra*, inquit ille, *in tanto negotio propemodum præsentia necessaria videbatur, vicem nostram propter marina & terrena spatia ipsi sancto fratri meo Cyrillo delegavimus, ne morbus iste longitudinis occasione grassetur.* Ad ipsum verò Cyrillum literis datis, non solùm vicem suam illi, sed etiam *locum*, & sedis suæ auctoritatem mandavit: *Quamobrem nostræ sedis auctoritate adscita, nostráque vice & loco cum potestate usus, ejusmodi, non absque exquisita severitate, sententiam exequaris.* Hanc legationem Cyrillus avidè arripuit, ut majori pondere Nestorium dejiceret, & perfidiam sacrilegam ulciscereturr. Itaque synodo Ægyptiacę Diœceseos Alexandriæ coacta, ex ejus sententia Nestorium per epistolam synodicam contestatur, *unà cum Synodo Romana cui Celestinus præfuit*, ut juxta tempus à Pontifice definitum resipiscerer. Ipsa quoque synodus Ephesina Celestinum vices suas Cyrillo commisisse docuit in relatione ad Imperatores.

Cyrillus ep. ad Imper. Arcad.

Celestin. ep. ad Cler. & pop. C.

Ep. Synod. Conf. & Cons. Alexand. Relatio ad Imp. Act. 1. Concil. Ephes.

V. Ista quidem urunt Novatores. Sed excipiunt vices suas mandasse Cyrillo Pontificem ante coactam synodum Ephesinam. Verùm illâ à Theodosio indictâ, coactam quoque Romę à Celestino alteram synodum Occidentalium Episcoporum, in qua, priore contra Nestorium confirmato decreto, alias literas ad synodum Ephesinam Celestinus dedit per Arcadium & Projectum Episcopos & Philippum Presbyterum, qui ejus præsentiam supplerent, ἀναπληροῦντας τὸν παρὸ-

σίαν, ut loquuntur patres in eadem relatione. Quamvis ergo Vicarius Celestini Cyrillus fuerit ante synodum Ephesinam, attamen in ipsâ synodo alij fuerunt Legati. Quod ipse quoque fatetur Celestinus in epistola ad Theodosium Augustum: *Huic synodo quam esse jussistis, nostram præsentiam in his quos misimus exhibemus.* In epistola quoque ad synodum: *Direximus*, inquit, *pro nostra sollicitudine sanctos fratres & consacerdotes nostros unanimes nobis & probatissimos viros Arcadium & Projectum Episcopos, & Philippum Presbyterum nostrum, qui iis quæ aguntur interfint, & quæ à nobis antea statuta sunt exequantur.* Vnde, ut ex Iure hoc quoque addamus, posteriorem procuratorem dando, priorem prohibuisse videtur. Quæ regula tamen sic intelligitur, si res sit integra. Lite enim contestata, qui procuratorem dedit, eum mutare non potest, nisi causa cognita. In hoc autem negotio Cyrillus legatione usus Nestorium scripto monuerat. Quid autem tergiversamur? Imò & synodo quoque Ephesinæ ante trium Legatorum adventum, non solùm ex prærogativa sedis suæ, sed etiam vice Celestini præfuerat. Legantur Acta: *Considentibus in sanctissima Ecclesia, quæ appellatur Maria, religiosissimis & sanctissimis Episcopis, Cyrillo Alexandriæ, qui & Celestini quoque sanctissimi sacratissimique Romanæ Ecclesiæ Archiepiscopi locum obtinebat, & Iuvenali Hierosolymorum &c.* Quin etiam post adventum Arcadij & sociorum, Celestini locum obtinere dicitur Cyrillus in Actis. Neque injuriâ; cùm sciret delegatam sibi à Celestino sedis apostolicæ auctoritatem, ad executionem sententiæ contra Nestorium in Romana Synodo latæ; de quo negotio agebatur in Concilio Ephesino.

VI. Si quis autem scrupulosè inquirat, an jure Alexandrinæ sedis, cui secundus locus in Ecclesia competebat secundùm canones, & absente Romano Pontifice primus, an verò vicario nomine synodo præsideret, respondebo, nomine Pontificis primum obtinuisse locum. Conjuncti quidem erant duo illi dignitatis gradus in persona Cyrilli, sed confusi non erant; quia synodus Oecumenica Pontificis Romani præsentiam & auctoritatem exigebat, quæ à Cyrillo supplebatur. Is autem se ipso prior erat & posterior, ratione habita utriusque sedis. Vnde in inscriptione epistolæ ad synodum Ephesinam datæ ab Episcopis Constantinopoli repertis, Celestinus Cyrillo præfertur; id est, Cyrillus ipse, agens vicario nomine, antecedit Patriarcham Alexandrinum. Quare Episcopi provinciarum Macedoniæ, Helladis, Thessaliæ, utriusque Epiri veteris & novæ, & insulæ Cretæ, scripto sententiam suam promentes in Concilio Chalcedonensi, non dubitarunt asserere primæ synodi Ephesinæ præsides fuisse Celestinum apostolicæ sedis Episcopum, & Cyrillum Alexandrinæ. Imò verò synodus Chalcedonensis hoc ipsum profitetur in definitione fidei: Ὃς ἡγέμονες οἱ ἀγιώτατοι τῷ μνήμῃ Κελεστῖνος ὁ τῆς Ῥωμαίων, καὶ Κύριλλος ὁ τῆς Ἀλεξανδρέων ἐπίσκοπος. Idem quoque testatur Marciani Edictum Act. III. Concilij Chalcedon. cap. IV. & XII. Quod adeo constans est apud ipsos quoque schismaticos, ut, teste Balsamone, Patriarchæ Alexandrini sacra celebrent cum Phrygio, cujus ferendi privilegium Celestinus Cyrillo communicavit; qui eo capitis ornamento instructus, Ephesinæ synodo vice Papæ præsedit, & Nestorium condemnavit. *Cùm non posset*, inquit, *Celestinus adesse Ephesi, & judicare Nestorium, visum est ut sancto Cyrillo à Celestino permitteretur huic synodo præsidere. Vt itaque constaret eum habere jus & auctoritatem Papæ, sedit cum Phrygio, & condemnavit Nestorium. Ab eo ergo tempore cum eodem Phrygio sacrificant & procedunt Patriarchæ Alexandrini.*

VII. Aliquis fortasse petet, cur Cyrillo tres alios Legatos adjunxerit Celestinus, & in quo versaretur, si quod intercedebat inter eos discrimen. Sed illi quæstioni facilè satisfieri potest. Etenim Theodosius Imp. à Nestorij fautoribus circumventus, dissidium in Ecclesiam invectum Cyrillo imputabat, qui contentionibus ex invidia adversùs Nestorium accensis, pacem Ecclesiæ turbasset. Itaque literis ad omnes universæ Ecclesiæ Metropolitanos datis synodum generalem indixit, quò se illi conferrent cum aliquot provinciæ suæ Episcopis. Quare necessarium omnino fuit ut Celestinus alios præter Cyrillum Legatos mitteret, qui posteriores curas ad generalem synodum deferrent, & Cyrilli anathematismos confirmarent. Accesserunt ergo Legati cum mandato exequendæ suffragiis suis sententiæ contra Nestorium à Celestino in secunda Romana Synodo iterum latæ. *Propterea & ego quoque*, inquit Projectus Episcopus, *auctoritate legationis apostolicæ sedis, unà cum fratribus sententiæ executor existens, definio.* Vnde consurgit differentia quædam inter Cyrillum & ceteros Legatos. Etenim ille non mittebatur à Celestino, sed vices ejus suæ auctoritati ordinariæ adjunctas suscepperat, & proprio jure atque ascititio censebat. Quod plenius erat & ulterius quàm esset jus Legatorum. Etenim Cyrillus vices Celestini obtinens, respondebat in hoc negotio ei qui locum Præsidis tuebatur jussu Principis aut Præfecti prætorio; qui omnia administrabat eodem jure quo Præses, si adesset. At verò

Quid sit Phrygium, vide lib. 8. c. 6. §. 7.

Theod. Balsamo Tit. viij. Nomocan. c. 1.

Concil. Ephes. p. 2. Act. 3.

Cyrill. Concil. Epheſ. Par. 2. Act. 3.

Legati *ſupplentes locum ſedis apoſtolicæ totiuſque ſynodi ſanctiſſimorum Occidentalium Epiſcoporum*, ut loquitur Cyrillus, miſſi ſunt ad ſynodum, & ſolo jure legationis ea quæ ſibi mandatis injuncta eſſent, velut formulæ addicti, executi ſunt. Deinde, dignitate Cyrillo cedebant; ideóque in ejuſdem legationis conſortio, aliunde quoque tempore poſteriores, inferiores erant jure.

VIII. Ceterùm obſervandum eſt tres iſtos Legatos, etſi Celeſtinum & Occidentalem ſynodum repræſentarent, attamen ſe *Romanæ Eccleſiæ vel apoſtolicæ ſedis* Legatos inſcripſiſſe, & iiſdem nominibus à ſynodo quoque deſignatos. Quod autem attinet ad ordinem quem inter ſe Legati tenerent, qui perturbatus aliquando videtur in Actis ſynodi, non aliunde rectiùs conſtitui poteſt quàm ex literis Celeſtini ad ſynodum & ad Theodoſium, qui ſe fratres & coëpiſcopos ſuos Arcadium & Projectum & compreſbyterum ſuum Philippum miſiſſe ait. Eundem ordinem ſecuta eſt Synodus Epheſina in ſua interlocutione quæ habetur Actione III. & in Actione IV. ubi poſt Cyrillum vices gerentem Celeſtini, Arcadius & Projectus Epiſcopi & Legati Philippo Preſbytero & Legato præferuntur, & eos Iuvenalis Hieroſolymorum ſubſequitur. Atque ſine dubio hic retentus fuit ordo in eorum conſeſſu. In cenſendo autem ſæpe primus loquitur Philippus; & in ſubſcriptionibus, Cyrillum & Arcadium ſequitur Iuvenalis Hieroſolymitanus; qui Projecto & Philippo præfertur. Aliquando etiam Cyrillum & Philippum excipit Iuvenalis, quem Arcadius & Projectus ſequuntur. Quandoque verò Iuvenalis tres Legatos in ſubſcriptione antecedit. Quæ perturbatio ab exſcriptorum incuria profluxit. Summa verò amanuenſium oſcitantia in eo mandato conſpicitur quod à Concilio Epiſcopis ad comitatum proficiſcentibus injunctum eſt; quod eo ordine conſcriptum eſt, ut Philippus Preſbyter Legatus dicatur apoſtolicæ ſedis, & Arcadio atque Iuvenali (qui Legati nomine non ornatur) præferatur. Vnde vir eruditus colligebat Philippum Preſbyterum ideo Arcadio prælatum, quòd à latere Pontificis miſſus eſſet, reliqui duo à ſynodo Romana. Quod tamen repugnat Legatorum ſubſcriptionibus, qui ſe ex æquo pro Legatis apoſtolicæ ſedis & Eccleſiæ Romanę gerunt. Sanè negari non poteſt quin Legati quoque à latere ex æquo dici debeant; rejecta diſtinctione quæ viris eruditis tantopere placuit. Quod unico Leonis loco confirmabo, petito ex epiſtola ad Iulianum Coënſem Epiſcopum: *Per fratres noſtros Iulianum Epiſcopum, & Renatum Presbyterum, ſed & filium meum Diaconum Hilarum, quos ex latere meo vice mea miſi &c.*

Concil. Epheſ. p. 2. Act. 3.

Mandatum Synodi inter ep. canonic. in Concil. Epheſ.

Card. Perron. c. 35.

Leo ep. 19.

CAPVT V.

Synopſis.

I. Agendum nunc de Legatis ad ſynodum Epheſinam ſecundam miſſis. Ei occaſionem præbuit Eutyches in Synodo CP. à Flaviano & XXX. Epiſcopis damnatus. Synodi ſententiam confirmavit Leo I. in celebri illa ad Flavianum epiſtola. Eutyches à Theodoſio Imp. ſynodum Epheſi cogendam impetrat: quò Leo tres Legatos miſit, eiſque quid ſervandum eſſet præſcripſit.

II. Eutyches damnationis certus, Flavianum à judicio repellere nititur reſcripto Principis, tanquam lis inter Flavianum & Eutychetem judicanda eſſet. Dein Dioſcoro Alexandrino primatum ſynodi à Principe deferri curat, prætextu canonum, ſperans Legatos hanc injuriam minimè laturos, atque adeo diſceſſuros. Hi, quòd præſeſſio ſedi Romanæ non daretur, in Concilio aſſidere noluerunt. Rogaverunt autem ut epiſtola Leonis de damnatione Eutychetis in ſynodo relegeretur. quod eludere conatur Dioſcorus; & pervicit. Vnde damnatus eſt in Chalcedonenſi Concilio.

III. Noluerunt Legati in conſeſſum Epiſcoporum admitti. Probatur ex Actis ipſis ſynodi, quæ Leonem à ſynodo expulſum eſſe teſtantur. Adfuerunt tamen ut ſpectatores, & animosè contradixerunt violationi fidei & canonum.

IV. Refellitur eorum opinio qui exiſtimant Legatos illos non fuiſſe conqueſtos de injuria ſedi apoſtolicæ illata. Legati ſedis Romanæ negant Dioſcorum in Concilio Chalcedonenſi poſſe ſedere, quia ſine ejus auctoritate ſynodum Epheſinam peregerat; abſque cujus ſententia non licet Oecumenicam ſynodum celebrare.

V. Paſchaſini ſententia ex quorundam opinione damnare videtur eo nomine Dioſcorum quòd primatum uſurpaverit in ea ſynodo. Explicantur & emendantur Actorum Chalcedonenſium verba, quæ id aſſerere videntur. Verba illa non habentur in exemplari ejus ſententiæ quod Leo miſit ad Epiſcopos Gallicanos.

I. NVNC agendum de Legatis ad Epheſinam ſecundam ſynodum miſſis; quæ anno CCCCXLIX. juſſu Theodoſij, novemdecim annis poſt primam, habita eſt Epheſi, Dioſcoro Alexandrino præſide. Ejus indicendæ occaſio profecta eſt è damnatione Eutychetis Preſbyteri & Archimandritæ Conſtantinopolitani, qui nova hæreſi publicata de una in Chriſto natura, à Flaviano & à ſynodo triginta Epiſcoporum Conſtantinopoli habita propter hæreſim ſacerdotio & monaſterij adminiſtratione deturbatus eſt. Ea de re ſtatim Eutyches conqueſtus eſt apud Leonem Summum Pontificem, antequam relationem rerum geſtarum Romam, *ut debuit*, Flavianus miſiſſet. Sed quia communionem inaudito Flaviano à Romana ſede extorquere non potuit, ſynodum à Theodoſio Epheſi cogendam impetravit ope

ope Chrysaphij Eunuchi, qui Principis ingenio erga se indulgentissimi abutebatur. Interim Leo gestis episcopalibus adversùs Eutychem à Flaviano missis de nova hæresi certior factus, senis illius imperitiam apertè damnat, exarata in eam rem luculentissima ad Flavianum tractatione potiùs quàm epistola, qua gravissimè Incarnationis sacramentum contra Nestorij & Eutychetis profanas novitates asserit. Præterea verò licèt Theodosio se ad Concilium evocanti indictionem necessariam non fuisse Leo scripserit, quia non talis quæstio orta erat unde aut posset aut deberet dubitari; attamen ut aliquatenus statutis Principis pareretur, studium suum commodavit, & ad dispositionis imperatoriæ effectum, auctoritatem apostolicæ sedis adhibuit. Quare Iulianum Episcopum Puteolanum, Renatum Presbyterum, & Hilarum Diaconum delegavit, qui vice sua sancto conventui interessent, & communi sententia omnia constituerent: *quibus tamen secundùm causam satis sibi & gestorum serie & ipsius Eutychis professione patefactam, evidenter & plenè quid servandum esset ostendit.*

II. Eutyches certus damnationis sibi in synodo infligendæ, tum Flaviani & primorum judicum sententiis, tum apostolicæ sedis auctoritate, cujus sententiam se per omnia secuturum libello ad Leonem misso sponderat, ad consuetas artes & versutias subsidiúmque Chrysaphij confugit. Consilium ejus hoc fuit, ut Romanæ sedis Legatos, & Flavianum, ejúsque socios à judicio repelleret. quod obtineri aliter non poterat quàm rescripto Principis. Itaque Flavianum ejúsque socios, qui secundùm canones & ecclesiasticorum judiciorum ordinem inter judices in hoc instaurato judicio adesse debebant, ad partes reorum redigit, ac si lis aliqua inter Flavianum & Eutychetem judicanda esset. Hæc quidem aperta vis erat, quæ innocentissimis Episcopis, rescripto Principis per fraudem elicito, inferebatur. Sed callidiori via grassatus est ad rejiciendos Romanæ sedis Legatos. Primatum synodi Dioscoro Alexandrino deferri curat decreto speciali Theodosij, non autem literis generalibus, quæ eodem exemplo ad Papam & ceteros Metropolitas scriptæ Concilium indicebant. Iis enim Leo contradixisset, & suæ sedis injuriam vindicasset. Quare machinatio illa post adventum Legatorum in ipso Concilij exordio ad provocandos Legatos admota est; sperante veteratore eos aut omnino discessuros, aut Principis animum per novas contentiones accensuros. Subreptum Principi prætextu canonum. Primatus enim à Theodosio decernitur Dioscoro *secundùm canones.* Nempe suggestum fuit Imperatori, juxta canones Nicænos, ut primus locus Romano competit, ita secundum deberi Alexandrino Episcopo. A synodo quidem Constantinopolitana prælatum Alexandrino Constantinopolitanum Episcopum; sed in eo nunc Flaviani esse causam, ut à judicum consessu remotus, inter reos se sistere teneatur. Quare absente Leone Romano, primas partes deberi Dioscoro Alexandrino, etiam præ Legatis apostolicæ sedis. Quod præjudicio Ephesinę synodi prioris confirmabatur; ubi Cyrillus potiorem locum præ Romanis Legatis obtinuerat, & summa cum auctoritate in ea synodo erat versatus. Vnde facile fuit Theodosio obrepere, cui perspectum non erat vicem suam Cyrillo Celestinum delegasse, ut dixi superiùs. Admissi in Concilium Legati, quid consilij caperent dubij, temperamento quodam & fidei, quæ deserenda non erat, & dignitati sedis apostolicæ prospexerunt. Etenim Dioscoro assidere noluerunt; ut testatur Liberatus Diaconus Carthaginensis: *Ecclesiæ Romanæ Diaconi vices habentes Papæ Leonis assidere non passi sunt, eò quòd non fuerit data præsessio sanctæ sedi eorum. Insuper etiam quòd non lecta fuerat ad Flavianum epistola in Eutychetis damnatione à Papa Leone scripta, & occultata fuerat epistola ejus per suprà memoratos Legatos ad ipsam synodum directa.* Sanè nullum poterant occupare locum Romani Legati, donec literæ ad synodum Ephesinam à Leone directæ, quibus eorum legatio continebatur, recitatæ essent, & in Acta redactę. Quare in ipso synodi introïtu, post recitatas Principis literas evocatorias, Hilarus Diaconus postulavit ut Leonis literæ, quæ ad synodum per Legatos missę erant, relegerentur. Ac Dioscorus quidem interlocutus est ut recitarentur, septiésque juravit se id omnino procuraturum; sed promissis non stetit. Qua de re graviter conquesti sunt Orientales Episcopi & Aëtius Archidiaconus in Concilio Chalcedonensi; & judices severissimè expostulaverunt cum Dioscoro & ceteris Præsidibus Concilij Iuvenali Hierosolymorum & Thalassio Cæsareæ Episcopo, eò quòd literę illę relectæ non essent. Illi verò tergiversationibus eludere conantur interrogationem. Dioscorus ait se primò & secundò interlocutum ut relegerentur. Iuvenalis verò, prolatam eo momento epistolam quandam Imperatoris quæ lectionem illam distulerit, neminem verò deinde monuisse ut Leonis epistola legeretur. Thalassius, se non ejus auctoritatis fuisse, ut solus de lectione illa decernere posset. Quæ impudentia Dioscori inter præcipua capita ob quæ damnatus

Extat rescriptum Act. 1. Conc. Chalced.

Liberat. Diac. in Breviar. c. 12.

Concil. Chalced. Act. 1.

fuit in Concilio Chalcedonensi recensita fuit à Paschasino Legato: οὐδὲ πλὴν βικτωρίνου ἀπαγγειλάντων συνεδρίσαι τῷ μακαριωτάτῳ Πάπᾳ Λέοντος.

III. Quare, ut antea dixi, nullum locum occupare poterant Legati de quorum legatione nondum constabat in synodo. Vnde factum ut neque etiam in consessum Episcoporum admitti voluerint. Quod non solùm disertè docuit Liberatus, sed patet etiam evidentissimè ex Actis Ephesinæ synodi. Cùm enim in Concilio Chalcedonensi hæc verba recitarentur, *Residentibus Dioscoro Alexandriæ, & Iuliano Episcopo agente vices & tenente locum sanctissimi & beatissimi Romanæ Ecclesiæ Leonis*, Orientales Episcopi reclamarunt, & mendacij Acta redarguerunt. *Ejectus est*, inquiunt, *nullus suscepit nomen Leonis.* Quid apertius? Expulsum Leonem à synodo testantur patres, neminémque ejus nomine interfuisse. Tentavit quidem Dioscorus à Iuliano suffragium exigere. Sed ipse atque Hilarus responderunt ante omnia legendam epistolam Leonis. Tunc Eutyches Legatos sibi suspectos esse protestatus, quòd à Flaviano & domo & convivio lautè excepti essent. Enimvero licèt pro Legatis non se gesserint, ut spectatores adfuerunt, & omnibus quæ in perniciem fidei & canonum acta erant, animosè contradixerunt.

Concil. Chalced. Act. 1.

IV. Frustra ergo laborant viri docti in Novatorum argutiis refellendis; qui Legatos de injuria sedis apostolicæ ob primatum Dioscori conquestos non fuisse, nec Ephesi, nec etiam in Concilio Chalcedonensi, inconsultò asserunt. Non erat enim cur de negata sibi consessus prærogativa conquererentur, qui legationis suæ fidem facere non potuerunt. Intempestiva omnino fuisset de loco disceptatio antequam de personarum conditione constaret. Hæc erat præjudicialis quæstio; quam discuti noluit Dioscorus, dilata literarum Leonis lectione. Itaque Legati de hac injuria (quæ gradum struebat ad secundam quæstionem de ordine consessus) & Ephesi & Chalcedone gravibus verbis conquesti sunt. Quare in ipso Concilij Chalcedonensis exordio Legati Romani dixerunt se mandata habere, quibus eis præcipitur ne Dioscorum in synodo considere patiantur. Interrogati autem à judicibus, quod illi crimen impingerent, Lucentius unus ex illis respondit Dioscoro reddendam esse rationem judicij sui: *quia cùm personam judicandi non haberet, præsumpsit, & synodum ausus est facere sine auctoritate sedis apostolicæ. quod nunquam factum est, nec fieri licet.* Hoc ergo flagitium admiserat Dioscorus, quòd sine sedis apostolicæ auctoritate synodum Ephesinam peregit, & in ea judicium exercuit, Eutychem restituendo, & Flavianum ceterósque Episcopos damnando, ac si legitima fuisset illa synodus; cùm tamen juxta veterem Ecclesiæ canonem non liceat synodum Oecumenicam celebrare absque sententia sedis apostolicæ. Rite quidem indicta fuerat hæc synodus literis Theodosij Imperatoris, evocato quoque Leone Summo Pontifice, ut suæ sedis auctoritatem huic synodo adhiberet. Missorum Legatorum præsentia ut nihil desideraretur ad plenum legitimúmque Concilium celebrandum efficiebat; sed Dioscori impudenti versutia delusi vel potiùs repudiati sunt. Itaque rectè de usurpata cognitione synodali Dioscorum objurgant Legati, eò quòd nondum rite constituta synodo & omnibus numeris perfecta judicium in ea synodicum exercuerit, vel potiùs omnia per tumultum, minas, & cædes peregerit.

Act. 1. Conc. Chalced.

Leo I. ep. 53. ad Synod. Epist. Pulcheriæ Augustæ directa, quam Baronius ... Leonem ... Ecclesiam catholicam nullus ... ut ... ipse ... ut ... ipse ... ut ... ipse

donem rescripto Marciani translatum est. Ei interesse noluit Leo. Legatos tamen misit, qui vice sua synodo praesiderent. Legationi additus Iulianus Coënsis Episcopus: qui licèt Romanæ sedis Legatus in Concilio diceretur, ei tamen non præfuit. Cur ita actum.

III. Hinc colligitur falli Novatores, qui jus præsidendi synodo collatum Leoni putant à Marciano. Probatur ex Leone.

IV. Quintæ synodo nullus interfuit Legatus, quòd Vigilius Papa adesset Constantinopoli. In sexta synodo tria legationum genera adfuerunt. Heic agitur de Legatis ab Agathone destinandis ad comprimendam hæresim Monothelitarum. Antiquus legationum ordo immutatus à Constantino Pogonato. Inquiritur in originem hujus mutationis.

V. Agatho Constantini Imp. petitioni obsequutus est, missis diversis legationibus. Probatur ex epistola Constantini ad Georgium Constantinopolitanum. Distinctio illa observata est in subscriptionibus. Legati Concilij Occidentalis multùm aberant à primo loco.

VI. Falsum igitur quod quidam existimant, in superioribus Conciliis Episcopos vices gessisse Concilij Occidentalis, Presbyteros verò, Episcopi urbis. Probatur ex literis legationum, & ex subscriptionibus.

VII. Septima synodus adversùs Iconoclastas celebrata, præsides habuit Legatos Hadriani I. qui primum in ea locum obtinuerunt; Tharasius verò CP. secundum.

VIII. Octavæ synodo, quæ adversùs Photium celebrata est, præfuerunt cum summa auctoritate Legati sedis apostolicæ.

I. CONTUMELIA apostolicæ sedi illata in Ephesino latrocinio, deleta fuit in Concilio Chalcedonensi Oecumenico quarto; ùnde peti debent sincera testimonia ad confirmandam Romani Pontificis auctoritatem, quam Dioscorus imminuere tentaverat. Sed ante omnia breviter rei gestæ series pandenda est, ut ex facti narratione jus Romanæ sedis meliùs constitui possit. Eutychis restitutio, & Flaviani damnatio per vim decreta à Dioscoro, excidium veræ fidei probis omnibus esse videbatur, sed præcipuè Leoni Pontifici, qui Romana synodo coacta, referente Hilaro Diacono, quæ terrore & minis Ephesi gesta erant constanter damnavit. Attamen ut omnes offensiones repellerentur aut mitigarentur, nec aliquid ultrà esset vel in fide dubium, vel in charitate divisum, petiit à Theodosio generalem synodum in Italia celebrandam unà cum Orientalibus Episcopis. Institit quoque Valentinianus literis datis urgere Theodosium; quò & fides à majoribus tradita competenti devotione defenderetur, & dignitas propriæ venerationis B. Apostolo Petro intemerata conservaretur; *quatenus beatissimus Romanæ civitatis Episcopus, cui principatum sacerdotij super omnes antiquitas contulit, locum haberet ac facultatem de fide & Sacerdotibus judicare.* Laborabat Summus Pontifex de fide restituenda, & de Flaviano redintegrando, qui libello sedem apostolicam appellaverat. Sed Theodosius noluit judicium repeti, quod de personis latum erat. Id unum autem disertè professus est Summo Pontifici, se curaturum ne fides Concilij Nicæni injuriam pateretur, Flavianum fato functum, eique successisse Anatolium in sede Constantinopolitana; cujus ordinationem à Dioscoro Ephesi factam, à Pontifice suscipi contendebat. Respondet Leo sibi gratam fuisse Concilij Nicæni commendationem, de ordinatione verò Anatolij nihil in alterutram partem temerè sibi rescribendum, donec constet an sinceram fidem Anatolius teneat. se nihil arduum ab eo vel dubium exigere, sed ut relegat quæ à sanctis patribus Incarnationis dominicæ fides fuerit custodita. Cyrilli epistolam, & quæ inserta sunt gestis Ephesinæ synodi I. catholicorum Sacerdotum testimonia perspiciat. *Non asperetur etiam*, inquit, *meam epistolam recensere, quam pietati patrum per omnia concordare reperiet. Cùmque à se hoc quod eidem profuturum sit expeti desideratique cognoverit, catholicorum sententiis toto corde consentiat; ita ut sinceram communionis fidei professionem absolutissima subscriptione coram omni clero & universa plebe declaret, apostolicæ sedi & universis Domini Sacerdotibus atque Ecclesiis publicandam.* Leo ep. 34. ad Theodos. ep. 35. ad Pulcher.

Vt autem velocior & plenior effectus his curis præstaretur, Legatos quatuor ad Theodosium misit, Abundium & Asterium Episcopos, Basilium & Senatorem Presbyteros, per quos quæ veræ fidei forma esset Princeps agnosceret; ut si in eandem confessionem Constantinopolitanus antistes consentiret, pax ecclesiastica consequeretur; sin aliqui à puritate fidei & patrum auctoritate dissentirent, Concilium universale intra Italiam celebraretur; ut in unum convenientibus omnibus his qui ignorantia aut timore prolapsi essent, correctionis remediis consuleretur. Ante adventum Legatorum obiit Theodosius; cui successit Marcianus, ducta in uxorem Pulcheria Augusta, Theodosij sorore. Legati quos Leo miserat honorificè à Marciano καὶ ὡς ἐρχρὼ λογισμῷ ἥδει suscepti sunt. qua de re certiorem fecit Summum Pontificem, missis uno Presbytero & duobus Diaconis. Legati, quos pro fidei libertate Leo direxerat, quemadmodum ipse loquitur in epistola ad Martinum Presbyterum, plurimùm laborarunt in fortitudine fidelium roboranda, & in restituendis lapsis, ut infrà dicetur. Vide infrà cap. 8. §. 3. Leo ep. 43. Ep. 38.

II. Cetertùm suscepto imperio, prima fuit Marciani cura ut per celebrandam in Oriente synodum Leone auctore pacem Ecclesiæ restauraret. Quod suum desiderium Pontifici per literas Marcianus & Pulcheria significi-

Apud Valentia. 7. Concil. Chal. ed. c. 45.

carunt, eum hortati ut in Orientem accederet, synodúmque celebraret. Evocantur itaque ad synodum Oecumenicam, literis Principis, Episcopi; quæ Nicææ indicta primùm, dein Chalcedonem rescripto Marciani translata est. Summus Pontifex, qui sibi auctoritatem synodi ex antiquo jure à Marciano delatam videbat, adesse quidem synodo contra veterem consuetudinem noluit; sed Legatos auctoritate sua instructos misit, Paschasinum & Lucentium Episcopos, & Bonifacium Presbyterum, qui sua vice synodo præsiderent. Hæc sunt ejus verba in epistola ad synodum: *Amplectendum est clementissimi Principis plenum religione consilium, quo sanctam fraternitatem vestram ad destruendas insidias diaboli & ad reformandam ecclesiasticam pacem voluit convenire, beatissimi Petri Apostoli jure atque honore servato, adeo ut nos quoque suis ad hoc literis invitaret, ut venerabili synodo nostram præsentiam præberemus. quod quidem nec necessitas temporis nec ulla consuetudo poterat permittere. Tamen in his fratribus Paschasino & Lucentio Episcopis, Bonifacio & Basilio Presbyteris, qui ab apostolica sede directi sunt, me synodo vestra fraternitas existimet præsidere; nec sejunctam à vobis præsentiam meam confidat, qui nunc in Vicariis meis adsum, & jamdudum fidei catholicæ prædicatione non desum.* Præcipua synodi sollicitudo commissa est Paschasino Episcopo, ut patet ex altera epistola ad Marcianum. Ceteris verò Legatis adjunctus est Iulianus Coënsis Episcopus, provinciæ Hellesponti, qui immobili pietate erga Flavianum semper steterat adversùs Dioscorum & Eutychem. Quare cùm illo nomine valde commendatus esset Leoni, legationis quoque munus illi injunxit. Legatio ista longè differt à prima. Paschasinus itaque, ejúsque socij Lucentius Episcopus & Bonifacius Presbyter, ad definiendam fidem & judicium in synodo de Episcopis agendum missi fuerant; collata quoque præsidendi facultate. Eo jure usi sunt, ut patet ex Actis synodi Chalcedonensis. Basilius tamen admissus non est à patribus, ea scilicet de causa, ut existimo, quòd numerosior quàm par esset videretur legatio; quæ juxta Vespasiani edictum, & morem in synodo Nicæna usurpatum, ad tres Legatos redacta fuit, dempto Basilio; nisi fortè ob morbum à synodo abfuerit. Quod attinet ad Iulianum; ille quidem synodo interfuit cum Legati Romanæ sedis appellatione; sed unà cum ceteris non præfuit. Quod profectum est ex eo quòd in literis ad synodum à Leone datis nulla fieret Iuliani mentio, sed tantùm in epistola ad Marcianum. unde potiùs ad consilium quàm ad plenum & integrum legationis consortium adscitus videbatur.

Leo ep. 47.

Ep. 50.

Deinde numerosior fuisset legatio quàm ab Anatolio ferri posset; qui non sine stomacho intueretur sibi prælatum Episcopum provinciæ Hellesponti jam tum sibi subditæ. Itaque sola dignitate nominis concessa, Iulianus post aliquot Metropolitas subscripsit.

III. Vnde colligi potest, jus præsidendi synodo non fuisse Leoni collatum à Marciano, quemadmodum jactant Novatores, sed conservatum. Ita enim rescriptum Marciani Leo interpretatus est in epistola ad synodum. Nec injuriâ; cùm Valentinianus Theodosio rescripserit principatum sacerdotij super omnes ab antiquitate Episcopo Romano collatum.

Leo ep. 47. ad Synodum: B. Petri Apostoli jure atque honore servato.

Vide supra l. 1. hujus capit.

IV. Quintæ synodo nullus interfuit Legatus; quia Vigilius Papa aderat Constantinopoli, quando Concilium in ea urbe habebatur: quod ipse Constituto suo quàm præsentia sua confirmare maluit. Sed in Sexta Synodo, quæ habita fuit contra Monothelitas, tria genera legationum apostolicæ sedis interfuerunt; quorum alij, Vicarij Agathonis Papæ dicebantur; alij, Legati totius Concilij apostolicæ sedis; alij verò, Legati apostolicæ sedis, scilicet Episcopi Thessalonicæ & Corinthi. De tertio isto genere dicemus cap. XIII. Hîc autem explicanda est distinctio Legatorum qui destinati sunt à sede apostolica ad comprimendam & damnandam hæresim Monothelitarum, quæ vigebat in Oriente, & ad sopiendum dissidium ex ea occasione natum inter Romanam Ecclesiam & Constantinopolitanam. Constantinus Pogonatus curam unitatis suscipiens, literis suis hortatus est Donum Papam ut religiosos & eruditos aliquot viros mitteret in urbem regiam, auctoritate & libris instructos; qui tractatu habito cum Patriarcha CP. & Macario Antiocheno, veritatem dogmatis controversi indagarent. Sed nova petitione antiquum ordinem immutavit. Etenim cùm antea ad synodos Orientis Legati sedis apostolicæ mitterentur, qui vicem Romani Pontificis gererent, & per consequentiam, Concilij quoque Romani, in quo eorum legatio decreta erat; Princeps nunc contendit à Pontifice ut dirigat non solùm suæ personæ Vicarios, tres numero, vel ampliùs, si videatur, sed etiam seorsim Concilij Romani Legatos, usque ad duodecim Metropolitas & Episcopos, & Abbates quatuor. Petitionis istius novæ hæc mihi ratio succurrit, quòd Romana sedes invidia quadam laborabat apud Orientales, ob damnatos in synodo Martini Papæ, propter novam hæresim, Patriarchas Orientis. Itaque ut major fides Legatis apostolicæ sedis adhiberetur, Constantinus prudenter exegit ut Legati quoque

Concilij Occidentalis veritatem fidei asserent; præsertim cùm synodus apostolicæ sedis non ex solis Italiæ provinciis constaret, sed etiam ex variis Conciliis provinciarum quæ sitæ erant in regnis ab Imperio alienis, Francorum scilicet, Britannorum, Gotthorum, & Longobardorum.

V. Agatho Papa, Doni successor, pacis ecclesiasticæ studiosus, Legatos misit, cum distinctione, nempe Theodorum & Georgium Presbyteros, & Ioannem Diaconum, qui suam vicem implerent; & Ioannem Portuensem, alterum Ioannem Regij, & Abundantium Tempsanæ civitatis, Episcopos, vice totius Concilij Occidentalis, cum aliquot Clericis & monachis; ut docet Constantinus in epistola ad Georgium Constantinopolitanum. Hæc distinctio observata est in subscriptionibus Concilij: ubi primo loco subscribunt Theodorus & Georgius Presbyteri Ecclesiæ Romanæ, & Ioannes Diaconus, *locum tenentes* Agathonis Papæ; deinde, secundo loco, Georgius Episcopus Constantinopolis novæ Romæ; tertio verò loco Petrus Presbyter, Vicarius τοποτηρητὴς sedis Alexandrinæ; quarto Theophanes Episcopus Antiochiæ; quinto Georgius Presbyter, locum tenens Theodori Presbyteri & Vicarij apostolicæ sedis Hierosolymorum; interjectis dein tribus Episcopis Thessalonicę, Cypri, & Ravennę, nono demum loco subscribit Ioannes Portuensis Episcopus, *Legatus totius Concilij apostolicæ sedis Romæ*; undecimo Basilius Gortynæ Episcopus, qui eodem se titulo Legati Concilij ornat; quem Abundantius & Ioannes Legati sequuntur. Itaque Legatis qui vices Agathonis gerebant ad ternarium numerum redactis, dempto Constantino Subdiacono, primus honor delatus est. Legati verò Concilij occidentalis, non solùm post Patriarchas, sed etiam post aliquot Metropolitas locum suum obtinuerunt.

VI. Quare non est quòd viri docti sibi persuadeant in superioribus Conciliis Episcopos à Celestino & Leone missos vices gessisse Concilij occidentalis, Presbyteros verò Romanæ Ecclesiæ personam Pontificum repræsentasse. Etenim & legationis literę, & subscriptiones Legatorum, se Romanæ Ecclesiæ & sedis apostolicæ Legatos, non autem Concilij, profitentium, hanc opinionem refellunt. Hoc quoque argumentum id demonstrat, nempe Episcopos illos primum occupasse locum in Conciliis: quod Patriarchæ non æquè tulissent, nisi Pontificis legatio illis imposita esset; quæ decreta quidem erat in Concilio Romano, sed omnis ejus dignitas & agendi auctoritas à Romana sede pendebat.

VII. Septima synodus coacta est annò DCCLXXXVII. adversùs imaginum hostes, studio Constantini & Irenes ejus matris; qui literis suis Hadrianum I. ad ejus celebrationem invitarunt, enixè rogantes ut de more Legatos apostolicos mitteret. Delegavit ille Petrum Archipresbyterum Ecclesiæ sancti Petri, & Petrum Abbatem S. Sabæ; qui ejus nomine Concilio præfuerunt, primúmque locum obtinuerunt; Tarasius verò Constantinopolitanus secundum; ut patet ex omnibus Actionibus Concilij.

VIII. Octavæ synodo, quæ adversùs Photium Patriarcham CP. & ejus socios congregata est, summa cum auctoritate præsederunt Donatus & Stephanus Episcopi, & Marinus Diaconus, Vicarij, Legati, Missi, Apocrisiarij, seu locum tenentes Hadriani II. Papæ. Totidem namque nominibus ab Anastasio variis in locis efferuntur.

CAPVT VII.

Synopsis.

I. Investigandum nunc quis fuerit effectus primatu seu præsidentiæ Legatorum sedis apostolicæ in Conciliis Oecumenicis, & quænam in iis Summi Pontificis auctoritas. Vt Concilium legitimè celebretur, necessaria est Summi Pontificis præsentia, vel ratihabitio. Quanam fuerit ejus auctoritas in Concilio jam constituto.

II. Si summa fuerit, perit libertas suffragiorum. Concessa libertas illa, æqualitatem inducere videtur inter Pontificem Romanum & ceteros Episcopos. Itaque aut libertas suffragiorum aut Romani Episcopi dignitas periclitantur. Quærendum itaque quæ circa materiam hanc fuerit Ecclesiæ praxis vetustis illis seculis. opus hactenus intentatum nostris ingeniis. Pontifex Romanus in hac parte utebatur jure quodam imperatorio; ac tamen libertas suffragiorum remanebat.

III. De jure relationis, cujus vis quanta esset, ostenditur ex Polybio, & Tacito. Ius illud à Consulibus ad Imperatores transiit. Probatur ex Dione. Ampliatum sub sequentibus Imperatoribus; ut patet ex Iulio Capitolino & El. Vopisco. Hallucinatio quorundam detegitur, qui jus illud malè interpretati sunt.

IV. Principes in Senatu consularem potestatem ea de causa exercebant. Attamen arbitrium primo vel ultimo loco censendi sibi reservabant. Probatur ex Tacito. Vnde patet falli eos qui negant sententiam à Principibus in Senatu dictam. Princeps sententiam Senatus duriorem mitigare poterat. De prærogativa suffragij, ex Tertulliano.

V. Quo pacto fieret illa relatio à Principibus. Senatusconsulta quæ inde sequebantur, auctore Principe fieri dicebantur. Origo hujus locutionis, ex Livio. Senatus jus facere poterat, ex Vlpiano, & Gratiano Imperatore. Quid Theodosio placitum. Senatus auctoritas prorsùs imminuta sub Iustiniano. Quomodo intelligenda sit illa Senatus auctoritas. Et an suprema Principum auctoritati officeret.

VI. Relatio Principis differt à relationibus quæ fiebant ad Principem. Vtriusque discrimen ostenditur.

I. HIc sese prodit illustris quæstio; quam si prætermisero, difficultatem refugere, & dignitati sedis apostolicę invidere, aut ejus odium reformidare videbor, prout disceptationis eventus tulerit. Probavimus huc usque luculentissimis testimoniis Legatos sedis apostolicę Synodis Oecumenicis præsedisse, & Marcianum literis suis synodum Leone auctore celebrandam indixisse. Sed nondum explicuimus quis esset effectus illius primatus, seu mavis præsidentię, quænam esset Summi Pontificis auctoritas in illis Conciliis. Non me latet tria hujus primatus privilegia vulgò observari. Vnum est, consessus prærogativa; alterum, jus rogandę sententię; tertium, idque maximi momenti, necessitas præsentię Pontificis, vel ejus ratihabitio, ut synodus legitimè & canonicè haberi possit, quemadmodum suprà monuimus. Sed indagandum restat quænam fuerit Pontificis auctoritas in Concilio jam constituto.

II. Si summam in censendo & definiendo potestatem illi tribuamus, perit libertas suffragiorum, quam tantopere commendant Celestinus & Leo. At verò concessa suffragiorum libertate, æqualitas quædam hac in parte induci videtur inter Romanum Pontificem & ceteros Episcopos. quod multùm de summa ejus dignitate detrahit. Itaque aut unius libertas aut dignitas alterius periclitantur; quemadmodum in disputatione de auxiliis gratiæ, vel hinc arbitrij humani libertas lædi, vel illinc gratię vis & efficacia minui rerum istarum inexpertis videtur. Non quæro quid utrinque doceant Theologi rationibus è sacra scriptura petitis, cùm de auctoritate Concilij & Papę anxiè & scrupulosè disputant. Id tantùm mihi rimandum propono, quænam esset universalis Ecclesię praxis in Concilio Ephesino & Chalcedonensi; quis tunc Summorum Pontificum & universę Ecclesię sensus in usu auctoritatis illius quæ in apostolica sede vigebat. Arduum opus atque invidiosum aggredior, quod nondum quisquam, ut existimo, in se recepit; quo tamen defungi aliter nec possum nec debeo, quàm recitatis testimoniis unde regulæ colligi possint quæ totum negotium extra disputationis aleam evidentissimè ponant. Quod ita temperabitur, ut quodam jure imperatorio usum hac in parte Summum Pontificem ostendam, & synodum plena atque integra suffragiorum libertate.

III. Hæc ut apprime intelligantur, observandum est ex instituto Augusti omnia magistratuum Romanorum jura in Principem translata fuisse, & inter cetera, jus relationis: in quo non minima pars consularis potestatis olim posita erat, quemadmodum observavit Polybius: *De iis*, inquit, *quæ deliberanda incumbunt, referunt* Consules, *ipsíque universam decretorum Senatus rationem gubernant.* Polyb. lib. 6. Sæpe tamen factum ut absentibus vel prævaricantibus aut mussantibus Consulibus referrent aliqui è principibus amplissimi ordinis, puta Consules designati, vel aliquis Prætorum aut Tribunorum. Tanti verò momenti jus illud erat, ut Senatusconsultum fieri non posset sine relatione; qua negotium de quo Senatus consulendus erat, à Consule exponebatur. Ejus necessitatis illustre habetur exemplum apud Tacitum, qui refert Thraseæ sententiam in senatu dictam; deinde hæc verba subjungit: *Magno assensu celebrata sententia. Non tamen Senatusconsultum perfici potuit, abnuentibus Coss. ea de re relatum.* Tacit. lib. 14. Annal. Etsi enim *liceret patribus, quoties jus dicendæ sententiæ accepissent, quæ vellent exprimere, relationémque in ea postulare*, ut notat idem auctor; attamen à Consulum arbitrio pendebat an referrent ea de re ad Senatum, eúmque consulerent. Hoc quidem jus sublata Reipublicæ libertate Consulibus ademptum non est; sed pars quoque fuit imperatoriæ potestatis, id Principibus paulatim sibi vindicantibus. Exemplum est ab Augusto, ut dixi; in cujus honorem decretum refert Dio ut assumpta in perpetuum Tribunitia potestate, liceret ei, quoque Senatu, unam de quacunque re vellet relationem facere, etsi Consul non esset. Postea ampliato honore Principum, inventa sunt ad similitudinem decreti hujus jura secundæ, tertiæ, quartæ, quintæ relationis; ut patet è variis Capitolini & Vopisci locis; hoc est, ut quoque Senatu possent de duabus, tribus, quatuor, quinque rebus, quas vellent cunque, etiam non Consules, facere relationem. Augusto unius tantùm negotij relatio unoquoque Senatu permissa fuerat: sequentibus Imperatoribus quarta vel quinta concessa, eodem Senatusconsulto quo illis imperium confirmabatur. Quare falluntur viri docti, qui jura quartæ vel quintæ relationis sic accipiunt, ut de negotio eodem Principibus liberum fuerit quartò vel quintò referre. Certum quidem est ea lege qua imperium Vespasiano delatum est, sic constitutum. *Vt ei Senatum habere, relationem facere, remittere, Senatusconsultum per relationem discussionémque facere liceat.* Sed remittere relationem non significat quod eruditi viri contendunt, scilicet interrupta deliberatione ad primam relationem facta, consultationem differre ad iteratam relationem. Ea verba id tantùm volunt, ut Principi liceat vel referre statim, vel relationem remittere, id est, in aliud tempus

differre, aut omnino supprimere. Non solùm autem jus illud referendi verbo γνωματίζω Græci explicare solent, sed etiam alia locutione quæ aliquoties extat apud Dionem, γνώμην εἰς βουλὴν εἰσφέρειν, id est, *sententiam in Senatum inferre.*

IV. Ceterùm ita se gerebant Principes in Senatu, ut consularem potestatem cum novæ auctoritatis incremento exercerent. Consules namque relatione facta rogabant sententias, auspicantes ab eo qui princeps Senatus vel Senator primæ sententiæ dicebatur, numerabant Senatum, dividi sententias, si opus esset, jubebant, & decretum pronuntiabant. Imperatores verò post relationem censebant, eo quo vellent ordine, scilicet primo vel ultimo loco, ut colligere licet ex istis Pisonis verbis ad Tiberium: *Quo loco censebis, Cæsar? Si primus, habebo quod sequar. Si post omnes, vereor ne imprudens dissentiam.* Quod si viri doctissimi expendissent, non negassent sententiam à Principibus in Senatu dictam. Id quidem locum habuit in Consulibus; qui sententiam non rogabantur, nisi referente Cæsare, ut monuit Tacitus. Sed Princeps vel primus vel post omnes censebat; ita tamen ut formulæ omnino adstrictus non esset, sententiámque Senatus duriorem posset mitigare, ut accidit in cognitione Pisonis de Germanici nece accusati. Quando autem primo loco censebat, ejus sententia maximi momenti habebatur; quæ à Tertulliano dicta est *prærogativa suffragij.*

V. Relatio illa cum prærogativa suffragij, frequentissimè per orationem fiebat; quam per Quæstores suos, qui Candidati dicti, Principes in Senatu ex scripto recitabant; ut notum est è Tacito, Symmacho, & aliis. Senatusconsulta quæ orationes illas sequebantur, *auctore Principe* dicebantur fieri. Quod, præter varios Taciti locos, egregiè probatur ex Vlpiano, qui ait, de Antonino Aug. loquens: *Oratione in Senatu habita, auctor fuit Senatui censendi ut aliquid laxaret ex juris rigore*, circa donationes inter virum & uxorem. Locutio illa tracta est ex usu veteris Reip. quo inductum, teste Livio, ut priusquam populus suffragia iniret, in incertum comitiorum eventum *patres auctores* fierent. Cùm autem Senatus de rebus omnibus vice populi consuli cœpisset, Principes Senatusconsultorum auctores fieri voluerunt. Quod eam vim in se habebat, ut oratio Principis in Senatu recitata, seu mavis, relatio cum prærogativa suffragij, non solùm cum unaquaque gravissimorum Senatorum sententia comparanda esset, sed etiam decisionis auctoritatem indueret, si consensus Senatus accederet. Inde fit ut frequenter in jure aliquid oratione Principis constitutum dicatur, quod alibi Senatusconsulto tribuitur ad orationem illam facto. Scilicet oratio continet in se auctoritatem quandam non solùm censendi, sed etiam definiendi; dummodo consensu & suffragiis Senatus juvetur: quemadmodum etiam vice versa Decreto Senatus res propositæ summa auctoritate definiuntur. Ea vigebat in Senatu auctoritas, tempore Vlpiani; qui testatur non ambigendum quin Senatus jus facere possit. Gratianus quoque Imperator scripsit anno CCCLXXXIV. Senatusconsultum perpetuam per se obtinere firmitatem. Theodosius autem, permista Principis & Senatus potestate, præscripsit leges generales à proceribus Palatij & à Senatu tractandas: *Vt universorum consensus nostræ serenitatis auctoritate firmetur*, inquit ille. Tandem summa Principis potestas Senatus auctoritatem absorbuit sub Iustiniano. Vnde non insulsè Leo Philosophus Novella sua constitutione legem Digestorum abrogavit, quæ condendi juris facultatem Senatui tribuebat. Quæ verò de Senatus auctoritate dicta sunt, non adimebant Principibus auctoritatem edendarum constitutionum vel negotiorum terminandorum sine ullo consultu Senatus, cùm populus in eos suam potestatem contulisset; sed docent Senatum, quando consulebatur, summo jure usum in decernendo.

L. 9. ff. de legib. l. un. C. de Senatusc.

L. 8. C. de legib. L. ult. C. eod.

Nov. Leonis 78.

VI. Observandum verò est relationem Principis longè differre à relationibus quæ fiebant ad Principem. Hæ namque à magistratibus mittebantur ad Imperatorem, ut res dubias arbitrio suo temperaret: quæ locum quoque habent in Episcopis provincialibus, qui Romanam sedem consulunt; de quibus actum est libro primo. Relatio verò Principis habetur in Senatu, ut auctore Principe de re proposita decernatur.

CAPVT VIII.

Synopsis.

I. Aggredienda est disceptatio pontificiæ potestatis in Concilio Chalcedonensi. Agendum tamen prius de auctoritate qua Summus Pontifex usus est ante Concilij congregationem. Legati Leonis I. Constantinopolim missi, ut epistolam ejus ad Flavianum proponerent subscribendam Anatolio C P. & ceteris Orientis Episcopis. Subscripsit Anatolius. Quid post hæc egerit Leo, ostenditur ex ejus epistola ad Anatolium. Quid de iis pronuntiarit qui superiorem locum in Synodo Ephesina sibi vindicaverant. Quanta fuerit ejus auctoritas, & quid effecerit.

II. Hæresis emergens, primùm in provincia damnabatur in qua nata erat; sed pœna extra provinciam non egrediebatur. Leo hæresim in Oriente natam dam-

nat ubique. Auctoritas epistolæ Leonis. Par Zozimi factum.

III. Temperamentum tamen huic auctoritati adhibitum à Leone, prudenti instituto. Nempe, ut si epistolæ huic aliqui Episcopi non assentirentur, tota negotij disceptatio ad Concilium generale referretur. Etenim definitio fidei à Pontifice Romano facta non adstringit Christianos, nisi accedat universalis Ecclesiæ consensus. Quod probatur auctoritate Quintæ Synodi.

IV. Summus Pontifex rerum in Concilio Oecumenico sanciendarum auctor esse debet, ad exemplum Principum Romanorum. Probatur ex Marciano Imperatore in epistola ad Leonem, & Pulcheria Augusta. Duæ igitur auctoritates in synodo; una, Leonis; altera, synodi. Ex his duabus irretractabilis rerum propositarum definitio consequebatur.

V. Comparatio relationis imperatoriæ & pontificiæ. Pontificum definitiones in synodis examinabantur, ut constaret an scripturis & canonibus congruerent. Itaque post definitionem Pontificis, & declarationem synodi, certa erat fidei regula. Pontifex Romanus primam & maximam habet pro veritate sententiam, ex Facundo.

VI. Explicatur jus quod Dioscoro quæsitum est in Synodo Ephes. II. ob auxilium ei collatum rescripto Theodosij. Ea auctoritas in eo versabatur, ut jus quidem relationis haberet Dioscorus, cum prærogativa suffragij, sed tamen consensus synodi necessarius haberetur. quod probatur ex ipsius Dioscori verbis in Concilio Chalcedonensi prolatis.

I. His positis, aggredienda est disceptatio pontificiæ potestatis in Synodo Oecumenica Chalcedonensi. Acta fidem faciunt eorum quæ ibi in utramque partem gesta sunt. Ac deinde ad synodum Ephesinam regrediemur. Sed antequam huic discussioni incumbam, necesse est paucis dicere de auctoritate qua Summus Pontifex usus est ante Concilij congregationem. Non solùm enim synodum Ephesinam secundam rescidit, sed à communione quoque sua ejus synodi participes removit, Legatósque suos misit Constantinopolim, qui Anatolio urbis regiæ Episcopo ceterisque Orientis Episcopis subscribendam præberent epistolam de incarnatione à se editam. Subscripsit Anatolius; retulítque ipse Leoni, unà cum Legatis, plures in Oriente Episcopos communionis Romanæ cupidos dolere quòd adversùm terrores Dioscori non tenuissent constantiam. Qua de re plena auctoritate Leo decernit quid agendum esset: *Cum Legatis nostris, quos misimus, participata tecum sollicitudine volumus disponatur quatenus hi qui plenis satisfactionibus malè gesta condemnant, & accusare magis se eligunt quàm tueri, pacis & communionis nostræ unitate lætentur; ita ut digno prius anathemate, quæ contra ædem catholicam sunt recepta, damnentur.* Quod autem attinet ad Dioscorum & Iuvenalem perturbationis auctores, Anatolio præscribit ut ea custodiat quæ Legati facienda esse dixerint; nempe ut eorum nomina ad altare non recitentur, nec sanctorum nominibus sine discretione misceantur, *cum damnatam impietatem non deserentes, ipsi se sua pravitate condemnent, quos convenit aut percelli pro perfidia, aut laborare pro venia.* Sed aliâ deinde epistolâ de iis qui superiorem locum in synodo Ephesina vindicarunt, si resipiscerent, eorum satisfactionem *maturioribus apostolicæ sedis consiliis reservat, ut examinatis omnibus atque perpensis, de ipsis eorum actionibus quid constitui debeat æstimetur.* Omnium quoque difficultatum quæ in hoc negotio emergere possent sollicitudinem ad se trahit. Quare certum est & indubitatum apostolicæ sedis auctoritate assertam fuisse fidei veritatem adversùs perfidiam Eutychis, synodi Ephesinæ latrocinium castigatum, Episcopos Orientis ad satisfactionem adactos, & Leonis epistolam pro sincera fidei definitione susceptam.

Leo ep. 40. cap. 2.

Id. ep. 46.

II. Non me latet olim in provinciis erumpens hæreticum virus, synodorum provincialium decretis expulsum, hæresi atque hæreticis damnatis. Sed hæreticis tantùm in provincia degentibus pœna à synodis indicebatur. At verò Leo I. hæresim in Oriente natam, & hæreticos non solùm in Occidente, sed etiam in Oriente damnat, ejúsque sola epistola vim sententiæ & definitionis canonicæ obtinet; synodum quæ faverat hæresi rescindit, & perturbationis auctores suo judicio reservat. Sic olim Pelagianis à Zozimo damnatis, eorum hæresis per totum orbem proscripta est; ut disertè scribunt Augustinus & Prosper.

Aug. Serm. 1. de verbis Apost. Prosp. in Ch.

III. Enimvero summæ huic auctoritati temperamentum quoddam adhibuit ipse Leo; nempe, ut si rebus à se definitis aliqui Episcopi non assentirentur, tota negotij disceptatio ad generale Concilium referretur. Nec immeritò; cùm optimè sciret universalis Ecclesiæ fidem nullibi apertiùs explicari, vel splendidiùs eminere, aut securiùs prædicari, quàm in compendio universalis Ecclesiæ, quæ Conciliis generalibus repræsentatur; *ubi Spiritus sancti præsentiam testatur congregatio Sacerdotum*, quemadmodum loquitur Celestinus. Quare licèt nullo pacto Summus Pontifex Leo de doctrina fidei dubitaret, quam epistola sua luculenter expositerat; attamen synodi necessitatem agnovit, si aliquot Episcopi suæ definitioni refragarentur. Etenim formam fidei per Legatos suos ad Theodosium mittens, ait: *Sin vero aliqui à puritate nostræ fidei atque patrum auctoritate dissentiant, Concilium universale intra Italiam, sicut synodus quæ ob hanc causam Romæ convenerat mecum petit, clementia vestra concedat; ut in unum convenientibus omnibus his qui aut ignorantia*

Celest. ep. ad Synod. Ephes.

Vide Append. n. 1. hujus tom.

Leo ep. 53.

rantia aut errore prolapsi sunt, correctionis remediis consulatur. Et aliis literis Pulcheriam rogat, ut si qui à confessione fidei dissentiant, quam ipse explicuerat, synodum cogi procuret: *A qua* (id est, fidei confessione) *si forsitan ab aliquibus discrepatur, universale Concilium Sacerdotum haberi intra Italiam clementia vestra annuente jubeatur; quò remota arte fallendi, tandem pateat quid altiore tractatu aut coërceri debeat, aut sanari.* Noverat prudentissimus ille Pontifex definiendi auctoritate, qua vigebat, Episcopos populúmque Christianum non adstringi tanquam indubitata fidei regula, nisi accederet per provincialium Episcoporum subscriptiones universalis Ecclesiæ consensus, vel recusantibus plerisque unius confessionis concordiam, Synodi Oecumenicę publica professio Pontificis definitionem amplecteretur. Verissimè enim observatum est à Quinta Synodo, (quæ factum Vigilij non probat, quòd præsente Oecumenica Synodo, seorsim ab illa Constitutum suum de rebus propositis à Iustiniano edere volebat) Apostolos docuisse in rebus fidei communem tractatum esse necessarium. *Licèt enim*, inquiunt illi in definitione fidei, *sancti Spiritus gratia & circa singulos Apostolos abundaret, ut non indigerent alieno consilio ad ea quæ agenda erant; non tamen aliter voluerunt de eo quod movebatur, si oporteret gentes circumcidi, definire, priusquàm communiter congregati, divinarum scripturarum testimoniis unusquisque sua dicta confirmarunt. Vnde communiter de eo sententiam protulerunt, ad gentes scribentes: Visum est Spiritui sancto & nobis &c.*

IV. Sanè quænam futura sit Summi Pontificis potestas in Concilio Oecumenico, facilè animadverti potest. Nempe rerum gerendarum & sanciendarum auctor esse debet; quemadmodum Senatusconsulta olim in Imperio fiebant auctore Principe. Vnde Marcianus Augustus de proposito suo cogendæ synodi ad Leonem ita scribit, ut *eo auctore* illam celebrare velit, id est, eodem jure quo Principes Senatui auctores fiebant aliquid censendi. Si cui autem subtesta & frivola videatur hæc interpretatio, nolim mihi succenseat, sed ipsi Marciano; qui planis & disertis verbis sic Pontificis auctoritatem expressit, ut Leoni definiendi secundùm canones jus tribuat, & synodo sua quoque constitutione declarandi. *Si verò hoc onerosum est ut tu ad has partes advenias, hoc ipsum nobis propriis literis tua sanctitas manifestet: quatenus in omnem Orientem, & in ipsam Thraciam, & Illyricum, sacræ nostræ literæ dirigantur, ut ad quendam diffinitum locum, ubi nobis placuerit, omnes sanctissimi Episcopi debeant convenire, & quæ Christianorum religioni atque catholicæ fidei prosint, sicut sanctitas tua secundùm ecclesiasticas regulas diffiniverit, sua dispositione declarent.* Quæ paraphrasticè concepit Marcianus, in unum verbum contraxit Pulcheria Augusta, eadem de re loquens in epistola ad Leonem; nempe, ut eo auctore decernant Episcopi: *Facto Concilio, & de catholica confessione, & de his Episcopis qui ante hoc segregati sunt, sicut fides & Christiana pietas exigit, te auctore decernant.* Itaque quemadmodum in Senatusconsultis olim, sic in Synodi Chalcedonensis decretis duæ auctoritates in unam sententiam confluebant. Altera Leonis, qui non solùm censebat, sed etiam referebat ad synodum cum prærogativa suffragij; altera synodi, quæ suis quoque suffragiis orationem seu epistolam Leonis confirmabat; ita ut ex hac consensione irretractabilis rerum propositarum definitio consequeretur.

Ep. Pulcheriæ p. 1. Concil. c. 35.

V. Quemadmodum autem relationis imperatoriæ hæc erat necessaria & velut innata conditio, ut rectæ rationis præscriptum sequeretur, atque utilitati publicæ consuleret, vel sanè non incommodaret, (qua de re libera erant Senatorum suffragia) ita quoque relationis pontificiæ partes erant ut in fide & pace Ecclesiarum constituenda, à sacris scripturis, à canonibus, & à traditione majorum nullo pacto discederetur. Quare illud anxiè à synodo disquirebatur, an Pontificum epistola cum scripturis & canonibus congrueret; ut ita demum auctoritate illius omnes tenerentur, atque duobus veluti vinculis in fide confirmati essent, definitione Pontificis, & declaratione synodi. Hic est Marciani sensus, cùm scripsit illa quæ à Leone secundùm ecclesiasticos canones definirentur, à synodo declaratum iri. Sanè cùm semel traditæ fidei hærendum sit, ut docet Iudas Apostolus, hinc sequitur eam esse fidei Christianæ rationem, ut vetera eruantur, non autem nova condantur; quemadmodum rectè monuit Vincentius Lirinensis. Quare Summus Pontifex & Synodi Oecumenicæ in id totis viribus incumbunt, ut vetustatem fidei adversùs hæreseon novitates decretis suis post consultationes accuratas constanter vindicent. In asserenda autem veritate, Romanæ sedis antistes primam & maximam accepit potestatem, & pro veritate plus ceteris consacerdotibus potest; ut loquar cum Facundo Hermianensi.

Vide locum Facundi lib. 2. hær. Differt. c. 15. f. 100.

VI. Vt autem liquidiùs constet in quo versaretur prima illa præsidum potestas in Synodis Oecumenicis, præter illam quam è Marciani literis protulimus interpretationem, adjungenda quoque est Dioscori Alexandrini explicatio in Concilio Chalcedonensi; ubi ab eo, tanquam à Synodi Ephesinę

secundæ præside, ratio exigebatur eorum quæ perperam decreta erant; ideóque illius valde intererat ut eam potentiam, quantum fieri posset, oratione sua labefactaret. Collata illi fuerat rescripto Theodosij αὐθεντία, primatus & auctoritas Synodi Ephesinæ; adjunctis tamen duobus collegis, Iuvenali Archiepiscopo Hierosolymorum, & Thalassio Archiepiscopo Cæsareæ Cappadociæ. Agnoscit ergo Dioscorus non soli sibi judicium commissum fuisse, sed suis quoque collegis Iuvenali & Thalassio. se quidem unà cum illis judicavisse, & definivisse; attamen synodum quoque universam consensisse. Itaque judicij auctoritatem sibi assumit, nempe ob jus relationis cum prærogativa suffragij: sed necessitatem consensus synodi admittit, ut inde plena definitio consurgat. Hæc sunt verba Dioscori: *Comperit vestra clementia quia non mihi soli sacratissimus noster Imperator commisit judicium; sed & beatissimo Iuvenali, & sanctissimo Episcopo Thalassio, auctoritatem synodi dedit. Nos ergo judicavimus quæ judicata sunt. Consensit nobis & universa synodus. Quare in me solum ista extenduntur, quando auctoritas executionibus data est, & judicatis à nobis consensit (ut dixi) universa synodus, & confessa est propriis vocibus, & subscripsit, & relatum est piissimo Imperatori divæ memoriæ Theodosio, & confirmavit omnia quæ judicata sunt à sancta & universali synodo, generali lege?* Quare promiscuè ista accipiuntur, primatum synodi gerere, auctoritatem sive αὐθεντίαν obtinere, & judicium ferre.

Rescriptum Theodosij ad Dioscor. Concil. Chalced. Act. 1.

CAPVT IX.

Synopsis.

I. Leo I. præsedit synodo Chalcedonensi per Legatos suos. Literis ad synodum datis utitur suffragij sui prærogativa, decernendo quid agendum esset in causa fidei, & de disciplina restauranda.

II. In contentionibus de fide, synodus secuta est definitionem Leonis. Recitatur epistola ejus ad Flavianum; quam synodus recepit, tanquam continentem veram fidem. Episcopi tamen Illyriciani & Palæstini quæstionem moverunt de tribus ejus epistolæ locis. Sed deinceps, & ambiguitatem omnem sibi à Legatis ademptam profitentur. Ex his collegit Quinta Synodus, quæcunque apud synodos proferuntur, ab iis non simpliciter, sed cum inquisitione *approbari. Formulam fidei proponi Iudices postulant.*

III. Formula ea confecta fuit iis verbis quibus Leonis dignitas tentari videretur. Eam ob rem repudiata fuit à Legatis & aliquot Orientalibus. Dissidium illud ortum ob transmissa aliquot Leonis verba in ea formula: quæ cùm addi postularent, contradictum est à continuatoribus formulæ. Dissidium illud sopitum industria Imperatoris & Iudicum; ac repudiato Dioscoro, Leonis epistola suscepta est, tanquam Petri confessioni congruens. Synodi de ea receptione decretum confirmavit Marcianus.

IV. Hinc duo colliguntur. Primum; omnes Episcopos epistolæ Leonis subscripsisse. quod ejus auctoritatem demonstrat. Alterum; nefas synodo visum, si vel uno verbo ab ea epistolæ discederetur. Ius itaque relationis cum prærogativa suffragij agnovit in Leone synodus Chalcedonensis. Probatur ex epistola synodica ad Leonem. Quæ tamen in eo negotio fuerint synodi partes, non tacent.

I. PRIMÆ hujus & maximæ auctoritatis periculum faciamus in Actis Synodi Chalcedonensis. Agebatur de opinione Eutychis, an fidei contraria esset. Ea de re quid sentiendum foret, Leo summa auctoritate perscripsit epistola ad Flavianum Constantinopolitanum data: quæ recitata cùm non esset in Concilio Ephesino, per fraudem Dioscori Alexandrini, honoris illi periculum creavit in Concilio Chalcedonensi. Huic ergo synodo pro scandalis evellendis coactæ per Legatos suos Leo quidem præsedit; præterea verò literis suis ad synodum datis, suffragij sui prærogativa sinceram fidem constituit, perfidiam Eutychis à se damnatam in priore ad Flavianum epistola significavit; restituendos Episcopos decrevit, qui pulsi erant à sedibus suis eò quòd hæresim non recepissent; ceteris, si errorem relinquerent, honorem conservandum. *Vnde fratres carissimi*, Leo ep. 43. inquit, *rejectâ penitùs audaciâ disputandi contra fidem divinitùs inspiratam, vana errantium infidelitas conquiescat; nec liceat defendi quod non liceat credi; cùm secundùm evangelicas auctoritates, secundùm propheticas voces, apostolicámque doctrinam plenissimè & lucidissimè per literas quas ad beatæ memoriæ Flavianum Episcopum misimus fuerit declaratum quæ sit de sacramento incarnationis Domini nostri Iesu Christi pia & sincera confessio.* Pergit verò de disciplina restauranda quid agendum sit præscribere, iis verbis: *Quia verò non ignoramus, per pravas æmulationes, multarum Ecclesiarum statum fuisse turbatum, plurimósque Episcopos, qui hæresim non receperunt, sedibus suis pulsos, & in exilia deportatos, atque in locum superstitum alios substitutos, vulneribus his primitus adhibeatur medicina justitiæ; nec quisquam ita careat propriis, ut alter utatur alienis; cùm sit, ut cupimus, errorem omnes relinquunt, nemini quidem perire honor debeat; sed illis qui pro fide laboraverunt, cum omni privilegio oporteat jus proprium reformari.*

II. Magna contentione de fide disceptatum est in synodo; sed omnia exacta sunt ad normam à Leone præstitutam. Actione secunda Concilij relectis Symbolis Nicænæ synodi & Constantinopolitanæ, atque epistolâ Cyrilli ab Ephesina synodo confirmatâ, adjuncta est quoque recitatio epistolæ

Leonis ad Flavianum. Post lectionem, confestim omnes Episcopi clamaverunt hanc esse Apostolorum & patrum fidem, se omnes ita credere, Petrum per Leonem locutum, Dioscorúmque Ephesi hanc epistolam suppressisse ne legeretur. Attamen de sensu trium locorum ejus epistolæ dubitantibus Episcopis Illyricianis & Palæstinis, interpretatio adhibita ab Aëtio Archidiacono Constantinopolitano & à Theodoreto, quæ Leoni cum Cyrillo convenire docebat, commotam dubietatem ab eorum animis statim eximere non potuit, licèt reliqua synodus profiteretur nihil dubij superesse. Quare Iudices interlocuti sunt ut intra dies quinque qui dubitabant Episcopi penes Anatolium Constantinopolitanum convenirent, ut à ceteris qui jam Leonis epistolæ subscripserant docerentur. Actione quarta, interrogantibus Iudicibus quænam esset synodi de fide sententia, respondit Paschasinus synodum eam fidem amplecti quæ à Concilio Nicæno, Constantinopolitano, & Ephesino exposita est, quámque Leo sua epistola declaravit. Iterum Iudices interlocuti sunt, à singulis Episcopis declarandum an hæc epistola consentiret cum Symbolis Nicæno & Constantinopolitano. Ac statim quidem professus est Anatolius Constantinopolitanus eam consonare cum expositione fidei à tribus Conciliis prioribus edita, atque adeo ante synodum se illi subscripsisse. Sed Paschasinus ægrè videtur hanc interlocutionem tulisse. Retulit enim manifestum esse, nec dubitari posse, quin epistola Leonis cum superioribus Symbolis concordaret. Quod omnes Episcopi suffragiis quoque suis testati sunt, séque illi epistolæ subscriptiones suas apposuisse. Illyriciani verò & Palæstini, qui dubitationem Actione secunda injecerant, professi sunt ambiguitatem omnem, quæ ex linguæ Latinæ vocibus proficisci videbatur, sibi à Legatis ademptam, ideóque se quoque epistolæ subscripsisse. Vnde rectè Quinta Synodus ex ista Actione collegit, quæcunque apud synodos proferuntur, ab iis non simpliciter sed *cum inquisitione* approbari, nempe si congruant cum expositione & doctrina patrum. Ceterùm occasione monachorum qui factionem Eutychis tuebantur, Iudices interlocuti sunt à synodo formulam fidei dandam, quæ credenda exponeret.

Conc. Chalced. Act. 11.

III. Formula verò iis verbis concepta est quæ Leonis auctoritati aliquo pacto adversari videbantur, & ambiguitate quadam officere veritati. Ea itaque relecta Actione quinta, etsi ab omnibus Episcopis summo applausu excepta fuerit, Romani Legati & aliquot Orientales repudiarunt. Hi etenim cùm animadvertissent aliquot verba epistolæ Leonis à formulæ concinnatoribus dissimulata fuisse, in has voces eruperunt: *Si non consentiunt epistolæ apostolici & beatissimi viri Papæ Leonis, jubere nobis rescripta dari ut revertamur, & ibi synodus celebretur.* Discordiam istam componere Iudices tentarunt, postulantes à synodo ut aliquot Episcopi è singulis Diœcesibus unà cum Legatis & Anatolio coram magistratibus istis in oratorio de fide tractarent. Sed reclamarunt Episcopi, nihil addendum definitioni pertinacissimè contendentes; professi quidem se Leonis epistolam suscipere, nolle tamen inserere formulæ quæcunque epistola illa continebantur. Contentio accensa erat ob verba epistolæ; quibus Leo aiebat salvam utriusque naturæ proprietatem in unam coïvisse personam, scilicet ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, & ἀδιαιρέτως. Negotio ad Imperatorem relato, præcepit ille ut Episcopi selecti hac de re disceptarent secundùm interlocutionem Iudicum, aut quisque per suum Metropolitam fidem sine ulla ambiguitate exponeret, vel synodum scirent in Occidentalibus partibus celebrandam. Necdum sopita erat concertatio, cùm Iudices Episcopos interrogarunt an Dioscorum sequerentur, an verò Leonem. His verò respondentibus se Leoni adhærere, Iudices dixerunt addendum ergo definitioni duas esse naturas inconfusè, inconvertibiliter, & inseparabiliter secundùm judicium Leonis. Statim verò collatione facta cum delectis Episcopis, formula fidei omnium votis ita concepta est, ut disertè Leonis epistola recepta sit tanquam Petri confessioni congruens; & omnia dubia juxta præscriptum illius epistolæ explicata sunt. Quæ iterum confirmata sunt Actione sexta, præsente Marciano Principe: qui patribus interrogatis an ex omnium sententia fidei definitio edita esset, synodi consensum suo quoque edicto confirmavit, pœnis in contumaces decretis.

IV. Non frustra, ut existimo, in narratione hujus disceptationis moram traximus. Etenim duo præcipua colliguntur. Vnum est, omnes Episcopos epistolæ Leonis subscripsisse. quod ejus auctoritatem demonstrat, cùm decretis subscribatur, & non Episcoporum suffragiis. Alterum est, nefas tandem synodo visum, si vel uno verbo ab ea epistola discederetur. Etenim cùm superioribus Actionibus præjudicatum fuisset omnium patrum suffragiis epistolam Leonis congruere cum traditione majorum, auctoritas Romanæ sedis id exigebat ut formula fidei edita à Concilio & Leonis definitionem disertis verbis amplecteretur & ex ejus præscripto ambiguitates tolleret; nempe ut

synodus declararet quod Leo definiverat, quemadmodum loquebatur Marcianus Imperator. Quare jus illud relationis cum prærogativa suffragij Concilium quoque Chalcedonense in Leone disertissimis verbis agnovit. ne quis per adulationem hoc à me confictum putet. Etenim in synodica epistola ad Summum Pontificem patres profitentur eum fuisse, in expositione fidei, Petri interpretem, séque ipsos duce & auctore Pontifice veritatem Ecclesiæ filiis deprompsisse. Ὅθεν καὶ ἡμεῖς ἀρχηγῷ σοι χρησάμενοι τῆς ἀληθείας τοῖς τῆς ἐκκλησίας τέκνοις τὸν κλῆρον ἐδείξαμεν. Sed ut dignitatem auctoritatémque Pontificis non dissimulant, ita quoque synodi partes non omittunt, quæ *uno spiritu, una conspiratione, atque concordia, confessionem fidei* declaravit, Christo spirituales delicias per literas Leonis Episcopis, in synodo velut in convivio quodam considentibus, præparante.

CAPVT X.

Synopsis.

I. Primatus vim Leo exercuit in Concilio adversùs Dioscorum: qui inter reos sedere jussus est, ut causam diceret. At Theodoretus, quem sede sua Dioscorus in Synodo Ephesina secunda dejecerat, in Concilium Chalcedonense admissus est; quia locum suum Summus Pontifex ei restituerat. De restitutione illa Theodoreti accuratè dicetur libro septimo.

II. Conjunctionem auctoritatis Pontificis & Concilij præfert cognitio habita de Dioscoro. Legati condemnant Dioscorum, sistere se judicio recusantem. Dein eorum sententiæ accessit assensus synodi. unde confecta est plena Dioscori damnatio. Explicatur ordo quem tenuit Paschasinus.

III. Judicium à Paschasino conceptum sub nomine Leonis, de synodi consensu. Commonitorium synodi ad Dioscorum missum, quo episcopatu dejectus à Concilio renuntiatur, differt ab exemplari sententiæ à patribus subscriptæ. Concilia generalia in Occidente celebrata, concepta sunt utplurimùm sub nomine Pontificis, sacro approbante Concilio, exemplo petito à Concilio Chalcedonensi.

IV. Origo usus illius petitur è jure primatus; quod auctoritatem tribuit Pontifici, & synodo consensum. Sic munia cujusque partitur Leo. Probatur etiam ex iis quæ gesta sunt in synodo Romæ habita sub Hilaro.

V. Hilari decreta confirmat synodus. Episcopi provinciæ Tarraconensis Irenæum, qui secundùm supremam Episcopi Barcinonensis voluntatem in ea sede ab iis institutus fuerat, auctoritate Romani Pontificis confirmari petunt. Hanc consultationem Hilarus retulit ad synodum; sed pro suffragij prærogativa præsumptionem illam damnavit. cujus sententiam secuta est synodus.

VI. In hac synodo habetur expressa imperialis auctoritatis imago. Pontifices aliquando sententiam suam scripto recitabant; quam sequebantur acclamationes. Exemplum in Felice, & Symmacho.

VII. Solennia hæc à Senatu in Ecclesiam translata sunt. Mos acclamandi Principibus, è theatro in Senatum invectus. Acclamationum ritus. In Concilio Ephesino acclamationes factæ sunt Celestino, & Cyrillo; & in Chalcedonensi, Leoni.

VIII. Senatusconsulta aliquando facta solis acclamationibus. Post acclamationes tamen, Senatores interdum interrogabantur. Quandoque acclamationes sequebantur sententiam ejus qui primus censuerat. Aliæ consensus formulæ.

IX. Eadem acclamatione consensus omnium ostendebatur in Conciliis Ephesino & Chalcedonensi, & in Romanis sub Hilaro & Symmacho. Sapienter id notatum à Symmacho.

I. PRIMATUS quoque sui & principalis auctoritatis vim Leo in Concilio exercuit adversùs Dioscorum Alexandrinum, quem in ipso synodi exordio ab Episcoporum sede amovendum per Legatos suos edixit, & inter reos constituendum, ut causam diceret. *Paschasinus verò reverendissimus Episcopus & Vicarius sedis apostolicæ, cum in medio unà cum his viris reverendissimis collegis suis stetisset, dixit: Beatissimi atque apostolici viri Papæ urbis Romæ, quæ est caput omnium Ecclesiarum, præcepta habemus pre manibus; quibus præcipere dignatus est ejus apostolatus ut Dioscorus Alexandrinorum Archiepiscopus non sedeat in Concilio, sed audiendus intromittatur. Hoc nos observare necesse est. Si ergo præcipit vestra magnificentia, aut ille egrediatur, aut nos eximus.* Idem jus statuerat Theodosius adversùs Flavianum, quem jusserat sistere se in Concilio Ephesino secundo, judicij sui adversùs Eutychem in synodo CP. lati rationem redditurum. Tergiversati quidem sunt Iudices, acerbam existimantes & duram Dioscoro impositam conditionem. Attamen cùm Legati mandata Leonis urgerent, & Dioscoro objicerent quòd synodum celebrasset absque sedis apostolicæ auctoritate; etsi hoc videretur aliquo pacto convellere imperatoriam potestatem, qua fultus synodo Ephesinæ Dioscorus præsederat, Iudices præceperunt ut Dioscorus in medio consessu resideret inter reos. Vice versâ Theodoretus Episcopus Cyri, qui honore dejectus fuerat à Dioscoro in synodo Ephesina secunda, in Concilium Chalcedonense admissus est, episcopali dignitate ornatus; quia locum suum Summus Pontifex illi restituerat, & Imperator adesse synodo jusserat. Sed restitutionem istam Theodoreti accuratè discutimus in exercitatione de judiciis canonicis Episcoporum.

II. Vtriusque verò auctoritatis conjunctionem, nempe Romani Pontificis & Concilij, præfert cognitio habita de Dioscoro. Quæstio canonica præsentibus magistratibus disceptari non poterat. Quare illis absentibus ordo judicij constituendus fuit à Legatis Ro-

manis, qui de se his verbis loquuntur: *Nostram parvitatem huic sancto Concilio pro se præsidere præcepit* (Leo). *Ideóque necessarium est, hæc quæ in medium proferuntur, per nostram interlocutionem disceptari.* Statim verò libellos adversùs Dioscorum porrectos recitari jubent, ejúsque contumaciam tribus edictis evocati, & sistere se judicio recusantis, condemnant. In qua damnatione illud observandum est, Legatos primam sententiam protulisse, synodúmque sententia quoque sua Legatis suffragatam. unde conflata est plena Dioscori damnatio ex auctoritate Pontificis & Concilij. Hunc verò ordinem tenuit Paschasinus. Ter synodum interpellavit quid videretur agendum de Dioscoro. Respondit synodus, canonicis pœnis subdendum. Iulianus autem Hypæporum Episcopus à Legatis petivit, qui τὸ χῶρος Leonis haberent, ejúsque locum occuparent, ut contra Dioscorum pœnas à canonibus inflictas decernerent. *Omnis enim & tota universalis synodus concors efficitur vestræ sanctitatis sententiæ.* Quod etiam Maximus Antiochiæ testatus est. Tunc recitatis Dioscori flagitiis, ejúsque perspecta in scelere obstinatione, Paschasinus non solùm censuit à synodo condemnandum, sed etiam ex auctoritate Leonis condemnavit. Referam ejus verba, prout se habent in epistola Leonis ad Episcopos Galliæ, cui exemplar sententiæ latæ adversùs Dioscorum adjunxit, iisdem verbis quæ Paschasinus protulit, qui Latinè loquebatur in synodo. *Vnde sanctus ac beatissimus Papa caput universalis Ecclesiæ Leo per nos, ut Legatos suos, sancta synodo consentiente, Petri Apostoli præditus dignitate, qui Ecclesiæ fundamentum, & petra fidei, & cœlestis regni janitor nuncupatur, episcopali eum dignitate nudavit, & ab omni sacerdotali opere ejicit extorrem. Quare super his congregata venerabilis synodus canonicam contra prædictum Dioscorum proferat justitia suadente sententiam.* Recensentur deinceps in Actis Episcoporum omnium suffragia qui Dioscorum dejiciunt.

III. Sed observandum est, judicium conceptum fuisse à Paschasino sub nomine Leonis, de synodi consensu; quem consensum patres statim verbis explicuerunt, & sententiæ Paschasini subscripserunt, nulla sententiæ formula sub nomine synodi concepta. Fateor quidem missum esse ad Dioscorum sub synodi nomine Commonitorium, quo docebatur damnatum fuisse, & episcopatu dejectum à Concilio. Sed rescriptum illud longè differt ab exemplari sententiæ à patribus subscriptæ. Itaque mirandum non est si posteriora generalia Concilia in Occidente celebrata concepta sint utplurimùm sub nomine Pontificis, *sacro approbante Concilio*, cùm traxerint exemplum ab hac formula, *Leo per nos Vicarios suos sancta synodo consentiente &c.*

IV. Hoc proficiscitur è primatus jure, quod auctoritatem tribuit Pontifici, & synodo consensum. Sic munia cujusque partitur Leo, loquens de scriptis à synodo Romana patriarchali missis in Orientem ad Martianum Faustúmque Presbyteros. Potiori enim ratione Summus Pontifex in synodo Romana utebatur jure relationis & suffragij prærogativa. Cujus rei usus eleganter expressus est in synodo Romæ habita sub Hilaro Papa. Refert ille synodo de transgressione canonum, quæ frequentissima erat in ordinationibus Episcoporum, ad se, qui potissimi Sacerdotis administrat officia, talium vitiorum culpam pertinere dicens, nisi huic malo prospiciat. Deinde vetat ne bigami, insci literarum, membrorum damna perpessi, & pœnitentes, ad sacros gradus adspirent, pœnis in ordinatores latis. Tum petit à patribus synodi ut huic Constituto subscribant; *quatenus synodali judicio aditus claudatur illicitis.*

V. Non opus erat diligentiori examine in re tritissima & à canonibus toties vetita. Quare omnes Episcopi & Presbyteri in acclamationes eruperunt, Hilaro vitam precati, quæ proposita erant confirmantes. *Exaudi Christe, Hilaro vita. Dictum sexies. Hæc confirmamus, hæc docemus. D. VIII. Hæc tenenda sunt, hæc servanda sunt. D. V. Doctrinæ vestræ gratias agimus. D. X. Ista ut in perpetuum serventur rogamus. D. XV. Per Dominum Petrum, ut in perpetuum serventur rogamus. Dictum VIII.* Sed majori cura discutienda fuit in eadem synodo consultatio Episcoporum provinciæ Tarraconensis; apud quos Barcinonensium Episcopus supremæ voluntatis arbitrio sibi Irenæum quendam Episcopum substitui optavit. quod clero & plebi civitatis Barcinonensis & Episcopis provinciæ gratum fuit & acceptum, qui hoc suum judicium auctoritate Romani Pontificis firmari petunt. Hanc consultationem retulit Hilarus Papa ad synodum, sed cum suffragij sui prærogativa. Sic enim infit, post repressam gravibus verbis sacerdotiorum successionem: *Quod quàm grave sit, æstimate. Atque ideo, si placet, etiam hanc licentiam generaliter de Ecclesiis auferamus; ne, quod turpe dictu est, hominibus se putet debere quod Dei est.* Tum relectis Episcoporum Tarraconensium literis, quarum recitatio variis acclamationibus synodi interrupta est, Hilarus Episcopus dixit: *Acceptis quæ recitata sunt, de omnibus nunc, fratres, speciales sententias Deo vobis inspirante depromite.* Sex Episcopi provectiores ea de re censuerunt, prout oratione sua Pontifex synodo

Leo ep. 11. *Si rationem dilectioni vestræ tractâ scriptâ nostra potuere; quæ non solùm apostolica sedis auctoritate, sed etiã sancta synodi, quæ ad nos frequenti convenerat, unanimitate directa sunt.*

In Decretis Hilarii.

auctor fuerat. Et ſtatim, *Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt: Sententias fratrum omnes ſequimur, omnes confirmamus, & obſervandas eſſe decernimus.* Hanc cognitionem his verbis clauſit Hilarus: *Quoniam præſentis definitionis formam, quæ ſecundùm ſanctorum eſt ſtatuta ſententiam, in omnium Eccleſiarum notitiam pervenire decernimus, ne cuiquam pro ſui poſſit ignoratione licere quod non licet, edere geſta Notariorum ſollicitudo curabit.*

VI. In hoc ſynodi Romanæ exemplo expreſſam habemus imperialis auctoritatis imaginem, cùm de Senatuſconſultis ad ejus relationem & orationem condendis agebatur. Quare ſcripto quoque ſententiam ſuam Pontifices aliquando recitabant, quæ ſententiis & acclamationibus totius ſynodi muniebatur. Sic edita ſunt decreta Felicis contra iteratum baptiſma Africanorum & rebaptizatorum pœnitentias. *Proinde*, inquit, *ut manifeſta ſit ſuper hoc noſtra ſententia, quæ nobis ſunt viſa recitentur.* Sic quoque in ſynodo Romana Symmachus, recitatis per Notarium decretis quæ ipſe opportuniora judicavit, poſt acclamationes Epiſcoporum dixit: *Ergo univerſitati placet & ab omnibus recognoſcitur vel probatur iſta ſententia? Vniverſa ſynodus dixit: Placet; & quod omnibus placet, fiat.* Tandémque adjecit Symmachus: *Acclamationes veſtras ſynodíque judicium præſentia geſta ſuſcipient.*

Felix in Decretis.

VII. Ordo cenſendi in his ſynodis, mos depromendi ſententias per acclamationes, judicium factum per diſceſſionem, petita ſunt ex more recepto in Senatu, quando Senatuſconſultum fiebat. Hunc acclamandi Principibus ritum viri eruditi jam olim illuſtrarunt, qui è theatro in Senatum eſt admiſſus. Non temerè autem quid quiſque vellet acclamabat. ſed, ut in choris, erat aliquis cujus vox ceteris præiret. hic formulam acclamationis concipiebat. reliquus cœtus nihil niſi acceptas ab eo voces reddebat. In acclamando autem modulatione quadam utebantur, & ſæpius eadem verba reſonabant. Semper autem in Actis Senatus adnotatum quoties quidque fuiſſet repetitum. quod ne hiſtorici quidem neglexerunt. Nam legitur ſæpe apud ſcriptores hiſtoriæ auguſtæ, *Dictum quinquies, dictum decies, dictum vicies*, imò & *ſexagies* apud Trebellium in Claudio. Hinc vetus Eccleſia & acclamandi morem uſurpavit, & formulas iis ſimiles quæ in gratiam Principum proferebantur: quas in Acta eccleſiaſtica per Notarios pari diligentia referebat. Extant in Actis Concilij Epheſini acclamationes factæ Celeſtino & Cyrillo; & in Actis Concilij Chalcedonenſis, acclamationes factæ Leoni: Λέοντος πολλὰ τὰ ἔτη. Παντιάρχᾳ πολλὰ τὰ ἔτη.

Caſaub. in Notis ad Vulcatium.

VIII. Sciendum autem eſt Senatuſconſulta aliquando facta fuiſſe ſolis acclamationibus, nullis ſententiis dictis. quod factum refert Pollio in Senatuſconſulto de Valeriani cenſura. Aliquando verò poſt acclamationes, interrogabantur Senatores. quod factum in electione Taciti Imperatoris, apud Vopiſcum. Quandoque verò à ſententia dicenda incipiebant; pòſt ſequebantur acclamationes approbantium ſententiam ejus qui primus ſententiam dixerat. cujus moris exemplum apud Capitolinum in Maximo & Balbino. Cùm enim Sabinus ſententiam dixiſſet, acclamatum eſt uno conſenſu: *Æquum eſt, juſtum eſt. Sabini ſententiæ omnes conſentimus.* Quandoque brevioribus verbis conſenſum ſuum exprimebant, ſolenni formula, *Omnes, Omnes.*

Salmaſ. in Not. ad Vopiſc.

Vopiſc. in Tacito & ad eum Salmaſium.

IX. Simili acclamatione in Conciliis Epheſino & Chalcedonenſi, & in Romanis ſub Hilaro & Symmacho, communis conſenſus omnium oſtendebatur; ac præterea eadem varietate, poſt acclamationes, vel ante, ſententiæ rogabantur, vel omittebantur, ut fieri ſolebat in Senatu. Quare non abſque gravi cauſa Symmachus interlocutus eſt acclamationes Epiſcoporum & judicium ſynodi in Acta eſſe redigenda; quia ſententia & conſenſus ſynodi his acclamationibus explicabatur.

CAPVT XI.

Synopſis.

I. Ius relationis quod in ſynodis uſurpatum eſt ab Epiſcopis Romanis, acceptum referri non debet Marciano. Probatur ex Actis ſynodi Epheſinæ, ubi Celeſtinus eo jure uſus eſt. Synodus illa aperè profitetur ſe Celeſtini epiſtola coactam ad ferendam ſententiam adversùs Neſtorium.

II. Magni momenti ſunt illa verba. Auctoritas epiſtolæ Pontificis ea eſt ut parendi neceſſitatem inducat, ſi ſcripturis & traditioni majorum congruere reperiatur. Verba Concilij referuntur.

III. Firmi Cæſareæ Epiſcopi verba expenduntur, quæ auctoritatem Romani Pontificis reſpiciunt. Acclamationes Epiſcoporum factæ Celeſtino & Cyrillo referuntur.

IV. Quæritur an licuerit Oecumenicæ Synodo de aliquo fidei vel diſciplinæ capite decernere ſine relatione Pontificis. Ita uſurpatum à ſynodo Chalcedonenſi.

I. RELATIONIS imperatoriæ uſum à Pontificibus Romanis in ſynodo Chalcedonenſi & in Occidentalibus Conciliis uſurpatum fuiſſe demonſtravimus. Quod accepto ferendum non eſt reſcripto Marciani, ac ſi Summus Pontifex ex indulgentia &

delegatione Principis Synodi Chalcedonensis auctoritatem assecutus fuisset; quemadmodum suprà monui. Etenim eodem eximio jure in synodo Ephesina Celestinum usum fuisse ipsius Oecumenicæ synodi testimonio probare possumus. Nestorij hæresim Romæ in synodo damnaverat Celestinus, ipsumque Nestorium, nisi perfidam novitatem aperta & scripta confessione intra decem dies deponeret, ab universalis Ecclesiæ communione dejecerat: cujus sententiæ executionem delegavit Cyrillo Alexandrino. Hic ex sententia Celestini, atque sua, totiúsque synodi Ægyptiacæ, synodicam epistolam ad Nestorium dedit; qua eum hortatus est ut à stolidis dogmatibus, quæ publicè docebat, desisteret, quod nisi intra tempus in literis Celestini præfinitum præstaret, certò sciret se à communione totius Ecclesiæ excidisse. Cogitur Ephesina synodus: ubi recitatis Celestini & Cyrilli epistolis ad Nestorium, atque prolatis è patrum antiquorum operibus excerptis aliquot sententiis, Nestorij impietas convicta, & Celestini atque Cyrilli sincera fides omnium consensu approbata est. Quare sententia depositionis in Nestorium ter evocatum & contumacem fertur à synodo; ita tamen ut ejus condemnandi auctoritas in Celestinum quoque referatur. Etenim apertè profitentur patres synodi se & à sacris canonibus & à Celestini epistola coactos ad eam sententiam ferendam. Quasi dicerent Celestinum epistola sua synodo auctorem fuisse damnandi Nestorij.

II. Magni autem momenti sunt illa verba, quibus se coactos dicunt, id est, ex officio adstrictos, ut canonibus qui contumaciam plectebant, & rebus à Celestino adversùs impietatem decretis, morem gererent. Ea est enim auctoritas epistolæ Pontificis, ut parendi necessitas incumbat, postquam, discussione facta, sacris Scripturis & traditioni majorum congruere invenitur. quo examine defuncta erat synodus Ephesina antequam judicium ferret adversùs Nestorium. Hæc sunt Concilij verba: *Coacti per sacros canones & epistolam sanctissimi patris nostri & comministri Celestini Romanæ Ecclesiæ Episcopi, lacrymis subinde perfusi, ad lugubrem hanc contra eum sententiam necessariò venimus.*

III. Ne quis autem existimet alienam à verbis synodi sententiam nunc primùm à me confictam fuisse, perpendenda sunt quæ dixit Firmus Cæsareæ Episcopus post adventum Legatorum Arcadij, Projecti, & Philippi; qui, post damnatum Nestorium, Ephesum accesserunt. Ait Firmus, primam sententiam tulisse Celestinum, eámque huic negotio formam per priores literas suas ad Cyrillum præscripsisse quam synodus executioni dederit. Quare cùm secundis quoque literis ad synodum Ephesinam datis, atque per Legatos delatis, eandem sententiam de fide confirmasset, post confirmationem literarum *Omnes reverendissimi Episcopi simul acclamaverunt: Hoc justum judicium. Novo Paulo Celestino, novo Paulo Cyrillo. Celestino custodi fidei. Celestino cum synodo concordi. Celestino universa synodus gratias agit. Vnus Celestinus. Vnus Cyrillus. Vna fides synodi. Vna fides orbis terrarum.* His acclamationibus, ut fieri solebat à Senatu erga Principem, synodus Ephesina Celestinum ejúsque Legatum Cyrillum suo quoque nomine valde commendabilem prosecuta est. Legati autem relectis gestis contra Nestorium subscripserunt. Quæ subscriptio à Cyrillo *canonica assensio* dicitur, κανονικὴ συναίνεσις; & à Legatis βεβαίωσις τῶν κεκινημένων, *confirmatio rerum judicatarum.* Concil. Ephesi AA. 3. AA. 3.

IV. Vnus tantùm restat articulus, in quo utriusque relationis imperatoriæ & pontificiæ comparatio ineunda est, ut sciatur an illis per omnia conveniat. Inter ceteros relationis effectus observavimus Senatusconsulta sine Consulis vel Principis relatione fieri non potuisse. Quæri ergo potest non absurdè an licuerit Oecumenicæ synodo de aliquo fidei vel disciplinæ capite sine relatione Pontificis decernere. De synodo Oecumenica loquor, in qua Pontifex per se vel per Legatos præsidet; non autem de Conciliis provincialibus, aut Diœcesanis, quibus nulla interest sedis apostolicæ legatio. Ac sanè antiquam esse Legatorum persuasionem video, ut existimaverint Pontificem rerum omnium gerendarum in Conciliis illis auctorem esse debere; ita ut etsi fortè non retulerit, saltem primam sententiam promat. Hanc disertis verbis expresserunt patres synodi Chalcedonensis in epistola synodica ad Leonem: ad quem scribunt, Paschasinum Legatum ejúsque socios vehementer obstitisse novæ jurisdictioni quæ à synodo tribuebatur sedi Constantinopolitanæ, ex eo capite præcipuè, quòd Leonem vellent ejus rei auctorem fieri, quemadmodum auctor fuerat rectæ fidei sanciendæ. Volebant scilicet ea de re priùs à Leone decerni, cujus auctoritati ceteri deinde Episcopi consentirent & subscriberent. *Qui enim*, inquiunt, *locum vestræ sanctitatis obtinent sanctissimi Episcopi Paschasinus & Lucentius, & qui cum eis est reverendissimus Presbyter Bonifacius, his ita constitutis vehementer resistere tentaverunt, proculdubio à vestra providentia inchoari & hoc bonum volentes, ut sicut fidei, sic bonæ ordinationis vobis deputetur effectus.* Hanc Legatorum opinionem non omnino refutare videtur Concilium; ita tamen Epistola synodica Concilij Chalcedon. ad Leonem.

ut in casu proposito ei locus esse non posset ob temporis circumstantias. Respondent enim, Imperatoris, Senatus, & civium urbis regiæ desideriis obsequendum fuisse, qui novam istam auctoritatem decreto synodi Oecumenicæ confirmari volebant. quod fieri non poterat, si ante omnia Pontificis sententia exquirenda fuisset. Itaque in his angustiis se negotium constituisse, non dubitantes quin Leo hoc quoque decretum amplecteretur. quod perinde esset ac si ab initio ipse illius auctor fuisset, eò quòd rectorum facinorum à filiis gestorum omnis gloria redundet in patres, qui jure patriæ potestatis hoc sibi vindicant. Quare obnixè rogant Pontificem ut suo quoque decreto synodi judicium honoret; ut sicut in rebus fidei rectè constitutis Pontifici tanquam capiti consensum suum adhibuerunt, ita quoque primatus sui jure ipse quod decet filiis impendat, nempe confirmationem & consensum, τῆς πεπεγμένων βεβαιώσιν τε καὶ συγκατάθεσιν.

CAPVT XII.

Synopsis.

I. Investigatur quænam esset veterum sententia de hoc jure relationis cum prærogativa suffragij ante Concilium Ephesinum. Ejus exemplum illustre in Sardicensi Concilio: in quo summa auctoritas fuit Osij, Romani Pontificis Legati. Socrates & Sozomenus explicati, qui aiunt non licere quicquam decernere de rebus ecclesiasticis absque sententia Episcopi Romani. Hausta hæc interpretatio è verbis Iulij.

II. Prærogativa illa suffragij non adimebat ceteris libertatem suffragiorum. Probatur ex Julio; cujus verba explicantur.

III. Quid sit canon ecclesiasticus *apud Socratem. Is est canon Nicænus sextus, quo primatus defertur Episcopo Romano præ ceteris Patriarchis. quod probatur multis auctoritatibus.*

IV. Ordo dignitatis Patriarcharum constitutus in Concilio Nicæno. Canone vij. quartus honoris gradus tribuitur Episcopo Hierosolymorum, id est, primus post tres Patriarchas. Variæ hujus canonis versiones. Canone vj. definiti loci trium Patriarcharum. Probatur ex verbis canonis; tum auctoritate Papæ Leonis ad Anastasium scribentis.

V. Cùm primum dignitatis locum obtineret Episcopus Romanus, consequens est ut jus primæ sententiæ & suffragij prærogativam obtineret. Ea fuit mens Socratis & Sozomeni. Eam prærogativam agnovit Concilium Romanum sub Damaso.

VI. Γνώμης *dictio, qua usi sunt Socrates & Sozomenus, auctoritatem cum suffragio conjunctam significat in antiquis canonibus. Probatur ex canone vj. Concilij Nicæni, ubi* γνώμη *sumitur pro Metropolitani suffragio & auctoritate. Prima autem sententia erat penes Metropolitanos.*

VII. Ab illis quoque pendebat rerum gestarum confirmatio, sive τὸ κῦρος; ita tamen ut omnia communi decreto & ex sententia plurimorum agenda essent, ex canonibus Nicænis. Id quoque statutum in canone apostolico XXXIII. ubi γνώμη *sumitur pro sententia Metropolitani, atque item pro collectione suffragiorum omnium Episcoporum. Hac eadem notione vox illa usurpatur in canone apostolico XXXIX. & in canone XVII. Laodiceno.*

VIII. Illustre hujus significationis testimonium extat in synodo Chalcedonensi Actione quarta. Unde colligitur canone Nicæno statutum ut omnes Episcopi sententiam sui Primatis expectent, & nihil arduum agant prætermissa illius sententia. Γνώμῃ *Alexandrini Episcopi* definitionem *interpretati sunt Judices.*

IX. Jus ab Ægyptiis Alexandrino Episcopo tributum Romano asserit Petrus Chrysologus. Concilia Oecumenica nihil in Ecclesia decerni posse putant absque sententia Romani Pontificis, cùm de causis universalibus agitur. Probatur etiam auctoritate Macedonij Patriarchæ CP.

X. Quinta Synodus rogat Vigilium ut ad Concilium accedat, & cœtui præsideat; missa etiam amplissima & insigni legatione. Qui respondet se suam sententiam Principi porrecturum seorsim à synodo. Vigilius confirmavit definitionem synodi; quæ tunc sine controversia Synodi Oecumenicæ nomen prætulit.

I. SI quis autem illud quoque requirat ut exponam quænam esset veterum sententia de hoc jure relationis cum prærogativa suffragij ante Concilij Ephesini tempora, consulendum est Sardicense Concilium; in quo Osius Romani Pontificis Legatus refert de rebus canone constituendis, sed ita ut primam sententiam addat. Deinde rogat patrum suffragia, qui confertim in ejus sententiam transeunt. Pulcrum sanè antiquitatis monumentum, in quo jus relationis eminet. Gaudentius quidem & Ianuarius Episcopi tres canones proposuerunt, Osio connivente. Sed hoc nihil detrahit de jure legationis; præcipuè cùm ad suam auctoritatem trahat, quando lubet, quæ ab alio Episcopo proponuntur, ut accidit Olympio Episcopo, qui suggessit ultimum canonem; cui Osius decretum addidit: *Osius dixit: Suggerente fratre & coëpiscopo nostro Olympio, etiam hoc placuit.* Ad hanc prærogativam referendi sunt Socrates & Sozomenus, quorum testimonia frequentissimè proferuntur; sed quæ à paucis, ut quidem puto, sincerè intellecta sunt. Eusebiani coëgerant Antiochiæ Concilium Orientalium Episcoporum, quod Athanasio Georgium Cappadocem substituit. Socrates verò notat nec Iulium Episcopum Romanum nec ejus Legatos ad eam synodum accessisse; *cùm canon ecclesiasticus jubeat non oportere absque sententia Episcopi Romani decreta Ecclesiis sancire:* Ἀλλὰ μὲν δὴ ὅ τε Ἰούλιος πρεσβύτερος ὁ τῆς μείζονος Ῥώμης ἐπίσκοπος, ὅδε μὲν εἰς τὸν τόπον οὐκ ἀπεστάλκει τινὰ· καίτοι κανόνι ἐκκλησιαστικῷ κελεύοντος μὴ δεῖν ἄκυρα τίθεσθαι τὰ γνώμῃ τοῦ ἐπισκόπου Ῥώμης τῆς ἐκκλησίας κανονιζόμενα. In ejusdem

Socrat. lib. 2. c. 3. in edit. Colon. pheretur. A. in lib. 3. in edit. Vales.

ejusdèm facti narratione severioribus verbis hanc legem Sozomenus expressit. Ait enim Iulium cum Orientalibus expostulasse *quòd contra leges Ecclesiæ ipsum ad synodum non vocassent. Nam legem esse sacerdotalem quæ pronuntiat acta illa irrita esse quæ absque sententia Episcopi Romani constituuntur.* Insignis alicujus auctoritatis vestigia latent in significatione horum verborum, τῷ πρὸ γνώμης illius defectus irrita reddat synodorum decreta. Vnde patet hac locutione non nudum aliquod suffragium, sed prærogativam suffragij, de qua hucusque multis diximus, significari. Ne quis verò meæ conjecturæ hanc interpretationem imputet, profiteor eam me hausisse à verbis Iulij, unde Socrates & Sozomenus sua quoque traxerunt. *An ignoratis*, inquit Iulius, *hanc esse consuetudinem, ut primùm nobis scribatur, sícque hinc quæ justa sunt definiantur. Si ergo talis suspicio in eum Episcopum inciderat, huc eam oportebat ad istam Ecclesiam deferri.* ἢ ἀγνοεῖτε ὅτι τοῦτο ἔθος πρῶτον, πρότερον γ ἐμφανθῆναι ἡμῖν, καὶ οὕτως ἔνθεν δεῖσθαι δίκαια; εἰ μὲν οὖν τι τοιοῦτον ἐπενοήθη εἰς τὸν ἐπίσκοπον τὸν ἐκεῖ, ἔδει πρὸς τὴν ἀνταῦθα ἐκκλησίαν γραφῆναι.

II. Primam itaque sententiam & suffragij prærogativam disertissimè sedi suæ asserit Iulius ex recepta consuetudine; qua in rebus communibus Ecclesiæ universalis statum contingentibus, (qualis erat Athanasij causa, quæ fidem respiciebat) non autem in ceteris disciplinæ negotiis, uteretur. atque hoc est quod contendimus. Ceterùm hoc non adimit suffragiorum libertatem ceteris Episcopis; quemadmodum profitetur Iulius in eadem epistola. *Nam si, ut dicitis*, inquit, *omnino in culpa fuerunt, oportuit secundùm canonem, & non isto modo, judicium fieri. Oportuit scribere omnibus nobis, ut ita ab omnibus quod justum esset decerneretur.* Quorum verborum hic est sensus; oportuisse de negotio ad Romanum Episcopum & ad Synodum Occidentalium perscribi; ut communi omnium Occidentalium & Orientalium decreto, quæ justa essent, constituerentur. Ex hoc loco mihi videntur collegisse Socrates & Sozomenus necessitatem sententiæ Romani Pontificis in synodis niti canone ecclesiastico.

III. Quærunt anxiè viri eruditi quis sit canon ille ecclesiasticus. Sed non est quòd tantopere vexentur in re alioqui satis aperta. Is est canon Nicænus sextus, quo primatus defertur Romano Episcopo præ ceteris Patriarchis; quemadmodum & Synodus Oecumenica secunda & Iudices Cognitores in Concilio Chalcedonensi canonem illum interpretati sunt. Relectis enim canone VI. Nicæno & canone CP. in Synodo Chalcedonensi, Iudices pronuntiarunt primatum deberi Romanæ sedi juxta canones: *Perpendimus omnem quidem primatum & honorem præcipuum secundùm canones antiquæ Romæ Dei amantissimo Archiepiscopo conservari.* Hunc quoque canonem Nicænum respexit Novella Valentiniani; cùm ait beati Petri merito, urbis dignitate & auctoritate, firmatum fuisse primatum Romanæ Ecclesiæ. Vnde in vetustissima canonum interpretatione, quam Paschasinus in Concilio Chalcedonensi protulit, lemma canonis Nicæni ita conceptum est: *Quòd Ecclesia Romana semper habuit primatum.* ἡ ἐκκλησία Ῥώμης πάντοτε ἔχε τὴν πρώτεια.

Concil. Chalced. Act. XVI.

IV. Non solùm enim canonibus Nicænis Patriarcharum potestas sancita est, sed etiam ordo dignitatis constitutus. Id eximiè docet canon VII. quo quartus honoris gradus tribuitur Æliæ sive Hierosolymorum Episcopo, id est, post tres Patriarchas, Romanum, Alexandrinum, & Antiochenum: *Quia consuetudo obtinuit & antiqua traditio ut Æliæ Episcopus honoretur, habeat honoris consequentiam; salva metropoli propria dignitate.* Quod in Græco contextu habetur ἐχέτω τῆς τιμῆς ἀκολουθίαν, Dionysius Exiguus vertit *honoris consequentiam*; antiqua verò Teilonis versio relata in Concilio Carthaginensi VI. *ordinem honoris*; id est, ut primum gradum post tres Patriarchas, de quibus actum canone sexto, Hierosolymorum Episcopus obtineat. Si Concilium curam ordinis gessit in assignando hujus Episcopi loco, intelligere nos oportet id actum quoque canone sexto inter priores Patriarchas; ita ut ordine scripturæ Antiochenus sit tertius, Alexandrinus autem secundus, primus verò Romanus. Primatus ille colligitur ex ipsis verbis canonis; quæ Romanum Episcopum velut exemplar constituunt ejus auctoritatis quæ Episcopo Alexandrino confirmatur in Ægypto. Certa enim & recepta est illa regula, quam proposuit Aristoteles, quod primum est in unoquoque genere, exemplar esse ceterorum quæ genere illo comprehenduntur. Quare verè Leo I. Anatolio CP. exprobravit quòd secundum gradum dignitatis Alexandrino Episcopo & tertium Antiocheno contra Nicænos canones auferre conaretur: *Doleo etiam in hoc dilectionem tuam esse prolapsam ut sacratissimas Nicænorum canonum constitutiones conareris infringere; tanquam opportunè sè tibi hoc tempus obtulerit, quo secundi honoris privilegium sedes Alexandrina perdiderit, & Antiochena Ecclesia proprietatem tertiæ dignitatis amiserit.*

Can. VI. *Quia Episcopo Romæ parilia mos est.*

V. Itaque cùm primus dignitatis locus perspicuè à Nicæna synodo deferatur Ro-

mano Episcopo, hinc sequitur illi quoque eam auctoritatem competere qua potiebantur in politia civili qui principem locum obtinebant, id est, primam sententiam, & suffragij prærogativam; quemadmodum rectè jus illud è verbis Iulij interpretati sumus. Eadem quoque sine dubio mens fuit Socratis & Sozomeni: qui, ne quid ardui ὡς γνώμῃ Episcopi Romani constitueretur in Ecclesia, canone ecclesiastico vetitum fuisse scripserunt. Hanc prærogativam agnovit quoque Concilium Romanum ex Episcopis Italiæ & Galliæ sub Damaso coactum: quod Ariminense Concilium ex eo elevat, inter cetera, quòd Episcopus Romanus illi non interfuisset, cujus præcipuè erat expectanda sententia: *Siquidem*, inquit, *numerus Episcoporum qui erant Arimini in unum congregati, præjudicij vim habere non debet; præsertim cum formula illa composita sit neque Episcopo Romano, cujus sententia præ ceteris omnibus expectanda erat, neque aliis eidem consentientibus.*

Concil. Rom. in ep. ad Illyri os, apud Theodoret. lib. 2. c. 22.

VI. Non frustra autem γνώμης dictio à Concilio Romano & à Socrate atque Sozomeno usurpatur. Etenim notio illius vocis non simplex nudúmque suffragium sed etiam auctoritatem cum suffragio conjunctam significat in antiquis canonibus. Exemplum est obvium in sexto canone Nicæno; ubi statuitur illum non esse pro Episcopo habendum qui ordinatus fuerit χωρὶς γνώμης μητροπολίτου, id est, *præter sententiam Metropolitani*, juxta Dionysij versionem; vel *præter consilium*, ut habet versio Teilonis; vel *sine arbitrio*, juxta vetustissimam interpretationem. Quo loco γνώμη sumitur pro Metropolitani suffragio & auctoritate. Prima autem sententia erat penes Metropolitanos, ut colligere licet ex eorum dignitate, & disertissimè docuit Leo primus.

VII. Ab ipsis quoque pendebat rerum gestarum confirmatio, sive τὸ κῦρος, ut loquitur Concilium Nicænum. Ita tamen in definitionibus suis versari eos oportebat ut omnia *communi cunctorum decreto rationabili & secundùm ecclesiasticam regulam comprobato* transigantur, *obtineátque sententia plurimorum*, quemadmodum loquitur canon sextus. Eadem omnino decreta fuerant in canone apostolico XXXIII. vel XXXV. ubi quemadmodum sententia Metropolitani γνώμη dicitur, ita etiam collectio suffragiorum omnium Episcoporum γνώμη quoque dicitur; sícque ex duabus auctoritatibus una integra solidáque totius synodi sententia consurgit. Hac eadem notione γνώμη accipitur in canone apostolico XXXIX. vel XL. unde transcripta est pars ultima canonis LVII. Laodiceni, quo prohibentur Presbyteri & Diaconi aliquid agere αἄνευ γνώμης τοῦ ἐπισκόπου, id est, *sine auctoritate Episcopi.*

Concil. Nic. can. 6.

VIII. Sed illustre hujus significationis testimonium extat in synodo Chalcedonensi: ubi post damnationem Dioscori Alexandrini, decem Episcopi Diœceseos Ægyptiacæ invitati à synodo ut subscriberent epistolæ Leonis & damnationi Eutychetis, respondent hoc tentari à se non posse, donec in locum Dioscori ordinatus fuerit Alexandriæ Episcopus, ex cujus sententia & præscripto ceteri Episcopi Ægyptij deinde subscribant. hanc auctoritatem olim Episcopo Alexandriæ delatam à canone Nicæno. *In omnibus*, inquiunt, *expectamus sententiam sanctissimi Archiepiscopi; & petimus vestram clementiam expectari præsidis nostri sententiam, quia eum in omnibus sequemur. Nam & sanctissimi patres qui in Nicæa congregati sunt trecenti decem & octo, hanc regulam dederunt, ut sequatur omnis Ægyptiaca regio Archiepiscopum magni nominis civitatis Alexandrinæ, & nihil absque ipso agatur ab aliquo ei subjacente Episcopo.* Itaque cùm ab Episcopis urgerentur ut eandem cum synodo Oecumenica fidem profiterentur, iterum Iudices & synodum flebiliter obsecrarunt ut ordinatio Archiepiscopi expectaretur; *quatenus, juxta veterem consuetudinem, illius sequerentur sententiam. Quòd si extra voluntatem præsidis nostri aliquid faciemus, sicut præsumptores, & non servantes secundum canones antiquam consuetudinem, omnes Ægyptiaca regionis insurgent in nos.* Vnde colligere licet auctoritatem sive ἐξουσίαν primatus patriarchalis à canone Nicæno confirmatam in eo versari, ut omnes Episcopi γνώμῃ sive sententiam sui Primatis expectent, & nihil arduum agant prætermissa illius sententia, ὡς γνώμῃ, id est, sine illius decreto, & prærogativa suffragij. Tanta verò ratio habita fuit illius auctoritatis quæ sedi Alexandrinæ competebat, ut Iudicum interlocutione, ipsiúsque Paschasini Legati, Episcopis Ægyptiis dilatio quam petebant concessa fuerit. Sed notanda sunt verba Iudicum, qui γνώμῃ illam Alexandrini Episcopi, *definitionem* esse interpretati sunt. Quare Patriarcharum prima sententia, & prærogativa suffragij, definitionis vim habet, modò synodi quoque consensus accesserit.

Concil. Calced. act. 11.

IX. Quod Alexandrino Episcopo jus vindicabant Ægyptij Episcopi, Petrus Ravennæ Episcopus, cognomento Chrysologus, asserebat Romano Episcopo in Italia: *Nos enim, pro studio pacis & fidei, extra consensum Romanæ civitatis Episcopi causas fidei audire non possumus.* Imò verò cùm de causis universalibus agitur, Concilia Oecumenica eandem in Summo Pontifice prærogativam

Petr. Chrisol. ep. ad Eutych.

agnoverunt, ut absque ejus sententia nihil in Ecclesia decerni possit: quam quidem per epistolam & per Legatos, qui vice sua synodo præsidebant, explicare consueverat. Inde manavit vox illa Macedonij Patriarchæ CP. qui Anastasio Imperatori, Chalcedonensis Concilij nomen abolere satagenti, idque à Macedonio exigenti, respondit hoc fieri non posse sine Concilio Oecumenico, cui Papa præsideret: Χωρὶς οἰκουμενικῆς συνόδου ἐχούσης πρόεδρον τὸν τῆς μεγάλης Ῥώμης ἐπίσκοπον οὐδὲν ποιεῖν ἔλεγεν. apud Theodorum Anagnostem.

X. Quare tantopere laborabat Quinta Synodus Oecumenica ut Vigilius Papa, qui Constantinopoli aderat, ad synodum accederet, & cœtui præsideret. Tanta verò dignitatis apostolicæ sedis ratio habita fuit, ut licèt Nestorius Archiepiscopus Constantinopoleos & Dioscorus Alexandrinus à Synodo Ephesina & à Chalcedonensi per tres Episcopos tantùm evocati fuerint, Vigilius ter invitatus fuerit ad Concilium per tres Patriarchas atque decem & septem Metropolitas, quibus ultima vice tres Patricios & Quæstorem suum Iustinianus Imperator adjunxit. Ille verò cum eis convenire noluit; sed suam sententiam, seorsim à synodo, Principi se porrecturum dixit. Itaque in hoc rerum articulo de quæstione proposita decernere Quinta Synodus sibi liberum esse duxit, etiam absente Pontifice. quod disertè in definitione sua adnotavit; ubi quoque Vigilij sententiam sequi se non obscurè profitetur. Vigilius verò suo Constituto confirmavit definitionem synodi: quæ tunc sine controversia synodi Oecumenicæ nomen prætulit. quod adnotatum est à Concilio Sexto: *Vigilius Iustiniano consensit; & Quinta Synodus constitit*: Βιγίλιος Ἰουστινιανῷ συνεψήφισε, καὶ τὸ τῆς πέμπτης συνόδου συνέδριον.

ADDITIO

Stephani Baluzii.

I. Cogor hoc loco paulisper remorari lectorem, ut Socratem eximam suspicioni malæ fidei in qua eum ponere voluisse visus est nuper Henricus Valesius vir clarissimus; simul ostensurus, quod instituti mei ratio postulat, verissimam esse observationem illustrissimi Archiepiscopi, qui Socratem ea quæ scribit de canone ecclesiastico, quo cavetur ne res Ecclesiarum ad normam dirigantur præter auctoritatem Romani Pontificis, traxisse sit ex epistola Iulij ad Orientales. Proponam itaque primùm Socratis locum integrum, tum verò annotationem Valesij, & rationes quibus ego permoveor ut credam injuria vapulare hoc loco Socratem; ut coram positis in omnium oculis utrorumque argumentis, lector faciliùs judicet quis eorum in culpa sit. Hæc sunt verba Socratis: *Iulius itaque contrariis literis ad ipsum missis, rescribens Episcopis qui Antiochiæ convenerant, graviter conquestus est, primùm quidem de acerbitate ipsorum epistolæ, deinde quòd contra canones ipsum ad synodum non vocassent, cùm ecclesiastica regula interdictum sit ne præter sententiam Romani Pontificis quidquam ab Ecclesiis decernatur.* Valesius ista non videns apud Socratem, confidenter pronuntiat ea nuspiam in illa epistola legi, Iulium porrò nihil dicere de regula illa ecclesiastica. *Quòd verò addit Socrates*, inquit Valesius, *Iulium in suis litteris conquestum esse quod ipsum non invitassent ad synodum, regulam enim esse ecclesiasticam ut absque consensu Episcopi Romani nihil in Ecclesia decerni possit, id in epistola illa nuspiam legitur.* Et paulò pòst, de eadem Iulij epistola loquens, hæc addit: *Sed de illa ecclesiastica regula nihil dicit.* Socrat. lib. 2. cap. 17.

II. Antequam ulteriùs progrediamur, constituendus est verus ac genuinus sensus verborum Socratis, ut videamus an congruere possint cum verbis epistolæ Iulij. Ait ergo Socrates, Iulium, cùm accepisset literas quas ad eum perscripserant Episcopi Antiochiæ congregati adversùs Athanasium, ad eos rescribentem graviter conquestum esse de acerbitate ipsorum epistolæ, deinde quòd contra canones ipsum ad synodum non vocassent, cùm tamen ecclesiasticus canon dicat non oportere res Ecclesiarum ad normam dirigere præter auctoritatem Romani Pontificis. τὸ ἐκκλησιαστικὸν κανόνα κελεύειν μὴ δεῖν παρὰ γνώμην τοῦ ἐπισκόπου Ῥώμης κανονίζειν τὰς ἐκκλησίας. Vocem γνώμην verti *auctoritatem*, secutus observationem illustrissimi Archiepiscopi, qui vocem illam adnotat in ecclesiasticis rebus significare sententiam cum auctoritate conjunctam. Quærendus supereſt apud Iulium canon ecclesiasticus cujus meminit Socrates. Ait ergo Iulius de Athanasio Alexandrino & Marcello Ancyrano loquens: εἰ γὰρ ὡς ὅλως, ὡς φατέ, ἠγνοεῖτό τι εἰς αὐτοὺς ἁμάρτημα, ἔδει κατὰ τὸ ἐκκλησιαστικὸν κανόνα μὴ οὕτως γεγενῆσθαι τὴν κρίσιν· ἔδει γραφῆναι πᾶσιν ὑμῖν, ἵνα οὕτως παρὰ πάντων ὁρισθῇ τὸ δίκαιον. *Nam si, ut dicitis, omnino in culpa fuerunt, oportebat secundùm ecclesiasticum canonem & non isto modo judicium fieri; oportebat scribere omnibus nobis, ut ita ab omnibus quod justum esset decerneretur.* Quorum verborum hunc puto sensum esse. Si Athanasius & Marcellus in culpa fuerunt, ut dicitis, præcipitandum non erat judicium. Debueratis enim primùm nobis scribere, ut ita ab omnibus quod justum esset decerneretur, nimirum secundùm ecclesiasticum canonem, qui nihil gravioris momenti, cujusmodi sunt causæ Ecclesiarum apostolicarum, agi in Ecclesia finit absque conscientia Romanæ Ecclesiæ. Ex hoc loco existimat illustrissimus Archiepiscopus Socratem & Sozomenum collegisse necessitatem sententiæ Romani Pontificis in synodis niti canone ecclesiastico. Vide Simeonis Metaphrastis ineum infrà cap. 14. hujus libri §. 8.

III. Hanc explicationem probant sequentia verba. Ait enim: *Episcopi enim erant qui patiebantur, & non vulgares Ecclesiæ quæ ista patiebantur, sed quas ipsi Apostoli suamet opera ad fidem instruxerant. Cur igitur, & in primis de Alexandrina civitate, nihil nobis scribere voluistis? An ignari estis hanc consuetudinem esse ut primùm nobis scribatur, ut hinc, sicut, quod justum est definiri possit. Quapropter si istic hujusmodi suspitio in Episcopum concepta fuerat, id huc ad nostram Ecclesiam referri oportuit. Nunc autem nos, quos certiores minimè fecerunt, postquam jam egerint quod libuit, suffragatores suæ damnationis, cui non interfuimus, esse volunt.* Arbitror his verbis manifestè expressam esse Iulij querelam adversùs Orientales, quòd Vide infrà lib. 7. cap. 4. §. 6.

synodum adversùs Athanasium celebrassent se inconsulto, cujus ante omnes erat expectanda sententia; cùm ea consuetudo sit, ut ad Romanam Ecclesiam referri oporteat de majoribus causis, ut deinde quod justum est definiri possit ab omnibus, id est, communibus suffragiis Episcoporum occidentalium & orientalium. Male autem fecisse Episcopos orientales, quòd ipsum non admonuerint de Concilio celebrando. itaque frustra petere eos ut consensum suum addat sententiis adversùs Athanasium & Marcellum latis, cùm ipse neque vocatus ad eam synodum fuerit, neque illi interfuerit.

IV. Scio non extare in epistola Iulij verba illa quæ ex Iulio refert Socrates, nimirum fixum ecclesiastico canone esse non oportere præter auctoritatem Episcopi Romani Ecclesias regulare, κανονίζειν; neque illa Sozomeni, quæ ex eadem epistola refert: Sozom. lib. 3. c. 10. ἢ δὲ νόμου ἰερατικὸν, ἄνευ κελεύσεως τοῦ ἐκ Θεοῦ γνώμην περὶ ἑκάστων τῶν δοκούντων ἐπενεγκεῖν. Quæ sic versa sunt ab Henrico Valesio: *Legem enim esse pontificiam, ut pro irritis habeantur quæ præter sententiam Episcopi Romani fuerint gesta.* Scio, inquam, hæc non extare in epistola Iulij, ut necesse non erat reddi ipsamet verba. Satis enim fuit historicis illis si sensum verborum Iulij redderent. Id verò illos fecisse manifestum est. Ait enim Iulius canone ecclesiastico constitutum esse ut causæ Ecclesiarum apostolicarum non definiantur inconsulta sede Romana; hanc esse consuetudinem ut primùm ad eam scribatur, ut deinde quod justum est definiri possit communibus suffragiis Episcoporum occidentalium & orientalium. Frustra petere ab eo orientales ut consensum suum addat rebus jam constitutis. Hoc est dicere secundùm Socratem & Sozomenum. Debueratis, ô Episcopi qui apud Antiochiam convenistis, debueratis primùm vocare nos ad Concilium, hoc est, primùm nobis scribere de hac causa, cùm sciretis canonem sive legem ecclesiasticam esse, seu illa scripta esset, sive consuetudine tantùm inducta, ut nihil gravioris momenti agere in Ecclesia liceat absque auctoritate nostra. Itaque quoniam judicium non servato ordine peregistis, judicium quod à vobis latum est absentibus nobis, cùm consensu nostro præterea destituatur, quem non obtinebitis, irritum erit.

V. At, inquies, ubinam est νόμος ille ἱερατικὸς cujus meminit Sozomenus? Iam respondi necessarium non esse ut historicus retineat ipsamet auctorum verba ex quibus historiam suam conficit; & adhuc respondere possum ita putasse etiam Socratem & Sozomenum, qui diversis omnino verbis usi sunt in hac causa, tametsi uterque se profiteatur accepisse ex epistola Iulij. Quod enim Sozomenus dixit νόμον ἱερατικὸν, alter dixit ἐκκλησιαστικὸν κανόνα. Quin & interpretes quoque interdum supplent sensum auctorum suorum; ut etiam Valesij exemplo probare possumus. Legitur apud Eusebium in libro III. de vita Constantini cap. VII. οὗτος τε ὁ γαλατία τε καμπυλία, καππαδοκία τε ὁ ἄπα ὁ φρυγία, τὴς ἀφ' αὑτῆς ἀρχῆς ἐκκέντες. *Pontus item, Galatia, Pamphylia, & Cappadocia, Asia quoque, & Phrygia, lectissimum quemque ex suis præbuere.* Hunc locum describens Socrates, Galatiam & Cappadociam omisit, & Pamphyliam post Asiam & Phrygiam nominavit, quamvis apud Eusebium prior ordine recensita inveniatur. Nam hæc omnino sunt verba Socratis, ex Eusebio, ut ipse ait, ad verbum descripta: οὗτος τε ὁ ἄπα, φρυγία τε ὁ καμπυλία, τὴς ἀφ' αὑτοῦ παρῆχον ἐκκέντες. Et tamen Valesius, ne quid heic Eusebianum deesset, versionem quam Eusebio dederat, integram retulit ad hunc locum, supplens videlicet errorem Socratis, & quæ ab eo præposterè dicta erant in ordinem revocans. Nam in istius versione sic ad verbum redditus à Valesio est locus Eusebij: *Pontus item, Galatia, Pamphylia, & Cappadocia, Asia quoque, & Phrygia, lectissimum quemque ex suis præbuere.* Socrat. lib. 1. cap. 8.

VI. Ecclesiasticum illum canonem, cujus ex Iulio meminit Socrates, Nicænum sextum esse probat illustrissimus Archiepiscopus. Quòd si quis tamen contentionem in verbi controversia ponere velit, rejectaque eruditissimi antistitis explicatione adhuc quærendum putat de quo canone ecclesiastico loquatur Iulius, possum non incongruè respondere canonem illum sive legem sacerdotalem nihil aliud esse quàm consuetudinem illam quæ exigebat, quemadmodum contendit Iulius, uti de majoribus causis ad apostolicam sedem referretur. Legum enim alias esse scriptas, alias verò non scriptas, quæ consuetudine & usu nituntur. Nam & νόμος aliquando significat consuetudinem. Et κανὼν apud auctores ecclesiasticos significat regulam & normam vivendi. Regularum autem ecclesiasticarum quædam ordine & canone tenentur, quædam consuetudine firmatæ sunt; ut in Concilio Carthagine habito anno CDXVIII. disseruit Faustinus Episcopus Potentinus, Legatus Romanæ Ecclesiæ. Itaque sive canonem illum intelligamus de Nicæno sexto, sive de regula ecclesiastica ex consuetudine descendente, manet idem verborum sensus. Ab hac igitur contentione disputationis animum curámque laxemus.

VII. Sed antè quàm huic Additioni finem imponam, necessarium mihi videtur, id quod in prima libri istius editione fecimus, admonere lectorem, hanc de Legatis Dissertationem ab illustrissimo Archiepiscopo scriptam esse anno MDCXLI. nondum inventa decretali Papæ Vigilij epistola pro confirmatione Quintæ synodi, quæ anno tantùm sequenti emissa in lucem ab eo est. Si tum, cùm ista scribebantur, epistolam illam Marca præ manibus habuisset, haudubiè ejus auctoritate usus esset ad probandum Quintam Synodum à Vigilio confirmatam fuisse, quemadmodum illud ipsum testimonio Sextæ Synodi probavit in calce istius capitis. Ceterùm epistolam illam Vigilij, unà cum illustrissimi Archiepiscopi ad eam Dissertatione, in gratiam eruditorum typis Francisci Mugueti exprimi curavimus eodem tempore quo secunda hæc istarum Dissertationum editio procuratur in officina ejusdem typographi.

CAPVT XIII.

Synopsis.

I. Reverentia sedi apostolicæ debita, in Concilio Sexto exhibita fuit. Agebatur de proscribendo errore Monothelitarum. Ei præfuerunt Legati Papæ Agathonis: qui jure primatus de quæstione proposita retulerunt, & quænam esset apostolicæ sedis sententia significarunt. Imperator ordini judiciorum imminebat. Macarius Antiochenus damnatur.

II. Legati recitant testimonia patrum qui duas in Christo voluntates & operationes prædicabant. Ea conferri cum authenticis patrum codicibus postulant aliquot Episcopi. Epistolæ Agathonis susceptæ sunt à Synodo, tanquam à Spiritu sancto dictatæ. Anastasius Bibliothecarius explicatur. Binij conjectura repudiatur.

III. Actione X. facta est publicè collatio locorum ab Agathone citatorum. Item locorum quibus hæretici

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

sententiam suam fulcire conabantur.

IV. Fidei definitio ita concepta est à Synodo, ut se fideliter suscipere professa sit & expansis manibus amplecti epistolas Agathonis & Concilij Occidentalis. In Prosphonetico ad Constantinum patres recensent hæreses damnatas auctoritate Principum & Romanæ sedis Pontificum. Quo exemplo Constantinum Pogonatum congregasse aiunt hanc Synodum, illoque Legatos suos misisse Agathonem. Ejus auctoritati tribuunt definitionem fidei.

V. Hoc deprehenditur suffragij prærogativa. Distincta cujusque partes in ea definitione. Petunt à Pontifice confirmationem Synodi. Quod factum à Leone secundo.

I. QVÆ facta observavimus in superioribus Conciliis, sequentia Oecumenica studiosissimè amplexa sunt, & debitam sedi apostolicæ reverentiam detulerunt. Agebatur in Sexta Synodo de asserenda adversùs novitatem à Cyro Phasidos deinde Alexandriæ Episcopo & Sergio Constantinopolitano præcipuè inductam, duarum in Christo voluntatum, humanæ & divinæ, confessione. Hanc fidei sinceræ professionem, à Marciano Papa prædicatam olim, Agatho & tota Occidentalium Synodus confirmavit duabus epistolis ad Constantinum Pogonatum Imperatorem datis, ad eúmque per Legatos delatis, qui Synodo Sextæ Pontificis nomine præsederunt. Legati, præsente Constantino Imperatore & universali Synodo, jure primatus in ipso Concilij exordio de quæstione proposita retulerunt; & quænam esset apostolicæ sedis sententia, epistolis illis comprehensa, breviter significarunt; unius voluntatis assertionem damnantes, & à Constantinopolitanis novitatis hujus rationem exigentes. Imperator deinde partes suas interposuit, ordini judiciorum interlocutionibus suis imminens. Itaque cùm Macarius Antiochenus, qui Monothelitarum sectam tuebatur, opinionem suam cum prioribus Conciliis & traditione majorum congruere contenderet, mandatum illi est ab Imperatore ut impleret exceptionis probationem. Relectis Conciliorum & patrum codicibus, hæretica Macarij fiducia, ejus artes, & falsitates, & ἀρνήσεων detruncationes propalatæ sunt, ipséque cum suæ hæreseos consortibus anathemati devotus. Christiana verò fides vindicata est juxta definitionem Agathonis Papæ; cujus epistolæ relectæ sunt Actione IV.

II. Sed Actione VII. (XIII. Febr. anni DCLXXXI.) Legati recitarunt testimonia patrum qui duas voluntates & operationes prædicabant. Interrogati verò à Principe Georgius Archiepiscopus C P. & Macarius Antiochenus an consentirent definitioni Agathonis, petiverunt exempla relationis & dilationem sibi concedi, ut loca citata cum codicibus qui in patriarchio erant conferre possent. Prima deinde mensis Martij die, interrogatus Georgius à Principe, retulit se, diligenti codicum collatione facta cum authenticis exemplaribus, cognovisse recitata in relationibus Agathonis testimonia cum sanctis patribus consona esse; ideóque se relationes illas amplecti professus est. In cujus sententiam discesserunt omnes Episcopi: qui epistolas Agathonis *tanquam à Spiritu sancto dictatas per os sancti & beatissimi Principis Apostolorum Petri, & digito prædicti ter beatissimi Papæ Agathonis scriptas*, se suscipere, duásque voluntates credere testati sunt. Anastasius Bibliothecarius, in vita Agathonis, postquam dixisset die XIII. Februarij relecta fuisse patrum testimonia prolata à Legatis, addit: *Sequenti die in eodem Secretario residente Synodo unà cum Principe, Synodica sanctissimi Agathonis Papæ relecta est, & ad singula comprobata, patrum dicta inserta.* Quam tamen locorum collationem prima die Martij factam fuisse Acta docent. Itaque apud Athanasium *sequens dies* significat, non decimum quartum diem Februarij, ut Binius existimat, sed sequentem consessus Concilij diem, qui incidit in primum Martij. Frustra itaque ex hoc Anastasij loco conatur injicere suspicionem in lectorum animos, ac si luxata essent Acta Sextæ Synodi; ut inde fidem conciliet depravationi quam conjicit à Græcis profectam in nomine Honorij Papæ. Sed hoc aliam controversiam respicit.

Hæc sunt verba Demetrij Episcopi Pruſiados.

Vide supra lib. 1. cap. 13. §. 9. & 12.

IV. Quare post accuratam illam disquisitionem, die XI. Septembris Synodus fidei definitionem exemplo decessorum suorum sic concepit ut se fideliter suscipere & expansis manibus amplecti epistolas Agathonis & Concilij Occidentalis pro confessione duarum voluntatum profiteatur: ἡ παροῦσα ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ συνόδος πιστῶς δεξαμένη, καὶ ὑπὲρ πάσης χρῆσιν ἀσπασαμένη τὴν ἀναφορὰν Agathonis Papæ & ejus Concilij; utpote quæ cum Synodo Chalcedonensi & Ephesina concordet. Quod uberiùs exequuntur patres illi in sermone prosphonetico ad Constantinum; ubi recensent hæreses in Synodis Oecumenicis esse damnatas auctoritate Principum & Romanæ sedis Pontificum, scilicet Constantini & Silvestri in Nicæna Synodo, Theodosij & Damasi cum Gregorio & Nectario in Secunda Synodo, Celestini & Cyrilli in Ephesina, Leonis in Chalcedonensi cum Marciano Augusto & Anatolio, Vigilij & Iustiniani in Quinta Synodo. Illo exemplo Constantinum Pogonatum Sextam istam Synodum congregasse dicunt; quò Legatos suos miserit Agatho, arcis apostolicæ præ

Act. XVII.

ceteris Pontificibus eminentissimus antistes, ὁ τῆς πρεσβυτέρας ῥώμης καὶ ἀποστολικῆς ἀκροπόλεως ἀρχιερωτικώτατος πρόεδρος. se dogmaticis illius literis consentientes, grassantem hæresim repressisse; séque illius traditiones, quemadmodum ille & ante synodum & unà cum synodo paternas amplexus erat, secutos fuisse: ἡμεῖς τε γὰρ ταῖς ἐκείνου, καὶ πρὸ ἡμῶν καὶ σὺν ἡμῖν ἐκεῖνος ταῖς ἀποστολικαῖς τε καὶ πατρικαῖς ἀκολουθήσαμεν παραδόσεσι. Veritatis enim lucem ex Occidentis partibus effulsisse, chartam atramento illitam exhibitam, sed Petrum per Agathonem fidei mysteria elocutum: Χάρτης καὶ μέλαν ἐφαίνετο, καὶ διὰ Ἀγάθωνος ὁ Πέτρος ἐφθέγγετο. Eundem loquendi modum sequuntur in relatione synodica ad Agathonem; quem gravissimis Ecclesiæ morbis peritissimum medicum à divino numine datum aiunt, qui valetudinem illius curaret. Ex ejus literis à præcelso Apostolorum vertice divinè perscriptis se nuper exortam hæresim depulisse, ipsósque hæreticos anathemate confixisse, juxta præjudicatam à sede apostolica sententiam.

V. His verbis, suffragij prærogativam illam imperialem significant. Quid enim aliud indicari potest per illam προψηφισθεῖσαν ἀπόφασιν? Deinde partes cuique suas in hoc negotio damnatæ hæreseos assignant. Spiritui sancto illustrationem tribuunt, Pontifici doctrinæ informationem, Imperatori tuitionem, & Gregorio Constantinopolitano Episcopo primam sententiam & primum consensum adhibitum definitioni Agathonis. Quæ prima sententia à Consule, aut à primo Senatore, seu Principe Senatus ferebatur, quando Princeps rogabat sententias in Senatu. Contendunt verò à Summo Pontifice ut iterum quoque venerabili rescripto suo synodi sententiam confirmet. Quod Leo II. successor Agathonis præstitit, Concilij definitione auctoritate & αὐθεντίᾳ beati Petri confirmata.

CAPVT XIV.

Synopsis.

I. In VII. Synodo primatus Romani Pontificis emicuit. Nam summa auctoritas ejus admissa est. Probatur ex Actis; ubi patres eo inter alia argumento prædatoriam synodum à Constantino Copronymo coactam universalem esse non posse non pronuntiant, quòd ei Papæ auctoritas non adfuisset, ut lex Conciliorum exigebat. Tum, quòd Patriarchæ Orientis huic pseudosynodo non consenserint.

II. Hadrianus I. cupiit conciliabulum illud in irritum mitti, quod sine sedis apostolicæ auctoritate habitum fuerat. Hoc vitio caruit Septima Synodus; in qua recitantur epistolæ Hadriani, quæ restitutionem imaginum præscribunt. Legati ejus τὸν νόμον & suffragij prærogativam Romanæ sedi conservant in roganda Tarasij C P. sententia.

III. Tarasius coluit auctoritatem sedis apostolicæ: qui se Hadriani literis subscribere testatur. Eadem fuit synodi professio. Ceterarum sedium consensus accessit ad configendos Iconoclastarum errores.

IV. Prærogativam suffragij agnovit Tarasius ad Hadrianum scribens.

V. Legati sedis apostolicæ videntur contenti fuisse solo consessu privilegio in VII. Synodo: cujus disponendæ auctoritas tota in Tarasio fuisse videtur. Ea objectio solvitur. Synodus illa admissa non est à Concilio Francofordiensi.

VI. Plena & integra auctoritate usi sunt Legati apostolicæ sedis in Concilio Octavo. Ea emicuit in libello ab apostolica sede directo, cui subscripsere Episcopi lapsi. Episcopi quidam Diœceseos CP. id agrè ferunt, quasi Ecclesia CP. Romanæ tanquam ancilla dominæ subjiceretur. Ea exprobratione commotus Imperator Basilius, chirographa à scriniis Legatorum subripi jussit, quæ Anastasij Bibliothecarij curâ reddita sunt, additis verbis in sedem apostolicam honorificentissimis.

VII. Hadrianus II. ad Ignatium C P. scribens, jubet ut decretum synodi Rom. adversus Photium ab omnibus Episcopis subscribatur in Concilio Oecumenico, & in archivis Ecclesiarum referatur. Itaque Synodus VIII. Romanorum Pontificum definitionem amplexa est cum plena causæ cognitione. Hinc factum ut ea synodus dicta sit universalis, ut notat Anastasius.

VIII. Consensus sedium patriarchalium perinde ac Patriarchas aut eorum Legatos exprimebatur; ut Maximus Abbas notavit. Probatur etiam ex Metaphraste.

IX. Schisma Orientalium non impedit hodie quin ejusdem momenti & auctoritatis censenda sint Ecclesiæ Romanæ & Occidentalis decreta adversus novas hæreses, tametsi Orientalium Ecclesiarum consensu destituantur. Attamen Ecclesia quoque Orientalis sua suffragia non ita pridem contulit in damnandis nuperæ sectæ articulis.

I. IN Septima quoque Synodo primatus Romani Pontificis emicuit. Etenim non solius consessus prærogativa dignitásque sedis apostolicæ, sed etiam summa illa auctoritas admissa est quæ conventibus ecclesiasticis Concilij Oecumenici robur conferre debet. Constantinus Copronymus collecto trecentorum viginti octo Episcoporum conventu, qui sibi Synodi Septimæ Oecumenicæ titulum adscripserat, usum imaginum prohibuit. Ejus conciliabuli definitio relecta est in vera Synodo Septima, & per capita scripto antirrhetico confutata. Ac prima quidem inscriptionis verba, quæ Georgius Neocæsareæ Episcopus recitavit, ubi Synodi Oecumenicæ titulo se prædatoria illa synodus jactat, hoc pacto patres refellunt. Eam synodum universalem esse non posse pro certo ponunt quæ recepta à reliquis Episcopis universæ Ecclesiæ non fuerit, quod pertinet ad concordiam unitatémque

consensus significandam. Sed præterea addunt quæ auctoritatem synodi respiciunt, Papam nempe nec per suos Vicarios nec per circularem epistolam interfuisse, ut lex Conciliorum exigebat. *Quomodo autem magna & universalis, quam neque receperunt neque concordaverunt reliquarum Præsules Ecclesiarum, sed anathemati hanc transmiserunt? Non habuit enim adjutorem illius temporis Romanorum Papam, vel eos qui circa ipsum sunt Sacerdotes, nec etiam per Vicarios ejus, neque per encyclicam epistolam, quemadmodum lex dicit Conciliorum.* Pergit verò de consensu Patriarcharum hæc addere: *Sed nec consentientes sibi Patriarchas Orientis, Alexandriæ scilicet, Antiochiæ, ac sanctæ civitatis, vel comministros & summos Sacerdotes qui cum ipsis existunt.*

II. Hæc Synodi Septimæ professio Hadriani I. Pontificis desiderium implevit; qui conciliabulum illud, quod antiquam traditionem everterat, ante omnia in irritum mitti voluit, ex eo capite, quòd sine sedis apostolicæ auctoritate habitum fuerat: *In primis pseudosyllogum illud quod sine apostolica sede enormiter & irrationabiliter nequiterque contra sanctorum venerabilium patrum traditionem de sacris imaginibus actum est, anathematizetur præsentibus Missis nostris.* Eodem sensu in epistola ad Tarasium: ubi Missos vocat Apocrisiarios.

Hoc vitio caruit Septima Synodus; in cujus actione secunda relectæ sunt Hadriani epistolæ ad Constantinum & Irenem, & ad Tarasium Constantinopolitanum: quæ restitutionem imaginum juxta veterem Ecclesiæ morem præscribunt, *in memoriam venerationis.* His literis recitatis, Legati Romani, sui officij memores, sententiam Tarasij rogant, cum ea quæ in superioribus Conciliis invaluerat dignitate, τῷ γνώμῳ & suffragij prærogativam, quæ his encyclicis epistolis continebatur, Romanæ sedi conservantes. *Dicat nobis*, inquiunt, *sanctissimus Patriarcha Tarasius regiæ civitatis, si consentiat literis sanctissimi Papæ senioris Romæ, vel non?*

III. At verò Tarasius sedis apostolicæ auctoritatem suo suffragio ita coluit ut ab ejus regulis in sinceræ fidei prædicatione discedere nemini fas esse putaverit, Apostolo testante Romanorum fidem annuntiari in universo mundo. Quare cùm Hadrianus literis suis majorum traditionem asserueret, se illius definitionibus subscribere Tarasius testatur. *Paulus Apostolus*, inquit, *cùm Romanis scriberet, approbans studium sinceræ fidei eorum, quam in Christum verum Deum habebant, sic ait: Fides vestra annuntiatur in universo mundo. Hoc testimonium sequi necessarium est; & inconsultè agit qui conatur resistere.* Ταύτῃ τῇ μαρτυρίᾳ ἕπεσθαι ἀναγκαῖον ὄντι· καὶ ἀβούλητον ἡγεῖσθαι τὸ ἀντιστῆναι. Iterum Legati à synodo exigunt an literas Hadriani amplecteretur: quæ professa est se illas *sequi*, *suscipere*, & *admittere*. Vt autem ad Romanę sedis auctoritatem ceterarum quoque sedium consensus accederet, relectę sunt Actione tertia synodicę epistolę Tarasij ad Patriarchas Orientis, tum Orientalium Ecclesiarum ad Tarasium. Atque ut illustrius hæreticorum vesania confutaretur, prolatę sunt in medium antiquorum patrum sententię, quibus legitimus imaginum usus commendatur. Itaque alienum visum fuit à disciplina Ecclesiæ ut res semel constitutę abolerentur. *Verum enim*, inquiunt patres illius synodi, *& rectissimum Ecclesiæ judicium, nec novum fieri, nec adimi in ea quicquam indulget.* Act. VII.

IV. Prærogativam illam suffragij, de qua loquimur, agnovit Tarasius in epistola ad Hadrianum: qua fatetur quidem Christum in synodo caput fuisse constitutum, sanctis Evangeliis in sancta sede propositis, quæ toti conventui judicij sincerè ferendi necessitatem imponebant; sed literis Hadriani ante omnia relectis, Christum per eas veluti quibusdam spiritualibus eduliis universos pavisse, ipsúmque Hadrianum, velut oculum quendam, ad rectam veritatis viam corpus universum direxisse; id est, ut loquebatur Concilium Chalcedonense, eo auctore & χειρηγῷ omnia decreta fuisse. ὡς ὀφθαλμὸς τὸ ὅλον σῶμα τοῖς τῶν τῆς εὐσεβείας καὶ ἀληθείας τρίβων ὑποδείκνυες. Epist. Tarasij ad Hadrian. in Act. VIII.

V. Non dissimulanda tamen est difficultas quæ à viris eruditis movetur, quod attinet ad officium Legatorum: qui dignitatem suam omnino tenuisse non videntur, ex eo quòd solo confessus privilegio & τῇ προεδρίᾳ contenti, omnem actum Tarasio permiserint, qui interlocutionibus suis ordinem synodi constituebat. Sed observavimus superiùs eos in præcipuo capite, de quo erat controversia, jus suum usurpasse, sententiam à Patriarchis & ceteris Episcopis exigendo; in aliis verò articulis, quæ ab exercitato viro & linguæ Græcę callentissimo expediri debebant, Tarasio ordinem omnem concessisse, qui Legatos Latinę linguæ onere illo levavit. Quod tamen ultro aggressus non est, ac si jure proprio hæc auctoritas sibi competeret, sed post Synodi delegationem, id est, ex Legatorum & reliquæ synodi mandato. quod illi datum est ad suggestionem Episcoporum Siciliæ. Cur autem in Concilio Francofordiensi hæc synodus admissa non fuerit, diximus libro II. cap. XVII. §. II.

VI. Plena verò & integra auctoritate usi sunt Legati apostolicæ sedis in Octava Sy-

nodo, non solùm primum confessus locum occupantes, sed etiam interlocutionibus suis constituentes synodi ordinem, & sententias uniuscujusque rogantes. Summopere autem auctoritas illa emicuit in libello ab apostolica sede per Legatos directo; quo, ante omnia, iis quæ à Nicolao I. Papa & Hadriano II. decreta erant adversùs hæreticos & schismaticos se obtemperaturos Episcopi lapsi profiteri sua & testium adhibitorum subscriptione debebant, libellúmque eo modo subscriptum Apocrisiariis tradere. Libello in Actione prima synodi relecto assensum præbuit universa synodus, interrogantibus Legatis. Et secunda actione admissi Episcopi, Presbyteri, & monachi, qui Photium adversùs Ignatium sectati fuerant, clementiâ Romanæ sedis & totius synodi imploratâ, libello subscripserunt. Quod factum adeo commendabat auctoritatem Summi Pontificis, ut id Episcopi quidam Constantinopolitanæ diœceseos in invidiam trahere conati sint, Basilij Imperatoris & Ignatij Patriarchæ auribus insusurrantes (quemadmodum observat Anastasius Bibliothecarius, qui rebus gestis præsens aderat) *non bene factum fuisse quòd Ecclesiam CP. tanta subjectione Romanæ subdi Ecclesiæ permiserint, ita ut hanc ei tanquam dominæ ancillam tradiderint.* Qua exprobratione commotus Imperator, clanculùm chirographa illa subscripta à scriniis Legatorum subripi jussit, quod ex parte impletum, justam Legatis conquerendi occasionem dedit. Sed operâ & industriâ Anastasij Bibliothecarij Imperator chirographa restitui præcepit, iis verbis adjectis quæ sedem apostolicam ut negotiorum ecclesiasticorum magistram profitentur. *Ego quidem*, inquit, *magistram ecclesiasticorum negotiorum sedem apostolicam per meos Legatos adij; & ideo vestram præsentiam præstolatus sum, ut vestro decreto & solertia Ecclesia nostra remedia sanitatis acciperet, & nos, non nostris motibus, sed vestræ sententiæ pareremus.*

Anastas. in Notis ad t. Act. VIII. Synodi.

VII. Eximiæ quoque illius auctoritatis specimen extat in epistola Hadriani II. ad Ignatium; qua Summus Pontifex conciliabula in urbe regia à Photio congregata adversùs Nicolaum & Ignatium in irritum missa fuisse Synodi Romanæ decreto docet: quod decretum in Synodo Oecumenica subscriptionibus omnium Episcoporum roborari & in archiva Ecclesiarum referri constituit. Quibus literis recitatis, Vicarij Romani consensum synodi eliciunt, interrogatione eo modo concepta quæ partes cujusque & Pontificis & Concilij demonstret, nempe definiendi auctoritate Pontifici concessa, & Synodo, declarandi an res definitæ cum canonibus consentirent. Extant in editione Latina Anastasij, quæ copiosior est quàm Græcus Synodi Octavæ contextus à Radero publicatus, Legatorum interrogatio, & Concilij responsio. Quæ autem confertim & veluti per saturam à Concilio declarata erant, iterum deducuntur in examen Actione quarta & sequentibus; ita ut cum plena causæ cognitione, exquisitis omnium votis, atque Photio exhibito, Synodus Octava Romanorum Pontificum definitionem amplexa, suo quoque judicio eandem confirmarit. Ex hac omnium concordia factum ut Octava illa Synodus universalis diceretur, quemadmodum observavit Anastasius his verbis: *Cum Christus in corpore suo, quod est Ecclesia, tot patriarchales sedes, quot in cujusque mortali corpore sensus locaverit, profectò nihil generalitati deest Ecclesiæ, si omnes illæ sedes unius fuerint voluntatis; sicut nihil deest motui corporis, si omnes quinque sensus integræ communisque fuerint sanitatis. Inter quas videlicet sedes quia Romana præcellit, non immeritò visui comparatur: qui profectò cunctis sensibus præminet, acutior illis existens, & communionem sicut unus eorum cum omnibus habens.*

Anastas. in Præfat. ad Octavam Synod.

Turrian. in q. ad Hadr. comput. Papam cum mille Lapsi cap. 14. §. 6.

VIII. Consensus ille sedium patriarchalium per ipsos Patriarchas aut eorum Legatos exprimebatur, ut patet ex Actis Conciliorum. Quod Maximus quoque Abbas adnotavit; qui ex eo synodum quandam à Pyrrho allegatam respuit, quòd Episcopi qui convenerant, nullis *epistolis commendatitiis* instructi, *nec Episcopi à Metropolitanis, neque Metropolitani à Patriarchis, non epistolæ, neque substituti ab aliis Patriarchis missi essent.* Simeon Metaphrastes in vita Stephani Junioris: *Qui Oecumenicum Concilium istud vocari queat, quod nec Romanus antistes, citra cujus auctoritatem nullo modo fieri potest ut res ecclesiasticæ ad normam dirigantur, gratum habuit, nec Alexandrinus comprobavit, nec Antiochenus, nec denique Hierosolymitanus? Vbinam eorum libelli sunt? aut quinam per diversa loca missi sunt, in quibus falsum vestrum Concilium confirmaretur, ut hac ratione Oecumenicum censeri possit?*

Maximus Abbas in disput. cum Pyrrho.

Metaphrast. in vita Stephani junioris cap. 30. apud Surium die 28. Novembris.

Act. III. Synodi VIII. Et post lectionem epistolæ sanctissimi Vicarij sanctorum Romæ di-

ADDITIO

STEPHANI BALUZII.

LOCUM ex vita Stephani junioris ab illustrissimo Archiepiscopo laudatum visum est heic Græcè reddere, ut auctorem illum lector vel in hoc loco, qui magni momenti est, habeat sua lingua loquentem. Hactenus enim hæc vita Græcè non prodiit, sed Latinè tantùm ex versione Iacobi Billij viri doctissimi. Sunt autem verba Stephani junioris adversùs Iconomachos disputantis, qui Concilium Constantinopoli habitum

habitum anno septingentesimo quinquagesimo quarto, in quo facta contumelia fuerat imaginibus, septimum œcumenicum vocabant; tamenetsi consentientes non haberent Episcopos illustrissimarum Ecclesiarum, præsertim verò Romanum. Nam isti apertè contradicebant huic synodo. Sic ergo habet locus ille in duobus antiquis codicibus MSS. Bibliothecæ regiæ: ὑχ' ὑμῶν οἱ διδασκαλίαι αὗται; πῶς ἦν οἱ τὰ ἅγια ἐκκηρύξαντες, ἅγιον συνεστήσασθε συνοδον. ἆ δὲ ἀτονίας· πῶς ἡ οἰκουμενικὴ αὕτη κληθήσῃ, ἐφ' ᾗ ὑχ' ὁ ῥώμης ἐυδόκησε πρόεδρος, ὑχ' οἷός τε ἀδύνατον πάντως τὰ ἐκκλησιαστικὰ κανονίζεσθαι; ὑχ' ὁ ἀλεξανδρείας συνήνεσεν, ὑχ ὁ ἀντιοχείας, ὧν ὁ ἱεροσολύμων· οἱ πλεῖστοι λέγω· ἢ λίγιστοι ἄλλοι κατὰ τόπους διαταράξαι, νῦν ψευδῆ συνοδον ὑμῶν συνιστῶντες, ἵν' οἰκουμενικὴ αὕτη κρεθήν. Hunc ergo locum sic vertit Billius: *Annon hæ vestræ doctrinæ sunt? Quonam ergo pacto, qui sancta proscripsistis, sanctum Concilium coëgistis? O singularem absurditatem! Iam, qui œcumenicum istud Concilium vocari queat &c.*

IX. Dissipato in varias partes & veluti dissecto per Orientalium schisma Ecclesiæ corpore, non ideo minoris momenti & auctoritatis hodie censenda sunt Ecclesiæ Romanæ & Occidentalis decreta, quæ emergentium de novo hæreseon necessitas aliquando exprimit, quòd Orientalium sedium consensu & concordia destituantur. Etenim cùm Dei Opt. Max. singulari beneficio summa & veluti arx quædam Christianæ religionis in fastigio sedis apostolicæ collocata sit, ubi depositum veræ fidei majorúmque traditiones tutissimè custodiuntur, nihil officere potest veritati temeraria Orientalis Ecclesiæ defectio. Residet enim penes Ecclesiam Romanam eadem definiendi auctoritas quam Ecclesia universalis colebat olim, ita ut ea in parte nihil immutatum sit. Restricta est tantummodo sinceræ Ecclesiæ diffusio: quæ, licèt arctioribus limitibus fortasse circumscripta, consensus sui auctoritatem apostolicæ sedis auctoritati adjungit. Imò verò in damnandis nuperæ sectæ articulis ipsa quoque Orientalis Ecclesia per Hieremiæ Patriarchæ Constantinopolitani censuram suffragia sua contulit; si quis ad plenam de novitate victoriam hoc quoque desideret.

Vide lib. 1. cap. 11. Libellus.

CAPVT XV.

Synopsis.

I. Mittebant etiam Romani Episcopi Legatos ad Imperatores Christianos pro negotiis Ecclesiæ universalis procurandis. Probatur exemplo Liberij; qui varias legationes ad Constantium misit in causa Athanasij, ut Concilium impetrarent.

II. Mediolanense Concilium ea de causa habitum anno CCCLV. *in quo Episcopi damnationi Athanasij per vim subscripserunt. Legati Romani, quòd subscribere recusassent, in exilium missi edicto Principis.*

III. Restituto Athanasio post obitum Constantij, Lucifer Calaritanus, tametsi exul, vi legationis Paulinum Episcopum instituit in Ecclesia Antiochena, quæ schismate laborabat. quod potius propagavit schisma in illa Ecclesia quàm extinxit.

IV. Eusebius quoque Vercellensis, & ipse exul, antiqua Legati auctoritate usus est in synodo Alexandrina.

V. Frequentes occurrunt veterum Pontificum legationes ad Imperatores; quas commemorare inutile fuerit. Earum initium arcessi potest à legatione quam Leo I. imposuit Iuliano Episcopo Coënsi in Cycladibus.

VI. Sollicitudo extraordinaria Iuliano demandata, non autem jurisdictio. Cui legationi necessarius fuit Marciani Imp. consensus. Probatur è Leone.

I. PRÆTER eos Legatos qui à Pontificibus Romanis ad Concilia Oecumenica mittebantur, non erant infrequentes eorundem legationes ad Imperatores Christianos pro negotiis Ecclesiæ universalis procurandis; seu de fide, seu de disciplina, ageretur. Ejus generis Legatos ad Constantium Liberius destinavit, ut Concilium Aquileiæ cogendum impetraret, ubi de novo adversùs Athanasium delato crimine majestatis & de veræ fidei restitutione tractari posset. Etenim Arriani, veteri in Athanasium odio inflammati, hominem innocentem eo prætextu in Oriente condemnant, quasi consilia adversùs Principem cum Magnentio tyranno participasset. Literas illas Episcoporum Orientalium, & Ægyptiorum aliquot, Episcopis Italis in Concilio Romano Liberius recitavit, qui fidem & sententiam suam Orientalibus commodare noluerunt, *quòd eodem tempore septuaginta quinque Episcoporum Ægyptiorum de Athanasio sententia repugnabat. Vnde contra divinam legem visum est, cum Episcoporum numerus pro Athanasio major existeret, in parte aliqua commodare consensum.* Missi ergo ad Constantium Vincentius Capuensis Episcopus, cum Marcello æquè ex Campania Episcopo: qui Arelatem accedentes, Athanasij damnationi, Constantij minis inflexi, subscripserunt. Quare fidem Nicænam in causa Athanasij valde periclitari cernens Pontifex, secunda legatione Constantium adivit, misso Lucifero Calaritano in Sardinia Episcopo, Pancratio Presbytero, & Hilario Diacono, ut Concilium impetraret. *Ad exorandam igitur mansuetudinem tuam, ut benevolo animo allegationes nostras audire digneris, fratrem & coëpiscopum meum sanctum virum Luciferum cum Pancratio compresbytero meo & Hilario Diacono placuit proficisci; quos credimus de clementia tua ad pacem omnium Ecclesiarum catholicarum non difficulter posse Concilium impetrare.*

Liber ep. ad Constantium.

II. Eusebium Vercellensem Episcopum epistolis quoque suis hortatus est ut se Legatis adjungeret. Votis respondisse visus est

effectus, indicto à Principe universali Concilio, quod Mediolani in palatio præsente Imperatore habitum anno CCCLV. luctuosissima clade Ecclesiam vastavit, plerisque Occidentalium Episcoporum, qui trecenti & ampliùs aderant, ad damnationem Athanasij per vim coactis. In Legatos Romanos illísque adjunctum Eusebium Vercellensem, qui subscribere recusarunt, exilium decretum est edicto Principis, quo relegati sunt in Orientem.

III. Tandem post obitum Constantij, Athanasius ab exilio redux, turbatas Orientales Ecclesias componere moliens anno trecentesimo sexagesimo secundo, usus est opera Eusebij Vercellensis & Luciferi Calaritani; qui Exlegatorum dignitate ornati, factis suis quanta esset apostolicæ sedis auctoritas in Oriente docuerunt. Etenim Lucifer ex consilio Eusebij collegæ sui Antiochiam se contulit, ut statum illius Ecclesiæ schismate laborantis ordinaret. Pars enim Paulino Presbytero adhærebat; pars verò altera Meletij Episcopi, quamvis exulis, communionem sequebatur. Itaque Lucifer Antiochenis Paulinum Episcopum ordinavit. Quod in aliena Diœceſi agere non potuisset, nisi pristina legationis auctoritate, quam ratione muneris sui reddita deposuisse nondum omnino videbatur. Certum quidem est id à Lucifero minùs prudenter actum, quod schisma potiùs in illa Ecclesia propagavit quàm extinxit, Meletio ab exilio statim reverso plerosque fidelium ad communionem suam trahente. Sed Ægyptij & Occidentales Paulino tantùm communicabant.

Socrat. lib. 3. c. 4. Theodor. lib. 3. c. 4.

IV. Eusebius quoque Vercellensis antiqua Legati auctoritate usus est in synodo Alexandrina; quam unà cum Athanasio coëgit, ut observavit Socrates. Ceterùm ad illius auctoritatis consortium adscitus non fuisset ab Alexandrino Patriarcha, nisi præter episcopatus Vercellensis dignitatem, adjunctam habuisset Exlegati auctoritatem. Plena enim & integra legatione non utebatur, cùm secundum tantùm in synodo locum obtineret; ut patet ex epistola synodali.

V. Nolo lectoris otio abuti in congerendis legationibus quas diversis temporibus ad Imperatores Romanos antiqui Pontifices destinarunt; quæ frequenter occurrunt inter legendum. Earum tantùm mentionem faciam quæ longiores moras in comitatu traxerunt, qúæque non alicui negotio specialiter adstrictæ, ad quascunque caussarum emergentium figuras porrigebantur; id est, quæ non extraordinaria potestate, sed ordinaria potiùs & assidua sollicitudine niterentur. Harum legationum initium deduci potest è mandatis quæ vigilantissimus Pontifex Leo I. dedit olim Iuliano Coënsi Episcopo, post celebratum Chalcedonense Concilium. Etenim statim à soluta synodo, hæretici per insidias veræ fidei officere molieban-tur, connivente Anatolio Constantinopolitano. Quare Iuliano Episcopo Coënsis Ecclesiæ, quæ in Cycladibus insulis sita erat, hanc specialiter curam Leo commendavit, ut prospiceret solerter ne hæresis Nestoriana vel Eutychiana convalesceret; quæ suggerenda Principibus forent, vice Pontificis insinuaret; de rebus ambiguis Pontificem consuleret, eúmque de statu Ecclesiarum Orientis creberrimis relationibus admoneret. *Studeat ergo dilectio tua piam & necessariam curam sollicitudini apostolicæ sedis impendere, quæ tibi apud se nutrito catholicam contra Nestorianos & Eutychianos hæreticos actionem materno jure commendat; ut divino fultus auxilio, speculari de Constantinopolitanæ urbis opportunitate non desinas, ut prædictorum dogmatum impius nunquam turbo consurgat. Et quia tanta est gloriosorum Principum clementia ut confidenter eis possis quæ sunt insinuanda suggerere, pietate ipsorum ad utilitatem Ecclesiæ universalis utaris.* Sed observandum est, eo temperamento adhibito delegatam Iuliano fuisse vicem apostolicæ sedis, ut nullam caussæ cognitionem susciperet; quæ relicta est Episcopis provinciarum. Hic est enim sensus horum Leonis verborum: *Consulente autem dilectione tua de his in quibus putaveris ambigendum, non deerit relationibus tuis meæ responsionis instructio; ut sequestrata eorum actione caussæ,* (fortasse legendum, *sequestrata actione caussarum*) *quæ in quibuscunque Ecclesiis Præsulum suorum debent cognitione firmari, hac speciali cura vice mea functus utaris, ne hæresis Nestoriana vel Eutychiana in aliqua parte revirescat: quia in Episcopo Constantinopolitano catholicus vigor non est.* Leo ep. 81. ad Iulianum.

VI. Itaque extraordinaria quædam sollicitudo, specialis cura, & actio catholica adversùs hæreses erga Principes Iuliano demandata est; non autem jurisdictio aliqua, vel caussæ cognitio, seu actio judicialis. Cùm autem & mora trahenda illi esset in comitatu, & sermones conferendi cum Principe, necesse quoque erat ut Principis consensus accederet. Quare Marcianum Augustum ea de re literis suis Leo certiorem fecit. *Nam,* inquit, *& de fidei ejus* (Iuliani) *sinceritate confidens, vicem ipsi meam contra temporis nostri hæreticos delegavi, atque propter Ecclesiarum pacisque custodiam, ut à comitatu vestro non abesset exegi; cujus suggestiones pro concordia catholicæ unitatis, tanquam meas audire dignemini, placentes Deo, qui vobis præter regiam coronam, etiam sacerdotalem conferat palmam.* Hujus Leo ep. 82. ad Marcianum.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vicarij munus, Leonísque erga Augustos obsequium, elegantiùs explicant ista ad Pulcheriam verba: *Cùm in caussa fidei, cui gloria vestra famulatur, vicem ipsi meam eatenus delegarim, ut ab ea quæ vobis debetur observantia non recedens, pietati me vestræ præsentare non desinat, exequens in custodia fidei & in ecclesiasticis disciplinis per omnia sollicitudinem, & opportunis suggestionibus quod universali Ecclesiæ prosit insinuans; ut in ipso nec catholicis vestrum præsidium, quibus volumus subvenire, nec vobis meum desit obsequium.*

ADDITIO
STEPHANI BALUZII.

ILLUSTRISSIMI Archiepiscopi observationem mirè confirmat idem Leo in epistola ad Marcianum Augustum, quæ nuper ab Holstenio edita est inter Acta synodi Romanæ sub Bonifacio II. habitæ: *Suggestiones autem*, inquit, *fratris & Coëpiscopi mei Iuliani, quem pietati vestræ commendo, quæso ut benigniùs, sicut facitis, audiatis. Hoc etiam fratri meo Anatolio proderit, si eum quem pro catholico dogmate illic esse volui, dignanter habeatis.*

CAPVT XVI.

Synopsis.

I. Legatio hæc sequentibus seculis occasionem dedit mittendorum Responsalium ad urbem Constantinopolitanam. Eorum officium apud Principem.

II. Dicti etiam Apocrisiarij. Vt rescriptorum genus duplex apud veteres, ita & responsorum. Quippe omnia Principum mandata, responsa dici placuit.

III. Probatur è Iustiniano, Procopio, Zozimo, & Anastasio Imperatore. Iulianus Antecessor notatus.

IV. Qui causas Ecclesiarum agebant, Apocrisiarij dicebantur, ex Iustiniano. Sedibus tantùm patriarchalibus licebat Apocrisiarios mittere ad comitatum. Oeconomi ab Apocrisiariis distincti. Apocrisiarij fungebantur legatione Patriarchæ. Anatolius, Dioscori Alexandrini Apocrisiarius. Ea dignitas translata ad ministros palatinos, ævo Constantini Porphyrogenneta.

V. Responsales quoque suos Romani Pontifices destinabant ad urbem regiam, qui Ecclesiæ universæ commodis invigilabant. Hincmarus notatur, qui Apocrisiariorum & Responsalium originem arcessit à temporibus Constantini Magni. Pelagius Agapeti Papæ Apocrisiarius apud Iustinianum: qui post omnes Episcopos subscripsit in Concilio C P. sub Mena. Liberatus explicatus, qui primas partes Pelagio tribuit præ ceteris Patriarchis.

VI. Gregorius Magnus Responsalem Ecclesiæ Romanæ egit in urbe regia. Iubetur subsidium implorare adversùs Longobardos.

I. VERBA Leonis ideo retuli, quòd ex hac delegatione occasio profecta sit sequentibus seculis mittendorum ad urbem Constantinopolitanam Responsalium apostolicæ sedis; præcipuè post Iustiniani tempora, qui felicibus armis triumpho de Gothis acto, Italiam Imperio consolidavit. Tunc enim assidui erant in comitatu Diaconi responsales; qui & caussas proprias Ecclesiæ Romanæ apud Principem prosequebantur, & pro negotiis fidei & disciplinæ excubabant; simúlque veluti fidei publicæ obsides in comitatu degebant, obsequij Principibus debiti fidejussionem præstantes.

II. Legati hujus generis, Apocrisiarij & Responsales dicti sunt ab illius seculi scriptoribus, quòd responsa seu mandata eorum exsequerentur à quibus missi erant. Vt enim rescripta Principum dicuntur non solùm ea quæ Principes libellis supplicibus rescribunt, unde ejus nominis origo, sed etiam omnia Principum jussa; ita quoque *responsa* dicta sunt, non solùm quæ ad relationes rescribebantur, sed etiam omnis generis mandata: quæ ex eadem origine à Græcis ἀποκρίσεις dicuntur.

III. Cujus significationis illustrior exhiberi non potest interpres quàm Iustinianus; qui Principis jussa, sive βασιλικὰ θεσπίσματα, à decessoribus suis responsa dicta fuisse docet: ἀνθ' ὧν ἀποκρίσεις ἀρχοντικὰς οἱ πρώην ἐκάλουν βασιλεῖς τε καὶ νομοθέται. Vnde Procopius munus veredariorum describens, eos esse ait qui ad regia *responsa* deferenda mittuntur, εἰς τὰς βασιλικὰς ἀποκρίσεις. Et illo antiquior Zozimus, loquens de quodam Erote qui in palatio adsidebat, τῆς ἀξίωσεν ἀποκρίσεων μιμνυτὴς τεταγμένος. Quare miles ille qui destinabatur à Magistro militum ut judicum militarium jussiones impleri curaret, *ad responsum* dicitur ab Anastasio Imperatore, & à Iustiniano, id est, ad jussiones & responsa exequenda. Quanquam Iulianus Antecessor effectum respiciens potiùs quàm caussam, *responsum* interpretetur *ministerium*, loquens de hoc milite: *Responsum, id est, ministerium, ei exhibeat.*

Novella 25. Procop. lib. 1. de bello Vandal. Zozim. lib. 5. L. ult. C. de re militari. l. XII. Nov. 24. c. 4.

IV. Hinc factum ut qui causas Ecclesiarum agebant, Apocrisiarij dicerentur, apud Iustinianum, qui vetat Episcopos ne ad comitatum accedant. *Propterea sancimus, si quando propter ecclesiasticam occasionem inciderit necessitas, hanc aut per eos qui res agunt sanctissimarum Ecclesiarum, quos Apocrisiarios vocant, aut per aliquos Clericos huc destinatos, aut per suos œconomos, notam Imperio facere, aut nostris administratoribus, ut impetrent quod competens est.* Quod ita intelligendum est, ut non singulis Ecclesiis sui essent Apocrisiarij, sed tantùm singulis sedibus patriarchalibus, qui suæ Diœceseos negotiis in comitatu immine-rent. Quare Iustinianus rectè Clericos aut

Nov. 6. c. 2.

œconomos singularum Ecclesiarum ab Apocrisiariis distinguit loco citato, & capite tertio ejusdem Novellæ ostendit Apocrisiarios à solis Patriarchis missos esse, dum prohibet ne Metropolitæ vel Episcopi Imperatorem adeant, nisi à referendario Ecclesiæ Constantinopolitanæ *vel ab Apocrisiariis cujusque Diœceseos sanctissimorum Patriarcharum* exhibeantur. Quod nondum fuit animadversum; licèt valde conducat ad dignitatem Apocrisiariorum, qui legatione Patriarchæ fungebantur. Hoc munus obibat Anatolius Diaconus pro Dioscoro Alexandrino, quando in episcopatum Constantinopolitanum provectus est, ut testatur Liberatus cap. XII. Breviarij: *Ordinatúsque pro eo est Anatolius Diaconus, qui fuit Constantinopoli Apocrisiarius Dioscori.* Inde factum ut Apocrisiarius dictus fuerit à Constantino Porphyrogenneta Legatus qui ex urbe regia quotannis cum muneribus ad barbaros quosdam Patzinacitas mittebatur, ut pacem cum Romanis colerent.

ADDITIO

Stephani Baluzii.

HOc ipsum quod heic de Anatolio dicitur, nimirum eum fuisse Constantinopoli Apocrisiarium Dioscori, tradit etiam auctor Breviculi historiæ Eutychianistarum à Sirmondo editus, ubi hæc habentur: *Tunc temporis Anatolius quidam Presbyter Alexandrinus Constantinopoli morabatur. Hæc enim consuetudo prædictis est ut ad comitatum vicibus Clerici dirigantur, ne quid fortè causæ vel necessitatis emergat. Fit ergo iste Anatolius Constantinopoli Episcopus, homo partium Dioscori.*

V. Quemadmodum ceteræ patriarchales sedes Responsales suos ad urbem regiam destinabant, ita quoque Romani Pontifices Diaconis suis delegabant munus illud: quod non solùm Ecclesiæ Romanæ sed etiam Ecclesiæ universæ commodis proficiebat, & publicis Italiæ negotiis, quæ vicinia Longobardorum sæpissime premebantur. Quare fallitur Hincmarus Remensis, qui statim post translatam Byzantium Imperij sedem, hunc responsalium delegandorum morem inductum existimat, cùm is tantùm post Concilij Chalcedonensis tempora, præcipuèque post Iustiniani victorias, invaluerit, ut dixi: Hincmar. ep. 3. c. 13. edit. Mogunt. *Apocrisiarij ministerium ex eo tempore sumpsit exordium quando Constantinus M. sedem suam in civitate sua, quæ antea Byzantium vocabatur, nominis sui civitatem ampliando ædificavit. Et sic Responsales tam Romanæ sedis quàm & aliarum præcipuarum sedium in palatio pro ecclesiasticis negotiis excubabant.* Debellatis itaque Gothis in Italia, Agapetus Papa Pelagium Ecclesiæ suæ Diaconum Apocrisiarij munere honestavit anno DXXXVI. quo apud Iustinianum fungeretur; ut nos docuit Liberatus in Breviario cap. XXII. *Constituens Papa apud Imperatorem Apocrisiarium Ecclesiæ suæ Pelagium Diaconum suum, dum in Italiam reverti disponit, Constantinopoli obiit.* Quo munere non est illi exercendæ jurisdictionis collata facultas, sed tantùm monendi, interpellandi Principis, suggestionis, non actionis, quemadmodum in Iuliano Coënsi Leo muneris hujus exemplar & imaginem expresserat. Vnde in synodo habita Constantinopoli à Mena Patriarcha post obitum Agapeti, Pelagius Diaconus apostolicæ sedis post omnes Episcopos in Actis Concilij recensetur, eodémque ordine subscribit.

Si quis tamen contrariam sententiam tueri vellet, posset firmissimum in speciem argumentum desumere ex Liberato: qui primas partes apertè Pelagio Romanæ sedis Apocrisiario præ ceteris Patriarchis assignat in cognitione qua Paulus Patriarcha Alexandrinus, homicidij reus, Gazæ depositus est; quò se contulerant, ex Iustiniani mandato, Patriarchæ Antiochenus & Hierosolymitanus, cum Pelagio. Liberatus cap. XXIII. *Post hæc misit Imperator Pelagium Diaconum & Apocrisiarium primæ sedis Romæ Antiochiam cum sacris suis: quibus præcepit ut cum Euphræmio ejusdem urbis Episcopo, & Petrus Hierosolymita, & Hypatia Ephesinus, venirent Gazam, & Paulo Episcopo Pallium auferrent, eúmque deponerent. Pelagius ergo profectus Antiochiam, & inde Hierosolymam, cum memoratis Patriarchis & aliquantis Episcopis venit Gazam. Et auferentes Paulo Pallium, depositerunt eum &c.* Sed discimus ex Procopio eam jurisdictionem & prærogativam competivisse Pelagio ex delegatione speciali Vigilij Summi Pontificis; qui tunc Constantinopoli degens, suas vices illi commisit. Quare cùm Iustinianus, pecunia corruptus, mox Paulum restituendum curaret, id obtinere non potuit à Vigilio; qui sententiam suam, id est, à Pelagio latam, retractari non posse dixit: ἔφασκε γὰρ ὄχ οἵθ' τε εἶ ψῆφον πλὴν οἰκείας αὐτὸς αὐτὸν διαιρεῖσθαι, πλὴν Πελαγίου ἀναδικῶν γνώσιν.

VI. Sub Pelagio II. circa annum DLXXXVI. Gregorius Magnus, tunc Ecclesiæ Romanæ Diaconus, Responsalis munere apud Principem in urbe regia functus est, ut ipsemet testatur his verbis: *Tempore quo exhibendis responsis ad Principem ipse transmissus sum.* Et alibi: *Dum jussione Pontificis mei, Constantinopolitanæ urbis palatio responsis ecclesiasticis deservirem.* Inter ceteras verò curas hanc unam Gregorio Pelagius valde

commendavit, ut periculo Romanæ urbis Imperatori expoſito, ſubſidium adverſùs Longobardos impetraret.

CAPVT XVII.

Synopſis.

I. Sub Pelagio II. mos invaluerat mittendi Reſponſales. Probatur ex ſancto Gregorio, qui eundem morem retinuit.

II. Eorum munus in ſuggeſtionibus poſitum. Quid ſuggeſtionis vocabulo comprehenſum fuerit, explicatur. Reſponſalis opera uſus eſt Gregorius Magnus ad reprimendam temeritatem Ioannis Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui ſe Patriarcham univerſalem eſſe dicebat. Procuratorio nomine id factum voluit Gregorius, ob dignitatem Romanæ ſedis. Sic apud Gallos, ſolus Princeps per procuratorem, non autem nomine proprio, litigat.

III. Reſponſales nullam partem juriſdictionis attingebant, niſi ex delegatione ſpeciali. Ejus duplex genus, à Principe nimirùm, aut à Summo Pontifice. Prioris exemplum, ſub Mauricio Imperatore; poſterioris, ſub Vigilio & Gregorio Magno. De cauſſis mediocribus cognoſcebant Reſponſales. Quæ ſint cauſſæ mediocres.

I. SED ex Gregorij Magni Regeſto epiſtolarum tria præcipua capita colliguntur, quæ pertinent ad Reſponſales apoſtolicæ ſedis. Ac primò quidem Gregorius docet Reſponſalium delegationem jam ſub Pelagio deceſſore ſuo ex more pependiſſe; ut patet ex epiſtola qua ſcribit Pelagium II. interdixiſſe Archidiacono ſuo, quem *juxta morem* ad Principes tranſmiſerat, ne cum Ioanne CP. Miſſas celebraret: *Archidiaconum, quem juxta morem ad veſtigia Dominorum tranſmiſerat, Miſſarum vobiſcum ſolennia celebrare prohibuit.* Idem quoque probatur alio ejuſdem auctoris teſtimonio; quo & ſecundum caput oſtenditur, ſcilicet Reſponſales apoſtolicæ ſedis in palatio Principum habitaſſe, eorúmque præſentiam ſollicitè ab Imperatoribus expetitam. Interfecto namque Mauricio, Phocas, poſt arreptum Imperium, cum Gregorio expoſtulavit quòd *juxta antiquam conſuetudinem* apoſtolicæ ſedis Diaconum in palatio non inveniſſet. Quod Summus Pontifex non ſuæ negligentiæ ſed temporum aſperitati tribuit, quæ Romanæ Eccleſiæ miniſtros à palatio abalienabat. quibus verbis prudenter Phocam ad benignioren vivendi rationem invitat. *Nam quòd permanere in palatio*, inquit, *juxta antiquam conſuetudinem apoſtolicæ ſedis Diaconem veſtra ſerenitas non invenit; non hoc meæ negligentiæ, ſed gravíſſimæ neceſſitatis fuit: quia dum miniſtri omnes hujus noſtræ Eccleſiæ contrita aſperáque tempora cum formidine declinarent atque refugerent, nulli eorum poterat imponi ut ad urbem regiam in palatio permanſurus accederet.* Iuxta morem illum, Honoratus Diaconus Conſtantinopoli degebat quando Gregorius Magnus provectus eſt ad ſedem apoſtolicam: qui deinde Sabinianum Diaconum *pro reſponſis eccleſiaſticis faciendis ad Dominorum veſtigia tranſmiſit*, eique ſucceſſorem dedit Anatolium Diaconum; huic verò, temporibus Phocæ Principis, Bonifacium, qui poſt Sabinianum Gregorij Apocriſiarium & in Romana ſede ſucceſſorem, apoſtolicæ ſedis faſtigium ſub nomine Bonifacij III. obtinuit.

Gregor. lib. 1. ep. 6. & 47. lib. 2. ep. 51. lib. 6. ep. 28. lib. 11. ep. 45.

II. Ex variis autem epiſtolis Regeſti tertium caput elicitur, nempe munus Reſponſalium in ſuggeſtionibus poſitum fuiſſe, quas Principibus faciebant pro negotiis publicis provinciarum Italiæ, quæ tum bello à Longobardis premebantur, tum à Ducibus & Præfectis, contra Principum juſſa, tributis & aliis oneribus vexabantur, vel pro negotiis privatis eorum qui calumniis invidorum aut potentium libidini erant expoſiti. Præcipuè verò, ſi controverſia incideret de diſciplina eccleſiaſtica, monendi Principes & magiſtratus ſollicitudine defungebantur, ne qua vis per obreptionem canonibus fieret. Illud autem ſummopere curabant, ne qua fieret injuria ſedi apoſtolicæ, ſeu in percipiendis patrimoniorum reditibus, quæ in provinciis Italiæ, Siciliæ, Africæ, & aliis ſita erant, ſeu in dignitatis minutione. Quare cùm Ioannes Conſtantinopolitanus Patriarcha ſibi Vniverſalis nomen adſcripſiſſet, inſolentis illius tituli ſuperbam uſurpationem Gregorius verbis quidem caſtigavit, ſed præterea egit apud Principem ut vocabulum illud aboleretur. In eam rem uſus eſt opera Sabiniani Reſponſalis ſui, qui ad exemplum Advocati fiſci jura Eccleſiæ perſequeretur apud Imperatorem, cui diſputationis hujus judicium Gregorius detulit: *Ac ſecundùm petitionem*, inquit, *prædicti Sabiniani Diaconi, aut piiſſimus Dominus ipſum dignetur judicare negotium, aut ſæpe nominatum virum* (Ioannem) *ut ab hac tandem intentione ceſſet, deflectere.* Perpendenda ſunt verba illa, quibus controverſiam dirimi poſcit ad petitionem Diaconi ſui. Conſulebat nempe dignitati ſedis apoſtolicæ, cujus nomen tanquam ſupplicis inſeri non decebat judicij imperatorij formulæ, ſed tantùm Reſponſalis nomen. Quemadmodum hodie in Curiis ſupremis cognitio de juribus Regis & regni, non Regis nomine, ſed Procuratoris regij inſtituitur, judiciumque fertur ad petitionem Procuratoris, ut cum Gregorio loquar. Vnde inter cetera Regis privilegia, hoc quoque numeratur, ſolum Principem per Procura-

Idem lib. 4. ep. 32.

torem, non autem proprio nomine litigare. Quod soli Augustæ communicatur.

III. Iurisdictionis autem nullam partem attingebant Responsales, nisi ex delegatione speciali; quæ aut à Principe fiebat aliquando, aut à Summo Pontifice. Prioris generis est delegatio Honorati Diaconi & Responsalis; cui Mauritius Imperator mandavit, unà cum Sebastiano antigrapho, judicium appellationis quam Hadrianus Episcopus Thebanus interposuit ad Principem à sententia Larissæi Metropolitani. Posterioris extat illustre exemplum in cognitione Pauli Alexandrini, cui præfuit Pelagius Apocrisiarius ex mandato Vigilij Papæ, cum literis & consensu Iustiniani. de qua dictum est superiùs cap. XVI. §. v. hujus libri. Aliud exemplum hujus delegationis legitur in regesto Gregorij Magni. Hadrianus Episcopus Thebanus, provinciæ Thessaliæ, à Pelagio II. Pontifice obtinuerat ut à Ioannis Episcopi Larissæ Metropolitani sui, sibi graviter suspecti, jurisdictione eximeretur. à qua tamen in Hadrianum exercenda Ioannes non cessavit. Quam illi audaciam Gregorius Magnus exprobrat, ejusque contemptum communionis abstentione vindicari potuisse docet. *Tamen nos*, inquit, *humaniùs decernentes, communionisque tibi sacramentum interim conservantes, decernimus ut fraternitas tua ab eo Ecclesiáque ejus omnem antehabitæ suæ potestatem jurisdictionis abstineat; & secundùm decreta decessorùm nostri, si qua caussa vel fidei, vel criminis, vel pecuniaria adversùs præfatum Hadrianum consacerdotem nostrum potuerit evenire, vel pereos qui nostri sunt vel fuerint in urbe regia Responsales, si mediocris est quæstio, cognoscatur, vel huc ad apostolicam sedem, si ardua est, deducatur, quatenus nostræ audientiæ sententia decidatur.* Ex hoc loco constat mediocres causas, id est, minoris momenti, minùsque ambiguas, Responsalibus delegatas; eo tantùm casu quo Episcopi à pervicacis Metropolitani jurisdictione exempti erant. quod nonnisi rarissimè contingebat.

Idem lib. 2, ep. 46.

S. Gregor. lib 2. Ind. 11. epist. 7.

ADDITIO

Stephani Baluzii.

Ideo Gregorius causas provinciæ Thessaliæ ad se traxit, quòd Illyricum, in quo sita erat hæc provincia, apostolicæ sedis auctoritati patriarchicæ subjectum esset; ut probatum est in cap. v. §. III. libri primi. Sed nuper in lucem emissa est ab Holstenio synodus Romana post consulatum Lampadij & Orestis habita à Bonifacio II. Papa, in qua Theodosius Echinensis civitatis Episcopus Thessaliæ provinciæ dixit: *Nam constat venerandos sedis vestræ Pontifices, quamvis in toto mundo sedes apostolica Ecclesiarum sibi jure vindicet principatum, & solam ecclesiasticis causis undique appellare necesse sit, specialiter tamen gubernationi suæ Illyrici Ecclesias vindicasse.* Tum profert epistolas præteritorum sedis apostolicæ Pontificum, Damasi, Siricij, Innocentij, Bonifacij, Celestini, & aliorum, quæ docent Illyricum sedis apostolicæ constitutis paruisse; eásque in Concilio relegi postulat ex scrinio Ecclesiæ Romanę. quod & factum est. In libello verò Stephani Episcopi Larissæę, quæ Thessaliæ metropolis est, dato ad eundem Bonifacium Papam, & in hac Romana synodo recitato, legitur: *Apostolicam sedem, id est, vestram beatitudinem, causas nostræ provinciæ & audire convenit & finire.* Sed de potestate & auctoritate Summorum Pontificum in Ecclesias Illyricianas plura dicturi infrà sumus in supplemento istius libri, cap. XIX. & sequentibus.

CAPVT XVIII.

Synopsis.

I. Responsalium usus in urbe regia desivit occasione hæresis Monothelitarum.

II. Constantinus Pogonatus eorum usum restituere procuravit. Sed liberam legationem postulavit. Ejus petitioni se Leo II. accommodavit; non tamen concessa plenæ legationis auctoritate. Prudenter id factum, ut machinationibus Patriarcharum Constantinopolitanorum iretur obviam.

III. Provisum id quidem sapienter fuerat, sed parum felici eventu. Quippe Legati apostolicæ sedis in laqueos inciderunt in synodo Trullana; cujus canones repudiat Sergius Papa. Basilius Gortynæ Metropolitanus se illic inscripsit Legatum totius synodi Ecclesiæ Romanæ. Legatio ejus explicatur.

IV. Balsamo contendit eam synodum fuisse Oecumenicam, quòd ei Legati sedis apostolicæ interfuerint: quos recenset. Ejus impostura detegitur. Quid sit charta pura *quæ in subscriptionibus Conciliorum relinquebatur Episcopis absentibus. Anastasius Bibliothecarius illustratus.*

V. Romani Pontifices prorsùs abstinuerunt à mittendis Constantinopolim Apocrisiariis post seculum septimum. Imperio tandem ad Francos translato, Legatorum magna fuit assiduitas & mora in eorum comitatu. Illo mittendarum legationum officio Romanam sedem absolvit Carolus Calvus.

I. Responsalium usus in urbe regia desivit occasione hæresis Monothelitarum: quæ à Patriarchis Constantinopolitanis Sergio, Pyrrho, & Paulo publicata, & ab Heraclio Imperatore Ectheseos suæ promulgatione & à Constante Typi editione fota, Severinum, Ioannem quartum, Theodorum, & Martinum Pontifices ad damnandam impietatem illam provocavit. Gravissimo itaque in Romanam Ecclesiam odio perciti Constans & Paulus, Apocrisiarios apostolicæ sedis à Theodoro missos Constantinopolim ad insinuandam Typi & novæ hæreseos damnationem, & revocan-

Ann. Ch. 641.

dum à scelere Paulum, atrocibus injuriis affecerunt; plurimísque eorum Sacerdotum qui eis adhæserant in exilium detrusis, & verberibus contumeliosè cæsis, tandem verò anno DCLIII. Martinus ipse Summus Pontifex à sede abreptus, in Chersonam Pontica Diœceseos urbem deportatus est.

II. Electus Vitalianus Papa Responsales quidem *juxta consuetudinem* misit ad regiam urbem, quemadmodum observat Anastasius, ut suam ordinationem significaret Constanti, non autem ut Apocrisiarij in comitatu degerent. Idem enim auctor adnotavit, privilegiis Ecclesiæ renovatis Romam fuisse reversos. Tandem sopitis dogmatum controversiis, & Ecclesiarum schismate per Sextam Synodum generalem extincto, Constantinus Pogonatus usum Apocrisiariorum in palatio residentium restituere procuravit. Sed liberam legationem, nullis mandatis restrictam, postulavit; ita ut Legatus in omnibus emergentibus negotiis, seu fidem seu disciplinam respicerent, Pontificis personam exprimeret. Hæc sunt ejus verba in epistola ad Leonem II. Agathonis successorem: *Hortamur porrò vestram sanctissimam summitatem ut quamprimùm mittat designatum ab ea Apocrisiarium; ut is in regia & à Deo conservanda nostra urbe degat, & in emergentibus, sive dogmaticis, sive canonicis, ac prorsùs in omnibus ecclesiasticis negotiis vestræ sanctitatis exprimat ac gerat personam.* Prudenter autem Leo ita se petitioni Constantini accommodavit, ut Responsalem suum delegaret Constantinum Subdiaconum; non tamen concessa plenæ legationis auctoritate; sed eo tantùm munere injuncto quod Apocrisiariis imponi solitum erat, suggerendi scilicet & insinuandi Principibus quæ necessaria viderentur; scilicet reservata sibi, ad relationem Responsalis, decernendi potestate. *Præsentis denique suggestionis*, inquit Leo, *exiguum peccatorem Constantinum Subdiaconum, regionarium hujus sanctæ apostolicæ sedis, qui & nuper cum Legatis apostolicæ memoriæ prædecessoris mei interfuit sanctæ synodo inibi celebratæ, clementia consueta dignum exceptione censeat vestra regalis magnanimitas, ejúsque suggestionibus aurem pietatis accommodet, ut autem ministrum dignanter suscipiat.* Non inutilis erat hujus meditati consilij cautio ad vitandas Patriarcharum Constantinopolitanorum machinationes; qui suæ sedis amplificationi semper intenti, terrore & minis Principis assensum Legati ad res novas constituendas extorquere potuissent, ut saltem non incolorata videri posset immutatio quæ sedis apostolicæ auctoritate aliqua muniretur.

III. Attamen prudentia sua obtinere Pontifices non potuerunt quin eos in laqueos inciderent à quibus tam studiosè sibi cavebant. Etenim anno DCXCII. Iustinianus Rhinotmetus Imperator, à Petro Constantinopolitano Episcopo sollicitatus, Concilium coëgit, quod Trullani nomine assumpto, centum & duos canones edidit, optimos quidem illos, & qui antiquam disciplinam utplurimùm redolent, præter tres; aut quatuor, qui Romanæ Ecclesiæ consuetudines quasdam emendare conantur. Ceterùm ut color aliquis novis illis decretis quæsitus videretur, synodus illa Oecumenicæ titulum assumpsit, ob Romanæ sedis auctoritatem adhibitam. Legati enim apostolicæ sedis huic Concilio interfuerant, ut observat Anastasius; id est, ut ego quidem interpretor, Apocrisiarij seu Responsales, qui munere suggestionis fungebantur. Neque enim Sergius Papa Legatos mandatis suis instructos ad eum conventum transmiserat; quem damnavit ut illicitum, ejúsque canonum lectionem repudiavit; rejecta Iustiniani postulatione, qui Pontificis subscriptione firmari gesta vehementissimè cupiebat. *Hujus itaque temporibus*, inquit Anastasius in vita Sergij, *Iustinianus Imperator Concilium in regia urbe jussit fieri; in quo & Legati sedis apostolicæ convenerant, & decepti subscripserant. Compellabatur autem & ipse Papa subscribere; sed nullatenus acquievit.* Basilius Episcopus Gortynæ, Metropolitanus provinciæ Cretæ, eam legationem tunc solus obibat: quæ potiori jure illi imposita fuerat, utpote Illyricianæ Diœceseos & patriarchatus occidentalis Episcopo, quàm olim Iuliano Episcopo Coënsi provinciæ Rhodiæ, qui primus pro Leone responsa egit Constantinopoli. Hinc quoque factum ut ad calcem horum canonum Basilius, unus ex Episcopis Occidentalibus, se Legatum inscripserit totius synodi Ecclesiæ Romanæ; exemplo trium Legatorum Agathonis & synodi Occidentalis, qui hoc nomen in Sexta Synodo assumpserant. Eo titulo ipse quoque Basilius ornatus fuerat tempore Sextæ Synodi, ut patet ex ejus subscriptione quæ habetur Actione XVIII. Sed illo auctus non fuerat, ut unà cum ceteris tribus Legatis vices Concilij Occidentalis in ea synodo impleret; cùm nec in literis Agathonis, nec in epistola Constantini Pogonati, inter eos recenseatur. Sed legatio quædam ordinaria illi concessa fuit, ut Responsalem ageret ordinarium synodi Romanæ nomine; quemadmodum Diaconus mittendus à Papa, responsa ecclesiastica nomine Pontificis facere debebat. Vnde factum ut Basilius legationem illam ordinariam post solutam Sextam Synodum retinuerit; qua defunctus

Vide supra cap. 15. §. 5. & 6. hujus libri.

In subscriptionibus canonum Trullanorum: Βασίλειος ἐλάχιστος τῆς γορτυνίων μητροπόλεως τῆς φιλοχρίστου χώρας νήσου, καὶ τῶν τοῦ ἱεροῦ σωσθένη τῆς ἁγίας ἐκκλησίας ῥωμαίων.

est in Trullana posteriore synodo.

IV. Balsamo contendit adversùs Latinos conventum istum Trullanum Synodi Oecumenicæ auctoritatem obtinere, eò quòd Legatis apostolicæ sedis instructus fuerit, scilicet Basilio Gortynensi, & Episcopo quodam Ravennæ, qui vicem synodi Ecclesiæ Romanæ gerebant, Episcopis quoque Thessalonicensi, Sardiniæ, Heracleæ, & Corinthi, qui tunc erant Legati Pontificis; ut in veteribus Nomocanonis scriptum reperitur. Sed apertissimi mendacij reum tenemus. Vt enim taceam de Heracleæ Episcopo, qui pontificia legatione nunquam ornatus fuit, constat ex Græcis subscriptionibus quæ hodie extant, Thessalonicensem & Corinthium Episcopos ordinarios sedis apostolicæ Legatos, æquè ac Ravennę & Sardiniæ Episcopos, ab eo Conciliabulo abfuisse. Etenim inter ceterorum subscriptiones locus illis relinquitur in ordine suo ad subscribendum quando Acta synodi authentica ad eos perferrentur; quemadmodum observatum est erga Pontificem Romanum, cui charta pura in codice seu tomo Concilij relicta est, ante ceteros Patriarchas, post Iustinianum Imperatorem, ut eam subscriptione sua repleret. quod in dicto codice adnotatum est, his verbis: τόπος ἁγιωτάτου πάπα ῥώμης, *Locus sanctissimi Papæ Romani.* Vnde illustrari potest Anastasius: qui Iustinianum gesta hujus synodi sex tomis comprehensa, ab Episcopis subscripta, & manu imperiali confirmata, *in Romanam urbem ad confirmandum vel in superiori loco subscribendum Sergio Pontifici, utpote capiti Sacerdotum omnium, direxisse* scribit. Eodem planè pacto charta pura relicta est Episcopis absentibus Thessalonicensi, Corinthi, Ravennæ, Sardiniæ, & Heracleæ, ut saltem post solutam synodum Actis subscriberent. quod iisdem verbis in codice adnotatum est: *Locus Thessalonicensis, locus Ravennatis*, & ceterorum. Quare Balsamo, qui locum vacuum pro subscriptione sumpsit, non ausus est edere nomina Episcoporum quos subscripsisse fingit. Basilium quidem Gortynensem specialiter profert; sed ceteros verbis indefinitis significat.

V. Post seculum septimum, ineunte octavo, Iconoclastarum hæresis, in Oriente à Principibus excitata, societatem communionis abrupit, ita ut de mittendis Constantinopolim Apocrisiariis Romani Pontifices curam omnem deposuerint. Tandem Imperio in Romana urbe, veluti postliminio quodam, à Leone III. restituto, Imperatores Gallici nominis omnibus officiis quæ Principibus Constantinopolitanis deferri consueverant, à Romana sede exculti sunt. Inter cetera, Legatorum seu Responsalium non solùm frequentia, sed etiam assiduitate & mora in comitatu, ornati sunt. Sed Carolus Calvus Imperium adeptus, illo mittendarum legationum officio Romanam sedem absolvit; ut observavit Eutropius Presbyter Longobardus.

HVC VSQVE MARCA.

RELIQVA VERO ISTIVS LIBRI CAPITA SVNT STEPHANI BALVZII.

CAPVT XIX.

Synopsis.

I. Argumentum & consilium istius supplementi, juxta mentem illustrissimi Archiepiscopi.

II. Pontifices Romani in suas partes olim trahere studuerunt Episcopos magnarum civitatum, variis quidem modis, sed in primis spe objecta principis loci. Initium factum ab Episcopo Thessalonicensi.

III. Illyricianæ Ecclesiæ pertinebant ad curam Romani Pontificis, ut Patriarchæ Occidentis.

IV. Illyricianæ Diœceseos provinciæ enumerantur. Sirmium caput fuisse Illyrici probatur multis argumentis.

V. Divisio Illyrici in orientale & occidentale constituta à Theodosio seniore. Thessalonica caput Illyrici orientalis, & sedes Præfecti prætorio Illyrici.

VI. Aucta ex eo dignitas Episcopi Thessalonicensis. Acholius & Anysius, qui eam cathedram tenuerunt, magno in pretio habiti apud Damasum & Siricium. Deleto Sirmio, Apennius Vicarius Illyrici profugit Thessalonicam, ut Justinianus docet.

VII. Justiniani Novellam plerisque in capitibus falsitatis arguit Morinus. nec injuriâ.

VIII. Aperitur via liberandi Triboniani, qui Novellæ auctor est, à vitio αὐτοψίας. Theodoreti locus de Thessalonica.

POSTQUAM prima libri istius editio prodiit in publicum, miro quidem favore applausúque hominum eruditorum exceptus est, adeo ut quamplurimi gratias mihi eo nomine egerint quòd librum illum, alioqui fortean periturum, publicis usibus consecrassem.

consecrassem. Molestè tamen nonnulli ferebant datum esse imperfectum; ac tamenetsi monuissem jacturam illam utcunque sarciri ope libri sexti, indicatis etiam locis unde reliqua petenda erant, malebant tamen ut heic suis quæque locis capita redderentur. Hinc consilium mihi, ut si minùs assequi possum divinam vim ingenij illustrissimi Archiepiscopi, certè sequi coner, destinatáque ejus exequar pro virium mearum modulo.

I. Agendum itaque nobis deinceps erit de Vicariis Romanæ sedis per varias Diœceses, illis nimirum qui velut hereditario jure vices apostolicæ sedis in iis regionibus obtinebant in quibus habitabant. cujusmodi fuere Thessalonicensis in Illyrico, Iustinianæ primæ Archiepiscopus in sex provinciis, Corinthius in Achaia & Hellade, & Arelatensis in Gallia. Tum de iis Episcopis quibus ea dignitas diversis temporibus tributa est contemplatione meritorum. cujusmodi fuere Ioannes Episcopus Tarraconensis & Sallustius Episcopus in provincia Bætica. Horum autem vicaria Episcopi Romani dignitas in eo diversa fuit à vicariatu Episcoporum Thessalonicensium & Arelatensium, quòd sicut illa sedibus affixa erat, ista personalis tantùm fuit, ut patet ex epistolis Hormisdæ Romani Pontificis ad ipsos datis. Agendum heic esset de Pallio, quo Vicarij illi ornabantur ad augendam Romani nominis majestatem. Sed hanc partem adeo perspicuè & eruditè exsecutus est illustrissimus Archiepiscopus in capite sexto & septimo libri sexti, ut ope nostra nequaquam indigeat. Nonnullas tamen circa hoc observationes meas & ipse proferam, quas ille non tam omisisse quàm mihi reliquisse censendus est. Gradu postea facto ad mediæ ætatis usum, ostendemus quantum Legatis Romanis detulerint Episcopi Gallicani sub secunda & tertia Regum nostrorum dynastia, & quibus mandatis instructi Legati ad synodos provinciales accederent. Eorum frequentia, & tandem desuetudo. De Facultatum examine in Curia antè quàm munere suo fungantur. Tum de Annatis instituenda esset quæstio juxta mentem illustrissimi Archiepiscopi, nisi ipse hanc quoque partem pro sua sapientia & eruditione impleviſſet in capitibus X. XI. XII. ejusdem libri sexti. Nunc ad rerum ordinem redeo.

II. Pontifices Romani, cùm intelligerent quanti momenti esset ad firmandam auctoritatem suam apud exteras gentes, id est, ab Vrbe procul dissitas, gratia Episcoporum illustrissimarum Ecclesiarum, quibus ob prærogativam urbium præsto quoque erat Principum favor, eos in suas partes trahere studuerunt variis modis atque rationibus. Sed nulla potentior antiquitus visa est quàm si Episcopos illos ornarent dignitate Vicariorum sedis Romanæ; ut, quia constabat Romanum Episcopum sedere in cathedra principali sedémque Petri tenere, qui princeps fuit Apostolorum & caput episcopalis coronæ, magnum honorem sibi ex eo tribui intelligerent Episcopi illi quòd beati Petri vicem gererent in suis Diœcesibus. Hanc Romanis Episcopis mentem tum fuisse & res ipsa ostendit, & apertè docet epistola sexta Vigilij ad Episcopos Galliæ de vicariatu Auxanij Episcopi Arelatensis, his verbis: *Necessarium valde credidimus solicitudinem hanc à nobis antefato* (Auxanio) *debere committi, confidentes illum & pro loci sui qualitate bonis actibus universa quæ Deo placeant posse complere, & maximè cùm gloriosus filius noster Childebertus Rex testimonium bonæ conscientiæ pro Christiana suæ voluntatis devotione perhibuit.* In quo sanè mirifica valdéque prudens fuit Romanorum Pontificum industria: qui, ne vicariatus apostolicæ sedis vilesceret, si humilium urbium Episcopis committeretur, vices suas non aliis per ea tempora concesserunt quàm Episcopis illustrissimarum Ecclesiarum, quorum aliunde magna apud gentes ac Principes auctoritas erat; donec firmata tandem Legatorum istiusmodi dignitate, majestatis Romani nominis interfuit etiam simplicibus Clericis aut monachis, id est, nullo vixdum facinore cognitis, nulla ecclesiastica dignitate præditis, hunc honorem tribuere. Quod maximè observatum video temporibus Leonis IX. & sequentium Pontificum usque ad Innocentium quartum. In universum autem affirmare licet Romanos Pontifices, ut semper ad occasiones explicandæ firmandæque auctoritatis suæ valde intenti fuere, sic tempore semper bene usos esse antiquitus. Et quia primus omnium, ut arbitror, Episcopus Thessalonicensis ea dignitate ornatus est, ejúsque vicariatus variè jactatus est ab hominibus eruditis, hinc ordiar.

III. Ac primùm quidem illud in antecessum statuendum est, Occidentis Ecclesias, atque adeo Illyricianas, pertinuisse ad specialem curam Romani Pontificis, non solùm ob principatum quem Romana sedes obtinet in Ecclesia universali, sed quòd Episcopus Romanus sit Patriarcha Occidentis. Nam olim solidum Illyricum accensebantur Occidenti; ut dictum est in libro primo istius operis, & constat etiam ex Socrate & Sozomeno. Itaque certum est Illyricianas Ecclesias apostolicæ sedis constitutis paruisse, eámque ut Ecclesiarum caput excoluisse. Quin & Theodosius Echinensis Episcopus Thessaliæ provinciæ hæc ad Bonifacium Papam

Vide suprà lib. 1. cap. 4. §. 3. 4.

Socrat. lib. 2. cap. 16. Sozom. lib. 4. cap. 9. Vide etiam Henr. Valesij Notas ad Socrat. pag. 64. Vide infrà cap. 20. §. 10.

est in Trullana posteriore synodo.

IV. Balsamo contendit adversùs Latinos conventum istum Trullanum Synodi Oecumenicæ auctoritatem obtinere, eò quòd Legatis apostolicæ sedis instructus fuerit, scilicet Basilio Gortynensi, & Episcopo quodam Ravennæ, qui vicem synodi Ecclesiæ Romanæ gerebant, Episcopis quoque Thessalonicensi, Sardiniæ, Heracleæ, & Corinthi, qui tunc erant Legati Pontificis; ut in veteribus Nomocanonis scriptum reperitur. Sed apertissimi mendacij reum tenemus. Vt enim taceam de Heracleæ Episcopo, qui pontificia legatione nunquam ornatus fuit, constat ex Græcis subscriptionibus quæ hodie extant, Thessalonicensem & Corinthium Episcopos ordinarios sedis apostolicæ Legatos, æquè ac Ravennę & Sardiniæ Episcopos, ab eo Conciliabulo abfuisse. Etenim inter ceterorum subscriptiones locus illis relinquitur in ordine suo ad subscribendum quando Acta synodi authentica ad eos perferrentur; quemadmodum observatum est erga Pontificem Romanum, cui charta pura in codice seu tomo Concilij relicta est, ante ceteros Patriarchas, post Iustinianum Imperatorem, ut eam subscriptione sua repleret. quod in dicto codice adnotatum est, his verbis: τόπος ἁγιωτάτου πάπα ῥώμης, *Locus sanctissimi Papæ Romani.* Vnde illustrari potest Anastasius: qui Iustinianum gesta hujus synodi sex tomis comprehensa, ab Episcopis subscripta, & manu imperiali confirmata, *in Romanam urbem ad confirmandum vel in superiori loco subscribendum Sergio Pontifici, utpote capiti Sacerdotum omnium, direxisse* scribit. Eodem planè pacto charta pura relicta est Episcopis absentibus Thessalonicensi, Corinthi, Ravennæ, Sardiniæ, & Heracleæ, ut saltem post solutam synodum Actis subscriberent. quod iisdem verbis in codice adnotatum est: *Locus Thessalonicensis, locus Ravennatis*, & ceterorum. Quare Balsamo, qui locum vacuum pro subscriptione sumpsit, non ausus est edere nomina Episcoporum quos subscripsisse fingit. Basilium quidem Gortynensem specialiter profert; sed ceteros verbis indefinitis significat.

V. Post seculum septimum, ineunte octavo, Iconoclastarum hæresis, in Oriente à Principibus excitata, societatem communionis abrupit, ita ut de mittendis Constantinopolim Apocrisiariis Romani Pontifices curam omnem deposuerint. Tandem Imperio in Romana urbe, veluti postliminio quodam, à Leone III. restituto, Imperatores Gallici nominis omnibus officiis quæ Principibus Constantinopolitanis deferri consueverant, à Romana sede exculti sunt. Inter cetera, Legatorum seu Responsalium non solùm frequentia, sed etiam assiduitate & mora in comitatu, ornati sunt. Sed Carolus Calvus Imperium adeptus, illo mittendarum legationum officio Romanam sedem absolvit; ut observavit Eutropius Presbyter Longobardus.

HVC VSQVE MARCA.

RELIQVA VERO ISTIVS LIBRI CAPITA SVNT STEPHANI BALVZII.

CAPVT XIX.

Synopsis.

I. Argumentum & consilium istius supplementi, juxta mentem illustrissimi Archiepiscopi.

II. Pontifices Romani in suas partes olim trahere studuerunt Episcopos magnarum civitatum, variis quidem modis, sed in primis spe objecta principis loci. Initium factum ab Episcopo Thessalonicensi.

III. Illyricianæ Ecclesiæ pertinebant ad curam Romani Pontificis, ut Patriarchæ Occidentis.

IV. Illyricianæ Diœceseos provinciæ enumerantur. Sirmium caput fuisse Illyrici probatur multis argumentis.

V. Divisio Illyrici in orientale & occidentale constituta à Theodosio seniore. Thessalonica caput Illyrici orientalis, & sedes Præfecti prætorio Illyrici.

VI. Aucta ex eo dignitas Episcopi Thessalonicensis. Acholius & Anysius, qui eam cathedram tenuerunt, magno in pretio habiti apud Damasum & Siricium. Deleto Sirmio, Apennius Vicarius Illyrici profugit Thessalonicam, ut Justinianus docet.

VII. Justiniani Novellam plerisque in capitibus falsitatis arguit Morinus. nec injuriâ.

VIII. Aperitur via liberandi Triboniani, qui Novellæ auctor est, à vitio αὐτοψίας. Theodoreti locus de Thessalonica.

POSTQUAM prima libri istius editio prodiit in publicum, miro quidem favore applausúque hominum eruditorum exceptus est, adeo ut quamplurimi gratias mihi eo nomine egerint quòd librum illum, alioqui fortean periturum, publicis usibus consecrassem.

consecrassem. Molestè tamen nonnulli ferebant datum esse imperfectum; ac tamenetsi monuissem jacturam illam utcunque sarciri ope libri sexti, indicatis etiam locis unde reliqua petenda erant, malebant tamen ut heic suis quæque locis capita redderentur. Hinc consilium mihi, ut si minùs assequi possum divinam vim ingenij illustrissimi Archiepiscopi, certè sequi coner, destinatáque ejus exequar pro virium mearum modulo.

I. Agendum itaque nobis deinceps erit de Vicariis Romanæ sedis per varias Diœceses, illis nimirum qui velut hereditario jure vices apostolicæ sedis in iis regionibus obtinebant in quibus habitabant. cujusmodi fuere Thessalonicensis in Illyrico, Iustinianæ primæ Archiepiscopus in sex provinciis, Corinthius in Achaia & Hellade, & Arelatensis in Gallia. Tum de iis Episcopis quibus ea dignitas diversis temporibus tributa est contemplatione meritorum. cujusmodi fuere Ioannes Episcopus Tarraconensis & Sallustius Episcopus in provincia Bætica. Horum autem vicaria Episcopi Romani dignitas in eo diversa fuit à vicariatu Episcoporum Thessalonicensium & Arelatensium, quòd sicut illa sedibus affixa erat, ista personalis tantùm fuit, ut patet ex epistolis Hormisdæ Romani Pontificis ad ipsos datis. Agendum heic esset de Pallio, quo Vicarij illi ornabantur ad augendam Romani nominis majestatem. Sed hanc partem adeo perspicuè & eruditè exsecutus est illustrissimus Archiepiscopus in capite sexto & septimo libri sexti, ut ope nostra nequaquam indigeat. Nonnullas tamen circa hoc observationes meas & ipse proferam, quas ille non tam omisisse quàm mihi reliquisse censendus est. Gradu postea facto ad mediæ ætatis usum, ostendemus quantum Legatis Romanis detulerint Episcopi Gallicani sub secunda & tertia Regum nostrorum dynastia, & quibus mandatis instructi Legati ad synodos provinciales accederent. Eorum frequentia, & tandem desuetudo. De Facultatum examine in Curia antè quàm munere suo fungantur. Tum de Annatis instituenda esset quæstio juxta mentem illustrissimi Archiepiscopi, nisi ipse hanc quoque partem pro sua sapientia & eruditione impleviſſet in capitibus X. XI. XII. ejusdem libri sexti. Nunc ad rerum ordinem redeo.

II. Pontifices Romani, cùm intelligerent quanti momenti esset ad firmandam auctoritatem suam apud exteras gentes, id est, ab Vrbe procul dissitas, gratia Episcoporum illustrissimarum Ecclesiarum, quibus ob prærogativam urbium præsto quoque erat Principum favor, eos in suas partes trahere studuerunt variis modis atque rationibus. Sed nulla potentior antiquitus visa est quàm si Episcopos illos ornarent dignitate Vicariorum sedis Romanæ; ut, quia constabat Romanum Episcopum sedere in cathedra principali sedémque Petri tenere, qui princeps fuit Apostolorum & caput episcopalis coronæ, magnum honorem sibi ex eo tribui intelligerent Episcopi illi quòd beati Petri vicem gererent in suis Diœcesibus. Hanc Romanis Episcopis mentem tum fuisse & res ipsa ostendit, & apertè docet epistola sexta Vigilij ad Episcopos Galliæ de vicariatu Auxanij Episcopi Arelatensis, his verbis: *Necessarium valde credidimus solicitudinem hanc à nobis antefato* (Auxanio) *debere committi, confidentes illum & pro loci sui qualitate bonis actibus universa quæ Deo placeant posse complere, & maximè cùm gloriosus filius noster Childebertus Rex testimonium bonæ conscientiæ pro Christiana suæ voluntatis devotione perhibuit.* In quo sanè mirifica valdéque prudens fuit Romanorum Pontificum industria: qui, ne vicariatus apostolicæ sedis vilesceret, si humilium urbium Episcopis committeretur, vices suas non aliis per ea tempora concesserunt quàm Episcopis illustrissimarum Ecclesiarum, quorum aliunde magna apud gentes ac Principes auctoritas erat; donec firmata tandem Legatorum istiusmodi dignitate, majestatis Romani nominis interfuit etiam simplicibus Clericis aut monachis, id est, nullo vixdum facinore cognitis, nulla ecclesiastica dignitate præditis, hunc honorem tribuere. Quod maximè observatum video temporibus Leonis IX. & sequentium Pontificum usque ad Innocentium quartum. In universum autem affirmare licet Romanos Pontifices, ut semper ad occasiones explicandæ firmandæque auctoritatis suæ valde intenti fuere, sic tempore semper bene usos esse antiquitus. Et quia primus omnium, ut arbitror, Episcopus Thessalonicensis ea dignitate ornatus est, ejúsque vicariatus variè jactatus est ab hominibus eruditis, hinc ordiar.

III. Ac primùm quidem illud in antecessum statuendum est, Occidentis Ecclesias, atque adeo Illyricianas, pertinuisse ad specialem curam Romani Pontificis, non solùm ob principatum quem Romana sedes obtinet in Ecclesia universali, sed quòd Episcopus Romanus sit Patriarcha Occidentis. Nam olim solidum Illyricum accensebantur Occidenti; ut dictum est in libro primo istius operis, & constat etiam ex Socrate & Sozomeno. Itaque certum est Illyricianas Ecclesias apostolicæ sedis constitutis paruisse, eámque ut Ecclesiarum caput excoluisse. Quin & Theodosius Echinensis Episcopus Thessaliæ provinciæ hæc ad Bonifacium Papam

Vide suprà lib. 1. cap. 4. §. 3. 4.

Socrat. lib. 2. cap. 16. Sozom. lib. 4. cap. 9. Vide etiam Henr. Valesij Notas ad Socrat. pag. 64. Vide infrà cap. 20. §. 10.

secundum dixit in Romana synodo: *Nam constat venerandos sedis vestræ Pontifices, quamvis in toto mundo sedes apostolica Ecclesiarum sibi jure vindicet principatum, & solam ecclesiasticis causis undique appellare necesse sit, specialiter tamen gubernationi suæ Illyrici Ecclesias vindicasse.*

Marca in lib. de Primat. f. 30.

IV. Illyriciana porrò solida Diœcesis, postquam orbis Romanus in quatuor præfecturas sectus est à Constantino Magno, complectebatur Pannonias, utrumque Noricum, Dalmatiam, Daciam ripensem & mediterraneam, Mœsiam, Dardaniam, Macedoniam, Achaïam, Thessaliam, utramque Epirum, & Cretam. Sirmium autem Pannoniæ secundæ civitas, erat caput Illyrici, ut in synodo Aquileiensi habita anno CCCLXXXI. disseruit Anemius Sirmiensis Episcopus; sive Acta quæ nunc circumferuntur istius synodi germana sunt, sive post longum tempus conficta à Vigilio Tapsensi Episcopo in Africa, ut existimat Petrus Franciscus Chiffletius vir eruditissimus. Vtcunque enim se res habeat, ex Actis illis probatur Sirmium fuisse quondam caput Illyrici. *Anemius Episcopus dixit: Caput Illyrici nonnisi civitas est Sirmiensis.* Vnde eam Ammianus Marcellinus vocat matrem urbium, ibíque Principum Romanorum regiam seu palatium fuisse docet in libro XX. & XXVI. suorum commentariorum. Quod etiam à Zozimo historico observatum est. Itaque claritati urbis datum ut illic quoque esset præfecturæ Illyricianæ sedes; ibíque per eas tempestates fuit omne Illyrici fastigium, tam in civilibus quàm in episcopalibus causis, ut ex eodem Ammiano Marcellino & Iustiniano Aug. observavit illustrissimus Archiepiscopus in libro de Primatibus. Chiffletius tamen existimat Sirmium nunquam fuisse caput Illyrici, nisi fortassis per illud triennium quod in ea urbe Constantius Imperator exegit, per annum nimirum CCCLVII. & duos sequentes.

Amm. Marcell. lib. 15. Iustin. Nov. 11.

Chiffiet. in Notis ad Virgil. Tapsi. pag. 38. & seqq.

V. Secto demum Illyrico in orientale & occidentale, Pannonia quidem, utrumque Noricum, Dalmatia, Mœsia, Dardania, & Creta, in imperio occidentali remansere; servatáque est aliquatenus Sirmio sua dignitas, constituto illic Vicario Præfecti prætorio Italiæ, qui provincias illas regeret, pérque illos tractus vice sacra judicaret. Sedes verò Præfecti prætorio Illyrici translata est Thessalonicam; eíque contributæ Macedonia, Thessalia, Achaïa, Epirus utraque, Prævalis, & utraque Dacia. Disputatur inter eruditos quonam demum tempore instituta fuerit hæc divisio. Marca verò post uberem de hac controversia dissertationem concludit eam fuisse peractam anno CCCXCV. supremo Theodosij senioris arbitrio: qui eo anno moriens, Honorióque & Arcadio imperij provincias dividens, Illyricum orientale Arcadio, occidentale Honorio commisit.

Marca de Primatib. f. 36.

VI. Aucta ex eo dignitas Episcopi Thessalonicensis, quòd ingens accessio facta esset claritati urbis; juvítque fortunam ejus auctoritas Episcopi Acholij, tum etiam Anysij, quos ob ingentia eorum merita Pontifices Romani, qui tum vixere, Damasus & Siricius plurimùm suspexerunt, ceu suo loco sumus dicturi. Sed tamen adhuc amplificata valde est Thessalonica post excidium Sirmij, quod contigit anno quadringentesimo quadragesimo secundo, furente per Thraciam & Illyricum exercitu Hunnorum, duce Attila. Tunc enim Apennius Præfectus prætorio Illyrici, sive potiùs Vicarius, è Sirmio Thessalonicam profugit, ut Iustinianus docet; qui addit, eò tunc commigrasse dignitatem præfecturæ. *Cùm enim in antiquis temporibus*, inquit ille, „ * *Firmi præfectura fuerit constituta, ibique omne fuerit Illyrici fastigium tam in civilibus quàm in episcopalibus causis, postea autem Attilanis temporibus eisdem locis devastatis Apennius Præfectus prætorio de Firmitana civitate in Thessalonicam profugus venerat, tunc ipsam præfecturam & sacerdotalis honor secutus est, & Thessalonicensis Episcopus, non sua auctoritate, sed sub umbra præfecturæ, meruit aliquam prærogativam.*

Iustinian. Nov. * Sirmij

VII. Scio clarissimum eruditissimúmque virum Ioannem Morinum falsitatis arguere hunc locum ex Novella Iustiniani, multis de causis. Tum, quòd verum non sit Thessalonicam adeptam esse honorem ecclesiasticum Attilanis temporibus, cùm Leo Papa, qui temporibus Attilæ vixit, testetur in epistola ad Anastasium Thessalonicensem primatus dignitatem Thessalonicensibus Episcopis delatam olim fuisse ex Pontificum Romanorum prædecessorum suorum constitutione. Tum etiam, quòd falsum quoque sit civilis administrationis apicem eisdem Attilanis temporibus collatum Thessalonicæ fuisse. Eo enim ornatam fuisse Theodosij Magni tempore. Falsum præterea esse iisdem Attilanis temporibus amplificatam fuisse dignitatem urbis Thessalonicensis, aliquámque prærogativam meruisse sub umbra præfecturæ. Constat enim eam urbem fuisse clarissimam, magnæque auctoritatis, jam inde à temporibus synodorum quæ apud Nicæam & Sardicam habitæ sunt.

Morin. lib. 1. Exercit. 11.

VIII. Sensit vitia ista illustrissimus Archiepiscopus, Tribonianúmque Novellæ illius Constitutionis auctorem à vitio ἀνιστορησίας liberari non posse pronuntiavit, si No-

Marca in lib. de Primatib. f. 8.

vellæ verba accipiantur generaliter de præfectura Illyrici, cùm ea retro ab annis quinquaginta constituta esset Thessalonicæ. Itaque sic cautè accipienda Novellæ verba, de Vicarij nimirum jurisdictione in Pannonias, quæ posthac Thessalonicæ exercenda erat, non autem Sirmij. *Vnde amplificata est*, inquit Marca, *Vrbis & Ecclesiæ Thessalonicensis dignitas*. Quare Theodoretus, qui post ista tempora vixit, sic loquitur de Thessalonica: *Thessalonica urbs est maxima & populosa, , Macedonum quidem in gente posita, sed quæ caput est tum Thessaliæ & Achaïæ, tum aliarum complurium provinciarum quæ reguntur à Præfecto prætorio Illyrici.*

Theodor. lib. 5. hist. eccl. cap. 17

CAPVT XX.

Synopsis.

I. Antè quàm inquiratur in originem vicariatus Thessalonicensis, agendum est de antiquitate & claritate Ecclesiæ Thessalonicensis.

II. Ea erat una ex apostolicis, à Paulo Apostolo fundata; ut ipse docet, & legitur in Actis Apostolorum. Illyricianæ Ecclesiæ Thessalonicensem respiciebant ut fidei matrem. Quid sint apud Tertullianum cathedræ Apostolorum.

III. Alexandro Episcopo Thessalonicensi imposita à patribus Concilij Niceni cura deferendorum decretorum synodi in provincias Illyricianas; ut testantur Gelasius Cyzicenus & vetus auctor apud Photium.

IV. Investigatur verus sensus verborum Gelasij Cyziceni, qui diversis diversorum interpretationibus est distractus. Innocentius III. docet magnam fuisse dignitatem Episcopi Thessalonicensis antè quàm Vicarius esset apostolicæ sedis.

V. Dignitas illa Thessalonicensis Episcopi probatur etiam ex allocutione Ætij in Concilio Sardicensi.

VI. Et ex Athanasio, qui præcipuum defensionis suæ caput ponit in testimonio literarum Alexandri Episcopi Thessalonicensis.

VII. Episcopus Thessalonicensis, etiam antè quàm esset Vicarius Romani Pontificis, ordinabat Metropolitanos Illyricianos secundum veterem Ecclesiæ suæ consuetudinem. Thessalonica vocatur à Theodoreto caput Macedoniæ, Thessaliæ, & Achaïæ, tum aliarum complurium provinciarum.

VIII. Maxima ergo ubique erat antistitis urbis illius reverentia. Secunda synodus noluit antè cognoscere de ordinatione Maximi in Ecclesia C P. quàm Acholius adesset. Postea verò Maximi ordinationem damnavit, & Nectarium ordinavit.

IX. Acholius non fuit illic Legatus Damasi, ut persuasum fuit viris doctis. Castigantur qui putant Sozomenum enumerare Acholium inter præsides istius Concilij.

X. Henricus Valesius refellitur, qui putavit Acholium fuisse unum ex Episcopis orientalibus qui Constantinopolitano Concilio interfuerunt.

I. SVPERIORI capite satis, ut opinor, egimus de dignitate urbis Thessalonicensis. Superest ut inquiramus in initia dignitatis quæ illi collata est à Pontificibus Romanis, qui Thessalonicenses Episcopos Romanæ sedis Vicarios esse voluerunt in Illyrico. Sed antè quàm destinata componam, res postulare videtur ut de antiquitate Ecclesiæ Thessalonicensis agamus, mox investigaturi an vicariatus tributus fuerit Ecclesiæ, an verò personis; id est, an vicariatus ille ita tributus fuerit huic sedi ut necessarium esset Romano Pontifici vices suas committere novo Episcopo Thessalonicensi, an verò ea ratione tributus fuerit, ut illa honoris continuatio meré penderet ex libero Romani Pontificis arbitrio, fásque illi esset vicarium illum honorem non conferre novo Episcopo Thessalonicensi.

II. Primùm omnium satis constat Thessalonicensem Ecclesiam fuisse unam ex apostolicis, id est, ex Ecclesiis illis quas Apostoli ipsi fide Christiana imbuerunt. Legimus enim in Actis Apostolorum, cùm Paulus & Silas venissent Thessalonicam, Paulum illic scripturas interpretatum esse & insinuasse quia Christum oportuit pati & resurgere à mortuis, & quia hic erat Iesus Christus quem ille enuntiabat eis, quosdam verò ex Iudæis Thessalonicæ commorantibus credidisse & adjunctos fuisse Paulo & Silæ, itémque magnam gentilium multitudinem, & mulieres nobiles non paucas. Quin & Paulus ipse hoc testatum reliquit in duabus epistolis quas scripsit ad Ecclesiam Thessalonicensium; ex quibus illud quoque discimus, Thessalonicensium eum ardorem fuisse in initiis susceptæ fidei ut forma facti fuerint omnibus credentibus in Macedonia & in Achaïa; in quibus regionibus ipsi Thessalonicenses prædicaverunt verbum Dei; & non solùm in Macedonia & Achaïa, sed etiam *in omni loco*, ut inquit Paulus, id est, in regionibus quæ circum Macedoniam & Achaïam positæ sunt, fides eorum inclaruit. Vnde argumentum trahi potest ad asserendum Illyricianas Ecclesias Thessalonicensem respexisse ut fidei matrem, illam verò eo privilegio potitam apud eas gentes fuisse quod Episcopi celebriorum civitatum obtinebant in Ecclesias quas prædecessores eorum fundaverant. de quo jure videndus illustrissimus Archiepiscopus lib. 1. cap. 111. §. v. istius operis. Hinc Tertullianus enumerans Ecclesias apostolicas, à quibus ceteras dixerat traducem fidei & semina doctrinæ mutuatas esse, inter illas ponit Thessalonicensem; cùm paulò antè dixisset apud ipsas suis locis adhuc præsidere cathedras Apostolorum. Quem locum explicans vir clarissimus Nicolaus Rigaltius, ut fatetur intelligi posse de ipsis cathedris Apo-

Act. 17.

1. Thessal. 1.

Tertull. in lib. de Præscript. c. 20. 36.

ſtolorum, quæ adhuc ſuis locis in memoriam Apoſtolorum præſiderent, ſucceſſoribus infrà ſedentibus, ita verum illius ſenſum eſſe putat, *cathedras Apoſtolorum dici principales Eccleſias, ab ipſis videlicet Apoſtolis conſtitutas, quæ adhuc ætate Tertulliani ſuis locis præſidebant, tanquam aliarum matrices; qualis in Achaia, Corinthus; in Macedonia, Philippi, Theſſalonica; in Aſia, Epheſus; in Italia, Roma.*

III. Ex ea matricis dignitate profectum eſt ut cùm in Concilio Nicæno adeſſet Alexander Epiſcopus Theſſalonicenſis, cogitaréntque patres de mittendis per univerſum orbem definitionibus ſanctæ & magnæ ſynodi, ſicut Eccleſias Africanas ab Epiſcopo Carthaginis, qui totius Africæ Metropolitanus erat & Primas, informari voluerunt, ita Macedonibus, Græcis, Scythis, Illyriis, Theſſalis, & Achæis inſinuari curarunt per Alexandrum Theſſalonicenſem, ut teſtatur Gelaſius Cyzicenus. Teſtatur idipſum etiam vetus auctor Politiæ ſanctorum patrum Metrophanis & Alexandri apud Photium; ſi tamen locus ille, qui mendo laborat, emendetur, eáque Alexandro Theſſalonicenſi tribuantur quæ Alexandro Conſtantinopolitano heic tribuuntur. Nam in hoc libro legitur Oſium Cordubenſem ſynodi acta detuliſſe occidentalibus, Athanaſium Ægyptiis & Libyis, Alexandrum verò Thracibus, Illyriis, Macedonibus, Theſſalis, Achæis, & Græcis, continentibúſque terris, & inſulis. Præſtat autem integrum locum referre, ut etiam ex eo capite auctoritas concilietur huic Gelaſij loco. *Et Hoſius quidem Cordubæ Epiſcopus*, inquit, *cum ſociis quæ in Concilio geſta erant ferens, occidentalibus pacem ac quietem attulit; Athanaſius zelo ardens Ægyptiis & Libyis; Alexander verò, quanquam ſenex, ſeptuagenarius enim erat, Thracibus ſimul & Illyriis communionis paciſque Eccleſiarum nunctium, ut præſcriptum erat, tulit, ſocium itineris habens beatiſſimum Paulum, tunc lectoris & ſubſcriptoris Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ fungentem officio, qui tempore Concilij duodecimum ætatis annum agens cum Alexandro vixit.* Et paulò pòſt: *Venientes autem in Thraciam & Macedoniam & Theſſaliam, Achaïam totam, Hellada, continentéſque terras, ne inſulas quidem neglexerunt; ſed navigando omnem Zizaniam radicitus evellentes, bonum ſemen evangelicæ doctrinæ & ſynodalium decretorum diſſeminarunt.* Quis non videt heic deſcriptas provincias Theſſalonicenſi Epiſcopo ſubjectas, non omnes quidem nominatim expreſſas, ſed præcipuas tantùm, reliquas verò ſub vocabulo continentium terrarum & inſularum?

Concil. Carthag. v. Concil. CP. 1 2. Collat. v.

Gelaz. Cyzic. lib. 2. c. 27.

Apud Phot. in Bibliothe. cod. 256.

IV. Reliquum eſt ut etiam Gelaſij Cyziceni locum heic deſcribamus, ut eruditus lector comparare illum poſſit cum loco ex Politia laudato. Sic ergo loquitur hic auctor: *Alexander Theſſalonicæ Epiſcopus per eos qui ſub ipſo cenſentur, Eccleſiis in Macedonia prima & ſecunda, cum iis quæ in Græcia & Europa tota, in utraque Scythia, & omnibus denique in Illyrico, Theſſalia, & Achaia.* Tum in fine capitis hæc generaliter adduntur: *Hi omnes ſancti atque apoſtolici viri omnibus ſub cælo ſanctis Dei Eccleſiis quæ in Nicæna ſancta magna & generali ſynodo decreta ſunt tranſmittentes, ubique tradiderunt.* Non me latet viros eruditiſſimos in diverſum trahere hunc Gelaſij locum, ac de ſimplici miniſterio explicare quod Alexandro commiſſum fuerit à ſynodo, ut juxta ſe poſitis provinciis inſinuaret quæ acta & decreta in Concilio fuerant, neque hinc colligi poſſe juriſdictionem aliquam habuiſſe Theſſalonicenſem Epiſcopum in provincias illic enumeratas; ídque vel ex eo probant, quòd ea cura Alexandro committitur etiam in Europa & Scythia provinciis Thraciarum, in quibus nullum unquam jus fuit Epiſcopo Theſſalonicenſi, utpote quæ ſitæ eſſent extra Illyricum. Sanè fatendum eſt verba Gelaſij non eſſe manifeſta. Nam cùm ita intelligi poſſint ut dicatur ea cura Alexandro impoſita tanquam Metropolitano omnium illarum provinciarum, ita certum eſt capi quoque poſſe de nudo illo ac ſimplici miniſterio; præſertim cùm illic videamus ſimilem curam quoad alias quaſdam provincias impoſitam Macario Hieroſolymorum Epiſcopo, & Protogeni Sardicenſi, quos tamen conſtat provinciarum illarum Metropolitanos non fuiſſe. Ita etiam explicari poteſt hic locus, ut dicere voluiſſe videatur Gelaſius Alexandrum Theſſalonicenſem in ſynodo tenuiſſe locum eorum Epiſcoporum qui per eas provincias ſub ipſo cenſebantur. Sed utcunque ſe res habeat, colligi hinc certè poteſt magnæ dignitatis per illa tempora fuiſſe Epiſcopum Theſſalonicenſem, cui ea cura delegatur per tot provincias; ſeu id factum fuerit in conſequentiam juriſdictionis quam ille obtineret in eas provincias, ut exiſtimat vir illuſtriſſimus Franciſcus Boſquetus Epiſcopus Monſpelienſis, ſeu extraordinaria quadam delegatione. Vnde & Innocentius III. inſtaurationi privilegiorum Eccleſiæ Theſſalonicenſis intentus, ita ſcribit ad G. Theſſalonicenſem Archiepiſcopum: *Licèt autem præfatus antiſtes ſatis profectò fuerit ex Eccleſiæ ſuæ dignitate conſpicuus, magis tamen utique fuit ex apoſtolicæ ſedis familiaritate præclarus.*

Boſquetus lib. 1 ad Innoc. III. epiſt. 1.

V. Quòd ſi quis iſto Gelaſij teſtimonio, utpote hominis à vero frequenter aberrantis, utendum non eſſe putat, adeóque nul-

lius illum momenti esse ad asserendam Thessalonicensis Episcopi dignitatem, is certè cedat oportet auctoritati Concilij Sardicensis: quod cùm fuerit celebratum anno CCCXLVII. diù ante initia vicariatus, si quid eximium in Thessalonicensi Episcopo agnovit, dedit documentum posteris ut non contradicerent. Ætius ergo Thessalonicensis Episcopus videns se prægravari nimia Presbyterorum & Diaconorum extraneorum mora apud Thessalonicam, quò confluebant velut ad metropolim plurium provinciarum, modum huic rei poni postulavit à patribus Sardicensibus, his verbis usus quæ aperte significant quanta tum in ordine ecclesiastico esset urbis Thessalonicensis dignitas. *Non ignoratis*, inquit, *quanta & qualis sit Thessalonicensium civitas. Sæpe ad eam veniunt ex aliis regionibus Presbyteri & Diaconi; & non contenti brevi tempore morari, & aut residentibi, & aut certè vix post longa spatia ad sua redire coguntur.*

Concil. Sardic. c. 10.

VI. Dignitas Episcoporum Thessalonicensium probatur alio illustri exemplo ejusdem omnino temporis. Moris tum erat apud Ecclesiam, ut cùm quis Episcopus pulsabatur de crimine, illustrissimarum Ecclesiarum Episcopos sibi faventes habere studeret, ut vel ex eo innocentiam suam ceteris Ecclesiis probaret. Hilarius enim Pictavorum Episcopus validum hinc telum adversùs hostes Athanasij Episcopi Alexandrini sumit, quòd ei communio reddita fuerit ab Osio Episcopo Cordubensi, Maximino Trevirensi, & Iulio Romano. *Sed ignorasse vos negabitis*, inquit, *Athanasio, cujus damnationem à vobis Valens, Vrsacius, Saturninus exigunt, ab Osio, Maximino, Iulio redditam communionem.* E diverso Sulpitius Severus hinc quoque Priscillianum ejùsque socios in culpa fuisse ait, quòd Damasum Episcopum Romanum & Ambrosium Mediolanensem, *quorum ea tempestate summa auctoritas erat*, sibi adversantes habuerint. Itaque Athanasius, dum illustrium ac magnæ auctoritatis Episcoporum testimonia adducit ad causæ & innocentiæ suæ defensionem, Alexandri Thessalonicensis Episcopi, illius qui synodo Nicænæ interfuit, scriptas in causa cædis Arsenij literas adfert, protestatus sibi instar omnium esse unum Alexandri testimonium, utpote Episcopi illustrissimæ Ecclesiæ, qui plurium provinciarum Metropolitanus erat, adeóque summæ per universam Ecclesiam auctoritatis. Hæc sunt ejus verba: *Quòd autem me de cæde Arsenij accusarint, ne multorum scriptis ad eam rem probandam utar, sufficit si unum duntaxat Alexandri Thessalonicensis Episcopi epistolam, unde & ceterorum existimes, apposuero.*

Hilar. in Fragm. pag. 11.

Sulp. Severus. lib. 2. hist. sacr.

Athan. Apol. 2.

VII. Tot argumentis, ut ego quidem arbitror, victus illustrissimus istius operis auctor non dubitavit asserere jus illud antiquitus competivisse Episcopo Thessalonicensi ut Metropolitanos suæ Diœceseos aut ipse ordinaret, aut ab Episcopis comprovincialibus ordinari juberet, júsque illud ad ipsum spectasse secundùm veterem Ecclesiæ suæ consuetudinem, non verò ratione vicariatus sibi ab apostolica sede concessi in his regionibus. Vicariatu enim illo non tam novam auctoritatem tributam fuisse Thessalonicensi Ecclesiæ quàm cumulationem juris. Sanè Theodoretus de Thessalonica loquens, eam vocat caput Macedoniæ, Thessaliæ, & Achaïæ, tum aliarum complurium provinciarum quæ reguntur à Præfecto prætorio Illyrici, uti observatum est in capite superiori. Quod ne quis referat ad vicariatum Romanæ sedis prohibet Theodoretus, qui de civili tantùm administratione heic agit. Vnde colligi etiam potest Thessalonicensis Episcopi prærogativa.

Vide infrà lib. 6. cap. 5. §. 3.

Marca in lib. de Primat. §. 40.

VIII. Amplitudo illa & dignitas urbis & Ecclesiæ Thessalonicensis maximam apud omnes ubique gentes auctoritatem per ea tempora conciliabat Episcopis Thessalonicensibus, præsertim quoties illi contingebant Episcopi qui sedem per se satis claram virtutibus suis efficiebant illustriorem. Post Alexandrum itaque, Eremium, cujus mentio extat apud Athanasium in prima apologia, & Ætium, eam sedem tenuit Acholius, vir laudatissimus, & cujus encomium non uno loco enarravit sanctus Ambrosius Episcopus Mediolanensis, cujúsque laudes celebrat sanctus Basilius ad illum scribens. Huic ergo Acholio tantus habitus est honor à patribus secundæ synodi œcumenicæ, quæ apud Constantinopolim habita est anno CCCLXXXI. jussu Theodosij Augusti, ut cùm agendum in ea esset de re gravissima, nimirum de ordinatione Ecclesiæ Constantinopolitanæ, eum ex occidentalibus partibus evocandum putarent, & non antè causę cognitionem susciperent quàm Acholius adesset. Hujus rei probationem debemus epistolæ Concilij Italiæ ad Theodosium, quam vir clariss. Iacobus Sirmondus edidit in Appendice Codicis Theodosiani. *Neque enim indignum videtur, Auguste*, inquiunt Episcopi, *ut Romanæ Ecclesiæ antistitis finitimorumque & Italorum Episcoporum debeant subire tractatum, qui unius Acholij Episcopi ita expectandum esse putaverunt judicium ut de occidentalibus partibus Constantinopolim evocandum putarent.* Itaque cùm venisset Acholius, ita adversùs Maximum statuit sancta synodus in tertio canone: *De Maximo Cynico, & ejus inordinata constitutione, quæ Constantinopoli facta est,*

S. Ambros. lib. 3. epist. 20. 21.

S. Basil. epist. 357. & seqq.

Appendix Cod. Theodos. pag. 107

placuit neque Maximum Episcopum esse vel fuisse, nec eos qui ab ipso in quolibet gradu Clerici sunt ordinati, cùm omnia quæ ab eodem perpetrata sunt in irritum deducta esse videantur. Tum verò ordinatus est Nectarius Episcopus in Ecclesia Constantinopolitana.

IX. Datum hunc honorem ingentibus Acholij virtutibus, habita etiam fortassis ratione sedis Thessalonicensis, nullus est dubitandi locus. Nam hunc honorem illi habitum non fuisse propterea quòd Damasi Papæ Legatus esset in ea synodo ex eo constat quòd non jussu Damasi neque sponte sua Constantinopolim accessit, sed invitatus & evocatus ab Episcopis orientalibus, ut disertè scriptum est in eisdem literis Concilij Italici. Falli ergo necesse est viros doctos qui ex epistola Damasi ad Acholium, quæ extat inter acta Concilij Romæ habiti sub Bonifacio secundo, collegerunt Acholium fuisse Damasi Legatum in secunda synodo œcumenica, cùm Sozomenus lib. VII. cap. VII. Acholium inter eos Episcopos enumeret qui Concilio primo Constantinopolitano præfuerunt, non potuisse autem Acholium alia ratione synodo CP. extra Diœcesim suam præesse quàm vi legationis Damasi. Falluntur, inquam. Nam falsum est Sozomenum enumerare Acholium inter eos Episcopos qui synodo illi præfuerunt. Illud tantùm ait, Macedonianorum duces, non verò Concilij præsides, fuisse Eleusium Cyzici Episcopum & Marcianum Lampsacenum, Catholicorum verò Timotheum Alexandrinæ sedis antistitem, Meletium Antiochiæ, & Cyrillum Hierosolymorum. Tum subjungit: *Cum his autem erant Ascholius Thessalonicensis & Diodorus Tharsensis & Acacius Beræensis.* Nihil heic de præsidentia in synodo: cujus tametsi mentionem faceret Sozomenus, non inde tamen colligi posset Acholium illic tenuisse vices Damasi, cùm altum istius rei silentium sit in literis Concilij Italici & in scriptoribus ecclesiasticis omnium seculorum. Præterea, ea fuit priscis etiam seculis consuetudo, ut Legati Romanorum Pontificum primas sedes obtinerent in synodis œcumenicis. Et heic apud Sozomenum Acholius sexto tantùm loco ponitur, & quidem longo intervallo post Eleusium & Marcianum Episcopos minorum civitatum. Quod est omnino infra dignitatem Episcopi Thessalonicensis, præsertim si Romani Pontificis vices illic gessisset. Itaque necesse est affirmare Sozomenum heic tantùm agere de illis Episcopis qui primas partes tenerent inter Episcopos qui Concilio Constantinopolitano interfuerunt, non verò designare voluisse eos qui synodo præfuerunt.

Holsten. in Notis ad Concil. Rom. sub Bonif. pag. 261. Chifflet. in Notis ad Vigil. Tapf. pag. 44.

Vide Socrat. lib. 5. c. 8.

X. Ex his porrò quæ dicta huc usque de Acholio sunt facilè colligi potest falli virum eruditissimum Henricum Valesium, qui Acholium putat unum fuisse ex Episcopis orientalibus, ob eam videlicet causam, quòd adfuerit in secunda Synodo œcumenica, *cui solos*, inquit, *Orientis Episcopos interfuisse constat.* Certum sanè est occidentales Episcopos non interfuisse huic synodo, quæ ex solis orientalibus constitit. Sed non inde sequitur Acholium fuisse unum ex orientalibus. Nam ante divisionem Imperij, quæ facta est à Theodosio, Illyricum solidum, in quo sita erat Thessalonica, accensebatur Occidenti, ut dictum est in capite XIX. istius libri, & probat etiam idem Valesius. Præterea Acholius non interfuit huic synodo ut Episcopus Ecclesiæ orientalis, sed ut unus occidentalium, evocatus nimirum ab orientalibus; ut docet epistola Concilij Italiæ ad Theodosium, cujus locus paulò antè relatus est in hoc capite. Quod animadversum non fuisse à Valesio miror, qui testimoniis istius epistolæ Concilij Italici frequenter utitur in Annotationibus suis ad Socratem & Sozomenum.

Hen. Vales. Notis ad Socr. pag. 44.

Ibid. & pag. 45.

CAPVT XXI.

Synopsis.

I. Agendum de ordinatione Maximi in Ecclesia C P. ut Nicolaus I. vindicetur à suspicione mendacij adversùs Blondellum. Damasius Papa non favit Gregorio Nazianzeno in hac causa, ut visum est Baronio. immo ejus translationem fieri non debere rescripsit.

II. Describuntur quæ Constantinopoli acta sunt circa Maximi & Gregorij ordinationem. Damasus scripta ad Episcopos quosdam Illyricianos epistola damnat ordinationem Maximi, & præsumptionem Gregorij, qui de civitate sua ad Constantinopolitanam transire vellet contra Canones.

III. Idem de ea re scribit ad Acholium Thessalonicensem, hortaturque eum dare operam uti catholicus Episcopus in C P. urbe constituatur.

IV. Ex his Damasi epistolis collegerunt viri docti Acholium Damasi Legatum fuisse in secunda synodo œcumenica. Refellitur ea doctorum virorum opinio.

V. Theodosius Imp. baptizatur ab Acholio. Concilium Constantinopoli congregatur, ad quod orientales Episcopi evocant Acholium pro causa Maximi & Gregorij finienda. Gregorio se episcopatu regia urbis abdicante, Nectarius in ejus loco ordinatur, Maximus verò deponitur & excommunicatur.

VI. Maximus damnatus confugit ad Episcopos Italos; qui patrocinium ejus suscipiunt, damnata Nectarij ordinatione. Causa ejus actitatur in Concilio Aquileiensi sub Ambrosio, ex quo scriptum est ad Theodosium.

VII. Quæritur an Acholius huic Concilio interfuerit, & utrum heic tenuerit vices Damasi. quod negatur.

VIII. Concilium Romæ congregatur ob dissensionem quarundam Ecclesiarum, præsertim Constantinopolitanæ. Maximi causa tristes habuit exitus, meliórque fuit conditio Nectarij.

IX. Rediit dein Ecclesiis concordia, qua propter hanc causam dissociata fuerat, post scriptam ab orientalibus Episcopis epistolam ad Damasum Papam & ad synodum Romanam.

X. Negotium illud pacis consummavit Theodosius, missa ad Damasum illustri legatione, ut ei significaret ordinationem Nectarij.

XI. Acholius non tenuit locum Damasi in secunda synodo œcumenica. Refellitur Holstenius, qui ait eam synodum pro generali habitam non fuisse ab Ecclesia Romana. Quod refellitur multis argumentis, præcipuè verò auctoritate veterum Pontificum Romanorum, qui testantur se tenere atque defendere definitiones statutas in quatuor sanctis Conciliis.

XII. Gregorius Magnus profitetur se quatuor sancta Concilia, in quibus Constantinopolitanum secundo loco ponit, suscipere & venerari sicut sancti evangelij quatuor libros. Nicolaus I. ait secundam synodum apostolicæ sedis auctoritate fultam fuisse. Emendatur Innocentius III. qui canonem Photiani Conciliabuli putavit esse Concilij C P. primi.

XIII. Reponi potest, Romanam Ecclesiam suscepisse quidem definitionem fidei editam in hoc Concilio, ceterum canones non suscepisse, juxta testimonium sancti Gregorij.

XIV. Locum Gregorij oportet esse depravatum, cùm aliquid diversum habeat ab auctoritate decessorum ejus, constétque ex Dionysio Exiguo canones tres illius Concilij receptos ab Ecclesia Romana fuisse diu ante tempora Gregorij.

XV. Maneat itaque nullam Romanæ sedis legationem interfuisse Concilio secundo œcumenico.

XVI. Damasi Legatos non interfuisse secundæ synodo œcumenicæ probatur etiam testimonio Græcorum.

I. QUONIAM superiori capite nonnulla diximus de ordinatione Maximi in Ecclesia Constantinopolitana, cujus partim occasione coactum est Concilium Constantinopolitanum, res postulare videtur ut causæ istius initia repetamus, præsertim cùm hinc quoque commendari possit fides rerum à Nicolao primo proditarum in epistolis ad Imperatorem Michaëlem, de qua nobis suspicionem injicere voluit David Blondellus in libro de Primatu. Explicabuntur etiam hac ratione verba Nicolai ex quibus illustrissimus Cardinalis Baronius collegit Damasum Papam Gregorio Nazianzeno faviſſe, qui Constantinopolitanæ Ecclesiæ ordinatus item fuerat Episcopus, persuasum, ut ipse putat, ab Hieronymo, qui Gregorij auditor fuerat, quique apud Damasum pro Gregorio literis egerat ex urbe Constantinopolitana scriptis. Fallitur enim hoc loco Baronius, ex eo existimans Damasum Gregorio faviſſe, quòd testetur Nicolaus frequentia Damasi adversùs Maximum rescripta fuisse; tanquam non potuerit Damasus ordinationem Maximi repellere quin eodem tempore Gregorij translationem approbaret. Contrà, Damasus sic Maximum insectatus est ut etiam translationem Gregorij fieri prohiberet, tanquam contrariam canonibus & bonis moribus; ceu mox ostensuri sumus.

II. Vacante igitur Constantinopolitana Ecclesia, Gregorius Nazianzenus tum Episcopus, qui Constantinopoli fidem orthodoxam publicè profitebatur adversùs Arrianos, ad eam cathedram vocatus est. At parte ex alia Episcopi aliquot Ægyptij Maximum secta Cynicum ordinarunt Episcopum contra Gregorium. Hæc cùm ad Acholij & aliorum quorundam tractus illius Episcoporum aures pervenissent, literas ad Damasum in commune scripserunt, rei gestæ seriem continentes; ut qui ab Imperatore ad Concilium Constantinopoli habendum evocati fuerant, de negotio quod universam Ecclesiam respiciebat, Romanæ Ecclesiæ sententiam explorarent. Damasus in epistola generali ad eosdem Episcopos data primùm graviter reprehendit ordinationem Maximi, deinde verò damnat eorum consilium qui Gregorij translationem peregerant, tametsi illum non nominet. *Decursis literis dilectionis vestræ, fratres carissimi*, inquit, *satis sum contristatus, eo tempore quo Deo præstante hæretici iverant abjecti, nescio quos ex Ægypto venientes in postulatione contra regulam ecclesiasticæ disciplinæ alienum à nostra professione in Constantinopolitana civitate Cynicum ad sacerdotium vocare voluisse.* Tum exagitata ordinatione illa, addit commonere se eos ut in Concilio Constantinopolitano, quod indictum ob eam causam erat, darent operam quemadmodum prædictæ civitatis Episcopus eligatur, qui nullam habeat reprehensionem. In fine eos hortatur ad custodiam canonum, & ne patiantur aliquem migrare de civitate ad civitatem. Quod adversùs Gregorium scriptum esse nullus est dubitandi locus. Sic ergo ait Damasus: *Illud præterea commoneo dilectionem vestram, ne patiamini aliquem contra statuta majorum nostrorum de civitate alia ad aliam transduci, & deserere plebem sibi commissam, & ad alium populum per ambitionem transire. Tunc enim contentiones oriuntur, tunc schismata graviora occipiunt, cùm & illi qui amiserint sacerdotem sine dolore animi esse non possunt, & illi qui alterius civitatis acceperint Episcopum, etiamsi gaudeant, invidiosum sibi intelligunt fore sub alieno se agere sacerdote.* De Gregorio, inquam, heic agi manifestum est, & docet præterea epistola Concilij Italiæ ad Theodosium, de ordinatione Maximi agens, his verbis: *Tamen ne absentibus partibus præsumptè aliquid definisse videremur, clementiam tuam datis literis putavimus instruendam, ut ei*

Theodoret. lib. 4. hist. eccles. cap. 8.

Apud Holsten. pag. 37.

Ibid. pag. 41.

Concil. Nic. c. 15. Concil. Antioch. c. 21. Concil. Sardic. c. 1.

Appendix Cod. Theodos. pag. 104.

consuleretur ex usu publicæ pacis atque concordiæ; quia revera advertebamus Gregorium nequaquam secundùm traditionem patrum Constantinopolitanæ Ecclesiæ sibi sacerdotium vindicare.

III. Præter illam porrò epistolam generalem, Damasus aliam seorsum dedit ad Acholium, à quo & ipse seorsum ab Episcopis scriptam epistolam acceperat de ordinatione Maximi, ad eúmque rescripsit non sibi placuisse ordinationem illam, hortatúrque eum dare operam uti catholicus Episcopus in Constantinopolitana urbe constituatur. *Ad literas sanctitatis tuæ*, inquit, *plenè rescripsi non mihi placuisse quòd nescio quem Maximum ex Ægypto venientes conatum vel maximè, cujus habitus juxta Apostolum ignominiosus esset, Constantinopoli Episcopum ordinare voluissent. Rectius igitur fecerit sanctitas tua, si dederit operam ut de cetero catholicus constituatur, cum quo nobis Deo propitio possit pax perpetua perdurare.* Apud Holsten. pag. 43.

IV. Ex his Damasi epistolis collegerunt viri docti, uti jam diximus, Acholium Damasi Legatum fuisse in secunda synodo œcumenica; cùm tamen nulla illic legationis illius vestigia extent, repugnétque præterea auctoritas epistolæ Concilij Italici ad Theodosium, quæ docet Acholium non venisse sponte sua ad Concilium, sed invitatum ab Episcopis orientalibus. Quòd si quis tamen contentionis studio vellet omnino ex illa epistola colligi Acholium in ea synodo tenuisse locum Damasi, propterea quòd ei Damasus injungere videtur ut in Concilio Constantinopolitano catholicum Ecclesiæ huic Episcopum ordinari procuret, is certè fateatur oportet non uni Acholio commissas fuisse Damasi vices, sed Eurydico etiam, Severo, Vranio, Philippo, & Iohanni, quibus hanc ipsam curam disertis verbis imponit Damasus, atque ita in plures divisam esse auctoritatem quam illi uni Acholio tributam volunt. *De cetero commoneo sanctitatem vestram, ut quia cognovi dispositum esse Constantinopoli Concilium fieri debere, sinceritas vestra det operam quemadmodum prædictæ civitatis Episcopus eligatur qui nullam habeat reprehensionem; ut Deo propitio cùm integra pax catholicorum Sacerdotum fuerit confirmata, nullæ deinceps dissensiones in Ecclesia oriantur, ut præstante Deo, quod jamdudum optavimus, cum catholicis sacerdotibus possit pax perpetua perdurare.* Apud Holsten. pag. 41. Præterea, valde accusanda esset Acholij contumacia, qui non vi mandatorum Damasi Constantinopolim accesserit, sed postquam rogatus & evocatus fuit ab Episcopis orientalibus.

V. Dum hæc Constantinopoli agebantur, Theodosius Imperator apud Thessalonicam baptizatus est ab Acholio anno trecentesimo octuagesimo. Is ergo initia fidei suæ consecrare cupiens insigni aliquo facinore, nihil illustrius se facere posse putavit, sic fortassis ab Acholio persuasus, quàm si recens Ecclesiæ Constantinopolitanæ schisma sedaret. Ea de causa Concilium in ea urbe convocavit, in quo, ut Socrates & Sozomenus tradunt, tum Nicæni Concilij decreta confirmarentur, tum ordinaretur aliquis qui Constantinopolitanæ sedis episcopatum administraret. Advenientes in regiam urbem Episcopi, primò segregantes se ab Episcopis Ægyptiis, sacros conventus cum Gregorio egerunt. At vir pacis amantissimus, cùm videret discordiam inter Episcopos esse subortam propter ordinationem suam in Ecclesia Constantinopolitana, ad eámque redintegrandam illos fuisse congregatos, primùm orare uti cùm jam de concordia constituenda conveniissent, ea quæ ad concordiam mutuam spectarent, unius hominis injuriæ præferre velint, abiturum se lubenter episcopatu tantæ urbis, quietem porrò ac tranquillitatem sibi cariorem esse; conquirerent itaque virum præstabilem & sapientem, qui provinciam tam plenam curarum tum capessere tum probè administrare posset, eúmque Episcopum designarent urbis Constantinopolitanæ. His rationibus persuasi patres, cùm inter se de negotio magni momenti deliberarent, literas ad Acholium Thessalonicensem Episcopum miserunt, orantes uti Constantinopolim veniret, ut cum ejus judicio sive consilio de regiæ urbis episcopatu decernerent. Gregorio itaque se episcopatu illo abdicante, Nectarium in loco ejus ordinarunt, Maximum autem episcopali dignitate spoliarunt, eíque Ecclesia interdixerunt.

VI. Videns ista Maximus, in Italiam se contulit, ut Pontificum Italorum, sed præcipuè Damasi Romani & Ambrosij Mediolanensis, quorum ea tempestate summa auctoritas erat, favore fultus, Nectario reprobato, Constantinopolitanam Ecclesiam retinere posset. Constat autem Nectarij ordinationem initio non placuisse Damaso. Itaque affirmare possumus Damasum & occidentale Concilium hoc Maximi confugium approbasse, eámque occasionem explicandæ auctoritatis Romanæ & occidentalis Ecclesiæ in sedem Constantinopolitanam avidè arripuisse. Hinc factum ut in Concilio Aquileiensi sub Ambrosio, quod generale erat ex Occidente, cuíque Damasi auctoritatem ex eo inter cetera interveniisse colligitur quòd de illo congregando Gratianus Imperator ad eum scripsit, ut fidem facit auctor Synodici, in Concilio inquam Aquileiensi, damnata Nectarij ordinatione, ita approbatus sit Maximus, ut Episcopi ex eo Concilio ad

Theodosium

Theodosium rescripserint nihil habuisse se in quo de episcopatu ejus dubitare possent, cùm etiam vim sibi repugnanti à plerisque etiam de populo & clero testatus esset illatam, neque aliter redintegrari posse concordiam inter occidentales & orientales, quæ propter hanc causam soluta & dissociata fuerat, quàm si posthabita & cassata Nectarij ordinatione, Maximus, utpote prior ordinatus, sedi Constantinopolitanæ redderetur; si verò obtineri id non posset, certè causa utriusque coram Damaso retractaretur in synodo Romana, ad quam Episcopi ex Occidente & Oriente convenirent.

VII. Huic Concilio Aquileiensi præfuisse Ambrosium Episcopum Mediolanensem vetera illorum temporum monumenta probant. Auctor verò Synodici addit Acholium quoque Thessalonicensem synodi præsidem una cum Ambrosio fuisse; cùm tamen ille neque in epistolis synodicis nominatus inveniatur, neque in Actis quæ nunc extant ejusdem Concilij. Ex eo tamen synodici loco viri clarissimi Lucas Holstenius & Petrus Franciscus Chiffletius collegerunt Acholium Damasi Legatum fuisse in Concilio Aquileiensi, eo nimirum argumento persuasi, quòd synodo Aquileiensi, quæ in Italia cogebatur extra Diœcesim Illyricianam, interesse non potuerit nisi sub umbra legationis apostolicæ sedis. Ego verò fateor valde dubitare me an Acholius præsens fuerit in Concilio Aquileiensi. Ceterùm huic interfuisse potuit etiam ut Episcopus Thessalonicensis, utpote unus Episcoporum Occidentis, adeo ut opus non sit recurrere ad vices Damasi. Immo Legatum ejus illic non fuisse vel ex eo colligerem (tametsi concederem illum interfuisse synodo) quòd primum ubique locum obtinet Ambrosius in epistolis synodicis, in quibus Acholius ne nominatur quidem. quod est omnino infra dignitatem ejus qui Vicarius esset Romani Pontificis. Nunc ad causam Maximi & Nectarij revertamur.

P. P. Chiffler in Not. ad Vigil. Tap. pag. 44. 45.

VIII. Imperialibus itaque literis, ut Hieronymus ait, Romam ob dissensionem Constantinopolitanæ, Antiochenæ, & Hierosolymitanæ Ecclesiarum contractis Orientis & Occidentis Episcopis anno CCCLXXXII. adfuit etiam Acholius, unus videlicet occidentalium; orientales verò Constantinopoli substiterunt, tametsi & Imperatorum rescriptis & occidentalis Concilij literis Romam evocati fuissent. His literis occidentales, ut ex orientalium epistola colligitur, hortabantur orientales ad pacem Ecclesiarum, nominatim agentes de ordinatione Nectarij, cujus causam in synodo Romana retractandam esse contendebant juxta postulata prioris synodi. Adfuerítne Maximus, annon, à nemine traditum invenio. Probabile tamen est adfuisse in synodo quæ propter eum celebrabatur, & quam Episcopi Italiæ, gratificari ei cupientes, ab Imperatoribus congregari petiverant; præsertim cùm ipse aversos à se videns animos Episcoporum orientalium ac Theodosij Augusti, quorum studia ad Nectarium conversa erant, in Italiam se contulisset, ut causam in synodo ageret suam, quemadmodum loquuntur Episcopi Concilij Italici ad Theodosium. Vtcunque se res habeat, certum est causam Maximi tristes exitus habuisse, meliorémque fuisse Nectarij conditionem.

Hieron. in epist. ad Eustochium.

IX. Rediit deinde Ecclesiis concordia post scriptam ab orientalibus epistolam ad Damasum Papam & ad synodum Romanam, quæ extat apud Theodoretum; in qua jure factam Nectarij ordinationem pertinacissimè, licèt verbis perquam modestis, affirmabant. Nam hæc omnino sunt verba eorum: *De administrationibus autem quæ sunt cujusque Ecclesiæ propriæ, cùm vetus, uti nostis, lex est, tum sanctorum patrum in Nicæno Concilio decisio, ut videlicet singularum provinciarum antistites, una cum finitimis, modò ipsis ita visum fuerit, Episcopis, ministros ad Ecclesiarum commodum in suis ipsorum provinciis ordinent. Ex cujus legis & definitionis præscripto scitote tum alias quoque Ecclesias apud nos administratas esse, tum illustrissimarum Ecclesiarum Sacerdotes delectos. Vnde Ecclesiæ Constantinopolitanæ recens, ut ita dicam, ædificatæ, quámque ex hæreticorum blasphemia tanquam ex ore leonis per misericordiam Dei nuper eripuimus, reverendissimum sanctissimúmque Nectarium in Concilio generali, communi omnium consensu, præsente Theodosio Imperatore religiosissimo, totius denique Cleri totiusque civitatis suffragiis, Episcopum constituimus.* Et infrà: *Quibus rebus tanquam legitimè & secundùm Ecclesiæ canones constitutis obsecramus vestram reverentiam uti congratuletur, spiritali caritate nos mutuò devinciente, & timore Domini, qui omnem humanam affectionem reprimit, Ecclesiarúmque ædificationem amori illi & benevolentiæ, qua singuli singulos complectuntur, longè anteponit.* Theodoret. lib. 5. hist. eccles. cap. 9.

Vide infrà lib. 7. c. 4. §. 10.

X. Negotium illud pacis & concordiæ prudenti usus consilio consummavit Theodosius Imperator, missa ad Damasum illustri legatione, ut ei significaret ordinationem Nectarij, quæ communi omnium consensu sub præsentia Principis & Concilij generalis peracta fuerat, útque formatam, id est, literas communicatorias, pacis symbolum, ab eo ad Nectarium mitti secundùm morem debere insinuaret. Memoriam tantæ rei de-

Apud Holsten. pag. 77.

bemus Bonifacio I. cujus hæc sunt verba ex epistola ad Episcopos Illyrios: *Clementissimæ recordationis Princeps Theodosius Nectarij ordinationem, propterea quia in nostra* (id est, ejus Pontificis qui tum apostolicæ sedi præsidebat, Damasi nimirum) *notione non esset, habere non existimans firmitatem, missis è latere suo aulicis cum Episcopis formatam huic à sede Romana dirigi regulariter depoposcit, quæ ejus sacerdotium roboraret.* Tunc verò fractæ sunt graves illæ Concilij Italici minæ de quibus paulò antè dicebamus; pacatóque Damaso, pacata etiam est Italia. Valuit itaque ordinatio Nectarij.

Vide supra hoc lib. 5. cap. 4. §. 3.

XI. Sed ut ad id revertamur quod de Acholio verè dicebamus, nimirum eum non tenuisse locum Damasi in secunda synodo œcumenica, hinc etiam valida istius rei probatio peti potest, quòd (ut suprà illustrissimus Archiepiscopus observavit tanquam rem positam extra omnem controversiam) certum sit eam synodum nullis ornatam fuisse Romanæ Ecclesiæ Legatis. Vnde & Holstenius adnotat eam, quòd absque auctoritate Damasi habita fuerit, pro generali habitam non fuisse ab Ecclesia Romana, quæ nunquam ejus acta probavit. Quanquam si quis heic cum Holstenio contendere vellet, opponere illi posset auctoritatem Photij, qui in libro de Synodis adnotat Damasum confirmasse secundam synodum œcumenicam. *Quibus haud multò pòst*, inquit, *& Damasus Episcopus Romæ eadem confirmans atque idem sentiens accessit.* Vnde & illustrissimus Cardinalis Baronius observat in annalibus ecclesiasticis hoc Concilium auctoritate Damasi obtinuisse nomen œcumenici Concilij. Nam & Papa Vigilius in epistolis ad Iustinianum Imp. & ad Menam Episcopum C P. item in encyclica ad universam Ecclesiam, in qua exponit causas secessus sui ad sanctam Euphemiam, & quid ibi egerit cum Legatis Iustiniani, confessionem fidei suæ interserens, sanctam synodum Constantinopolitanam C L. patrum numerat inter quatuor œcumenicas sive generales, exemplum prædecessoris sui Gelasij secutus. Pelagius quoque secundus confessionem fidei suæ mittens universo populo Dei, ita loquitur: *De sanctis verò quatuor Conciliis, id est, Nicæno trecentorum decem & octo, Constantinopolitano centum quinquaginta, Ephesino primo ducentorum, sed & Chalcedonensi sexcentorum triginta, ita me protegente divina misericordia sensisse & usque ad terminum vitæ meæ sentire toto animo & tota virtute profiteor, ut eas in sanctæ fidei defensione & damnationibus hæresum atque hæreticorum, utpote sancto firmatas Spiritu, omnimoda devotione custodiam.* Et paulò pòst: *Similem igitur suprascriptis synodis reverentiam me semper exhibiturum esse confido.* Et in epistola ad Childebertum Regem Francorum: *Definitiones quoque de eadem catholica fide quæ in quatuor sanctis Conciliis statutæ sunt, sed & memorati Pontificis*, id est, Leonis primi, *quas universalis semper tenuit ac tenet Ecclesia, nos cum Dei auxilio tenere atque defendere præsenti ad excellentiam vestram conloquio intimandum necessariò judicavi.*

Holsten. in Notis ad Concil. Rom. sub Bonif. II. pag. 260.

Baron. ad an. 381.

Extat in Appendice Cod. Theodos. pag. 218.

Gelas. I. in Decreto de libris apocryphis.

XII. Decessoris sui Pelagij vestigia premens Gregorius istius nominis primus, cui deinde Magno cognomen hæsit, profitetur alicubi se sancta quatuor Concilia, in quibus Constantinopolitanum istud secundo loco ponit, suscipere & venerari sicut sancti evangelij quatuor libros. Longum esset ire per singulos. Sed tamen prætermitti non debet testimonium Nicolai I. qui ad Michaëlem Imperatorem scripsit sanctam secundam synodum apostolicæ sedis auctoritate fultam, Nectarij ordinationem in Ecclesia Constantinopolitana fieri decrevisse: *Et idcirco*, inquit, *bene & optimè sanctæ secundæ synodo apostolicæ sedis auctoritate fultæ ita de Nectario placuisse testamur.* Adferri quoque hoc loco debet testimonium Innocentij III. qui ad Hubaldum Episcopum Faventinum in Archiepiscopum Ravennatensem electum scribens anno M C C V I I I. I V. Idus Februarij, antiquorum Pontificum prædecessorum suorum placitis inhærens, ita loquitur de Concilio isto Constantinopolitano; licèt in facti specie lapsus sit, decretum Photiani Concilij tribuens secundæ synodo œcumenicæ. *Vnde contra dictum Concilium*, inquit, *cùm sit unum ex quatuor principalibus, quæ sicut quatuor Evangelia catholica Ecclesia veneratur, nullatenus videbatur eadem postulatio admittenda.*

S. Greg. lib. 1. epist. 24.

Nicol. I. epist. 8.

Innoc. III. lib. epist. 146. edit. Stephani d'Vsez. Post nonul. De restitut.

Concil. Ct. 8. Phot. c. 1. Rom. Gratian. c. 6. c. Hæ sanè.

XIII. Scio tamen adversùs hæc posse reponi Romanam Ecclesiam suscepisse quidem definitionem fidei editam in hoc Concilio Constantinopolitano, ceterùm canones illic conditos rejecisse, juxta testimonium ejusdem sancti Gregorij, qui hæc ad Eulogium Episcopum Alexandrinum & Anastasium Antiochenum scribit: *Et canones quidem Constantinopolitani Concilij Eudoxianos damnant. Sed quis fuerit eorum auctor Eudoxius, nequaquam dicunt. Romana autem Ecclesia eosdem canones vel gesta synodi illius hactenus non habet nec accepit; in hoc autem eandem synodum suscepit quod est per eam contra Macedonium definitum.*

Vide supr. lib. 5. c. 3. §. 1.

S. Greg. lib. 8. epist. 31.

XIV. Testimonium illud sancti Gregorij magnæ esse constat auctoritatis. Non video tamen quomodo convenire ei possit cum ceteris Pontificibus, qui profitentur absque ulla exceptione damnare se hæreses & hære-

ticos à quatuor sanctis Conciliis damnatos, adeóque illos qui in secunda synodo œcumenica damnati sunt. Damnatio autem Macedonianorum, ut istos exempli causa sumamus, non extat nominatim in Symbolo fidei quod à synodo illa editum habemus, sed in primo canone, in quo etiam damnantur aliorum quorundam hæreticorum errores. Vnde fortassis colligi debet locum S. Gregorij non vacare mendo, tamenetsi ab Hincmaro citetur ut heic editus est. Nam præterea ævo ejus Collectio Canonum à Dionysio Exiguo adornata recepta jamdiu erat in Ecclesia Romana, ut constat ex Cassiodoro. In hac porrò Collectione descriptos hodie videmus tres canones Concilij istius Constantinopolitani, non solùm in libris editis, sed etiam in omnibus antiquis codicibus. Vnde colligi potest illos ab Ecclesia Romana receptos fuisse ante Gregorij Magni tempora, cessante videlicet causa propter quam repudiati erant, mitigato nimirum dolore quem Pontifices Romani conceperant ex dignitate quæ collata erat Episcopo Constantinopolitano.

XV. Scio, ut antè dixi, adversùs ea quæ huc usque dicta sunt reponi posse Romanam Ecclesiam susceptisse quidem definitionem fidei editam in Concilio Constantinopolitano, ceterùm canones ejusdem Concilij non recepisse. Verùm satis instituto meo feci, si probatum adversùs Holstenium fuerit eam synodum pro generali habitam fuisse à Pontificibus Romanis & ab Ecclesia Romana. Id verò me tot auctoritatibus abundè puto confeciisse, superfluámque fore omnem operam quæ in hoc argumento deinceps poneretur. Atque id quidem obtinuit, quamvis ea synodus habita fuerit absque Damaso & absque auctoritate ejus. Non vident enim qui contrà sentiunt quantam sedi apostolicæ injuriam faciant, quam volunt Constantinopoli fuisse in suo Vicario Acholio qua tempestate jaciebantur fundamenta patriarchatus Constantinopolitani, patriarchatus inquam Constantinopolitani, cui tantis animis & per tot tempora contradixerunt Romani Pontifices tanquam novæ rei & quæ tentata esset adversùs statuta Concilij Nicæni.

XVI. Meliùs igitur cum Romanis agitur, & æquiùs pro veritate, cùm asseritur nullam sedis apostolicæ legationem interfuisse secundæ synodo œcumenicæ, quæ Constantinopoli coacta est. Quod ut etiam Græcorum testimonio conficiamus, utemur auctoritate veteris indiculi septem Conciliorum œcumenicorum qui in veteri codice MS. Bibliothecæ regiæ præfixus est operibus sancti Basilij. Indiculus ille, ne quid dissimulem, non est admodum vetustus, quippe his quadringentis annis scriptus, ut apparet ex forma literarum. Descriptum tamen esse ex vetustiori codice, qui ante octavam synodum scriptus fuerit, hinc colligi posse videtur, quòd in enumeratione synodorum, Imperatorum, Patriarcharum, quorum temporibus habitæ sunt synodi œcumenicæ, tum etiam urbium in quibus habitæ sunt, & hæreticorum adversùs quos ea Concilia celebrata sunt, indiculus ille constanter definit in septima synodo, quam in Nicæa congregatam prodit adversùs Iconomachos sub Constantino & Irene, temporibus Tarasij Patriarchæ CP. & Hadriani Papæ Romani. In fine verò indiculi recensentur Romani Pontifices quorum ævo ea Concilia celebrata sunt, item eorum virorum nomina qui locum ipsorum tenuerunt in synodis œcumenicis. Primo loco ponitur Silvester, cujus locum in Nicæna synodo tenuisse dicuntur Biton & Vicentius. Sequitur Damasus, cujus ævo celebratum est Concilium CP. de quo nunc agimus. Sed in hoc loco, quemadmodum & sub Vigilio, locus Vicariorum relictus est vacuus, quia nulla Romanæ sedis legatio interfuit huic synodo. Post Damasum ponitur Celestinus, cujus locum in Ephesina synodo tenuisse Cyrillum Alexandrinum docet auctor indiculi. Deinde Leo, pro quo Pascasinus & Lucesius adfuerunt in Concilio Chalcedonensi. Tum Vigilius; hinc Agatho, cujus locum in sexta synodo tenuisse leguntur Georgius, Theodorus, alter Georgius, & Ioannes. Postremò Adrianus primus, cujus vicem in septima synodo obtinuerunt Petrus & alter Petrus. Vnde constat eam fuisse Græcorum sententiam ut putarent secundam synodum habitam fuisse absque Legatis Romani Pontificis. Operæ autem pretium est heic describere postremam partem illius indiculi, ut res ista meliùs intelligi possit.

πάπαι.	σίλβεστρος	χαὶ ἰβλιος.	δάμασος.	κελεστῖνος.	λέων.	βιγίλλιος.	ἀγάθων.	ἀδριανός.
τοποτηρηταί.	βίτων, χαὶ βικέντιος.			κύριλλος.	πασκασίνος. λεύκιος.		γεώργιος, θεόδωρος. γεώργιος χ̣ ἰωάννης.	πέτρος ἕτερος πέτρος.

CAPVT XXII.

Synopsis.

I. Investigandum nunc est an Vicariatus Thessalonicensis datus Ecclesiæ fuerit, aut singulis Episcopis. Ivo Carnotensis ait personale privilegium fuisse, non generale decretum. Contrà nonnulli putant sic concessum fuisse privilegium ut revocari non posset.

II. Distinctio privilegiorum in personalia & perpetua; quæ probatur illustri loco sancti Gregorij. Consuetudo bona obtinet vim legis. Vicariatus apostolicæ sedis tributus fuit Ecclesiæ Thessalonicensi. Refellitur Holstenius, qui aliter senserat.

III. Istud probatur auctoritate Bonifacij I. Celestini I. & Sixti III.

IV. Vltima verba epistolæ Sixti explicantur, quæ tangunt causam Perigenis Corinthiorum Episcopi. Tum ex ea epistola manifestè colligitur vicariam illam dignitatem Ecclesiæ Thessalonicensi fuisse conjunctam.

V. Idem Sixtus hinc concludit omnes Illyricianas Ecclesias pertinere ad curam Thessalonicensis antistitis, quisquis is tandem fuerit. Idem probatur auctoritate sancti Leonis, qui explicatur, item Bonifacij. Hormisda loquitur de privilegiis Ecclesiæ Thessalonicensis.

VI. Itaque cùm sequentes Pontifices aiunt se vices suas Thessalonicensibus Episcopis committere secundùm morem, intelligendum est illos firmitatem rebus jam constitutis tribuere, non verò personæ concedere auctoritatem cum persona interituram.

VII. Auctoritatem illam fuisse perpetuam probatur etiam ex Nicolao I.

VIII. Locus Nicolai illustratur & explicatur. Dionysius Exiguus sua attestatione docuit fixam fuisse illam dignitatem, cùm dixit Thessalonicensem antistitem semper impleviſſe vices apostolicæ sedis.

IX. Istud ipsum probatur ex comparatione dignitatis quam Archiepiscopo primæ Justinianæ conciliavit Imperator Justinianus ad exemplum ejus potestatis quam Thessalonicensis obtinebat in Illyrico.

I. SVPEREST itaque ut investigemus an vicaria illa Thessalonicensium Episcoporum dignitas data fuerit Ecclesiæ, an verò personalis tantùm fuerit. Difficilis sanè quæstio, quæ manifestis argumentis solvi non potest, & cui vix tenuem facem præferunt vetera monumenta. Si quid in re adeo antiqua valere posset auctoritas Ivonis Episcopi Carnotensis, uno verbo confici res posset. Hic enim apertè scribit auctoritatem quæ Thessalonicensi Episcopo tanquam sedis apostolicæ Legato data fuerat, personale privilegium fuisse, non generale decretum. *Personale hoc fuisse intelligimus privilegium,* inquit, *non generale decretum.* Contrà, nonnulli viri celeberrimi hoc nostro seculo censuerunt sic concessum fuisse privilegium ut revocari non posset, ita ut quicunque Thessalonicensis Episcopus esset, is Legatus natus esset Romani Pontificis, ejùsque vices ratione suæ Ecclesiæ gereret in Illyrico. Inquirendum igitur est in antiquitatem, & absque ullo præjudicio quærenda veritas; præsertim cùm stabilita semel auctoritate Episcopi Thessalonicensis in Illyrico, facilis hinc descensus sit ad Episcopos qui eadem vel simili potestate ornati sunt in aliis regionibus, præcipuè verò ad Arelatenses.

II. Sed antè quàm ad rem ipsam veniamus, sic statuendum est, privilegium personæ datum, personale vocari, & extingui cum persona; adeóque si cuipiam Episcopo vices apostolicæ sedis ita committantur ut non loco sed personæ dicantur esse tributæ, privilegium illud pertinere non potest ad successorem. Hanc regulam debemus sancto Gregorio: qui vices suas per Siciliam delegans Maximiano Episcopo Syracusano, ait se id tribuere personæ ejus, non loco, id est, Maximiano, non Ecclesiæ Syracusanæ, ne successores ejus illud privilegium sibi postea vindicarent quod in persona Maximiani cœpisset: *Quas videlicet vices*, inquit, *non loco, sed personæ tribuimus; quia ex transacta in te vita didicimus quid etiam de subsequenti tua conversatione præsumamus.* Ex hac regula aliam quoque, quæ magni momenti est in hac causa, colligimus, nempe vicariam illam auctoritatem, quæ uni cuipiam Episcopo tribuitur, perpetuam esse, & ad omnes æquè successores pertinere, si Pontifex in rescripto non expresserit eam non loco sed personæ datam esse, tunc quippe datam Ecclesiæ intelligendum esse, adeóque singulis Episcopis qui ejus Ecclesiæ administrationem gesserint, cùm expressis verbis ad unum non coërcetur; ita tamen ut istiusmodi privilegium innovatione interdum indigeat, si ea fuerit Ecclesiarum consuetudo. Præterea certum est consuetudinem bonam obtinere vim legis, & quæ ab aliquo usurpantur secundùm veterem consuetudinem, rectè præsumpta videri. Itaque si ostendere possumus vicariatum apostolicæ sedis tributum fuisse Ecclesiæ Thessalonicensi, ita ut quicunque ad eam cathedram perveniſſet, is quoque ex eo esset Romani Pontificis Vicarius in Illyrico, soluta erit omnis controversia, constabitque privilegium illud ad unumquemque Episcopum pertinuisse jure ac privilegio sedis suæ. Istud verò probaturum me esse confido auctoritate epistolarum veterum Pontificum Romanorum quæ superioribus annis Romæ editæ sunt à clarissimo viro Luca Holstenio inter Acta Concilij Romani sub Bonifacio secundo celebrati. Scio eum ex epistolis illis collegisse vicariam illam dignitatem non loco, id est, Ecclesiæ, collatam fuisse, sed personarum meritis. Verùm rectè hinc quoque

Ivo epist. 59.

Marca lib. 7. de concord. cap. 17. §. 7. & in libro de Primat. §. 46. 50. Fr. Florens ad Tit. de elect. & electi potest. pag. 195. R. P. Chiffler. in Notis ad Vigil. Tapsi. pag. 44.

adversùs ipsum collegit R. P. Petrus Franciscus Chiffletius aliud in his epistolis contineri quàm censuisset Holstenius. Sic enim loquitur: *Quòd porrò ait idem Holstenius non uno loco, vicariatum sanctæ sedis per Illyricum non loco seu sedi Thessalonicensi, sed personis, hoc est, Episcoporum Thessalonicensium privatis meritis fuisse concessum, non video qua ratione cum citatis Pontificum epistolis conveniat.*

Chiffl. in Notis ad Vigil. Taps. pag. 44.

III. Sanè Bonifacius Papa istius nominis primus, ad Rufum Thessalonicensem Episcopum scribens, vicariatum illum Thessalonicensi Ecclesiæ collatum esse scribit à beato Petro, id est, à sede apostolica. Hæc sunt ejus verba: *Ita quippe vice sua beatus Apostolus Petrus Ecclesiæ Thessalonicensi cuncta commisit, ut intelligat se solicitudinem manere multorum; quam minorem facere nova, quæ vires habere non possunt, tentamenta non debent.* Integrum locum retuli, quia utrumque membrum illius loci ostendit heic agi de jure ac privilegio Ecclesiæ. Idem Bonifacius ad Episcopos per Illyricum constitutos scribens de vicariatu Rufi, hæc ait: *Quam ad rem faciendam memorato Episcopo meo directa secunda protinus, quæ presbyterio universo complacuit, auctoritatem mandavi, retro majores secutus, qui Ecclesiam Thessalonicensem sibi semper familiarem, & in collegij caritate famulantem, dignam, sicut fides adserit scriniorum, hoc honore duxerunt.* Item Celestinus in epistola ad Episcopos per Illyricum: *Nec nova hæc sedi apostolicæ cura de vobis est. Statutum nostris sæpius experimentum hoc, quod nos agimus, Thessalonicensi Ecclesiæ semper esse commissum ut vobis vigilanter intendat.* Sixtus quoque III. in epistola ad Perigenem Corinthiorum Episcopum, qua ad ipsum inter cetera scribit se vices suas per Illyricum more majorum concessisse Anastasio Episcopo Thessalonicensi, ita loquitur: *Sancto fratri & coëpiscopo nostro Anastasio Thessalonicensis urbis antistiti eam servato reverentiam quam ceteri quoque Pontifices per Illyricum constituti erga prædicti dignitatem reservare non abnuunt, cùm* * *sciamus nihil novum illi à nobis fuisse concessum, sed id quod ejus decessoribus nostri decessores detulerant habita consideratione disciplinæ ecclesiasticæ constitutum. Tua enim magis interest ut huic plurimùm deferatur Ecclesiæ quæ tibi tantum honoris centulit ut pro te contra eos qui tibi tunc æmuli fuerant repugnaret.*

* Ignotum quos hac scr. ad Episcopos Illyricanos pertinuerit.

IV. Perigenes Corinthiorum Episcopus, ad fastigium tantæ sedis evectus favore & auxilio Rufi Thessalonicensis antistitis & auctoritate Bonifacij Romani Pontificis, stabilita nunc & confirmata per longi temporis spatium ordinatione sua, beneficiorum immemor, imperium detrectabat Anastasij, qui Rufo successerat, & cui vices suas Sixtus commiserat in provinciis Illyricianis. Sixtus videns se contemni in suo Vicario, primùm quidem audaciam hominis repressit; deinde repetens memoriam præteriti temporis, redit ad initia episcopatus ejus; quæ cùm valde titubarent, Ecclesiæ tamen Thessalonicensis suffragatione, Rufi nimirum Thessalonicensis antistitis, episcopatum Corinthiensem obtinuerat auctoritate sedis apostolicæ. Cùm verò beneficium illud Sixtus referat ad Ecclesiam Thessalonicensem, non ad Rufum, qui præstitit, ingratum autem mortuo jam Rufo esse Perigenem dicat adversùs Ecclesiam Thessalonicensem, quòd Anastasio contradiceret auctoritatem vicariatus apostolici, manifestum est illum existimasse beneficium quod Perigeni collatum fuerat à Rufo, ab eo præstitum auctoritate vicariatus Ecclesiæ Thessalonicensis, adeóque vicariam illam dignitatem Ecclesiæ Thessalonicensi fuisse conjunctam, ita ut quæ ab uno Ecclesiæ illius Episcopo beneficia tribuebantur, eorum gratia in successores quoque redundare deberet. Frustra enim diceret eum ingratum esse erga Thessalonicensem Ecclesiam, si is totam confirmationis suæ gratiam Rufo debuisset tanquam privato homini, non tanquam ei qui ratione Ecclesiæ suæ vices gesserat apostolicæ sedis. Id verò non uno loco dicit Sixtus, ne quis ad casum referat, sed omnino in duobus locis, in epistola nimirum ad Perigenem, cujus fragmentum mox retulimus, & in epistola ad Episcopos in synodo apud Thessalonicam congregandos, in qua sic legitur: *Noverit Corinthius Episcopus sibi licentiam potestatis liberæ minimè tribuendam, si huic voluerit Ecclesiæ resultare quam sibi noverit profuisse; cui necesse est nos quoque, si quid tentare voluerit, obviare, qui præteritorum quæ illi per nos* (id est, per sedem apostolicam) *præstita sunt memores sumus, & illicitis semper usurpationibus obviamus.*

Vide lib. 14. ep. 14. & lib. 15. ep. 14. ſ. 4.

V. Ex asserta dignitate illa Ecclesiæ Thessalonicensis rectè secundùm idem principium concludit Sixtus in epistola ad Episcopos per Illyricum consistentes, omnes Illyricianas Ecclesias ad curam pertinere Thessalonicensis antistitis, quisquis is tandem fuerit. *Illyricianæ omnes Ecclesiæ*, inquit, *ut à decessoribus nostris accepimus, & nos quoque fecimus, ad curam nunc pertinent Thessalonicensis antistitis.* Hinc enim facilè colligimus privilegium fuisse perpetuum. Nam Sixtus à Damaso, Siricio, Anastasio, & ceteris prædecessoribus suis non acceperat Illyricianas Ecclesias pertinere ad curam Episcopi qui tum Thessalonicensi Ecclesiæ præerat, nimirum Anastasij, sed in universum ad curam illius qui Thessalonicensem sedem teneret.

Vide infrà cap. 23. ſ. 4.

Vnde & in fine epistolæ ad Episcopos per Illyricum, in qua de Anastasio agit tum recens ordinato Episcopo Thessalonicensi, ait se prædecessorésque suos Pontifices Romanos constituisse ut Illyricianæ Ecclesiæ ad Anastasium pertinerent secundùm veterem consuetudinem. Quod falsum omnino esset, si ad solum Anastasium referretur, non verò generaliter ad Episcopum Thessalonicensem, quisquis is tandem foret. Hæc sunt verba Sixti: *Nec credatis vobis minui quidquid reverentiæ illius, ad quem & majores nostri & nos Illyricanas Ecclesias juxta morem traditum voluimus pertinere, à vestra dilectione & servari volumus & deferri.* Idem dicendum est de epistola Leonis primi ad Metropolitanos per Illyricum constitutos: in qua eis significans se vices suas commisisse Anastasio, ait se id facere secundùm exempla decessorum suorum, cùm tamen constet neminem ante Leonem vices suas Anastasio commisisse præter Sixtum. Ridicula namque essent verba Leonis, nisi hac interpretatione mollirentur quam adhibuimus verbis Sixti. Sic namque loquitur Leo: *Vicem itaque nostram fratri & coëpiscopo nostro Anastasio, secuti eorum exemplum quorum nobis recordatio est veneranda, commisimus.* Rectè ergo idem Sixtus dixit in epistola ad Perigenem, nihil se novum concessisse Anastasio, sed habita consideratione disciplinæ ecclesiasticæ id ei detulisse quod decessores sui Romani Pontifices detulerant illius decessoribus. Eodem loquendi modo ante Sixtum usus erat & Bonifacius in epistola ad Episcopos per Thessaliam constitutos; in qua Rufum vindicare studens à contemptu adversùs Thessalos, ita loquitur: *Cui nihil novum auctoritas nostra concedit, sequens priorum gratiam, qua huic curæ Ecclesiarum sæpe videtur injuncta.* Post istos Hormisda in commonitorio quod dedit Ennodio & Peregrino Episcopis, quos Thessalonicam mittebat ad Dorotheum Episcopum Thessalonicensem pro causa Ioannis Metropolitani Epiri veteris, privilegia illa Thessalonicensi Ecclesiæ concessa fuisse testatur his verbis: *Certè redeat ad unitatem, & nos cum eo insistemus ut omnia privilegia quæcunque consecuta est à sede apostolica Ecclesia ejus, inviolata serventur.*

Apud Holsten. pag. 102.

Apud Holsten. pag. 154.

VI. Quare cùm videmus sequentes Pontifices, cùm Episcopis Thessalonicensibus delegant vices suas, profiteri se id facere juxta morem antiquum, & priorum exempla judiciáque sequendo, tametsi addant id se facere contemplatione etiam meritorum insignium virorum, intelligere debemus illos firmitatem rebus jam constitutis tribuere, non verò eam auctoritatem tribuere Ecclesiæ Thessalonicensis antistiti, ita ut eo extincto, extincta quoque ita sit vicaria illa potestas ut ad successorem non transeat. Nam & ipse Bonifacius primus, cujus testificatione docuimus eam curam delegatam fuisse Ecclesiæ Thessalonicensi, id se facere ait more majorum in epistola ad Episcopos Illyrios: *Retro majores secutus*, inquit, *qui Ecclesiam Thessalonicensem sibi semper familiarem, & in collegij caritate famulantem, dignam, sicut fides adserit scriniorum, hoc honore duxerunt.* Sixtus etiam III. ad Episcopos in synodo apud Thessalonicam congreganda scribens de Anastasio Episcopo Thessalonicensi ait: *Nos fratri & coëpiscopo nostro Anastasio tantum tribuimus quantum decessoribus ipsius à nostris decessoribus attributum. Priorum judicium sequimur hæc constituendo quæ ab his novimus constituta.* Idem in epistola ad Episcopos per Illyricum consistentes: *Nec credatis vobis minui quidquid reverentiæ illius, ad quem & majores nostri & nos Illyricanas Ecclesias juxta morem traditum voluimus pertinere, à vestra dilectione & servari volumus & deferri.* Leo I. in epistola LXXXIV. ad Anastasium Thessalonicensem: *Sicut præcessores mei præcessoribus tuis, ita etiam dilectioni tuæ, priorum secutus exemplum, vices mei moderaminis delegavi.* Idem Episcopis Metropolitanis per Illyricum constitutis: *Vicem itaque nostram fratri & coepiscopo nostro Anastasio, secuti eorum exemplum quorum nobis recordatio est veneranda, commisimus.*

VII. Sufficere ista possent, ut arbitror, ad ostendendum vicariam illam Episcoporum Thessalonicensium dignitatem in consuetudinem venisse, ita ut quicunque Thessalonicensis esset antistes, is ex more ornandus esset apostolicæ sedis vicariatu per Illyricum. Facere tamen non possum quin adhuc ad eam rem probandam utar testimonio Nicolai primi, qui in epistola ad Michaëlem Imperatorem scripta ait indefinitè Thessalonicensem Episcopum secundùm antiquum morem, quem restaurari postulat, habuisse vicem Ecclesiæ Romanæ per Epirum & nonnullas alias provincias quas heic enumerat. Præstat autem integrum locum referre. *Oportet enim vestrum imperiale decus, quod in omnibus ecclesiasticis utilitatibus vigere audivimus, ut antiquum morem, quem nostra Ecclesia habuit, vestris temporibus restaurare dignemini; quatenus vicem quam nostra sedes per Episcopos vestris in partibus constitutos habuit, videlicet Thessalonicensem, qui Romanæ sedis vicem per Epirum veterem, Epirúmque novam, atque Illyricum, Macedoniam, Thessaliam, Achaiam, Daciam ripensem, Daciámque mediterraneam, Mæsiam, Dardaniam, & Prævalim, beato Petro Apostolorum principi contradicere nullus præsumat.*

Nicol. 1 epist.

VIII. Sed quod Nicolaus admonet con-

tradicendum non esse beato Petro in his provinciis, respexisse videtur ad locum ex epistola Bonifacij ad Rufum Episcopum Thessalonicensem, quem suprà retulimus, in quo vicariatus dicitur Ecclesiæ Thessalonicensi concessus fuisse à beato Petro. Respexit etiam hauddubiè ad epistolam Leonis primi ad Anastasium Thessalonicensem. Nam Leo statim in initio illius epistolæ vicariam illam potestatem à beato Petro repetit, sic tamen ut etiam se nonnulla concessisse doceat. *Quanta fraternitati tuæ*, inquit, *à beatissimi Petri Apostoli auctoritate commissa sint, & qualia etiam nostro tibi favore sint credita, si vera ratione perspiceres & justo examine ponderares, multùm possemus de injunctæ tibi solicitudinis devotione gaudere.* Vnde etiam colligi potest vicariatum illum æterna lege concessum fuisse Ecclesiæ Thessalonicensi, ita ut quicunque sedis illius Episcopus esset, is Legatus natus esset Romani Pontificis in Illyrico, ut illustrissimi Archiepiscopi verbis utamur. Vidit ista Dionysius Exiguus, suáque etiam attestatione docuit fixam fuisse illam dignitatem, hoc lemma apponens primo capiti istius epistolæ Leonis ad Anastasium: *Quod semper Thessalonicensis antistes vices apostolicæ sedis impleverit.* Quod non ita tamen intelligendum est ac si dicere voluisset Dionysius Thessalonicensem antistitem fuisse sedis apostolicæ Vicarium in Illyrico in initiis susceptæ à Romanis fidei fundatæque apud ipsos cathedræ. Illud enim tantùm dicere voluit, ex quo primùm tempore dignitas illa conlata est Ecclesiæ Thessalonicensi, ab ea nunquam fuisse divisam, & sedis illius Episcopum semper ab illo tempore vices apostolicæ sedis impleviſse. Respiciebat enim ad initia vicariatus, & ad ætatem suam, qua vigebat adhuc ea auctoritas in Episcopo Thessalonicensi.

IX. Denique Iustinianus Imperator cùm primæ Iustinianæ antistitem ad eam omnino dignitatem evehere cogitaret quam Thessalonicensis obtinebat in Illyrico, etiam vices apostolicæ sedis ei æterna lege committi à Vigilio Papa obtinuit per sex provincias Illyricianas. Ait enim in Novella constitutione CXXXI. constituere se ut is qui pro tempore fuerit Archiepiscopus primæ Iustinianæ, habeat semper sub sua jurisdictione Episcopos illarum sex provinciarum, & ut in subjectis sibi provinciis locum obtineat sedis apostolicæ Romæ, secundùm ea quæ definita sunt à sanctissimo Papa Vigilio. Certè sanctus Gregorius vices suas delegans Archiepiscopo primæ Iustinianæ, ait se id facere *juxta morem*, ut adnotabimus infrà. Vetustam porrò consuetudinem magni momenti esse in istiusmodi rebus diximus suprà, & iterum repetemus in causa Ioannis Episcopi Nicopolitani. Itaque ut ad id redeamus unde digressi sumus, modus agendi quem in hac causa usurpavit Iustinianus satis evincit vicariam Tessalonicensis Episcopi dignitatem fuisse perpetuam, ita ut ille qui Thessalonicensem Ecclesiam pro tempore regebat, eo ipso esset apostolicæ sedis Vicarius, cùm ad istius exemplum Iustinianus eam prærogativam antistiti patriæ suæ procuraverit.

CAPVT XXIII.

Synopsis.

I. Inquirenda nunc initia Vicariatus Thessalonicensis, ut scire possimus cujus primùm Romani Pontificis beneficio debeatur. Veteres ad Damasum referunt. Recentiores quidam negant; adeo ut inventus sit qui Nicolaum primum argueret mendacij.

II. Referuntur verba Nicolai, simúlque docetur locum ejus esse corruptum ac mutilum.

III. Auctoritate etiam Ioannis VIII. confici potest initia Vicariatus istius referenda esse ad Damasum.

IV. Probatur præterea ex Innocentio I. qui fuppar Damaso fuit.

V. Adversùs illorum testimonia opponi potest epistola Siricij; qui vices suas delegans Anysio, nullam Damasi mentionem facit. Præterea Leo I. repetens initia istius Vicariatus, à Siricio incipit, omisso Damaso. Sed controversia illa facilè componitur, explicato loco Leonis.

VI. Frustra se torquent qui quærunt utrum Acholius Illyrici Primas à Damaso constitutus fuerit ante Concilium Aquileiense. Ratio Hallierij ut ostendat eum Damasi Vicariatu ornatum non fuisse anno 382.

I. SVPERATIS tandem tot difficultatibus quibus obscuratus erat vicariatus Thessalonicensis, inquirenda nunc sunt initia ejus, ut sciamus cujus primùm Romani Pontificis beneficio tantam auctoritatem deberent Episcopi Thessalonicenses. Negotium illud antiqui Pontifices uno verbo definiunt, eam liberalitatem referentes ad Damasum, cujus tempore Acholius & Anysius Thessalonicensem cathedram tenuerunt. Contrà, recentiores nonnulli, cùm viderent non extare Damasi rescripta de vicariatu Episcoporum qui apud Thessalonicam fuerunt illa ætate, illum negarunt istius rei auctorem fuisse; quinimo inventus est qui Nicolaum primum argueret mendacij, initiáque vicariatus istius referret ad Bonifacium Papam istius nominis primum. Aliter & hi & iste sensissent, si durassent in hæc ultima beatissimi seculi tempora, vidissentque editas ex archivo seu bibliotheca sedis apostolicæ epistolas illas veterum Pontificum quas commemorat Nicolaus, inventas à clarissi-

mo viro Luca Holstenio. Illarum nos auctoritate vindicaturi Nicolaum sumus à suspicione mendacij, simul ostensuri vicariatum Episcoporum Thessalonicensium incepisse à Damaso, sed à Siricio certa ratione firmatum fuisse.

II. Antequam verò illarum epistolarum testimoniis utamur, lubet heic describere locum ex epistola Nicolai, utpote qui manifestè respiciat ad epistolas editas in Collectione Holstenij. Sic igitur scribit Nicolaus ad Michaëlem Imperatorem in epistola secunda: *Oportet enim vestrum imperiale decus, quod in omnibus ecclesiasticis utilitatibus vigere audivimus, ut antiquum morem quem nostra Ecclesia habuit, vestris temporibus restaurare dignemini; quatenus vicem quam nostra sedes per Episcopos vestris in partibus constitutos habuit, videlicet Thessalonicensem, qui Romanæ sedis vicem per Epirum veterem, Epirúmque novam, atque Illyricum, Macedoniam, Thessaliam, Achaïam, Daciam ripensem, Daciámque mediterraneam, Mœsiam, Dardaniam, & Prævalim, beato Petro Apostolorum principi contradicere nullus præsumat, quæ antecessorum nostrorum temporibus, scilicet Damasi, Siricij, Innocentij, Bonifacij, Celestini, Sixti, Leonis, Hilari, Simplicij, Felicis, atque Hormisdæ sanctorum Pontificum, sacris dispositionibus augebatur. Quorum denique institutiones ab eis illis in partibus destinatas per nostros Missos, ut rei veritatem cognoscere queatis, vestræ augustali potentiæ dirigere curavimus.* Omisit hoc loco librarius nomen Anastasij Papæ, qui inter Siricium & Innocentium sedit, quem verò vices suas per Illyricum commisisse Anysio Thessalonicensi Episcopo constat ex Innocentij epistola ad Anysium. Sanè locum hunc Nicolai esse valde corruptum ac mutilum nemo est qui non videat.

III. Nicolao succedat Ioannes III. qui ad Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum scribens, Bulgariam, id est, Illyricum, à Damaso Papa & sequentibus Pontificibus informatam fuisse ait. Referenda sunt autem ipsa viri verba: *Nullus autem ignorat*, inquit, *regionem Bulgarum à sanctæ memoriæ Dámaso Papa & deinceps usque ad paganorum irruptionem à sedis apostolicæ Præsulibus, quantum ad ecclesiasticæ provisionis attinet privilegium, moderatam; præsertim cùm hoc nonnulla scripta, sed præcipuè diversorum Pontificum Romanorum res gestæ, quæ in regestis antiquitus nostræ reservantur Ecclesiæ, clariùs attestentur.* Respexit ad rescripta Pontificum quæ ab Holstenio edita sunt; de quibus etiam intelligenda sunt quæ idem ait in epistola sequenti, in qua scribit ad Episcopos & Clericos Græcos mirari se & vehementer obstupescere quòd illi sanctorum patrum canones obturatis oculis relegissent, & calcata conscientia terminos æternos à patribus positos transtulissent, & in alienam messem judicij falcem misissent, in Illyrici provincias, quas tum Bulgarum natio retinebat, ingredientes, & ordinationes illicitas perpetrantes, cùm & sacra Concilia sub sede beati Petri Apostolorum principis has olim provincias deguisse patenter innuant, & rerum gestarum à sancto Damaso Papa conscripta manifestè denuntient.

Ioan. VIII. epist. 78.

Idem epist. 79.

IV. Sed instar omnium esse debet una Innocentij primi testificatio, ut qui non ita multò post Damasum in principali cathedra sedit. Hic enim ad Anysium Acholij successorem scribens, ait se ipsi eandem potestatem committere quam à Damaso, Siricio, & Anastasio antè acceperat. *Cui etiam* (id est, Anysio) *tanti ac tales viri prædecessores mei Episcopi, id est, sanctæ memoriæ Damasus, Siricius, atque suprà memoratus vir,* (id est, Anastasius) *ita detulerunt, ut omnia quæ in illa partibus gererentur sanctitati tuæ, quæ plena justitiæ est, traderent cognoscenda.* Et in epistola ad Rufum, qua ei delegat vices suas per Illyricum; *non primitus hæc ita statuentes*, inquit, *sed præcessores nostros apostolicos imitati, qui beatissimis Acholio & Anysio injungi pro eorum meritis ista voluerunt.*

V. Sed adversùs illa quæ de Damaso dicta sunt opponi potest epistola Siricij, qui Damaso proximè successit, ad Anysium: in qua vices suas per Illyricum delegans huic Episcopo, quem Damasi Vicarium fuisse scribit Innocentius, nullam Damasi mentionem facit, hauddubiè facturus, si eadem auctoritas ab illo tributa Anysio fuisset. Præterea Leo primus repetens primordia vicariatus Episcoporum Thessalonicensium in epistola ad Anastasium quæ ab Holstenio edita est, à Siricio incipit, omisso Damaso. Vnde concludi potest initia istius vicariatus Siricio deberi, non autem Damaso, contrà quam placuit Innocentio, Nicolao, & Ioanni Pontificibus Romanis. Itaque altiùs investigandum est, quærendáque ratio aliqua conciliandæ hujus controversiæ. Facem heic nobis commodissimè præferet epistola Leonis de qua mox diximus: in qua tamenetsi vicariatum Thessalonicensem repetat à Siricij delegatione, indicat aliquam ante illum fuisse istiusmodi delegationem in Illyrico, sed quæ *certa tum primum ratione* firmata sit. Ex quo colligere possumus Damasum mandata interdum aliqua, ubi occasio tulit, dedisse Acholio & Anysio, ceterùm nihil mansurum sanciviſe; hoc verò exemplo invitatum Siricium vices suas Anysio commisisse

commisisse per Illyricum, & sic vagam, ut ita dicam, & præterita delegationis occasione expirantem auctoritatem *certa tum primùm ratione* Ecclesiæ Thessalonicensi commisisse. Nunc referenda sunt Leonis verba de vicariatu Anastasij; in qua cùm dicat se illi committere vices suas per Illyricum, addit id se facere exemplo Siricij, simúlque arcanum aperit allatæ à nobis conciliationis: *Beatæ recordationis Siricij exemplum secuti*, inquit, *qui sanctæ memoriæ Anysio prædecessori tuo, bene de apostolica sede tunc merito, & rebus post sequentibus approbato, certa tum primùm ratione commisit, ut per illam provinciam positis, quas ad disciplinam teneri voluit, Ecclesiis subveniret.* Istam observationem confirmant sequentia verba Leonis: qui cùm memoriam iniret eorum Episcoporum Thessalonicensium quibus Romani Pontifices commiserant vices suas, omnino incipit ab Anysio, dum ait prædecessores suos commisisse vices suas prædecessori decessoríque Anastasij, id est, Anysio & Rufo, quibus successerat Anastasius. Quare cùm horum tantùm mentionem faciat Leo, manifestum est ab Anysio incepisse eum vicariatum, adeóque initia ejus, quod sæpe dicendum est, Papæ Siricio deberi.

VI. Itaque frustra se torquent qui anxiè quærunt utrum Acholius Illyrici Primas à Damaso constitutus sit antè quàm Concilium Aquileiense celebraretur, atque id antea factum esse sibi persuadent. Nam præterquàm quòd Acholius exarchicam auctoritatem quoad ordinationes obtinebat in Illyrico secundùm veterem Ecclesiæ suæ consuetudinem, ut suprà diximus, cùm non tam nova auctoritas illi accesserit ratione vicariatus quàm cumulatio juris, manifestum est nihil istiusmodi constitutum à Damaso circa Acholium fuisse. Certè vir illustrissimus Franciscus Hallierius regius tum Theologiæ Professor in Academia Parisiensi, sed Cabellicensis dein Episcopus, ex eo probat Acholium Damasi vicariatu nondum ornatum fuisse anno CCCLXXXII. quòd is in epistola synodica Episcoporum orientalium in Constantinopolitana urbe congregatorum ad Damasum & ad synodum Romanam scripta, de qua actum est superiùs, postpositus invenitur Ambrosio Mediolanensi, Brittoni incertæ sedis Episcopo, & Valeriano Aquileiensi.

Epist. Leonis 1. ad Anastas. pag. 10.

Vide Hal. cap. 18.

Hallier. pag. 145. dissertat.

CAPVT XXIV.

Synopsis.

I. Siricius primus omnium certa constitutione Anysio Thessalonicensi Episcopo delegavit vices suas. Ejus exemplum secuti sunt Anastasius & Innocentius primus. In quo tum consisteret ille Vicariatus.

II. Generalia tantùm in initio mandata fuerunt, ut causæ omnes Illyricianæ, ea nimirum quæ secundùm morem referri debebant ad Romanum Pontificem, ad curam pertinerent Thessalonicensis antistitis. Quod probatur auctoritate Innocentij I.

III. Anysio successit Rufus, cui vices suas per Illyricum orientale commisit Innocentius, salvo Metropolitanorum jure.

IV. Ei potestatem facit congregandi synodos extraordinarias, quotiens occasiones emerserint gravium negotiorum quæ congregationem sacerdotum requirant.

V. Innocentius literas de legatione Rufi conscribi jussit ac mitti ad universos Episcopos per provincias Illyricianas constitutos, ut in omnium notitiam venirent.

VI. Hunc honorem retinuit Rufus sub Zozimo, Bonifacio, & Celestino. Causa Perigenis ei commissa à Bonifacio.

VII. Eodem tempore Rufus patitur contradictionem ab Episcopis Illyricianis, qui de ea re scribit ad Bonifacium. Colligitur istud ex epistola Bonifacij ad Rufum, quæ describitur.

VIII. Deinde Bonifacius, laudatis Adelphio & Perigene quòd ceteris Episcopis Illyricianis non consensissent, sed Rufo semper adhæsissent, illum hortatur ad constantiam, & causas Episcoporum judicare illum jubet.

IX. Inquiritur in capita de quibus querelam suam Rufus deposuerat apud Bonifacium, quæ erant gravissimi momenti, utpote in quibus de summa rerum ageretur.

X. Illyriciani Episcopi ægrè ferunt sibi in omnibus causis ecclesiasticis superpositum esse Episcopum Thessalonicensem. Quod probatur ex Bonifacio.

XI. Horum invidorum suasionibus permotus Theodosius Junior, causas dubias Illyrici decernit referendas esse ad Episcopum Constantinopolitanum. Cui novitati obstitit Bonifacius, ob reverentiam canonum.

XII. Sed altiùs penetrabat tentata divisio Illyrici orientalis à patriarchatu Occidentis, & quorundam Episcoporum præsumptio, qui causas retractare audebant quæ supremo sedis apostolicæ judicio definitæ fuerant. Orientalium Ecclesiarum communio vetus cum Romana, & illarum ad istam confugia in magnis periculis.

XIII. Angebat Bonifacium causa Perigenis, quòd ejus occasione tentarentur arcana dominationis. Nam causam ejus retractare volebant Illyriciani Episcopi in synodo Corinthiaca, quam congregare moliebantur præter conscientiam Rufi.

XIV. Itaque aperiè illis comminatus est abstentionem, si causam illam iterum ad discutiendum in medium adducerent. Valuit itaque Perigenis ordinatio, ut docent epistolæ Sixti III.

XV. Istud ipsum probatur testimonio Socratis & Ivonis Carnotensis, tum aliis nonnullis argumentis.

XVI. De jure congregandorum Conciliorum Illyrici.

XVII. Bonifacius ait Rufum esse honorandum propter apostolicam vicem, & ordinationes Episcoporum citra ejus conscientiam celebrari non posse.

I. SIricius itaque primus omnium certa constitutione Thessalonicensi

Episcopo delegavit vices apostolicæ sedis, Anysio nimirum, qui paulò ante Siricij episcopatum successerat Acholio. Non extat epistola ejus ad Anysium ea de re scripta, & ad eum missa per Candidianum Episcopum. Extat autem alia ejus epistola post obitum Candidiani scripta, ex qua colligimus statutum à Siricio fuisse ut nulla licentia esset sine Anysij consensu in Illyrico Episcopos ordinare. Siricio successit Anastasius, isti verò Innocentius, qui vicariam suam potestatem eidem Anysio commiserunt per Illyricianas provincias, exemplo decessorum suorum. Præstat porrò referre verba Innocentij ad Anysium, ex quibus intelligemus quænam fuerit illa potestas, & quantum Thessalonicensi Episcopo detulerint Romani Pontifices illorum temporum. *Cui etiam*, inquit, id est, Anysio, *anteriores tanti ac tales viri prædecessores mei Episcopi, id est, sanctæ memoriæ Damasus, Siricius, atque suprà memoratus vir*, id est, Anastasius, *ita detulerunt, ut omnia quæ in illis partibus gererentur sanctitati tuæ, quæ plena justitiæ est, traderent cognoscenda, meam quoque parvitatem hoc tenere judicium eandémque habere voluntatem te decet recognoscere.*

Apud Holsten. pag. 46.

II. Generalia sunt ista mandata, sed quæ tamen indicant magnam à sede apostolica potestatem conlatam Anysio fuisse, nimirum ut omnia quæ in provinciis Illyricianis gererentur, ad notitiam & judicium Thessalonicensis antistitis perferrentur, ut sententia & auctoritate ejus componerentur. Quod non intelligi ita debet ac si tum primùm causæ omnes Illyricianæ ad curam Thessalonicensis Episcopi pertinere cœpissent cùm ornatus est vicariatu sedis apostolicæ. Constat enim ex ejusdem Innocentij epistola ad Rufum ea tantùm delegatione effectum ut causæ quæ secundùm morem referri debebant ad Romanum Pontificem, velut ad Patriarcham Occidentis, ad curam pertinerent Thessalonicensis antistitis; ut qui primus erat inter primates Illyricos, id est, primus provinciarum illarum Metropolitanus, etiam ut sedis apostolicæ delegatus causas quæ inciderent in Illyrico terminaret. Nondum enim positi fuerant termini vicariæ huic potestati, sed omnes omnino causæ illarum provinciarum commissæ fuerant Episcopis Ecclesiæ Thessalonicensis.

Apud Holsten. pag. 49.

III. Successerat Rufus Anysio, viro de sede apostolica bene merito, & qui post acceptum ejus vicariatum plurimis beneficiis sibi devinxerat Romanos Pontifices, ut Leo primus testatur. Hujus ergo successori vices suas delegans Innocentius, his ad eum verbis utitur: *Divinitus ergo hæc procurrens gratia ita longis intervallis disterminatis à me Ecclesiis discat consulendum, ut prudentiæ gravitatique tuæ committendam curam causásque si quæ exoriantur per Achaïæ, Thessaliæ, Epiri veteris, Epiri novæ, & Cretæ, Daciæ mediterraneæ, Daciæ ripensis, Mœsiæ, Dardaniæ, & Prævali Ecclesias Christo Domino annuente censeam. Verè enim ejus sacratissimis monitis lectissimæ sinceritatis tuæ providentiæ ac virtuti hanc injungimus solicitudinem; non primitus hæc ita statuentes, sed præcessores nostros apostolicos imitati, qui beatissimis Acholio & Anysio injungi pro eorum meritis ista voluerunt.* Tum addit paulò pòst: *Arripe igitur, dilectissime frater, nostra vice per suprascriptas Ecclesias, salvo earum primatu, curam; & inter ipsos primates primus, quidquid eos ad nos necesse fuerit mittere, non sine tuo postulent arbitratu. Ita enim aut per tuam experientiam quicquid illud est finietur, aut tuo consilio ad nos usque perveniendum esse mandamus.*

Apud Holsten. pag. 48.

Ibid. pag. 4

IV. Quoniam verò ea interdum incidere negotia poterant quæ congregationem sacerdotum requirerent, hanc quoque Rufo potestatem facit, ut quotiens eæ occasiones emersérint, synodos etiam extraordinarias celebret ex provinciis Illyricianis. *Licitum autem*, inquit, *& apostolicæ sedis favore permissum tuæ fraternitati cognosce ut cùm aliqua ecclesiastica ratio vel in tua vel in memoratis provinciis agitanda cognoscendáque fuerit, quos velis Episcoporum socios quibuscunque de Ecclesiis assumas tecum, quorum & fide & moderatione quicquid necessitas causáve flagitaverit, optimus dirigas arbiter, & præcipuus, quippe à nobis lectus, definias intercessor.* Hunc eundem ordinem secuti sunt Romani Pontifices sequentibus seculis, ut suo loco dicemus.

V. Verùm quia privilegia Thessalonicensi Ecclesiæ tributa nullius utilitatis futura erant, donec provinciis innotuissent, Innocentius, ad exemplum Principum Romanorum, qui leges & edicta mittebant per provincias ut Præsidum ministerio publicarentur, literas de legatione Rufi conscribi jussit ac mitti ad universos Episcopos per provincias Illyricianas constitutos unà cum suis & superiorum Pontificum epistolis ex archivo Romano descriptis. Ita enim intelligenda puto sequentia hæc Innocentij verba: *Omnem sanè institutionem chartarum in causa archivorum cum Presbytero Senecione, viro admodum maturo, fieri jussimus. Itaque & ex priore nostra epistola & ex his chartulis bene recensens quid agere debeas recognosce. Nam voluntatem hanc nostram per unamquamque provinciam satis, ut decebat, literis manifestavimus.* Data est hæc ultima Innocentij epistola xv. Kal. Iulij, Honorio IX. & Theodosio V. Augg. Consulibus, id est, anno quadringentesimo duodecimo, cùm undecim annum in pontificatu

ageret Innocentius. Prior verò ejus epistola ad Rufum data erat in ipsis episcopatus ejus initiis.

VI. Honorem illum retinuit Rufus etiam sub Zozimo, Bonifacio, & Celestino successoribus Innocentij. Non extant Zozimi litteræ de ea re. Sed cùm Bonifacius ad Rufum scribens doceat frequentia Romanorum Pontificum rescripta ex apostolicæ sedis fonte manasse, quibus solicitudinem Ecclesiarum per Macedoniam & Achaïam sitarum certum esse ait illi fuisse commissam, manifestum est illum, qui vices apostolicæ sedis impleverat sub Innocentio, eas quoque egisse sub ejus successore Zozimo, & ab eo quoque variis rescriptis instructum fuisse, quæ tum extabant in scrinio Ecclesiæ Romanæ; præsertim cùm idem Bonifacius ad Episcopos Thessalos scribens dicat se nihil novum concessisse Rufo, sed gratiam in hoc priorum esse secutum, id est, Innocentij & Zozimi decessorum suorum, à quibus auctoritatem Rufus acceperat per Illyricianas provincias. Quare cùm causa Perigenis electi Corinthiorum Episcopi, sed qui antea ordinatus esset Patrensis Episcopus in eadem Achaïa, non tamen à Patrensibus susceptus, ad sedem apostolicam delata fuisset à synodo illius provinciæ, ejus cognitionem Rufo delegavit Bonifacius, tanquam ei ad quem cura provinciæ Achaïæ pertinebat; ut patet ex variis Bonifacij epistolis ad eum datis.

VII. Accidit sanè hoc tempore, ut cùm Rufus de quibusdam ecclesiasticæ disciplinæ capitibus consuluisset Bonifacium, istéque ad ejus consulta respondisset ex auctoritate sedis apostolicæ, passus sit Rufus contradictionem à nonnullis provinciarum illarum Episcopis, dum exequi curat mandata Bonifacij. Timens verò Rufus ne infaustum hunc constitutionum pontificiarum exitum sibi imputaret Bonifacius, ut etiam occasione ista se vindicaret à contemptu Illyricianorum Episcoporum, à quibus molestiam passus erat, literas ad eum dedit, quibus & contumaciam Illyricianorum Episcoporum significabat, séque vel ex eo culpæ eximere studebat, quòd sibi semper oculis obversari videretur beatissimus Petrus, cujus vices per Illyricum sibi commissæ fuerant, adeóque non ausurum se fuisse aliquid ex officio suo remittere eo præsente. Probabilem ac sapientem excusationem admisit Bonifacius, neque imprudentiam Rufo imputans neque negligentiam; eáque occasione usus, ut illum validiùs excitaret ad conservandam debitam sedi apostolicæ reverentiam, vices ei suas, ut factum fuerat à superioribus Pontificibus, delegavit literis ad ipsum datis XIII. Kal. Octobris, Monaxio V. C. Consule, id est, anno quadringentesimo decimo nono. Elegans profectò est epistola illa, & sedis apostolicæ Pontifice cumprimis digna. Sic autem habet.

Dilectissimo fratri Rufo Bonifatius. Credebamus post epistolas nostras pro ecclesiasticæ disciplinæ observatione transmissas omnibus aditum præsumtionibus præcludendum, cùm ad consultationem dilectionis tuæ præbuissemus debitum pro causarum æstimatione responsum, constituentes ea debere servari quæ ecclesiastica exigit disciplina. Sed quantum nunc tuæ sanctitatis nobis relatio patefecit, apud plerosque valuisse quod scripsimus, apud quosdam autem admonitionem nostram inefficacem cognovimus fuisse. Nec hoc fraternitati tuæ possumus imputare, cùm te anxium pro commissa tibi Ecclesiarum solicitudine & rebus & literis sentiamus. Vigilantiæ tuæ laudamus industriam; qui ne videaris tibi commissa negligere, id non prætermittis literis indicare quod sedis apostolicæ debeat censura corrigere, huncte Dei nostri habere professus timorem quem prudentissimo inesse convenit sacerdoti; qui tunc tibi esse poterit gloriosus, si ea quæ curæ tuæ commissa sunt prodesse Ecclesiis fuerimus experti. Intuetur enim te, ut epistolis tuis ipse fideliter es locutus, beatissimus Petrus Apostolus oculis suis qualiter summi rectoris utaris officio. Nec potest tibi esse non proximus qui pastor dominicarum ovium est perpetuus constitutus, aut aliquam ubivis positam Ecclesiam non curare in quo universalis Ecclesiæ positum legimus fundamentum. Apud Holsten. pag. 54.

VIII. Ab ea Rufi commendatione Bonifacius statim transit ad curam quæ illi injuncta fuerat à sede apostolica; simúlque & certa mandata præscribit, & in laudes eorum Episcoporum exultabundus excurrit qui constitutis apostolicæ sedis ad Rufum missis debitum consensum commodaverant; quales fuerunt Adelfius & Perigenes. *Te ergo, frater carissime*, inquit, *omnis cura respectat earum Ecclesiarum quas tibi vice sedis apostolicæ à nobis creditas recognosces; ut & prava corrigas, & dissipata componas, & si quæ inter Episcopos eveniant causæ, sub divini judicij timore distinguas; ut creditis tibi à sede apostolica gubernaculis contra omnes fluctus nascentium procellarum justè & prudenter utaris. In notitiam singulorum ad quos antè jam scripsimus quem deberent tramitem custodire nostras te epistolas pertulisse dixisti, quibus debitum se commodare consensum plurimi sacerdotum sacrarum traditionum memores sunt professi; quos fraterna caritate complexi tales esse cognoscimus coëpiscopum nostrum Adelfium vel fratrem Perigenem.*

IX. Quænam fuerint constituta Bonifacij quæ recepta non sunt à quibusdam partium illarum Episcopis Bonifacius non ex-

primit. Illud tantùm docet, eos qui consensum his statutis commodaverant sacrarum traditionum fuisse memores. Vnde colligi debet in ea fuisse sententia Bonifacium ut existimaret istos contumaces ac refractarios iviſse contra veterem consuetudinem. Sed quænam illa fuerint in quæ illi peccaverant, non aperit in hac epistola. Itaque aliunde repetenda sunt, & quidem ex aliis ejusdem Bonifacij epistolis, quo teste nullus in hac causa luculentior esse potest. Ex his colligimus Rufum ad eum retulisse de subreptione quorundam Episcoporum Illyricianorum, qui à Theodosio extorserant legem *Omni innovatione cessante*, qua causæ Illyrici orientalis ad Constantinopolitanum Episcopum perferri jubebantur. Retulerat præterea Rufus Episcopos illos se inconsulto synodum Corinthiacam indixisse pro retractanda causa Perigenis, vicariatum porrò sibi per Achaïam concessum venisse in contemptionem, contemptúmque illum etiam in sui personam redundare. Rescripsit ergo Bonifacius nova illa tentamenta Episcoporum Illyricianorum, quæ vetustati contraria erant, valere non posse, servandum esse jus apostolicum, causas à sede apostolica definitas retractari non posse in provinciis, & statum Perigenis Corinthiorum Episcopi nulla posse penitùs ratione turbari, Concilia intra Illyricum congregari non posse extra conscientiam Rufi, adeóque hunc honorandum propter apostolicam vicem, absque quo non liceat Episcopos ordinare per illas provincias. Quæ ut ordine ostendamus ita evenisse, à subreptione Illyricianorum Episcoporum incipiendum est.

X. Illyriciani Episcopi ægrè ferentes sibi in omnibus causis ecclesiasticis superpositum esse Thessalonicensem Episcopum, nacti occasionem turbandi ex translatione Perigenis ad Ecclesiam Corinthiorum, quæ judicio Romanæ sedis decreta fuerat, querelam istam ad aures Theodosij Augusti retulerunt, simúlque suggesserunt uti Constantinopolitanæ urbis antistiti, quæ se veteris Romæ prærogativa gaudere gloriabatur, hunc honorem tribueret, ut si quid dubietatis emergeret in provinciis Illyrici, id oporteret non absque scientia Constantinopolitani Episcopi terminari, ad exemplum veteris Romæ, ad quam fiebat relatio causarum ex omnibus provinciis. Maximam invidiam habuisse amplissimam illam Rufi potestatem, quæ Episcopos illos ad tantum facinus audendum impulit, probat epistola Bonifacij ad Episcopos per Thessaliam constitutos, data post legem Theodosij de qua mox dicemus. *Ergo servate honorem debitum capiti*, inquit; *quia nolumus ut intra se membra decertent, ita ut tendatur eorum ad nos usque certamen, dum fratrem & coëpiscopum nostrum Rufum dignum ducitis contemtu; cui nihil novum auctoritas nostra concedit, sequens priorum gratiam, qua huic cura Ecclesiarum sæpe videtur injuncta. quod factum ita intemeratum servari volumus in futurum sicut à patribus hujus dispositionis forma servata est. Non decet fratres alterius dignitate morderi.*

Apud Holsten. pag. 47.

XI. Horum invidorum suasionibus permotus Theodosius, augendæ præterea dignitatis Constantinopolitanæ urbis, ut videtur, cupidus, legem edidit anno CDXXI. qua edixit uti servata veterum canonum reverentia, causæ ecclesiasticæ per omnes Illyrici provincias judicentur in suis quæque provinciis, ita tamen ut si quid dubietatis emerserit, id est, si qua causa major inciderit, referatur ad Episcopum Constantinopolitanæ urbis, eò quòd nova Roma veteris Romæ privilegiis fruatur, & novæ Romæ Episcopus primatu honoris potiatur post Romanum Episcopum juxta canonem secundum synodi Constantinopolitanæ. Cùm de hac innovatione certior factus esset à Rufo Bonifacius, viderétque ea ratione tentari ac convelli *jus apostolicum*, ut ipse vocat, & canones antiquos, illustrissimásque Ecclesias Alexandrinam & Antiochenam gradibus suis moveri quos eis & vetusta consuetudo & canon Nicænus confirmaverant, ad Rufum rescripsit nova illa tentamenta vires habere non posse, & eorum studiis cedendum non esse quos novitas rerum & indebitæ desiderium dignitatis accendit, sed elaborandum esse & Deo nostro favorem præstante certandum ut quisquis contra licitum nititur, sibi per omnia recognoscat occursum. Quod adversùs Constantinopolitanum antistitem dici manifestum est, qui secundum sibi locum vindicabat adversùs vetustatem & canones antiquos, cùm secundus locus deberetur Alexandrino, tertius Antiocheno. Vnde & in epistola ad Episcopos Illyricianos ita loquitur: *Quoniam locus exigit, si placet recensete canonum sanctiones; reperietis quæ sit post Ecclesiam Romanam secunda sedes, quæve sit tertia: à quibus ideo ita rerum videtur ordo* destructus, ut se Ecclesiarum Pontifices ceterarum sub uno tamen eodémque sacerdotio habere cognoscant quibus caritate servata propter ecclesiasticam disciplinam debeant esse subjecti. Et quidem hæc sententia canonum à vetustate duravit, & nunc usque Christo nostro favente perdurat.* Et paulò pòst: *Servant Ecclesiæ magnæ prædictæ per canones dignitates, Alexandrina & Antiochena, habentes ecclesiastici juris notitiam.* id est, jus apostolicum, ut suprà dixit.

Vide Epist. 12. cap. 2. 3. 4.

Apud Holsten. pag. 46. De jurisdictione videndi can. 6. Calced. 28. De canonib. Ilium vilipendere Alexandr. Epist. apud Theodor. lib. 1. hist. eccles. cap. 4.

Bonif. 1. ad Hollsten. pag. 3.

* Illlustre

XII. Sed altiùs penetrabat, quam Thes-

sali & quidam Illyriciani Episcopi tentabant, provinciarum illarum divisio à patriarchatu Occidentis & à communione & potestate Romani Pontificis, quarum cura istum levari procurabant, ut amplificandæ auctoritatis alterius se esse studiosos hoc facinore ostenderent. *Audio Episcoporum quosdam*, inquit Bonifacius in epistola ad Thessalos, *apostolico jure contempto novum quippiam contra Christi propriè præcepta tentare, cùm se ab apostolicæ sedis communione &, ut ita dicam veriùs, potestate separare nituntur, eorum petentes auxilium quos ecclesiasticarum sanctio regularum majoris esse non dedit potestatis. Leguntur enim præcepta majorum, & quibus in Ecclesias juris aliquid dederint invenimus. Iam temerator est ecclesiasticæ disciplinæ quisquis in ejus leges, cùm sibi nihil debeatur, irrepit ea sibimet vindicando quæ sibi à patribus negata videantur.* Tum in epistola ad Episcopos per Illyricum constitutos aperit quænam fuerit illa præsumptio, nimirum prohibere ne causæ ecclesiasticæ provinciarum Illyrici orientalis deferrentur ad sedem apostolicam, adeóque ex ista præsumptione effectum ut eas auderent retractare quæ supremo sedis apostolicæ judicio definitæ fuerant. Quod ait esse contrarium moribus antiquis. Nam & illustrissimas Orientis Ecclesias, Alexandrinam nempe & Antiochenam, in magnis negotiis consuluisse semper sedem Romanam, ejúsque auxilium postulasse quoties occasiones inciderunt ingentium periculorum. Quanto magis istam consuetudinem servandam esse à minorum urbium Episcopis, & ab Illyricianis potissimùm, qui ab omni retro antiquitate usque ad hæc novissima tempora paruerant constitutis apostolicæ sedis. *Nemo unquam*, inquit, *apostolico culmini, de cujus judicio non licet retractari, manus obvias audaciter intulit; nemo in hoc rebellis extitit, nisi qui de se voluit judicari. Servant Ecclesiæ magnæ prædictæ per canones dignitates, Alexandrina & Antiochena, habentes ecclesiastici juris notitiam. Servant inquam statuta majorum, in omnibus defetentes, & ejus vicissitudinem recipientes gratiæ quam se in Domino, qui pax nostra est, nobis debere cognoscunt. Sed quia res postulat, approbandum documentis est maximas Orientalium Ecclesias in magnis negotiis, in quibus opus esset disceptatione majore, sedem semper consuluisse Romanam, & quotiens usus exegit, ejus auxilium postulasse.* Descendit deinde ad exempla sanctorum Athanasij & Petri Alexandrinorum antistitum, tum Meletij & Flaviani Antiochiæ, & ad ipsius Nectarij Constantinopolitani ordinationem. Addit verò sub Innocentio Pontifices orientalium Ecclesiarum dolentes se à beati Petri communione sejunctos, per Legatos pacem poposcisse, eámque illis à sede apostolica indultam fuisse.

XIII. Angebat vehementer Bonifacium causa Perigenis, caritate sanè erga hominem sedi apostolicæ addictissimum, sed præcipuè propter convulsam ab Episcopis Illyricis Romani judicij definitionem, qui post illud eam causam rursum judicare moliebantur in Concilio Corinthiaco. Nam dupliciter in hoc peccabatur adversùs sedis apostolicæ majestatem. Primò, quòd eam causam retractare præsumerent quæ supremo Romani Pontificis arbitrio judicata fuerat. Deinde, quòd eam synodum celebrare cogitarent præter conscientiam, id est, consensum, Rufi Episcopi Thessalonicensis, qui Vicarius erat Romanæ sedis per omnes Illyrici provincias. Hæc duo capita complexus est Bonifacius in epistola ad Rufum: *Ad synodum quæ dicitur illicitè congreganda de causa fratris nostri & coëpiscopi Perigenis, cujus scripsimus statum nulla posse penitus ratione turbari, talia scripta direximus. quibus universi fratres intelligant primò convenire se citra tuam conscientiam minimè debuisse, deinde de nostro non esse judicio retractandum. Nunquam etenim licuit de eo rursus quod semel statutum est ab apostolica sede tractari.*

XIV. Adeo autem altè insederat hic dolor animo Bonifacij, ut ad Episcopos Illyrios, qui ad synodum Corinthiacam conventuri erant, scribens apertè comminatus abstentionem sit, si Perigenis causam iterum ad discutiendum in medium adducerent, cujus honor dubius & incertus per regulas omnino esse non posset post sententiam Romani Pontificis. *Congregatur ergo*, inquit, *ut redeamus ad causam hujus injuriæ, synodus, cujus dilecto consultum semper superhabens Concilij recognoscat arcanum; & fiet, quod quidem fieri per regulas omnino non poterit, fratris & coëpiscopi nostri Perigenis honor dubius & incertus, quem in sede Ecclesiæ supradictæ nostra sententia conlocavit.* Et infrà: *Convenientes ut condecet fratres, ne quis volens in nostra communione durare, fratris & consacerdotis nostri Perigenis iterum ad discutiendum in medium nomen adducat, cujus sacerdotium Apostolus Petrus semel jam Spiritus sancti suggestione firmavit.* Valuit porrò, ut illud etiam dicamus, apostolicæ sedis auctoritas circa Perigenem, ut in epistola ad ipsum data docet Sixtus III. eum redarguens quòd Thessalonicensi Ecclesiæ resultaret, cujus commendatione & apostolicæ sedis beneficio sedem suam retinuerat adversùs æmulos. *Gratulari potiùs*, inquit, *quàm conqueri deberemus de tuæ fraternitatis actibus, cùm tibi apostolicæ sedis auctoritas in ipsis tuæ ordinationis initiis, quod te semper meminisse*

Bonif. I. apud Holsten. pag. 70.

Apud Holsten. pag. 62.

Ibid. pag. 74. 79.

Apud Holsten. pag. 88.

oportet, adfuerit. Et in fine epistolæ: *Tua enim magis interest ut huic plurimùm deferatur Ecclesiæ quæ tibi tantum honoris contulit ut pro te contra eos qui tibi tunc æmuli fuerant repugnaret.* Idem in epistola ad Episcopos in synodo apud Thessalonicam congregandos: *Noverit Corinthius, Episcopus sibi licentiam potestatis liberæ minimè tribuendam, si huic voluerit Ecclesiæ resultare quam sibi noverit profuisse; cui necesse est nos quoque, si quid tentare voluerit, obviare, qui præteritorum quæ illi per nos præstita sunt memores sumus, & illicitis semper usurpationibus obviamus.*

Ibid. pag. 92.

XV. Sufficerent ista quidem ad probandum Perigenis ordinationem in Ecclesia Corinthiensi convaluisse auctoritate Romani Pontificis. Sed tamen adhuc adferamus testimonium Socratis, qui de Perigenis ordinatione ita scribit: *Perigenes Ecclesiæ Patrensis designatus fuit Episcopus: quem, ubi populus illius urbis eum repudiaverat, Episcopus Romanus mandavit ut Episcopo Corinthi metropolis jam mortuo, in sede episcopali illius urbis collocaretur. Cui Ecclesiæ reliquo vitæ spatio præfuit.* Testatur istud ipsum & Ivo Carnotensis in præfatione Decreti, Socrate, ut opinor, auctore usus. *Perigenes*, inquit, *in Petris est ordinatus Episcopus. Sed quoniam cives ejus civitatis eum suscipere noluerunt, Romanæ civitatis Episcopus jussit eum inthronizari in Corintho metropoli, defuncto ejus Episcopo; eique, donec advixit, Ecclesiæ præfuit.* Extat sanè epistola Celestini Papæ ad Perigenem & ad alios quosdam partium illarum Episcopos, in qua ille primo loco nominatur. Præterea, cassata, uti suprà diximus, constitutione Theodosij quæ relationem causarum dubiarum Illyrici ad Constantinopolitanum Episcopum fieri præcipiebat, nullum subreptiones Illyricianorum Episcoporum habuerunt effectum, adeóque conatus eorum adversùs Perigenem debuit simul esse vanus & irritus.

Socrat. lib 7. cap. 35.

Vide suprà in Addit. ad cap. 2. lib. 4.

XVI. Displicebat itaque Bonifacio Episcoporum Illyricianorum audentia, qui Concilia congregare præsumebant citra conscientiam Rufi. Nam Innocentius primus, cupiens Vicario suo Rufo aliquam insignem prærogativam dare, ei ex apostolicæ sedis favore concesserat ut quoties causa aliqua eveniret quæ congregationem sacerdotum requireret, posset quos vellet Episcopos de quibuscunque Ecclesiis evocare, & cum eis controversias definire. Hæc tantùm Innocentius. Sed quoniam non satis ad gloriam viri de sede apostolica bene meriti id esse arbitratus est Bonifacius, constituit ne liceret Episcopis Illyricianis convenire, id est, Concilia celebrare, citra conscientiam ejusdem Rufi. Vnde cùm inaudivisset Episcopos illos synodum indixisse apud Corinthum pro retractanda causa Perigenis, commotus & *exagitatus*, ut ipse ait, propterea fuit, synodúmque non aliter celebrari mandavit quàm ex auctoritate Rufi, electionem verò judicum à Rufo faciendam esse. *Sanè quoniam servandus accusatori locus est*, inquit, *ne audentiam penitùs incitare videamur, si quid ab eodem, postquam Episcopus nostris est auctoritatibus constitutus, contra disciplinam & propositum sacerdotij fertur admissum, coëpiscopus noster Rufus, cui ad vicem nostram cuncta committimus, cum ceteris fratribus quos ipse delegerit, negotium curabit audire, ad nostram relaturus omnia notionem quæcunque cognitioni ejus rerum cursus & ordo monstrarit.*

Vide suprà §. 4. hujus capitis.

Arnol. Hallus p. 72.

Ibid. 743 b.

XVII. Postremum caput responsorum Bonifacij ad consulta Rufi respiciebat, ut diximus, personam ipsius Rufi, quatenus Romani Pontificis vices obtinebat, & jus ordinandorum Episcoporum per Illyricum. Istud colligitur ex epistola ejusdem Bonifacij ad Episcopos Illyricianos; in qua ait honorandum esse Rufum propter apostolicam vicem, & ordinationes Episcoporum citra ejus conscientiam celebrari non posse. *Illud etiam, quoniam auctoritas nostra commonitione solita vacare non debet, hortamur, & repetito sæpius sermone præcipimus, ut in omnibus huic viro obedientiam dispositionibus commodetis. Nullus, ut frequenter diximus, alicujus ordinationem citra ejus conscientiam celebrare præsumat, cui, ut suprà dictum est, vice nostra cuncta committimus.* Item in epistola ad Episcopos Thessalos: *Episcopos per Illyricum citra conscientiam coëpiscopi nostri Rufi nullus ordinare præsumat.*

Ibid. 743 b.

CAPVT XXV.

Synopsis.

I. Rufus Thessalonicensis Episcopus à Celestino quoque ornatus est Vicariatu sedis apostolicæ. Probatur auctoritate Nicolai I. & ex ipso Celestino.

II. Referuntur ejus verba, quæ sunt magni momenti, & apertiùs explicant Vicarij Thessalonicensis auctoritatem quàm superiorum Pontificum epistolæ.

III. Declarat causas quæ non sine Rufi auctoritate & consensu agi poterant, nimirum ordinationes Episcoporum, celebrationes Conciliorum, & majorum causarum relationes ad sedem apostolicam.

IV. Mortuo Rufo, Anastasius ei in cathedra & in Vicariatu successit. Concilium indictum apud Thessalonicam. Mandata Anastasio data à Sixto III.

V. Refertur alius Sixti locus, ex quo perperam collegit Holstenius Vicariatum Thessalonicensem non sedis sed personæ privilegium fuisse.

VI. Disputatur an Romani Pontifices sic vices suas alij cuipiam Episcopo tribuere potuerint ut eas auferrent Thessalonicensi; & probatur istud non licuisse, variis argumentis.

VII. Explicatur causa Joannis Episcopi Nicopolitani, qui temporibus Hormisdæ Papæ relationem de ordinatione sua non miserat secundùm morem ad Dorotheum Episcopum Thessalonicensem.

VIII. Hormisda petebat Dorotheum Romam dirigi, ut illic examinaretur in causa fidei. Negavit Justinus Imperator, & Dorotheus non ivit Romam.

IX. Hæc discordia dedit occasionem ornandi Episcopum Nicopolitanum vicariatu sedis apostolicæ. Ad Gregorium Magnum referri non debuit de ordinatione Episcopi Nicopolitani, si tum is fuisset subjectus Thessalonicensi.

X. Corruptus sancti Gregorij locus emendatur; in quo, ut hodie quidem legitur, agitur de Nicomeditanæ civitatis Episcopo. Ostenditur heic agi de Episcopo Nicopolitano.

XI. Sixtus III. dat Anastasio auctoritatem convocandi Concilia generalia Diœceseos Illyricianæ, ad causas judicandas: quæ si illic finiri non potuerint, ab eo referantur ad apostolicam sedem.

XII. Addit idem Sixtus novum privilegium, ut si quis Episcopus ex provinciis Illyricianis Thessalonicam ad Anastasium accesserit præter ejus conscientiam, velut canonum contemptor habeatur. Holstenius heic agi putat de Episcopis Romam proficiscentibus absque formata Episcopi Thessalonicensis.

XIII. Sixtus Proclum C P. hortatur ne in jura Thessalonicensis antistitis irrepat. Quibus verbis designantur tentamenta Episcoporum Illyricianorum, qui se subtrahere moliebantur auctoritati Episcopi Thessalonicensis ut ad Constantinopolitanum se conferrent, & metus Pontificis ex vicinitate Procli.

I. BONIFACIO successit Celestinus istius nominis primus, cujus ævo celebratum fuit Ephesinum Concilium adversùs hæresim Nestorij, in quo Flavianus Philippensium Episcopus Rufi Thessalonicensis Legatus adfuit & subscripsit post Episcopos Hierosolymitanum & Ephesinum, ante Firmum Cæsareæ Cappadociæ Exarchum. Quod viri docti datum interpretantur honori vicariatus sedis apostolicæ, quem jam à tempore Innocentij primi continuata potestate secundùm morem habebat Rufus à Celestino. Agnoscens enim iste privilegium hoc Ecclesiæ Thessalonicensi ita indultum esse ut semper is vicem beati Petri agere deberet in provinciis Illyricianis qui sedem illam teneret, Thessalonicensémque Episcopum semper apostolicæ sedis vicem impleviſſe juxta observationem Dionysij Exigui quam suprà attulimus, etiam istud confirmatum esse voluit sua auctoritate, ne quid minus successoribus suis huic Ecclesiæ tribuisse videretur. Docet istud Nicolaus primus in epistola ad Michaëlem Imperatorem, in qua enumerans Pontifices Romanos qui primi Thessalonicensem antistitem decreverunt esse Romanæ sedis Vicarium per Illyricum, Celestinum inter illos recenset. Verùm testis in hoc nobis erit ipse Celestinus ad Episcopos per Illyricum constitutos scribens in causa Felicis Episcopi provinciæ Dyrracenæ; qui quorundam accusationibus circumventus ac penè oppressus, apostolicæ sedis auxilio evaserat ex hoc periculo. Hac occasione Celestinus Episcopis illis significat jam inde ab antiquitate sedem apostolicam derivasse partem aliquam suæ sollicitudinis in provincias Illyricianas, earúmque curam Thessalonicensi Ecclesiæ semper fuisse commissam, confirmasse se eam auctoritatem Rufo, cui eos obedire præcipit in omnibus causis ecclesiasticis; postremò minatur abstentionem & segregationem à cœtu fraternitatis ei qui refragari auderet vel auctoritati suæ vel illius jussioni.

II. Ista cùm sint magni momenti, & epistola illa Celestini apertiùs explicet auctoritatem illam Vicarij Thessalonicensis quàm superiorum Pontificum epistolæ, referenda sunt heic illius verba. *Nec nova hæc*, inquit, *sedi apostolicæ cura de vobis est. Statutum nostris sæpius experimentum hoc quod nos agimus Thessalonicensi Ecclesiæ semper esse commissum ut vobis vigilanter intendat.* Tum laudata virtute obedientiæ, & commendata beati Petri auctoritate & prærogativa, *Dominentur nobis regulæ*, inquit, *non regulis dominemur. Simus subjecti canonibus, cùm canonum præcepta servamus. Sunt culpæ aliquantæ non leves, quæ * illis innatæ provinciis, ad nos, cùm simus longiùs, non possunt pervenire, aut jam semotis omnibus non ita ut sunt acta interposito temporis spatio perferuntur; quas omnes nos intercessione fratris & coëpiscopi nostri Rufi, cujus experientiam probatam esse in causis omnibus & vitæ actibus liquet, volumus referari; cui vicem nostram per vestram provinciam noveritis esse commissam; ita ut ad eum, fratres carissimi, quicquid de causis agitur referatur.* Celest. 1. epist. ad Episcopos per Illyricum, apud Holsten. pag. 81.

* Legendum puto in Illyriis natæ

III. His ita generaliter sancitis, statim declarat causas quæ non sine Rufi auctoritate & consensu agi poterant, nimirum ordinationes Episcoporum, celebrationes Conciliorum, & majorum causarum relationem ad sedem apostolicam. *Sine ejus consilio*, inquit, *nullus ordinetur, nullus usurpet eodem inconscio commissam illi provinciam, colligere nisi cum ejus voluntate Episcopos præsumant; per eum etiam ad nos si quid est referatur.* Excommunicationis denique pœnam intentat illis qui his constitutis apostolicæ sedis non obedierint: *Sed hac præceptione cognoscent & eum qui refragandum nostræ auctoritati vel illius credidерit jussioni, à fraternitatis cœtu, cùm ipse separet, segregandum.*

IV. Mortuus est per eas tempestates Rufus Thessalonicensis Episcopus; & Anastasius statim in ea cathedra locatus, vicariatu sedis apostolicæ secundùm morem ornatus

est à Sixto, cum ea ipsa amplitudine auctoritatis quam superiores Pontifices decessoribus ejus tribuerant. Indicta erat anno CDXXXV. synodus Episcoporum apud Thessalonicam. Ad Episcopos ergo in synodo apud Thessalonicam congregandos scribens Sixtus de Anastasio, his eum verbis commendat: *Nos fratri & coëpiscopo nostro Anastasio tantum tribuimus quantum decessoribus ipsius à nostris decessoribus attributum. Priorum judicium sequimur hæc constituendo quæ ab his novimus constituta, quia & ipsum hujus probamus meriti cujus fuerunt illi qui talia meruerunt. Nullus obviet salubribus constitutis, nullus præceptionibus his resultet. Habeant honorem suum Metropolitani singularum, salvo hujus privilegio, quem honorare debeant ampliùs honorati. In provincia sua jus habeant ordinandi. Sed hoc insscio vel invito, quem de omnibus volumus ordinationibus consuli, nullus audeat ordinare. Ad Thessalonicensem majores causæ referantur antistitem. Ipsum major cura respectet eos qui ad episcopatum vocantur discutiendi solicitiùs & probandi. Ipse optimos solertissimosque de vestro numero eligat quos negotij secum adsciscat arbitros, aut sine se tribuat qui in disceptationem missa componat.*

Apud Holsten. pag. 51.

V. Sed operæ pretium est aliam Sixti constitutionem, qua potestas Episcopi Thessalonicensis paulò apertiùs declaratur, referre, directam universis Episcopis per Illyricum, datam autem xv. Kal. Ianuar. Aëtio iterum & Segisvulto Consulibus, id est, anno Christi quadringentesimo trigesimo septimo. *Illyricanæ omnes Ecclesiæ*, inquit, *ut à decessoribus nostris accepimus, & nos quoque fecimus, ad curam nunc pertinent Thessalonicensis antistitis; ut sua solicitudine, si quæ inter fratres nascantur, ut assolent, actiones, distinguat atque definiat, & ad eum quidquid à singulis sacerdotibus agitur referatur.* Hoc mirari subit infelix Holstenij judicium de vero sensu hujus loci, ex quo manifestè colligi putat privilegium illud, non sedis, sed personæ privilegium fuisse, additque statim curam illam alij Episcopo urbis alterius pro arbitrio Romani Pontificis demandari potuisse. Istum verò sensum colligit ex voce *Nunc*, ac si possessio præsentis temporis aboleret omnem aliam possessionem; cùm è contra ex contextu epistolæ constet hoc agi de privilegio Ecclesiæ, non verò personæ, uti suprà diximus.

Apud Holsten. pag. 99.

Vide suprà cap. 21.

VI. Quòd autem ait Holstenius curam illam alij Episcopo urbis alterius pro arbitrio Romani Pontificis demandari potuisse, facilè assentior. Nam & posteriorum temporum exempla probant eos aliis Episcopis delegasse vices suas in variis provinciis. Sed an cura illa sic alij Episcopo tribui potuerit ut non ampliùs Thessalonicensi incumberet, & ab eo prorsùs auferretur, non ita exploratum habetur. Nullus quippe dubitat, ut adnotatum est ab illustrissimo Archiepiscopo, quin privilegia quæ propter merita conceduntur, in contractus naturam transeant, ideóque revocari nullo modo possint. Magna porrò Thessalonicensium Episcoporum in sedem apostolicam merita fuisse probant Romanorum Pontificum epistolæ ab Holstenio editæ. Præterea cùm consuetudo, uti suprà diximus, obtineat vim legis, & convelli non possit, constat vicariatum apostolicæ sedis adimi non potuisse Ecclesiæ Thessalonicensi, tametsi causam abolendo privilegio fortassis dedisset is qui cathedræ illi præsidebat. Nam licèt interdum diversa sint merita præsidentium, ut ait sanctus Leo, tamen jura permanent sedium; &, ut ait Alexander III. in epistola ad Thomam Archiepiscopum Cantuariensem, *ex delicto personæ non debet Ecclesia jacturam aliquam vel incommodum sustinere.* Denique semper, sed præcipuè in causis ecclesiasticis, vitandum est scandalum, & Summi Pontifices maximè cavere debent ne rescriptis suis scandali occasionem præbeant. Scandala porrò & offensiones in rempublicam Christianam invehuntur, quando status ecclesiasticus aliqua novitate percellitur, & consuetudines receptæ convelluntur. Dedit magnum istius rei exemplum ætas Hormisdæ Romani Pontificis, & quidem in occasione quæ convellebat privilegia Thessalonicensis antistitis, ut necesse non sit exempla petere è longinquo.

Vide suprà cap. 21. f. 1.

Vide Leon. ep. 84. c. 2.

Vide Natal. ad Append. pag. 26.

Apud Rom. ad an. 1164. f. 18.

Vide suprà lib. 2. cap. 18. f. 2.

VII. Ioannes Nicopolitanus Episcopus, idémque veteris Epiri Metropolitanus, relationem de sua ordinatione, sicut vetus consuetudo poscebat, non miserat ad Dorotheum Episcopum Thessalonicensem, propterea quòd is non erat in communione sedis apostolicæ, & quia Pontifex Hormisda præceperat ne quis debitam sedi Thessalonicensi reverentiam exhiberet, néve eum susciperet ceu Vicarium sedis apostolicæ. Hanc Ioannis temeritatem acriter ultus est Dorotheus, principali auctoritate fretus. Ioannes ergo agnoscens se imparem Dorotheo, literas ea de re ad Hormisdam scripsit per Diaconum suum, licentiam petens destinandi relationem ad Episcopum Thessalonicensem secundùm consuetudinem. At Hormisda Episcopum illum admonuit ne tale aliquid audere tentaret, si cum ipso vellet in communione persistere; & Episcopis Epiri id ipsum sub consultationis colore poscentibus rescripsit se hujus illis rei auctorem existere non posse, quam, si inscio se cognosceret factam esse, culparet. Ne tamen afflicto non opitularetur,

Hormisd. epist. 17. 21. 22.

Idem epist. 7.

Hormisd. epist.

retur, Ennodium & Peregrinum Episcopos misit Thessalonicam cum literis ad Dorotheum; & dato eis commonitorio præcepit uti cùm ad eum pervenissent, monerent ut se ab Ecclesiæ Nicopolitanæ concussione suspenderet, *rationem reddentes, quia non potuit reversus ad communionem & ad corpus Ecclesiæ cum illis qui necdum reversi sunt quidquam habere conjunctum; nos non solvere à prædecessoribus nostris concessa privilegia, si ipse ecclesiastica instituta non deserat.* Contendebat enim Dorotheus Ioanni liberum non fuisse omittere obsequium quod ex veteri consuetudine & ex apostolicæ sedis privilegio debebatur Ecclesiæ Thessalonicensi. Itaque cùm illum justam causam habere videret Hormisda, neque facilè vinci posse hominem tot munimentis insistentem, ut qui præter auctoritatem sedis suæ, principales quoque & judiciarias potestates sibi faventes haberet adversùs Ioannem, Legatis suis præcepit ut eum ad concordiam & ad unitatem inducerent oblata privilegiorum confirmatione. *Certè redeat ad unitatem*, inquit, *& nos cum eo insistemus ut omnia privilegia quæcunque consecuta est à sede apostolica Ecclesia ejus, inviolata serventur.* Ad ipsum verò scribens, fatetur Ioannem debuisse secundùm consuetudinem ad Thessalonicensem Ecclesiam ordinationis suæ initia dirigere, ceterùm consuetudinem non fuisse neglectam, sed vitata contagia. Et quia Dorotheus contendebat privilegia Ecclesiæ suæ indulta servanda esse, illum his verbis interpellat Hormisda: *Quo pudore, rogo, privilegia circa te illorum manere desideras quorum mandata non servas, & reverentiam quam non exhibes fidei, cupis tibi ecclesiastica potestate deferri?*

VIII. Quis fuerit causæ istius exitus, non inveni traditum memoriæ literarum. Nam & biennio pòst Dorotheus ab Hormisda divisus erat, & Ioannes Nicopolitanus Episcopus adhuc pertimescebat malevolorum suorum calumniam, ut Hormisdæ verbis utamur. Injunxit per ea tempora Legatis suis Hormisda petere ab Imperatore uti Dorotheus ad Vrbem dirigeretur, illic examinandus in causa fidei. Et cùm inaudivisset eum Constantinopolim jussu Principis evocatum fuisse, mandat aliis literis insistere apud Imperatorem *ne in eandem civitatem denuo revertatur, sed episcopatus, quem nunquam bene gessit, honore deposito, ab eodem loco ac Ecclesia longiùs relegetur, vel certè huc ad Vrbem sub prosecutione congrua dirigatur.* Legati rem, ut jussi erant, Iustino Augusto retulerunt, postèa *ut ad percipiendam doctrinam catholicæ puritatis Romam præfatus Dorotheus mitteretur.* Negavit Iustinus; & repentè Dorotheus, qui in civitate Heracleensi attinebatur, abire permissus est.

IX. Hæc tamen discordia, ut ego quidem arbitror, Hormisdæ dedit occasionem distrahendi Epirum à corpore provinciarum quæ Vicario Thessalonicensi parebant, committendíque vices apostolicæ sedis per eam provinciam Episcopo Nicopolitano. Quod ut meliùs intelligatur, meminisse debemus eorum quæ suprà diximus, cùm tractaremus de his quæ apud Hormisdam acta sunt pro confirmatione privilegiorum Ecclesiæ Thessalonicensis, nimirum illum in Commonitorio Legatis suis dato pollicitum esse quòd si Dorotheus ad unitatem rediret, id est, Acaciano schismati renuntiaret, ipse *omnia privilegia quæcunque consecuta est à sede apostolica Ecclesia ejus, inviolata servaret.* His verbis promissam esse confirmationem vicariatus per Illyricum nemo est, opinor, qui ambigat. Itaque si ostendere possumus parem in hoc Nicopolitani Episcopi causam fuisse ævo sancti Gregorij, satis constabit eum diù antè fuisse sedis apostolicæ Vicarium per Epirum, nimirum jam inde à temporibus Hormisdæ. Rescribens ergo Gregorius ad Episcopos Epiri, qui ad eum scripserant de ordinatione Andreæ Episcopi Nicopolitani, hæc ait: *Suprascripto igitur Andreæ fratri & coëpiscopo nostro Pallium nos direxisse cognoscite, atque privilegia cuncta concessisse quæ prædecessores nostri ejus prædecessoribus contulere.* Si extaret Gregorij epistola ad Andream, fortassis aperta vicariatus istius testimonia in ea reperirentur. Hoc auxilio destituti, cogimur agere argumentis. Ac primùm quidem observandum est ad Episcopum Romanum referri de ordinatione Episcopi Nicopolitani, prorsùs contra veterem morem, si tum Epirus fuisset subjecta Thessalonicæ. Nam tum Episcopus Thessalonicensis, qui erat Eusebius, erat in communione sedis apostolicæ, ut docent variæ Gregorij epistolæ ad ipsum datæ. Ad hunc ergo, non ad Gregorium, referri debuit de ordinatione Andreæ. Sed quoniam tum sedes ejus æqualibus privilegiis utebatur cum Thessalonicensi, à cujus potestate exempta fuerat, necessarium erat ut eundem morem in ordinationis suæ initiis servaret Andreas quem Thessalonicenses Episcopi servabant, nimirum ut relationem de ordinatione sua mitteret ad Summum Pontificem. Secundò, Gregorius Pallium, quod erat Vicariorum apostolicæ sedis insigne, (licèt interdum etiam aliis Episcopis daretur) mittens ad Andream, confirmat omnia privilegia Ecclesiæ illius collata à prædecessoribus suis, idque iis verbis quæ, si conferantur cum verbis Hormisdæ suprà relatis,

S. Gregor. lib. 11. Indict. 14. epist. 71.

omnino evincunt Gregorium loqui voluisse de vicibus apostolicæ sedis.

X. Sed adversùs hæc opponet fortassis quispiam frustra me hoc loco torqueri. apud Gregorium enim non agi de Episcopo Nicopolitano, sed de Nicomeditano, adeóque inutilem esse hanc meam omnem operam. Scio quidem in vulgatis Gregorij editionibus, & in veteri codice MS. Bibliothecæ regiæ, tum etiam apud Gratianum, epistolam illam loqui de Andrea *Nicomeditanæ* vel *Nicomedianæ* civitatis Episcopo. Sed ego contendo locum hunc esse corruptum, reponendúmque illic esse nomen Nicopolitanæ civitatis. Primùm enim ea epistola scripta est ad Episcopos Epiri; quorum Metropolitanus non erat Nicomediensis, qui nullus fuit, sed Nicopolitanus, ut cuivis manifestum est. Deinde apud sanctum Gregorium non uno loco reperimus mentionem fieri Andreæ Episcopi Nicopolitani, hujus nimirum ipsius de quo ad eum retulerant Episcopi Epirotæ. Vnde patet certam esse emendationem, adeóque ea argumentatione convelli non posse quæcunque hactenus à nobis dicta sunt de Vicariatu Episcopi Nicopolitani. Nunc ad Sixti literas revertamur.

Apud Gratian. dist. 100. cap. Scripcorum.

S. Gregor. lib. 7. Indict. 1. epist. 11. & Indict. 2. epist. 70.

XI. Sic ergo prosequitur ille in epistola illa ad universos Episcopos per Illyricum: *Sit Concilium quotiens causæ fuerint, quotiens ille pro necessitatum emergentium ratione decreverit; ut meritò sedes apostolica relatione ejus instructa quæ fuerint acta confirmet. Evocatus vestrum nemo venire contemnat, nec congregationi sanctæ, ad quam debet festinare, se deneget. Excusatio per contumaciam non requiratur &c.* Et paulò pòst: *Si quid forsitan aut inter fratres natum fuerit, aut fratri cuipiam aliqua actio qua pulsetur illata; aut illic fratre & coëpiscopo nostro Anastasio judice eveniens negotium terminetur, qui vices apostolicæ sedis agere ut beatæ memoriæ Rufus decessor ipsius ex nostra voluntate cognoscitur; aut ad nos, si illic definiri non potuerit, eodem tamen suis literis causam omnem quæ vertitur prosequente, veniat examen.*

Apud Holstan. pag. 99.

XII. Addit idem Sixtus novum privilegium, nimirum, ut si quis Episcopus ex provinciis Illyricianis Thessalonicam ad Anastasium accesserit præter ejus conscientiam, velut canonum contemptor habeatur. Quo loco respexit fortassis Sixtus ad canonem tertium Sardicensem, in quo sic legitur: *Osius Episcopus dixit: Illud quoque necessariò adjiciendum est, ut Episcopi de sua provincia ad aliam provinciam, in qua non sunt Episcopi, non transeant, nisi fortè à fratribus suis invitati, ne videamur januam claudere caritatis.* Et fortassis istud petierat Anastasius à Sixto, quòd se nimia Episcoporum Thessalonicam venientium copia premi videret, exemplum secutus Ætij prædecessoris sui, qui remedium à Concilio Sardicensi postulaverat adversùs Presbyteros & Diaconos Thessalonicam ex provinciis Illyricianis venientes, tempúsque moræ illis præscribi, ut suprà vidimus. Itaque Sixtus de hoc privilegio sic scribit ad Proclum Episcopum Constantinopolitanum: *Id ergo quod nos quoque servamus, fraternitatem tuam, quam scimus hoc suo more facturam, volumus custodire, id est, ut si quis ad fratrem & coepiscopum nostrum Thessalonicensis urbis antistitem harum provinciarum quæ ad eum pertinent sacerdos adveniat præter ejus conscientiam, si sine ejus epistolis atque formata venire tentaverit, tanquam disciplinæ ecclesiasticæ despector & contemtor canonum, quos nos temerari ex aliqua parte non patimur, habeatur.* Hunc locum Holstenius existimans esse mutilum, sic restituendum esse pronuntiat: *Si quis ad fratrem & coepiscopum nostrum Thessalonicensis urbis antistitem harum provinciarum (quæ ad tuam spectant Ecclesiam sacerdos sine tuo consensu accesserit, vel contra ad tuam sanctitatem istarum provinciarum) quæ ad eum pertinent sacerdos adveniat præter ejus conscientiam &c.* Ex quo loco sic emendato colligit eos qui ex Illyrico veniebant Romam, formatam attulisse Vicarij Thessalonicensis; ut qui è Gallia veniebant, accipiebant ab Arelatensi Vicario. De quo privilegio, quod in Patroclo sumpsit initium, nos infrà agemus in capite x x x. istius supplementi.

Vide supra col. 2. l. 5.

Apud Holst. pag. 94.

Qui primus emendavit hunc locum Holstenius.

XIII. De causis provinciæ Illyricianæ ad Constantinopolitanum Episcopum rescripsit Sixtus, ut qui in vicino erat, canonum custodiam præstaret. Nam Episcopi illius provinciæ se interdum subtrahere moliebantur auctoritati Episcopi Thessalonicensis, ut ad Constantinopolitanum se conferrent, vicinæ urbis inlecebris illecti. Et facilè illos admittebat Constantinopolitanus antistes, in spem augendæ dignitatis suæ erectus post conditum canonem secundæ synodi. Nam & Theodosij junioris ævo tentata fuerat orientalis Illyrici divisio à sede apostolica, ut non amplius illud aut Thessalonicensi Episcopo subesset, neque relationes hinc ad sedem apostolicam mitterentur. Itaque Sixtus, multùm laudato Proclo, eum hortatur ne in jura & privilegia Thessalonicensis antistitis irrepat, sed potiùs ei debitum honorem reservet, nève quicquam permittat fieri quod non liceat à sacerdote tentari. Quibus verbis nemo non videt designari tentamenta Illyricianorum Episcoporum, & metum Pontificis ex vicinitate Procli. *Reverentia vestra,* inquit, *in commune* (id est, tibi & Thessalonicensi Episcopo) *præstatur, si alter alterius*

Apud Holst. pag. 95.

honori debita, prævenientes invicem per caritatis gratiam, reservetis: quæ fieri nolumus ut legimus. Discant omnes illius provinciæ sacerdotes tantæ fraternitatem tuam esse censuræ, ut non permittas fieri quod non licet à sacerdote tentari.

CAPVT XXVI.

Synopsis.

I. Leo M. amplificavit auctoritatem Episcopi Thessalonicensis in Illyrico.

II. Anastasius à Leone postulaverat uti sibi vices suas per Illyricum delegaret juxta morem. Iterum ostenditur vicariatum Thessalonicensem à Siricio Papa firmatum fuisse.

III. Recensentur mandata quæ Leo dedit Anastasio. Quænam utilitas ex celebratione Conciliorum capiatur.

IV. Causæ in suis quæque provinciis definiantur. At si quæpiam causa incidat quæ nec in majori synodo apud Anastasium definiri possit, tum verò de ea referatur ad sedem apostolicam.

V. Explicatur Leonis locus de plenitudine potestatis, & de his qui à Romano Pontifice vocantur in partem sollicitudinis. Huic distinctioni occasionem præbuit Anastasij audentia adversùs Atticum Metropolitanum veteris Epiri.

VI. Explicationem hoc allatam veram esse probatur auctoritate Petri Bibliothecarij sedis apostolicæ, & Ivonis Episcopi Carnotensis.

VII. Probatur etiam auctoritate Innocentij III. ad Cencium Legatum scribentis de auctoritate Legatorum.

VIII. Rursum istud ipsum probatur ex alio illustri loco ejusdem Pontificis. Agebatur de castigando Mauricio Episcopo Pictavienſi, qui judices à Papa delegatos vocabat Papæ judicellos, & se Papam esse aiebat in sua diœcesi.

IX. Sequentes Pontifices hoc Leonis loco usi sunt ad ostendendum solum Romanum Pontificem habere plenitudinem potestatis, ceteros verò vocatos tantùm esse in partem sollicitudinis.

X. Mandata sua Leo jubet in omnium Episcoporum notitiam perferri, ne quis ignorantia juris se tueri possit. Episcopi, Presbyteri, Diaconi die dominico ordinandi.

XI. Transit deinde Leo ad celebrationem Conciliorum generalium Diœceseos Illyricianæ, quorum regulam præscribit. Consulit fatigationi & paupertati Episcoporum, ne cogantur frequenter convenire ad synodos. Varia istius rei exempla ex antiquitate.

XII. Jubet uti nullus Episcopus se synodo subtrahat superbo animo. Afferuntur causæ legitimæ ob quas licebat deesse conventui synodali.

XIII. Præscribit deinde varia capita circa disciplinam ecclesiasticam, & Episcopos Illyricianos admonet servare constituta à se missa ad Anastasium.

I. VENTUM est tandem, quod maximè cupiebamus, ad felicia illa tempora quibus Romanam Ecclesiam post Sixtum III. rexit sanctus Leo, vir cumprimis memorabilis, & qui cùm virtutibus suis, tum ob rerum gestarum gloriam, Magni cognomen adeptus est. Et superiores quidem Pontifices vices suas per Illyricum tribuerant Episcopo Thessalonicensi cum ea amplitudine potestatis quam animo conceperant. Supererant tamen adhuc plurima disciplinæ capita ad quæ porrigi poterat illius sollicitudo. Facinus istud divina providentia reservaverat Leoni; ut qui magnitudine animi & intelligentia decessoribus suis anteibat, etiam in hoc capite illos vinceret. Vnde & ipse ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum scribens ait multa illi à beatissimi Petri Apostoli auctoritate, id est, à Romanis Pontificibus decessoribus suis, commissa fuisse, sed plus tamen se ipsi concessisse quàm decessoribus ejus tributum fuerat à sede apostolica. *Quanta fraternitati tuæ*, inquit, *à beatissimi Petri Apostoli auctoritate commissa sint, & qualia etiam nostro tibi favore sint credita, si vera ratione perspiceres, & justo examine ponderares, multùm possemus de injunctæ tibi sollicitudinis devotione gaudere.* Leo I. epist. 84 & in Decretis cap. 51.

II. Anastasius ornatus à Sixto fuerat vicariatu sedis apostolicæ, eúmque per multos annos gesserat. Tandem anno quadringentesimo quadragesimo quarto, seu data occasione, sive fortean quòd Leo quereretur non petitam à se fuisse confirmationem illius potestatis ex parte Anastasij, Anastasius mittens Nicolaum Presbyterum in Italiam, per eum petiit à Leone uti sibi, sicut prædecessores ejus detulerant prædecessoribus suis, vices suas delegaret per Illyricum. Quod Leo concessit, exemplum petens à temporibus Papæ Siricij, & quia idem honos fuerat tributus prædecessori & decessori Anastasij, id est, Anysio & Rufo, qui cathedram Thessalonicensem tenuerant ante Anastasium. Ex quo confirmatur observatio quam suprà attulimus, incepisse quidem aliquo modo vicariatum Thessalonicensem à Damaso, sed certa primùm ratione & æterna lege sancitum esse à Siricio in persona Anysij. Nam Leo totum istud negotium refert ad tres illos Episcopos, nulla mentione facta temporum Damasi, hauddubiè facturus, si quid ille mansurum sanciviſſet. Hæc sunt verba Leonis: *Postquam itaque nobis petitio tuæ dilectionis innotuit per filium nostrum Nicolaum Presbyterum, ut tibi quoque à nobis, sicut decessoribus tuis, per Illyricum cum nostra vice propter custodiam regularum auctoritas præstaretur, præbentes assensum, nostra adhortatione compellimus ut nulla dissimulatio, negligentia nulla proveniat circa Ecclesiarum regimen per Illyricum positarum, quas dilectioni tuæ vice nostra committimus, beatæ recordationis Siricij exemplum secuti, qui sanctæ memoriæ Anysio prædecessori tuo, bene de apostolica sede tunc merito, & rebus post sequentibus ap-*

Similis Pelagij II. querela extat in epistola ejus ad Sapaudum, quæ referetur infra cap. 37.

Vide suprà cap. 23. §. 1.

Leo I. in epist. ad Anastasium, apud Holsten. pag. 144.

probato, certa tum primùm ratione commisit, ut per illam provinciam positis, quas ad disciplinam teneri voluit, Ecclesiis subveniret. Et mox: *Imitatorem te tam prædecessoris tui quàm decessoris, qui pari modo hoc & meruisse & egisse cognoscitur, esse volumus, ut de profectu Ecclesiarum quas tibi vice nostra committimus gaudeamus.*

Decessor, qui proximè antecessit. Prædecessor, qui decessorem proximè antecessit. Vide Iuret. ad epist. 95. Ivonis Carnot.

III. Post narrationem illam & quæ sequitur exhortationem, Leo transit ad mandata quæ Vicario suo danda putavit; quæ omnino malo verbis ipsius referre quàm meis. *Divinæ legis sanctio veneranda*, inquit, *& canonum specialiùs decreta serventur. Per commissas tibi provincias tales Domino sacerdotes, quibus sola vitæ & clericalis ordinis suffragentur merita, consecrentur. Nihil gratiæ personali, nihil ambitioni, nihil redemptis permittas licere suffragiis. Examinentur diligentiùs, & per longum vitæ tramitem disciplinis ecclesiasticis qui ordinandi fuerint imbuantur. Si tamen illis omnia quæ à sanctis patribus sunt constituta conveniant, & quæ beatum Apostolum Paulum de talibus legimus præcepisse custodierint, ut unius uxoris vir sit, & hanc virginem, ut auctoritas divinæ legis cavet, acceperit.* Docet deinde bigamum verè esse qui nondum Christianus habuit uxorem, & ea mortua, aliam duxit post baptismum. Pergit autem in dandis mandatis: *Nullus te inconsulto per illas Ecclesias ordinetur antistes. Ita enim fiet ut sint de eligendis matura judicia, dum tuæ dilectionis examinatio formidatur. Quisquis verò de Metropolitanis Episcopis contra nostram præceptionem præter tuam notitiam fuerit ordinatus, nullam sibi apud nos status sui esse noverit firmitatem, eósque usurpationis suæ rationem qui hoc præsumpserint reddituros. Singulis autem Metropolitanis sicut potestas ista committitur ut in suis provinciis jus habeant ordinandi, ita eos Metropolitanos à te volumus ordinari, maturo tamen & decocto judicio.* Et paulò pòst: *Ad synodum quisquis fratrum fuerit evocatus occurrat, nec sanctæ congregationi se deneget, in qua maximè constituendum esse noverit quod ad disciplinam poterit ecclesiasticam pertinere. Melius enim omnis culpa vitabitur, si inter sacerdotes Domini collatio frequentior habeatur, emendationi pariter & caritati plurimùm præstet adunata societas.* Ea utilitas ex celebratione Conciliorum, primùm ut vitia resecentur, deinde ut fraternitas mutuo aspectu fruatur.

IV. Addit deinde in mandatis Leo, ut si quæ causæ in provinciis illis natæ fuerint quæ in Conciliis illis terminari possint absque contradictione, illic definiantur. Si verò causa quæpiam major sive, ut alibi vocat, gravior inciderit, quæ ab Anastasio præsidente in synodo non possit definiri, jubet ad se mitti relationem de eo negotio, ut ipse revelante Domino rescribat quod ipsi idem Dominus aspiraverit; servata nimirum veteri consuetudine, quæ constituit uti majores causæ ad sedem apostolicam referantur. *Vt enim auctoritatem tuam vice nostra*, inquit, *exercere te volumus, ita nobis quæ illic componi non potuerint, vel qui vocem appellationis emiserit, reservamus.* Vnde cùm postea idem Anastasius nimis asperè tractasset Atticum veteris Epiri Metropolitanum, déque ea re idem Atticus querelam suam detulisset ad Leonem, iste ad Anastasium rescribens de atrocissimo facinore, in memoriam ei revocavit ista mandata, eum redarguens quòd ea non servasset. *Nam cùm maiora negotia*, inquit, *& difficiliores causarum exitus liberum tibi esset sub nostræ sententiæ expectatione suspendere, nec ratio tibi nec necessitas fuit in id quod mensuram tuam excederet deviandi.* Et inferiùs eandem causam repetit, pronuntians Anastasium non debuisse causam Attici, qui Metropolitanus Episcopus erat, judicare, donec ad ejus consulta Leo rescripsisset. *Præsertim*, inquit, *cùm etiamsi tale aliquid mereretur, expectandum tibi fuerat quid ad tua consulta rescriberem.* Et paulò pòst: *Etiamsi quid grave intolerandumque committeret, nostra erat expectanda censura, ut nihil priùs ipse decerneres quàm quod nobis placeret agnoscere. Vices enim nostras ita tuæ credidimus caritati, ut in partem sis vocatus sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis.*

V. Heic locus me admonet ut effatum illud ultimorum temporum, nimirum ceteros Episcopos vocatos esse in partem sollicitudinis, sed solùm Romanum habere plenitudinem potestatis, captata occasione explicem, ostendámque Leonem non cogitasse hoc loco de suprema auctoritate Romanæ sedis in universum, sed tantùm de potestate quæ sedi apostolicæ competebat in provinciis Illyricianis, in cujus potestatis exercitio vices suas Anastasio tribuerat, ita tamen ut ab eo vocatus fuerit in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Vices suas, ut diximus, per Illyricum Leo commiserat Anastasio. Is verò externa potentia inflatus, tyrannum agebat, adeo ut Atticum Metropolitanum veteris Epiri sub publica custodia ad se Thessalonicam deduci fecerit, & contra vetera instituta sponsionem ab eo fidelitatis scripto exegerit. Ea de causa Romam accedens Atticus, Leonis pietatem commovit: qui propter hoc facinus, quia invidia hujus facti in eum quoque derivari poterat, gravem ad Anastasium epistolam dedit, illum redarguens paulò asperioribus verbis. Tum verò addit, sic se vices suas ei commisisse, ut in partem vocatus sit sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Quibus verbis dicere voluit Leo commisisse se quidem Ana-

stasio ut causas definiret quæ in provinciis Illyricianis definiri possent citra contradictionem, ceterùm majores gravioresque causas reservaret judicio sedis apostolicæ. Attici porrò causam, quippe qui Metropolitanus esset, inter majora negotia referendam esse, adeóque de ea referri debuisse ad sedem apostolicam, culpandúmque propterea esse Anastasium, qui eam judicare præsumpsisset.

VI. Ne quis verò existimet me novum aliquid dicere, aut summæ Romani Pontificis auctoritati velle quippiam detrahere, laudabo sententiæ istius auctores ex intima penè antiquitate; simúlque Innocentij III. testimonio evincam Legatos apostolicæ sedis, tametsi generalia mandata acceperint, debere se continere intra certos limites & intelligere sibi tributam non esse vi legationis eam potestatis amplitudinem in provinciis quæ Romano Pontifici competit in causis ecclesiasticis. Anno MLXXIV. cùm Legati à Gregorio VII. in Germaniam missi synodum generalem celebrare vellent, quod intra Gallias, id est, Germaniam, à nullo alio celebrari posse quàm à Romano Pontifice contendebant Episcopi illarum partium, opponeréntque Legati se vices gerere Romani Pontificis, contenderétque è contra Liemarus Bremensis Archiepiscopus sibi quoque & Moguntino Archiepiscopo vices apostolicæ sedis per Germaniam antiquis privilegiis esse concessas, primùm quidem Legati docuerunt mandata Legatorum expirare morte mandantis, & Legatos in partem solicitudinis esse vocatos, non in plenitudinem potestatis. ad quam rem probandam utuntur testimonio sancti Leonis quod paulò antè protulimus: *Præterea*, inquiunt, *sicut in primi Leonis Papæ quodam capitulo legitur, Pontifex Romanus vices suas ita committit, ut qui accipiunt, in partem solicitudinis sint vocati, non in plenitudinem potestatis.* Eadem fuit sententia Ivonis Episcopi Carnotensis: qui ad Hugonem Lugdunensem Archiepiscopum & apostolicæ sedis in Gallia Legatum scribens, virum, ut ex ejusdem Ivonis epistolis patet, acrem ac vehementem in retinenda dignitate sua, contendit, non secus ac Legatos in Germaniam missos feciſse vidimus, legationis officium partem esse apostolicæ sollicitudinis, non plenitudinem potestatis, & hanc partem modò plus modò minus recipere pro arbitrio committentis; *maximè cùm secundum eundem Leonem*, inquit, *legationis officium pars sit apostolicæ sollicitudinis, non plenitudo potestatis; quæ etiam pars modò plus modò minus recipit pro arbitrio committentis.*

VII. Anno millesimo ducentesimo, vacante Ecclesia Panormitana, Galterus Trojanus Episcopus & regni Siciliæ Cancellarius *usque adeo* (ut Innocentij III. Gesta tradunt) *laboravit quòd fecit se in Archiepiscopum postulari, eandémque postulationem per præfatum Legatum* (nimirum per Cencium Presbyterum Cardinalem Tit. S. Laurentij in Lucina, qui tum apostolicæ sedis Legatus erat in regno Siciliæ) *admitti, Summo Pontifice penitùs inconsulto. Et quamvis nondum Palleum recepisset, nedum etiam postulasset, Panormitanensem tamen Archiepiscopum & re & nomine se gerebat. Quod cùm ad Summi Pontificis notitiam pervenisset, redarguit valde Legatum, quòd in tanto negotio circa talem personam processerat antè quàm suum beneplacitum perquisisset.* Extant Innocentij literæ ad Legatum, plenæ majestatis; ex quibus colligimus hunc Pontificem eadem de Legatorum potestate sensisse quæ & Legati Gregorij VII. & Ivo Carnotensis diù antè senserant, eadémque omnino distinctione ex sancto Leone petita usum esse, quamvis illum non nominet. Hæc sunt enim ejus verba: *Licèt in regno Siciliæ generalis sit tibi commissa legatio, ad ea tamen sine speciali mandato non debuisti manus extendere quæ in signum singularis privilegij sunt Summo Pontifici reservata, tametsi quædam ex iis quæ de speciali concessione sæpe fuere Legatis indulta, ut illorum videlicet absolutio qui propter sacrilegas manuum injectiones in Clericos inciderunt in canonem sententiæ promulgatæ, videantur & ex ipso legationis officio jam licere Legatis. An existimas, quia vices nostras tanquam Legato tibi commisimus exequendas, quia Panormi Ecclesiam posses subjicere Messan. ut illam isti præficeres, concesso sibi privilegio primatiæ? An putas ex eadem causa tibi licere duos episcopatus unire vel unum dividere sine licentia speciali?*

VIII. Post aliquot exinde annos idem Innocentius paulò apertiùs usurpavit verba sancti Leonis, & quidem secundùm explicationem à nobis allatam. Delegaverat ille judicem in causa quadam Priorem sanctæ Radegundis Pictavensis adversùs Mauricium ejusdem civitatis Episcopum. Iste verò ægrè ferens se subjici minori, jurisdictionem ejus palam turbavit, pœnas etiam infligendo, publicè prædicans quòd in episcopatu suo esse vellet Episcopus atque Papa, & asserens quòd per judices delegatos à Papa, quos Papæ judicellos appellabat, nihil agi sineret in sua diœcesi. Innocentius verò ratus audaciam illam ferendam non esse vindicandámque injuriam sedi apostolicæ factam per istius temeritatem, literas ad quosdam partium illarum ecclesiastici ordinis viros dedit anno MCCXIII. X. Kal. Aprilis, quibus eis commisit curam castigandi Episcopum &

Gesta Innoc. III. cap. 29.

cap. Quòd translationem. De eff. Leg.

fautores ejus. In initio autem magnifica præfatione usus, ac multa prolocutus de auctoritate Romani Pontificis in universam Ecclesiam, ait illum, quia simul in diversis locis existere aut ad loca remotiora subitò transvolare non potest, sollicitudinem suam in plures dispertiri, quæ per se ipsum non potest, per Legatos suos vel delegatos judices exequendo; ita tamen ut multis hoc modo vocatis in partem sollicitudinis, penes eum semper remaneat plenitudo potestatis. Sed operæ pretium est ipsamet ejus verba referre. *Vniversorum etenim conditor*, inquit, *qui omnia simul ab æterno providit, sciens sacrosanctam Romanam Ecclesiam futuram caput omnium fidelium & magistram, ejus pastorem, per quem populum suum ad repromissionis terram per hujus mundi solitudinem properantem regere dispone-* Innoc. III. lib. 1. epist. 12. *bat, jam tunc benigniùs instruere dignabatur qua-* a quia *liter,* a *conditionis humanæ lex hominem simul in diversis locis existere aut ad loca remotiora transvolare subitò non permittit; redimeret tarditatem, sua videlicet onera dispensando per alios, & quæ per se ipsum non posset, per Legatos suos vel delegatos judices exequendo; ut sic multis vocatis in partem solicitudinis, penes eum consisteret plenitudo potestatis.*

IX. Ex his ergo quæ dicta sunt colligi facilè potest Leonis primi locum ex epistola ad Anastasium non esse intelligendum de plenitudine potestatis quam Christus dederit Petro & successoribus ejus Romanis Pontificibus, ita ut ille solus plenitudinem illam habeat, ceteri verò vocati tantùm ab eo sint in partem sollicitudinis, ut placuit Vigilio & Gregorio IV. qui loquentes de Romana Ecclesia, aiunt eam sic vices suas aliis Ecclesiis credidisse, ut in partem sint vocatæ sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Ex ea persuasione factum est ut in Concilio Romano habito anno DCCCCXCVIII. Gregorius V. confirmans ordinationem Arnulphi Episcopi Ausonensis, (quem Narbonensis Archiepiscopus, ad quem tum jure metropolitico spectabat sollicitudo Ecclesiarum provinciæ Tarraconensis, consecraverat) his verbis utatur quibus omnem episcopalem auctoritatem in sede Petri ponit tanquam in fonte, ex quo ceteri Episcopi tantum accipiant quantum placuerit Romano. Operæ pretium est ipsa viri verba referre ex veteri scheda nondum edita. *Privilegio nostræ auctoritatis confirmando & corroborando Arnulphum prænominatum Episcopum in ordine pontificali Ecclesiæ Ausonensis statuimus atque sublimavimus, anulumque & virgam pastoralem ei dedimus, ligandi solvendique potestatem vice Apostolorum & nostra ei concessimus.*

X. Præcipit itaque deinde Leo Anastasio ut has literas suas in omnium Episcoporum notitiam faciat pervenire, ob necessitatem publicandæ legis, & ne quis ignorantia juris se tueri possit, si mandata superiùs recitata non observaverit. Admonet deinde se ad omnes Illyrici Metropolitanos scripsisse de vicariatu Anastasij, ut obediant apostolicæ sedis delegato. His ita generaliter enarratis, transit ad caput alterum disciplinæ, ad ordinationes nimirum Presbyterorum & Diaconorum, quas die dominico, non secus ac Episcoporum ordinationes, peragi debere docet. *Cognovimus sanè*, inquit, *quod non potuimus silentio præterire, à quibusdam fratribus solos Episcopos tantùm diebus dominicis ordinari, Presbyteros verò & Diaconos, circa quos par consecratio fieri debet, passim quolibet die dignitatem officij sacerdotalis accipere. Quod contra canones & traditionem patrum usurpatio corrigenda committit, cùm mos quibus est traditus circa omnes sacros ordines debeat omnimodis custodiri.* Porrò Leonis epistola ad Metropolitanos per Illyricum constitutos edita est ab Holstenio inter Acta Concilij Romani sub Bonifacio secundo celebrati, eadémque mandata continet quæ leguntur in epistola ad Anastasium.

XI. Præter epistolam ad Metropolitanos illos scriptam, aliam quoque de eodem argumento scripsit ad Metropolitanos per Achaïam provinciam constitutos, in qua nonnulla notatu digna reperiuntur quæ in superioribus non extant. Nam post factam mentionem majorum causarum, quas, si in provinciis suis nequeant terminari, ad Anastasij notitiam referri jubet, ut eodem arbi- Vide Decret. Isidor. tro sub divini timore judicij componantur, transit ad celebrationem Conciliorum generalium Diœceseos Illyricianæ; ad quæ illos convenire jubet, cùm evocati ab Anastasio fuerint, si nulla gravi necessitate retineantur; id tamen admonens se constituisse, *ut non frequens, nec pro levibus causis, conveniendi necessitas indicatur.* Providebat enim prudentissimus Pontifex, id quod postea malo provinciarum sæpe accidit, ex constitutione celebrandarum synodorum descendere posse pessimum abusum, congregaturúmque fortassis Anastasium multas generales synodos, ut potentiam & fastum suum ostentaret, si nulla super hoc constitutione repressum se sciret. Veruntamen Leo hanc causam hujus prohibitionis non adfert, sed aliam sapientissimam simul & justissimam, nimirum propter fatigationem Episcoporum qui in longinquis provinciis constituti erant, & qui non sine gravibus sumptibus ad synodos accedere poterant. *Maximè*, inquit, *cùm moderatio nostra providerit ut non frequens, nec pro levibus causis, conveniendi necessitas indicatur,*

& binos ternosve Episcopos de singulis provinciis adesse sufficiat, ut leve fiat paucis quod multis esset onerosum. Insignis est eam in rem locus ex epistola Concilij Ariminensis ad Constantium Augustum: in qua Episcopi postulantes fieri sibi potestatem abeundi, inter causas petitionis suæ recensent paupertatem quorundam & fatigationem præterea eorum qui senio confecti erant; ne dicam quòd ex congregatione generalium Conciliorum fiebat ut Ecclesiæ essent desertæ. *Oramus etiam ut præcipias tot Episcopos qui in Arimino detinentur, inter quos plurimi qui ætate & paupertate defecti sunt, ad suam provinciam remeare, ne destituti suis Episcopis laborent populi Ecclesiarum.* Huc fortassis respiciebat Sulpitius Severus in libro secundo sacræ historiæ; ubi enarrans quomodo Constantius Episcopis synodi Ariminensis annonas & cellaria dare præceperat, ait id quibusdam Episcopis indecens visum, qui, repudiatis fiscalibus, propriis sumptibus vivere maluerunt, tres tantùm ex Britannia, inopia proprij, publico usos esse, cùm oblatam à ceteris collationem respuissent, sanctius putantes fiscum gravare quàm singulos.

XII. Edicit præterea Leo, *ut quisquis superbo animo, cùm nulla corporis vel causæ fuerit necessitate detentus, fraternum sæpius voluerit vitare conventum, se sciat esse judicandum.* Quippe in synodis cuncta discutiebantur quæ ad disciplinam ecclesiasticam pertinebant, etiam vita & conversatio Episcoporum. Itaque fieri poterat ut aliqui Episcopi vitarent conventum, ut se cognitioni judicum suorum subtraherent. Hos ergo contumaces, etiam absentes, judicandos esse pronuntiat in synodis. At si qui non adsint ob ægritudinem vel ob aliam justam causam, horum excusationem esse admittendam, adeóque damnandos non esse. Placuit istud etiam aliarum provinciarum Episcopis, maximè verò Gallicanis, ut docet infrà illustrissimus Archiepiscopus. Falluntur autem qui existimant canones Galliæ excusationem, quò minus Episcopi ad synodum veniant, præter infirmitatem corporis, nullam agnoscere, ut alibi dicetur.

XIII. Demum Leo nonnulla circa disciplinam ecclesiasticam præscribit Episcopis illis: quæ cùm non pertineant ad auctoritatem Anastasij, sed ad custodiam canonum in universum, consultò omittimus. In fine verò jubet eos servare constituta à se missa ad Anastasium.

CAPVT XXVII.

Synopsis.

I. Anastasij factum erga Atticum veteris Epiri Metropolitanum exeritur. Ejus præsumptionem Leo damnavit, Anastasium redarguens verbis asperrimis, usurpatorem etiam eum vocans, & à similibus abstinere in posterum jubens.

II. Nova deinde mandata illi dat, sumpta partim ex veteribus, quæ hoc explicantur vel illustrantur, partim de novo addita. Ea mandata recensentur. De ordinationibus Episcoporum cum consensu Anastasij peragendis.

III. Bina per unumquemque annum Concilia celebrentur, in quibus omnes causæ ecclesiasticæ judicentur. De relatione Metropolitanorum ad Episcopum Thessalonicensem, & istius ad Romanum Pontificem. Majores causæ ad sedem apostolicam referendæ.

IV. Transit deinde ad ambitionem quorundam Episcoporum, qui civitatis suæ mediocritate despecta, ad majores Ecclesias migrabant contra canones.

V. Sequenti capite Leo sancit supremum Thessalonicensis antistitis imperium in provincias Illyricianas, dum ei tribuit auctoritatem coercendi universos provinciarum illarum Clericos.

VI. Rursum præscribit modum qui servari deberet in celebratione Conciliorum generalium. Nam Anastasius erat abusus potestate quam illi circa hoc Leo tribuerat.

VII. Ea præterea erat Anastasij pervicacia, ut suam unius sententiam prævalere debere contenderet collectis Episcoporum suffragiis. Ob quam præsumptionem castigatur à Leone.

I. PROXIME diximus Leonem præcavere voluisse ne effusa illa Thessalonicensis Episcopi auctoritas, quæ jam magnitudine laborabat sua, verteretur in dominatum, facili descensu à recto potestatis usu ad abusum. Ea de causa illi mandata dederat in quibus omnia causarum genera provisa putabantur. Factum est tamen ut cùm Atticus veteris Epiri Metropolitanus, excusationem infirmitatis obtendens, non accessisset Thessalonicam, quò evocatus fuerat ab Anastasio, fortassis ad synodum, Anastasius eum Thessalonicam deduci fecerit cum auxilio brachij secularis, ut hodie loquimur, adita scilicet præfectura Illyrici, cujus auctoritate Atticus ab Ecclesiæ adytis extractus, non ob molestiam ægritudinis, non ob sævitiam hyemis datis induciis, Thessalonicam ab officiis publicis deductus, sponsionem fidei coactus est Anastasio dare in scriptis. Præsumptionem illam damnavit Leo, Anastasium redarguens quòd à traditis sibi regulis immodicè discessisset; satis innuens suspectam sibi fuisse nimiam illius potentiam, adempturus fortean illi vices suas, si adimi citra scandalum potuissent. *Dum dominari magis*, inquit, *quàm consulere subditis placet, honor inflat su-* Leo epist. 84.

perbiam, & quod proviſum eſt ad concordiam, tendit ad noxam. Quod ut neceſſe habemus ita dicere, non de parvo animi dolore procedit. Me ipſum enim quodam modo trahi in culpam ſentio, cùm te à traditis tibi regulis immodicè diſceſſiſſe cognoſco. Addit poſtea Leo non debuiſſe illum tam atrociter commoveri adversùs Atticum, & ad ſe reſcribere antè debuiſſe de cauſa ejus, ut ipſe judicaret an legitima eſſet illius excuſatio, cùm in mandatis accepiſſet Anaſtaſius ut ſi quæ cauſa major incideret in provinciis Illyricianis, eam relatione ſua deduceret ad apoſtolicæ ſedis examen. *Multùm ſtupeo, frater carissime, ſed & plurimùm doleo, quòd in eum de quo nihil amplius indicaveras quàm quòd evocatus adeſſe differret, & excuſationem infirmitatis obtenderet, tam atrociter & tam vehementer potueris commoveri; præſertim cùm etiamſi tale aliquid mereretur, expectandum tibi fuerat quid ad tua conſulta reſcriberem.* Et rurſum: *Etiamſi quid grave intolerandúmque committeret, noſtra erat expectanda cenſura, ut nihil priùs ipſe decerneres quàm quod nobis placeret agnoſceres.* Tum, ne deinceps ſimilis ſcandali materia ſuboriri poſſet, inſtruendum eſſe eum ait, ut poſt præteritorum malorum experimentum remedia præparentur venturis. Ac ne putaret Anaſtaſius cuncta ſibi licere, uſurpatorem eum vocat apertis verbis, dum ait præminere quidem debere in illis provinciis epiſcopatus ejus faſtigium, ſed amputandum eſſe totius uſurpationis exceſſum. Hæc ſunt ejus verba: *Neceſſe eſt poſt multarum experimenta cauſarum ſollicitiùs proſpici & diligentiùs præcaveri quatinus per ſpiritum caritatis & pacis omnis materia ſcandalorum de Eccleſiis Domini quas tibi commendavimus auferatur, præminente quidem in illis provinciis epiſcopatus tui faſtigio, ſed amputato totius uſurpationis exceſſu.*

II. Sic caſtigato increpatóque Anaſtaſio, Leo nova dat mandata, ſumpta partim ex veteribus, quæ heic vel explicantur vel illuſtrantur, partim de novo addita. Primùm quidem decernit ut Illyricianarum provinciarum Metropolitanis ſua jura ſerventur, ita tamen ut illi à regulis præſtitutis nulla aut negligentia aut præſumptione diſcedant. quod reſpicit obedientiam quam illos Theſſalonicenſi Epiſcopo debere certum erat Leoni. Deinde vetat ſecundùm canones ne ad epiſcopatum laici aut neophyti promoveantur, nec qui ſecundæ conjugis ſit maritus, neque qui viduam duxit uxorem, etiamſi bonæ vitæ teſtimonio fulciantur; cùm ſacerdotum tam excellens ſit electio, ut hæc quæ in aliis membris Eccleſiæ non vocantur ad culpam, in illis tamen habeantur illicita. Tertiò edicit ne Subdiaconis liceat eſſe maritis, ita ut hi qui habent uxores, ſint tanquam non habentes, & qui non habent, permaneant ſingulares, id eſt, uxores ducere non præſumant. Antiquis canonibus conſtitutum erat, quemadmodum dictum eſt in primo libro hujus operis, uti Epiſcopi, Preſbyteri, & Diaconi ab uxoribus abſtinerent. Qua lege licitum videbatur Subdiaconis habere conjuges, etiam poſt Siricij conſtitutionem. At Leo Subdiaconis Illyricianis prohibet connubium carnale, ad exhibendam perfectæ continentiæ puritatem. Tum confirmat priſca ſtatuta de continentia Epiſcoporum, Preſbyterorum, & Diaconorum, decernens eos gradibus ſuis eſſe indignos qui ſe à voluptate uxoria necdum frænaſſe deteguntur. Quartò præſcribit modum faciendarum electionum epiſcopalium, & ut nullus invitis & non petentibus ordinetur. Quod fortaſſis ſcriptum eſt adversùs Metropolitanum Achaïæ, id eſt, Corinthienſem Epiſcopum, qui Theſpienſibus invitis & repugnantibus incognitum & antè non viſum Epiſcopum conſecraverat; ut teſtatur ipſe Leo in citata epiſtola ad Metropolitanos per Achaiam provinciam conſtitutos. Quintò jubet ut poſtquam electio facta fuerit in quapiam provinciarum Illyricianarum Eccleſia, Metropolitanus electi Epiſcopi ad Theſſalonicenſem referat de perſona ejus & de cleri plebíſque conſenſu, ut ordinationem rite celebrandam Theſſalonicenſis Epiſcopi firmet auctoritas. Ex quo intelligimus quid ſibi voluerint Leo & prædeceſſores ejus Romani Pontifices, cùm decernerent uti ſervatis Metropolitanorum privilegiis, nullus inconſulto Theſſalonicenſi Epiſcopo per illas provincias ordinaretur antiſtes. Quia tamen ingens illa poteſtas maturo & decocto judicio indigebat, ut Leonis verbis utamur, Anaſtaſium monet ut poſtquam illi conſtiterit electionem rite ac legitimè factam eſſe, nihil moræ aut difficultatis afferat ordinationi, ne gregibus Domini diù deſit cura paſtorum. Idem circa Metropolitanorum ordinationes ſtatuit ſervari, jubens ut Metropolitano defuncto, cùm in locum ejus alius fuerit ſubrogandus, provinciales Epiſcopi ad civitatem mettopolim conveniant, ut omnium Clericorum atque omnium civium voluntate diſcuſſa, ex Preſbyteris ejuſdem Eccleſiæ vel ex Diaconis optimus eligatur. Excludit ergo Subdiaconos à dignitate epiſcopali, qui ævo demum Vrbani ſecundi ad eam dignitatem accedere permiſſi ſunt, ut dicetur infrà. Cùm verò facta ſic fuerit electio Metropolitani Epiſcopi, de perſona ejus ante ordinationem referendum eſſe pronuntiat ad Anaſtaſium, decernens irritam eſſe ordinationem

quæ

De Neophytorum ordinatione vide ſuprà lib. 1. cap. 8. §. 5.

Vide Sabbatica Propheſium apud Sozomen lib. 1. cap. 23.

Vide ſuprà lib. 1. cap. 8. §. 4.

Simile Hilarii Romani Leonis de ordin. cap. 3. §. 7.

Vide infrà lib. 2. cap. 11. §. 1. Addit.

quæ extra conſcientiam ejus præſumeretur. *Sicut enim*, inquit, *juſtas electiones nullis dilationibus volumus fatigari, ita nihil permittimus te ignorante præſumi.*

III. Sequens caput pertinet ad graviſſimum caput diſciplinæ, quod in cauſarum judicio verſatur. Decernit itaque ſecundùm decreta patrum ut bina per annum in unaquaque provincia Epiſcoporum Concilia celebrentur, in quibus de omnibus querelis quæ inter diverſos Eccleſiæ ordines naſci adſolent judicetur. Quòd ſi cauſa quæpiam gravis ſive major inciderit, quæ provinciali nequeat examine definiri, præcipit ut provinciæ illius Metropolitanus relationem de toto hoc negotio mittat ad Epiſcopum Theſſalonicenſem, ſimúlque partes ad illum veniant. Quòd ſi coràm poſitis partibus res non fuerit ſopita judicio Anaſtaſij, ad Romani Pontificis cognitionem quicquid illud eſt tranſferendum eſſe. Hic locus, minimè alioquin obſcurus, lucem accipiet ex prima Leonis epiſtola ad Anaſtaſium, qua illi vices ſuas committit per Illyricum. Servata ergo ſynodis provincialibus auctoritate, tum demum de cauſis illius provinciæ ad Anaſtaſium fieri debere relationem ſancit, ſi cauſæ quæ illic natæ fuerint, in provinciali non potuerint examine terminari. Quòd ſi quæ cauſa ita gravis fuerit, ut neque in ſynodo provinciali, neque in majore ſynodo ſub præſentia Anaſtaſij potuerit definiri, conſulendam eſſe apoſtolicam ſedem per literas Anaſtaſij, ut ſedis iſtius examine finiatur, pro traditione veteris inſtituti & debita apoſtolicæ ſedis reverentia. Quænam autem fuerint cauſæ illæ, ſic ſtatim explicat Leo, nimirum majores, id eſt, difficiles & arduæ, quæ graviſſimis contradictionibus jactatæ ſunt in provinciis, tum etiam eorum qui cauſa in provinciali examine ceciderant appellationes ad Pontificem Romanum. *Vt enim*, inquit, *auctoritatem tuam vice noſtra exercere te volumus, ita nobis quæ illic componi non potuerint, vel qui vocem appellationis emiſerit, reſervamus.* Idipſum repetit in fine epiſtolæ ad Epiſcopos Metropolitanos per Illyricum conſtitutos, his verbis: *Si quæ verò cauſæ graviores vel appellationes emerſerint, eas ſub ipſius relatione ad nos mitti debere decrevimus, ut noſtra ſecundùm eccleſiaſticum morem ſententia finiantur.*

Debuiſſe eas ſi vide lib. 1. cap. 10. §. 6, 7. & lib. 3. cap. 13. §. 6, 8.

In Lib. epiſt. ad Anſbertum, apud Hiſtor. pag. 170.

IV. Tranſit poſtea Leo ad ambitionem quorundam Epiſcoporum. Olim paupere adhuc Eccleſia, cùm pro nomine Chriſti certatim glorioſa in certamina ruebatur, quando dubium non erat epiſcopatum eſſe veluti gradum quendam ad crudeliſſima ſupplicia, nullus ambitioni locus erat, & Epiſcopi utplurimùm ordinabantur inviti. Poſt fundatam deinde ac ſtabilitam apud omnes ubique gentes fidem Chriſtianam, cùm martyria deſiiſſent, cùm Epiſcopi cœpiſſent in honore eſſe, creviſſéntque opes, epiſcopatus, ut Sulpitius Severus ait, pravis ambitionibus appeti cœperunt. Tandem eò ventum eſt ut Epiſcopi minorum ſedium avaritiæ & ambitionis ſtimulis incitati, ſpretis civitatibus ſuis, ad majores aſpirarent; ut docet eleganter Oſius in canone primo Sardicenſi, his verbis: *Non minùs mala conſuetudo quàm perniciosa corruptela funditus eradicanda eſt, ne cui liceat Epiſcopo de civitate ſua ad aliam tranſire civitatem. Manifeſta eſt enim cauſa qua hoc facere tentat, cùm nullus in hac re inventus ſit Epiſcopus qui de majore civitate ad minorem tranſiret. Vnde apparet avaritiæ ardore eos inflammari, & ambitioni ſervire, & ut dominationem agant.* Præcipit igitur Leo, ut ſi quis Epiſcopus, civitatis ſuæ mediocritate deſpecta, adminiſtrationem loci celebrioris ambierit, & ad majorem ſe plebem quacunque ratione tranſtulerit, & à cathedra pellatur aliena, & propria careat; ut nec illis præſideat quos per avaritiam concupivit, nec illis quos per ſuperbiam ſprevit.

V. Sequenti capite Leo ſupremum Theſſalonicenſis antiſtitis imperium ſancit in provincias Illyricianas. Nam cùm ſtatuiſſet ne quis alienum Clericum invito proprio ipſius Epiſcopo ſuſciperet, aut ſollicitaret, niſi fortè ex placito caritatis id inter dantem accipientémque conveniret, edicit ut Clericus transfuga ad Eccleſiam ſuam reducatur cum auctoritate Metropolitani illius provinciæ; ſi verò longiùs receſſerit, id eſt, ex ſua provincia in aliam provinciam Illyricianam ſe contulerit, revocandum eſſe cum auctoritate Epiſcopi Theſſalonicenſis, quæ ad cunctas provinciarum illarum cauſas porrigebatur.

VI. Reliqua iſtorum mandatorum capita pertinent ad celebrationem Conciliorum generalium Diœceſeos Illyricianæ. Edixerat Leo, præcludere ſtudens viam ambitioni ac faſtui, uti diximus, id ſervandum eſſe, ut generale Concilium non frequenter, neque pro levibus cauſis, congregaretur, ſufficeret porrò binos ternóſve Epiſcopos de ſingulis provinciis adeſſe, vitandis ſumptibus, & propter fatigationem Epiſcoporum è longinquo venientium. Nunc itaque, tanquam exprobraret præteritam temeritatem, jubet Anaſtaſium in evocandis Epiſcopis eſſe moderatiſſimum, ne per majoris diligentiæ ſpeciem fraternis gloriari videretur injuriis. Attamen ſi cauſa aliqua major erit, ob quam rationabile ac neceſſarium ſit fraternum advocare conventum, tum verò ait poſſe congregari ſynodum, ſic tamen ut neceſſe non ſit omnes

Vide ſupra cap. 26. §. 9.

omnium provinciarum Episcopos adesse, sed binos de singulis provinciis, quos Metropolitani crediderint esse mittendos, ad eam venire sufficiat. Et quia Anastasius, ut provincialibus potentiam & magnitudinem suam tali modo ostentaret, diutiùs fortassis quàm par erat Episcopos semel congregatos detinebat, quod materiam querelarum Episcopis illis dabat, decernit Leo ut à præstituto tempore ultra quindecim dies, qui convenerint, non retardentur. Nam ista decreta à Leone fuisse post querelas Episcoporum Illyricianorum de fastu & arrogantia Anastasij colligitur ex verbis Leonis: *Et te igitur*, inquit, *frater dilectissime, & eos fratres nostros qui de tuis offenduntur excessibus, cùm tamen non similis sit omnibus materia querelarum, hortor & moneo, ut quæ piè sunt ordinata salubritérque disposita, nulla concertatione turbentur.*

VII. Latet in ultimo mandatorum istorum capite testimonium immoderatæ cupiditatis Anastasij, tanquam sui ipsius unicam sententiam, ut tyranni solent, præferre voluerit collectis Episcoporum suffragiis; ita ut si fortè in synodo generali actitata fuisset causa de qua non conveniret inter ipsum & Episcopos, sententiam suam putaret in executionem esse mittendam, neglectis provincialium suffragiis. Id mihi collegisse videor ex verbis Leonis: *Si autem in eo*, inquit, *quod cum fratribus tractandum definiendúmve crediderit, diversa eorum fuerit à tua voluntate sententia, ad nos omnia sub gestorum testificatione ferentur, ut remotis ambiguitatibus quod Deo placeat decernatur. Ad hunc enim finem omnem affectum nostrum curámque dirigimus, ut quod ad unitatem concordiæ, & quod ad custodiam pertinet disciplinæ, nulla dissensione violetur, nulla desidia negligatur.* Admonet deinde illum retinere concordiam cum collegis suis, néve illis imponat onus importabile, sed potiùs humilitatem sectetur, cujus documentum & exemplum haberet in Christo.

Leo in Decretis cap. 41.

CAPVT XXVIII.

Synopsis.

I. Anastasio successit Euxitheus, qui relationem de sua ordinatione misit ad Leonem. Anatolius Episcopus CP. sedi suæ subjicere conatur Episcopos Illyricianos. Quem Leo castigat.

II. Proterius fit Episcopus Alexandrinus post dejectionem Dioscori. Deinde occiditur per vim Timothei Æluri, qui adversùs ipsum ordinatus fuerat Episcopus Alexandrinus. Ejus eadem simúlque Concilium Chalcedonense vindicare conantur Ægyptij. Contrà, Timotheus & qui cum eo erant, petebant cassationem Concilij Chalcedonensis.

III. Anatolij dignitas tum valde surgebat. Huic itaque libellum adversùs Timotheum obtulerunt Ægyptij, orantes ut synodicis literis cunctos orbis Episcopos instrueret, etiam Romanum.

IV. Factum id contra priscum Alexandrinæ Ecclesiæ morem, quo receptum erat ut de causis illius Ecclesiæ referretur ad sedem apostolicam. Anatolius, ampliscandæ auctoritatis suæ cupidus, hanc occasionem avidè arripuit.

V. Leo respondens Anatolio, & ad alios quosdam Episcopos scribens, ad Euxitheum Thessalonicensem scribit nihil cuiquam licere debere adversùs Concilium Chalcedonense, & castigandum esse Timotheum.

VI. Leo Imp. de eadem causa scripserat ad Euxitheum. Is verò convocata synodo Illyriciana, Eutychem, Dioscorum, & Timotheum anathematizavit, synodum verò Chalcedonensem confirmavit.

VII. Curæ istius à Leone suscepta testimonium illustre extat in libro Eulogij Episcopi Alexandrini de laude vitæ solitariæ.

I. ANASTASIO successit Euxitheus anno CDLIII. Opilione V. C. Consule. Is verò, servata consuetudine quæ tum in Ecclesia vigebat inter Episcopos magnarum Ecclesiarum, relationem de sua ordinatione misit ad Leonem Pontificem Romanum, simul postulans, ut ego arbitror, uti privilegia Thessalonicensis Ecclesiæ rursum confirmarentur auctoritate ejus. Obsequio illo erga sedem apostolicam defunctum esse Euxitheum testatur ipse Leo in epistola eo anno data ad Iulianum Episcopum Coënsem, quæ nondum edita extat in antiquissimo codice MS. qui fuit olim Dominici Cardinalis Grimani, & hodie servatur Parisiis in bibliotheca sancti Maglorij. Sed antè quàm Leonis verba describamus, operæ pretium est referre causam & occasionem scribendæ istius epistolæ. Anno CDLII. Leo Papa epistolam ad Anatolium CP. Episcopum miserat, in qua primò profitebatur amplecti se definitionem fidei editam in Concilio Chalcedonensi; deinde damnabat ambitum Anatolij, qui secundum locum suæ sedi adversùs Nicænorum canonum reverentiam decerni procuraverat in eadem synodo, eáq; ratione etiam Episcopos Alexandriæ & Antiochiæ, sed præcipuè Illyricianos, utpote vicinos, sibi subjectos habere instituerat. Anatolius, qui se impatienter ferebat objurgatum esse, epistolam illam suppressit, ne repulsam sui ambitus publicaret, ut ait sanctus Leo. Quo factum est ut adversarij fidei in vulgus sparserint Leonem non approbasse fidem Concilij Chalcedonensis. Ea de causa Leo, desiderio Marciani Principis obsecutus, ad Iuvenalem Hierosolymorum Episcopum & ceteros Episcopos qui in Chalcedonensi synodo congregati fuerant literas direxit XII. Kal. April. Opilione V. C. Consule, quibus firmare se aiebat quæ Chalcedone defi-

Leo l. epist. 53.

Idem epist. 54.

Idem epist. 60.

nita erant de fidei regula. Eadem verò die de hoc ipso negotio scribens, uti diximus, ad Iulianum Episcopum Coënsem, hæc ait in codice MS. Cardinalis Grimani: *Illud etiam nosse te volumus, Anatolium Episcopum post coërcitionem meam in suæ præsumptionis adeo temeritate persistere ut Illyricianos Episcopos ut sibi subscriberent conveniret. Quod nobis Episcopus qui à Thessalonicensi ordinationis nuntius missus est intimavit.*

II. Quis fuerit ille Thessalonicensis Episcopus, à quo relatio de ordinatione sua ad Leonem Pontificem Romanum missa est, non invenio scriptum in illa epistola. Illius verò nomen extat in epistola ejusdem Leonis ad ipsum data post cædem Proterij Episcopi Alexandrini (qui cæsus est anno CDLVII.) tum etiam in elencho eorum Episcoporum ad quos Leo Imp. scripsit de nece ejusdem Proterij. Ordinatus ille fuerat à catholicis Episcopis in loco Dioscori, Dioscori, inquam, qui depositus fuerat auctoritate Concilij Chalcedonensis, & in exilium missus apud Gangras. Quod cùm ægrè ferrent hi qui partium erant Dioscori, homines hæretici, Timotheum Ælurum adversùs Proterium constituerunt Episcopum in Ecclesia Alexandrina. Multa ergo pericula passus est Proterius, adeo ut militari custodia, ut Liberatus ait, egeret plurimo tempore sui pontificatus. Et ille quidem his periculis evasit vivente Marciano Imperatore. Sed, eo mortuo, Timotheus & qui eum sequebantur venerunt Alexandriam, Proteriúmque coëgerunt ad Ecclesiam confugere. Se satis tutum præsidio illo putabat vir sanctus. Sed illuc irrumpentes adversarij fidei, illum cum sex sociis occiderunt intra baptisterium; & circumducentes ubique cadaver ejus vulneratum, crudelitérque trahentes per omnia penè civitatis loca, insensibile corpus plagis sine misericordia verberarunt, dividentes illud membratim, & neque parcentes interiora, more canum, gustare illius viri quem nuper habere se Dei & hominum mediatorem putaverant; tradentésque deinceps igni corpus lacerum, etiam cineres disperserunt. Crudelitatis porrò istius & inhumanitatis auctor & architectus fuit Timotheus Ælurus. Ita occiso Proterio, supplicationes à catholicis Episcopis Ægypti & à nonnullis Clericis Alexandrinis, qui Constantinopolim ob eam causam venerant, oblatæ sunt Leoni Imperatori, quatenus mors vindicaretur Proterij, & expelleretur episcopali sede Timotheus. Sed à parte Timothei quidam Episcopi & Clerici ad imperialem civitatem ascendentes, dederunt & ipsi petitiones Imperatori, petentes in primis in irritum mitti decreta Concilij Chalcedonensis, cujus defensores erant Episcopi & Clerici qui exarserant adversùs interfectores Proterij. Extant utrorumque libelli supplices (sic enim vocantur in epistola Leonis Imp. ad Anatolium Episcopum CP.) in appendice Concilij Chalcedonensis. *Ambarum partium supplicationes Imperator legens*, inquit Liberatus Diaconus, *& considerans nimis esse grave vexari tanto itinere sacerdotes, quorum aut ætas aut infirmitas aut paupertas hunc laborem subire prohibebat, impossibile judicavit eos congregari*, (id enim libello suo postulaverant accusatores Timothei) *sed scripsit singularum civitatum Episcopis de utroque negotio, consulens quid fieri oporteret, vel de ordinatione Timothei, vel de terminis synodi Chalcedonensis.* Rescripserunt illi *Chalcedonensem synodum usque ad sanguinem vindicandam, Timotheum verò non solùm inter Episcopos non haberi, sed etiam Christiana appellatione privari.* Hactenus Liberatus.

III. Petierant enim catholici ab Imperatore uti de ea re scriberet ad Episcopum Romanum, necnon & ad Antiochenum, Hierosolymitanum, Thessalonicensem, ac fortè alios. Anatolium exceperunt, quòd huic quoque, cujus dignitas tum valde surgebat, libellum porrexissent. *Nam Archiepiscopo hujus regiæ civitatis Anatolio*, inquiunt, *declarata est nostris libellis hujusmodi causa.* Extat eorum libellus Anatolio oblatus in appendice Concilij Chalcedonensis, in quo fusè enarrant totum illud negotium, simúlque petunt uti Anatolius (pro loci sui auctoritate) gemitus eorum synodicis literis indicet sanctissimo Ecclesiæ Romanæ Pontifici Leoni, necnon & Antiocheno, & Hierosolymitano, atque Thessalonicensi, & Ephesino; vel aliis quibus visum fuerit Ecclesiis; *ut omnes*, inquiunt, *totius orbis Episcopi cognoscentes ea quæ præsumpta sunt à Timotheo, & quia novitates exercuit contra sanctas regulas & religionem orthodoxam, literis synodicis piissimo & Christianissimo Principi vestræque sanctitati secundùm venerabiles patrum regulas rescribentes, dignam formam, quæ in hoc placuerit, præbere non differant.*

IV. Magni momenti sunt illa verba, neque leviter prætereunda, adeóque etiam alieno loco explicanda. Nam heic vetus Alexandrinæ Ecclesiæ consuetudo apertè violatur relatione ad Constantinopolitanum Episcopum facta & omissa auctoritate Romani Pontificis. Nam vetus consuetudo poscebat uti causa quæ Alexandrinam Ecclesiam turbabat, ad sedem apostolicam deferretur; ut factum fuerat tempore Dionysij, Athanasij, & Petri Episcoporum Alexandriæ. Præterea volunt Ægyptij ut omnes totius orbis Epis-

Liberat. cap. 13.

Liber. in Breviar. cap. 13.

Libellus supplex Leoni Aug. oblatus ab Episcopis Ægyptiacis.

vide epist. Bonifacij 1. ad Epist. Illyric. pag. 76. epistolam Concilij Italic. ad Theodos. pag. 105. & Breviculum hist. Eutychian. pag. 120.

copi, adeóque Romanus, moneantur synodicis literis Anatolij, nullum in hoc discrimen ponentes inter Episcopum Romanum & ceteros, nisi quòd eum primo loco nominant. porrò totam rei gerendæ auctoritatem in Anatolio constituunt, Papam etiam Leonem illi debere subjici innuentes. Anatolius verò magna auctoritate usus, literas quaquaversum scripsit ad omnes Metropolitanos, præcipuè verò ad Romanum; ut ipse docet in epistola ad Leonem Imp. scripta, & constat etiam ex epistola LXXIV. sancti Leonis. Vnde colligitur cogitasse Anatolium de acquirenda sedi suæ amplissima auctoritate, ad exemplum Papæ urbis Romæ. Nam & canon XXVIII. Chalcedonensis in hunc sensum conceptus est.

V. Acceptis ergo literis Anatolij, Leo Papa ad Leonem Imperatorem rescripsit debere eum dare operam uti catholicus Episcopus in Alexandrina Ecclesia constitueretur, & ne quid cuiquam liceret adversùs Concilium Chalcedonense. Scripsit de eadem causa ad Anatolium, ejus literis respondens, tum etiam ad Basilium Episcopum Antiochenum, Iuvenalem Hierosolymorum, & Euxitheum Thessalonicensem, Kal. Septembr. Constantino & Rufo Consulibus, ut eorum cura innotesceret Episcopis earum partium quænam esset Leonis sententia de fide Concilij Chalcedonensis & de sceleſtis Timothei Æluri facinoribus. Scripsit, inquam, ad Euxitheum Episcopum Thessalonicensem; ut quia is omnibus Episcopis Illyricianis præerat auctoritate sedis suæ & ex privilegio sedis apostolicæ, subjectos sibi Episcopos faceret certiores de toto isto negotio. in quo maximè versabatur Primatum dignitas. Extat Leonis epistola ad Euxitheum in eodem codice M S. Cardinalis Grimani, rei gestæ seriem referens, ex qua nos sequentia descripsimus quæ faciunt ad institutum nostrum: *Cognitis quæ apud Alexandriam hæreticorum furore commissa sunt,—fraternitatem vestram credidi admonendam ut sceleratis ausibus sanctæ constantia resistatis, ne in quoquam nostra communis fides aut tepida inveniatur aut trepida. Vt autem hæc cohortatio ad omnium fratrum nostrorum & coëpiscoporum per Illyricum possit notitiam pervenire, diligentiæ vestræ cura prospiciat: quia, quod sæpe dicendum est, tota religio Christiana turbatur, si quicquam de his quæ apud Chalcedonem sunt statuta convellitur.*

VI. Antea quidem Leo Augustus de eadem causa scripserat ad Euxitheum, uti convocatis Illyricianis Episcopis, quid in commune sentirent de Timotheo & de Chalcedonensi Concilio ad ipsum rescriberet; ut colligitur ex elencho Episcoporum ad quos missæ sunt ejusdem Imperatoris literæ, subjecto epistolæ ad Anatolium scriptæ in appendice Concilij Chalcedonensis. Nam post descriptam Leonis Imp. epistolam ad Anatolium, admonet collector similem epistolam missam esse aliis Metropolitanis Episcopis, quorum nomina & Ecclesiæ recensentur. Tum verò, ut docet auctor libelli synodici, Eudoxius Episcopus Thessalonicensis (sic enim vocat eum qui alibi vocatur Euxitheus) synodum congregavit, quæ Eutychem, Dioscorum, & Timotheum anathemate notavit, sacram verò Chalcedonensem synodum confirmavit. Synodic. cap. 10.

VII. Curæ istius ab Imperatore Leone susceptæ, tum consensus Episcoporum universi orbis pro defensione Concilij Chalcedonensis adversùs Ægyptios, id est, Timotheum Ælurum & sequaces ejus, meminit etiam Eulogius Alexandrinus in libro de laude vitæ solitariæ, in qua hæc inter cetera scribit teste Photio: *Narrat à Marciano Chalcedonensem synodum coactam, Leonem Marciano mortuo suffectum summæ rerum præfuisse, Ægyptios Concilium evertere conatos orbem totum tumultibus implesse, impiè fictèque rumores sparsisse Cyrillum à synodo damnatum, Nestorium receptum fuisse. Quorum, inquit, insanum furorem reprimens Leo, decreta Concilij Chalcedonensis actáque cum encyclicis seu circularibus mandatis per totum orbem misit, singulísque Episcopis & Presbyteris necnon iis qui in religiosa & monastica vita celebres habebantur præcepit uti sententiam suam scripto profiterentur. Quod Episcopi numero mille sexcenti promptè sanè executi sunt, nemine qui aliter sentiret deprehenso præter Amphilochium Sidæ Pontificem, qui tamen & ipse paulò pòst Concilij sententiæ subscripsit consensitque.* Apud Phot. in bibl. cod. 230.

CAPVT XXIX.

Synopsis.

I. Investigandum deinceps superest quonam demum tempore defierit magna illa Thessalonicensis Episcopi auctoritas in Illyrico. Tum etiam agendum de vicariatu Archiepiscopi primæ Iustinianæ & Episcopi Corinthiensis.

II. Prima adversùs Thessalonicensem Episcopum tentamenta fuere ævo Theodosij junioris, dein sub Sixto III. Papa, tum sub Leone primo, irrito semper conatu. Sed Archiepiscopus primæ Iustinianæ felicior fuit quàm ceteri.

III. Iustiniana prima, sive Achrida, Iustiniani Augusti patria. Archiepiscopo civitatis illius Imperator subjicit sex provincias, in quas jus omne abrogat Episcopo Thessalonicensi.

IV. Institit deinde apud Agapetum Papam uti huic Archiepiscopo committerentur vices sedis apostolicæ. Sed is assentiri Iustiniano noluit.

V. Vicariam illam dignitatem Agapeti ſucceſſor Vigilius tribuit Archiepiſcopo primæ Iuſtinianæ per ſex provincias illi contributas.

VI. Illuſtriſſimus Cardinalis Baronius refellitur, qui putavit iſta à Vigilio extorta per vim fuiſſe. Referuntur Baronij argumenta.

VII. Excutiuntur ſingula illuſtriſſimi Cardinalis argumenta.

VIII. Nova illa Archiepiſcopi primæ Iuſtinianæ dignitas accepta non fuit Epiſcopis Illyricianis, præcipuè verò Theſſalonicenſi. Benenatus Epiſcopus primæ Iuſtinianæ damnatus in ſynodo Illyriciana. Probatur ex Victore Tunnonenſi, qui explicatur. Illyricianorum Epiſcoporum nomine interdum intelliguntur univerſi Epiſcopi Illyriciani, interdum verò illi tantùm qui Iuſtinianæ primæ Archiepiſcopo ſubjecti erant. Senonenſis Archiepiſcopus diu Pariſienſem non habuit pro Archiepiſcopo.

IX. Nihil tamen contradictione ſua effecit Epiſcopus Theſſalonicenſis, manſitque novo Archiepiſcopo ſua auctoritas. Probatur ex ſancto Gregorio. Cauſæ perſonæque Epiſcoporum primæ Iuſtinianæ ſubjectæ erant cenſuræ Pontificum Romanorum.

X. Ampla illa Archiepiſcopi iſtius auctoritas effecit ut ei Patriarchæ dignitas & appellatio tributa ſit à nonnullis antiquis ſcriptoribus.

XI. Corinthio quoque Epiſcopo tributæ ſunt vices Romani Pontificis in Achaia & Hellade. Probatur auctoritate Facundi, Gregorij Magni, & Balſamonis.

XII. Abolita eſt prorsùs Epiſcopi Theſſalonicenſis auctoritas in Illyrico ævo Leonis Iſauri, quæ reſtricta eſt intra fines ſolius Macedoniæ primæ.

I. SATIS, ut arbitror, ac forſitan nimis immorati ſumus in explicanda dignitate Epiſcopi Theſſalonicenſis, ut opus non ſit ire per omnes ſequentium temporum ætates. Sed neceſſarium viſum eſt nihil omittere, quòd in iſtius poteſtate & mandatis ferè conſtent quæcunque ſequentibus ſeculis aut mandata Legatis ſunt, aut ab illis præſumpta. Supereſt itaque ut oſtendamus quonam tempore deſierit Epiſcopi illius auctoritas in Illyrico, quo primùm pacto convulſa, quibus de cauſis imminuta extinctáque fuerit. Simul autem agemus de primæ Iuſtinianæ Archiepiſcopo, qui Vicarius apoſtolicæ ſedis fuit per aliquot Illyrici provincias, & de Corinthienſi, qui eandem Vicarij auctoritatem obtinuit in Achaïa & Hellade.

II. Prima adversùs Theſſalonicenſem Epiſcopum tentamenta fuere ævo Theodoſij junioris; qui quorundam Illyricianorum Epiſcoporum ſuaſionibus permotus, orientalis Illyrici cauſas ad curam Conſtantinopolitani Epiſcopi pertinere debere ſancivit lege lata anno CDXXI. ut dictum eſt ſuprà. Sed hic conatus irritus fuit. Haud ita multò pòſt Perigenes Corinthiorum Epiſcopus, adeóque provinciæ Achaïæ Metropolitanus, Anaſtaſij Theſſalonicenſis auctoritatem excutere tentavit. Sed hanc audaciam miſſis Legatis & data ad eum epiſtola repreſſit Sixtus III. Pontifex Romanus. Sub Leone deinde, qui Sixto ſucceſſit, Anatolius tentavit in partes ſuas trahere Epiſcopos Illyricianos; ut docuit nos in capite ſuperiori epiſtola ejuſdem Leonis ad Iulianum Coënſem Epiſcopum. Felicior fuit Archiepiſcopus primæ Iuſtinianæ: qui non ſolùm poteſtati Theſſalonicenſis Epiſcopi exemptus eſt, ſed etiam vicariatu ſedis apoſtolicæ ornatus in quibuſdam provinciis Illyricianis, in quas imperium abrogatum eſt Epiſcopo Theſſalonicenſi. Quod qua ratione factum ſit, paucis expediam.

III. Iuſtinianus Imperator, patriæ ſuæ Achridæ ſive primæ Iuſtinianæ (quæ civitas fuit in Dardania Europæa) ornandæ cupidus, volénſque eam circa ſacerdotalem cenſuram, ut ejus verbis utamur, maximis incrementis ampliari, conſtituit anno DXXXV. uti primæ Iuſtinianæ antiſtes, non ſolùm Metropolitanus, ſed etiam Archiepiſcopus fieret, & ut ſub ejus auctoritate eſſent provinciæ Illyricianæ quæ ſequuntur, Dacia nimirum mediterranea, Dacia ripenſis, Mœſia ſecunda, Dardania, Prævalis, & pars aliqua ſecundæ Pannoniæ quæ Bacenſi civitati contributa erat. Ius autem omne in provincias illas abrogat Epiſcopo Theſſalonicenſi, tam pro celebratione Conciliorum, quàm pro ordinationibus Metropolitanorum, quos ad conſecrationem Archiepiſcopi primæ Iuſtinianæ pertinere in poſterum debere ſancivit, ita ut ipſe à generali provinciarum illarum ſynodo ordinaretur. Poſtremis autem verbis legis iſta omnia, quæ paulò antè multis verbis explicaverat, velut compendio perſtringit, ita ſcribens ad Catellianum Archiepiſcopum primæ Iuſtinianæ: *Quando autem tuæ recordationis ſedis gubernatorem ab hac luce decedere contigerit, pro tempore Archiepiſcopum ejus à venerabili ſuo Concilio Metropolitanorum ordinari ſancimus, quemadmodum decet Archiepiſcopum omnibus honoratum Eccleſiis provehi, nulla penitùs Theſſalonicenſi Epiſcopo nec ad hoc communione ſervanda.*

Iuſtin. Nov. XI. Vide ſuprà Lib. II. cap. 9. §. 1.

IV. Eodem tempore Iuſtinianus apud Agapetum Pontificem Romanum egit uti is novo huic Archiepiſcopo vices apoſtolicæ ſedis injungeret, nimirum per illas provincias quæ ſuprà nominatæ ſunt. Quid ad hanc petitionem reſcripſerit Agapetus, non invenimus. Ex epiſtola autem ejus ad Iuſtinianum, qua rem totam ſe per Legatos ſignif.care ait, & ex Novella Conſtitutione CXXXI. ejuſdem Iuſtiniani, in qua vicariatum illum revocat ad beneficium Vigilij, nulla mentione Agapeti facta, colligere poſſumus illum vices ſuas noluiſſe concedere Archiepiſcopo primæ Iuſtinianæ, fortaſſis æmulatione erga

emergentem auctoritatem, & munimenta in futurum præstruens adversùs ambitionem, si exemplo Constantinopolitanorum antistitum iste novi aliquid tentaret adversùs privilegia antistitis Romanæ urbis. Hæc sunt verba Agapeti: *De Iustiniana civitate glorioſi natalis veſtri conſcia, necnon & de noſtræ ſedis vicibus injungendis, quid ſervato beati Petri, quem diligitis, principatu & veſtræ pietatis affectu plenius deliberari contigerit, per eos quos ad vos dirigimus Legatos Deo propitio celeriter intimamus.*

Agapet. epiſt. 4. ad Iuſtinianum.

V. Mortuo interim Agapeto succeſſit Silverius, & isti Vigilius. Ad illum verò Iustinianus legationem misit anno DXL. quò primùm anno sedere in sede apostolica citra controversiam cœpit Vigilius, extincto Silverio. Puto autem simul à Vigilio petiisse per Dominicum Exconsulem atque Patricium (nam is legatus erat Iustiniani) uti vices apostolicæ sedis committeret Archiepiscopo primæ Iustinianæ. Nam vicariatus istius meminit ipse Iustinianus in constitutione lata anno sequenti, in qua sic loquitur: *Per tempus autem beatiſſimum primæ Iuſtinianæ noſtræ patriæ Archiepiſcopum habere ſemper ſub ſua juriſdictione Epiſcopos provinciarum Daciæ mediterraneæ, & Daciæ ripenſis, & Privalis, & Dardaniæ, & Myſiæ ſuperioris, atque Pannoniæ, & ab eo hos ordinari, ipſum verò à proprio ordinari Concilio, & in ſubjectis ſibi provinciis locum obtinere eum ſedis apoſtolicæ Romæ, ſecundùm ea quæ definita ſunt à ſanctiſſimo Papa Vigilio.*

Vigil. epiſt. 1.

Iuſtinian. Nov. 131. c. 3. an. 541.

VI. Falli ergo necesse est illustrissimum Cardinalem Baronium, qui incertum esse ait tempus quo vicariatus iste tributus est Archiepiscopo primæ Iustinianæ, & vi extortum esse ait à Iustiniano, nimirum post dissociatam inter eos concordiam. Quippe ea dissoluta est post Vigilij adventum Constantinopolim, id est, post annum quingentesimum quadragesimum septimum, vel ipso teste Baronio. Immo diuturna illa vis imperatoria, qua adactum Vigilium ait ut vices suas delegaret Archiepiscopo primæ Iustinianæ, ad aliam vim referri non potest quàm ad eam quam idem Pontifex pertulit anno DLI. & sequentibus. Vana igitur est omni ex parte conjectura Baronij; quam heic tibi proponimus, lector, ut tanti momenti causam etiam tui judicij faciamus. Hæc sunt verba Baronij: *In hujuſcemodi habitis cum Iuſtiniano conflictibus cum fatigatus eſſet arumnis Vigilius, idem Imperator ab eo inter alia illud extorſit, quod ab Agapeto Papa obtinere fruſtra tentaverat, nec ab ejus ſucceſſore Silverio impetrare valuit, nempe ut prima Iuſtiniana, natale ſolum, à ſe mirificè illuſtrata, non epiſcopatus tantùm, ſed metropolitanæ ſedis augeretur dignitate. Cùm inquam à Vigilij prædeceſſoribus ipſe Iuſtinianus impetrare conatus eſſet, minimè valuit obtinere, quod ſcirent iidem Romani Pontifices ea verti in præjudicium aliarum ipſi provinciæ adjacentium metropolitanarum ſedium, injuſtum rati dedecore nobilium Eccleſiarum illuſtrari novam Eccleſiam primæ Iuſtinianæ, indecénſque eſſe alias denudare ut una ſuperornaretur Eccleſia, creſceret nimirum ipſa diminutione majoris, cui ipſa ſubdita fuiſſet, Eccleſiæ.*

Baron. ad an. 553. & 555.

Baron. ad an. 555.

VII. In varios heic errores incidit illustrissimus Cardinalis. Nam neque post ærumnas Vigilius vices suas tribuit Archiepiscopo primæ Iustinianæ, sed in felicibus pontificatus ejus initiis, & ante omnem simultatem cum Iustiniano, ut suprà demonstratum est. Secundò, frustra ait Imperatorem non potuisse ista impetrare à Silverio, frustra, inquam, cùm id à nemine proditum sit memoriæ literarum. Tertiò, ait Iustinianum à Pontificibus petiisse uti decernerent primam Iustinianam sedem esse metropolitanam. Id verò neque ex Agapeti epistola neque ex Iustiniani Novella colligitur. Immo repugnarè huic sententiæ videtur Iustinianus, qui decernit ut primæ Iustinianæ pro tempore antistes, non solùm Metropolitanus, (quod solum à Pontificibus petiisse Iustinianum scribit Baronius) sed etiam Archiepiscopus esset, id est, superpositus esset Metropolitanis provinciarum quæ lege illa subjectæ fuerunt antistiti primæ Iustinianæ. Denique non vidit Baronius quantam priscis illis Pontificibus injuriam faceret qui Episcopos Arelatenses extulerunt, non solùm super ceteros Galliarum Metropolitanos, sed etiam super Viennensem, cujus metropoli subjecta fuerat Arelatensis Ecclesia.

VIII. Novam illam Archiepiscopi primæ Iustinianæ dignitatem acceptam non fuisse Illyricianis Episcopis, præcipuè verò Thessalonicensi, in cujus diminutionem ista constituta fuerunt, facilè mihi persuadeo. Ipsi enim testatum hoc mihi fecisse videntur anno quingentesimo quinquagesimo, in causa Benenati Episcopi primæ Iustinianæ, quem synodus Illyriciana eo anno damnavit tanquam obtrectatorem Trium Capitulorum, studio sanè conservandæ veræ fidei, sed odio etiam, ut ego arbitror, erga Iustinianum, cujus apertum & pervicax erat studium pro condemnatione Trium Capitulorum. Hanc historiam debemus Chronico Victoris Episcopi Tunnonensis: *Poſt conſulatum Baſilij V. C. anno* IX. *Illyriciana ſynodus in defenſione trium capitum Iuſtiniano Auguſto ſcribit, & Benenatum primæ Iuſtinianæ civitatis Epiſcopum, obtrectatorem eorundem trium capitum, condemnat.* Ac ne quis putet Victorem

ita hoc loco intelligendum esse ut de synodo agat Illyriciana earum tantùm provinciarum quæ primæ Iustinianæ Episcopo subjectæ erant, id primò prohibet, quòd probabile non sit eam synodum aliquid ausuram fuisse super suo Archiepiscopo, quem Episcopi illarum provinciarum contemnere tam citò non poterant, vivo adhuc Iustiniano; præsertim cùm causæ personæque Archiepiscoporum istius sedis subjectæ essent Romano Pontifici, ut adnotabitur paulò pòst.

Arnoldus lib. 4. c. 3. in libros adv. Iudæos pag. 177.

Prohibet præterea Facundus Hermianensis, qui inter defensores Trium Capitulorum nominat Episcopos Helladis, Illyrici, atque Dalmatiæ, hauddubiè dicturus cujus Illyrici, si factum id fuisset in synodo earum tantùm provinciarum quæ primæ Iustinianæ fuerant contributæ. Scio sanctum Gregorium ad Episcopos scribentem earundem provinciarum, de ordinatione Ioannis Episcopi primæ Iustinianæ, epistolam suam direxisse *universis Episcopis per Illyricum*, eos admonens uti ei, qui vices apostolicæ sedis obtineret, in his quæ ad ordinem ecclesiasticum rectitudinemque pertinent disciplinæ, *sive in aliis quibus canonum decreta non obstant*, parere nullo modo differrent. Certum est sanctum Gregorium heic Episcoporum Illyricianorum nomine eos tantùm intelligere qui Ioanni subjecti erant ratione suæ Ecclesiæ, neque accipiendum esse de universis omnino Episcopis Illyrici. unde concludi posset Victorem quoque Tunnonensem locutum esse de synodo Illyriciana earum tantùm provinciarum quæ à jurisdictione Thessalonicensis antistitis resectæ, in jus & potestatem transierant Archiepiscopi primæ Iustinianæ. Verùm non arbitror, ut jam dixi, ausuros aliquid super Benenato Episcopos earum provinciarum, recentibus tum initiis dignitatis ejus quam illi lege sua contulerat Iustinianus, præsertim cùm nullibi extent indicia contradictionis eorum. Dispar ratio erat Episcopi Thessalonicensis: qui cernens sibi fieri injuriam, ac se deprimi, ut iste attolleretur, eum hauddubiè non habuit pro Archiepiscopo, adeóque eum, tanquam adhuc sibi subjectum, in sua synodo damnavit. Simile aliquatenus exemplum habemus hodie in causa archiepiscopatus Parisiensis, resecti ab archiepiscopatu Senonensi auctoritate Vrbani VIII. Romani Pontificis, cum consensu Ludovici XIII. Regis Francorum Christianissimi. Nam licèt iste sit constitutus in urbe regia, dignitatémque suam semper retineat, Archiepiscopus tamen Senonensis illum diù non habuit pro Archiepiscopo, eúmque ad conventus ecclesiasticos provinciæ suæ post ea tempora evocavit, etiam in

S. Gregor. lib. 4. Indict. 13. epist. 5.

oculis Principis. Quidni Episcopus Thessalonicensis, cujus magna hactenus auctoritas apud eas gentes fuerat, quíque plurium magnarum provinciarum ejus imperio suetarum favore hauddubiè adjuvabatur, idem auderet adversùs Episcopum primæ Iustinianæ?

IX. Nihil tamen contradictione sua effecit Episcopus Thessalonicensis, mansítque novo Archiepiscopo auctoritas quam illi lege sua & commendatione apud Romanos Pontifices procuraverat Imperator Iustinianus. Discimus istud ex epistolis sancti Gregorij, quæ docent eum unà cum Pallio vices suas Ioanni Episcopo primæ Iustinianæ commisisse *juxta morem*, & *iterata*, ut ipse ait, *innovatione*. Vnde rectè concludit illustrissimus Archiepiscopus, id circa Episcopos sedis illius observatum esse per illas tempestates, ut Romani Pontifices singulis Archiepiscopis, statim ac isti consecrati erant, vices apostolicæ sedis & Pallium conferrent, & causas personásque eorum subjectas fuisse censuræ Romanorum Pontificum. Ioannes Episcopus primæ Iustinianæ Hadrianum Thebanum Episcopum ab episcopatu dejecerat occasione vicium sedis apostolicæ, ut docet sanctus Gregorius. Venit is Romam, de iniquo judicio expostulaturus. Gregorius verò susceptа causæ istius cognitione, sententiam Ioannis, tum quia suspensa erat per appellationem ad sedem apostolicam, tum quia contra leges canonésque prolata ipso non poterat jure subsistere, cassavit, & Hadrianum Thebanæ Ecclesiæ restituit, Ioannem porrò, donec aliquid gravius circa ipsum decerneret, triginta dierum spatio sacra communione privavit.

Marca in lib. de Primat. §. 47.

S. Gregor. lib. 2. Ind. 11. epist. 6.

X. Ampla illa Archiepiscopi primæ Iustinianæ auctoritas effecit ut ei Patriarchæ dignitas & appellatio tributa sit à nonnullis antiquis scriptoribus, ejúsque propterea subscriptionem in ordine Patriarcharum admissam in Trullana synodo putaverit illustrissimus Cardinalis Perronius, similitudine nominum deceptus; cùm tamen in ea synodo non agatur de Archiepiscopo primæ Iustinianæ, sed de Episcopo Constantiæ Cypri, quæ & Iustinianopolis dicebatur, ut observatum est ab illustrissimo Archiepiscopo.

Vide supra lib. 2. cap. 9. §. 2. & in lib. de Primat. §. 48.

XI. Per eadem fortean Iustiniani tempora Thessalonicensi Episcopo adempta est auctoritas in Achaïam & Hellada, quæ Corinthio Episcopo ceu Romani Pontificis Vicario deinceps paruerunt. Hellados certè tanquam ab Illyrico distinctæ meminit Facundus Hermianensis, qui scribebat ævo Iustiniani, ut suprà dictum est. Præterea sanctus Gregorius ad Ioannem Corinthiorum Episcopum scribit se, prædecessorum suo-

rum exempla sequendo, ad illum mittere Pallium. quod erat insigne Vicariatus. *Pallium verò*, inquit, *sicut per epistolam vestram, quam per Andream fratrem & coëpiscopum nostrum suscepimus, postulastis, direximus; quo ita vos uti necesse est sicut prædecessores vestri usi concedentibus nostris prædecessoribus approbantur.* Subjectos porrò illi fuisse Episcopos Hellados, tametsi alienæ provinciæ, rectè ex sequenti epistola collegit vir clarissimus Ioannes Morinus. Nam ad Episcopos illos de ea re scribens Gregorius, ita loquitur: *Pallium Ioanni fra ri nostro Corinthiorum Episcopo nos transmisisse cognoscite, cui vos magnopere convenit obedire; præsertim dum hoc sibi & antiquæ consuetudinis ordo defendat, & bona ejus, quibus ipsi testimonium perhibetis, invitent.* Itaque Balsamo recensens Episcopos qui olim in partibus illis gerebant vices apostolicæ sedis, inter illos numerat Corinthiensem in scholio ad præfationem Concilij Trullani. Interim heic adnotandum est Gregorium non antè Pallium misisse ad Ioannem quàm ab ipso postulatum fuisset per literas.

S. Gregor. lib. 4. Indict. 13. epist. 55

Morin. lib. 2. Exercit. 22.

XII. Abolita deinde prorsùs est Episcopi Thessalonicensis auctoritas in provincias Illyricianas postquam ex Leonis Isauri Decreto, in odium fidei vindicatæ à Gregoriis II. & III. Summis Pontificibus, provinciæ Illyrici, Siciliæ, & Calabriæ avulsæ sunt à patriarchatu Romano, & tributæ Constantinopolitano. Tunc enim intra fines solius Macedoniæ primæ restricta est Metropolitani Thessalonicensis potestas; ut docent Diatyposis Leonis Philosophi & antiqua episcopatuum orientalium Notitia in codice Iuris Græco-Romani. Non immorabor diutiùs in explicanda hac causa, quam doctissimè suo more tractavit illustrissimus Archiepiscopus in libro primo istius operis. Illud tantùm dicam, observationes ejus de origine schismatis Græcorum, quod fluxisse docuit ex provinciarum illarum amissione, de qua justè conquerebantur Romani Pontifices, displicuisse Lucæ Holstenio, Marcam verò ad ejus objecta respondisse in Responsione quæ edita est inter Prolegomena.

Marca in lib. de Primat. f. 46.

Vide Ioan. VIII. epist. 78. 79.

Vide suprà lib. 1. cap. 1. §. 4. & seqq.

CAPVT XXX.

Synopsis.

I. Arelatensis Episcopi vicariatus in Galliis eadem initia habuit quæ Thessalonicensis in Illyrico, ut ostenditur ex utriusque comparatione.

II. Omissa disputatione de antiquitate urbis & Ecclesiæ Arelatensis, omissa quoque contentione quæ inter Arelatensem Viennensémque Ecclesias fuit propter ordinationes Episcoporum provinciæ Viennensis, de solo vicariatu heic agetur.

III. Initia dignitatis istius debentur studiis Patroceli Episcopi Arelatensis & beneficio Papæ Zozimi. Statuit iste uti nemini intra Gallias ex clero liceret Romam aliòve proficisci absque literis formatis Episcopi Arelatensis. Tum ei commisit judicia causarum quæ in provinciis Gallicanis emergerent, ita tamen ut de majoribus causis referret ad sedem apostolicam.

IV. Huic Zozimi decreto debentur initia vicariæ dignitatis Episcoporum Arelatensium. Explicatur illius locus de formatis, qui nunc editur emendatior.

V. Tribuit deinde Patroclo Zozimus ordinationes Episcoporum provinciæ Viennensis & duarum Narbonensium, secundùm morem antiquum. Inquiritur in antiquitatem istius consuetudinis, & ostenditur antiquam non fuisse. Fefellit itaque Zozimum Patroclus.

VI. Quæritur qua ratione factum sit ut Episcopus Arelatensis factus sit Metropolitanus adversùs civilem Imperij dispositionem & canones Nicænos. In Africa is Primas erat inter Episcopos qui ordinatione antiquior erat, nulla habita ratione civilium metropoleon. Excepto tamen Carthaginensi, qui primum ubique locum obtinebat. Immo & Primates Mauritaniæ & Numidiæ aliquam prærogativam habebant.

VII. Cùm amplificata esset urbis Arelatensis dignitas, constitutáque illic esset sedes Præfecti prætorio Galliarum, cumulata sunt in eam omnia civilis administrationis decora, factáque est metropolis Galliarum. Ex honore civili urbis Arelatensis descendit honor ecclesiasticus. Probatur ex rescripto Honorij ad Agricolam, & ex canone secundo Concilij Taurinensis.

VIII. Explicatur canon ille, ut ostendatur Episcopum Arelatensem fuisse tum Metropolitanum in provincia Viennensi. Patres Concilij Taurinensis provinciam diviserunt, ut concordiam retinerent.

IX. Sed parte provinciæ contentus non fuit Episcopus Arelatensis; totam sibi subjicere meditatus est, tum etiam duas Narbonenses. Faciundum id sibi putavit auctoritate Zozimi, qui ordinationes Episcoporum illarum provinciarum tribuere se ait Patroclo juxta majorum canones & statuta & secundùm antiquam consuetudinem. Magnum quid Patroclo tribuit Imp. Valentinianus.

I. ROMANI Pontifices usu ipso edocti quantum conferret ad auctoritatem suam firmandam & disciplinam conservandam in dissitis longè provinciis vicis apostolicæ delegatio, in Gallicana Diœcesi Episcopis Arelatensibus quædam mandata dederūt. Itaque ex Zozimi primùm beneficio anno CDXVII. vicariam potestatem in quibusdam capitibus acceperunt, quæ deinde à sequentibus Pontificibus usque ad Gregorium primum amplificata sunt ducentorum annorum intervallo; quibus elapsis, extincta est illa potestas. De his acturi pro ratione instituti nostri memoriam rerum antè dictarum repetendam esse censuimus, quòd videamus Arelatensem antistitem sedis apostolicæ per Gallias Vicarium factum esse ad exemplum potestatis quæ Thessalonicensi Episcopo tributa erat per Illyricum. Nam & ei tribuitur ordinatio Metropolitanorum quarundam provinciarum, arbitrium præterea judicandarum causarum quæ definiri possent in Conciliis

Marca in lib. Primat. f. 10.

ciliis earundem provinciarum, quorum congregandorum potestas ei committitur, injungitur verò cura mittendi relationem de majoribus causis ad sedem apostolicam. Scribitur Episcopis per eas provincias constitutis uti Arelatensi obediant tanquam Romani Pontificis Vicario, ne quis ignorantiæ prætextu se tueri possit. Hæc autem omnia suprà vidimus acta esse circa Episcopum Thessalonicensem. Nunc itaque ad rem ipsam aggrediamur.

II. De antiquitate & claritudine urbis Arelatensis cùm multi multa dixerint, & ex professo eam Spartam ornaverit Petrus Saxius Canonicus Arelatensis Ecclesiæ, non est quòd me torqueam in congerendis hoc loco monumentis veteribus ad asserendam dignitatem ejus. Nihil etiam dicam de antiquitate Ecclesiæ, quæ se institutam ac fundatam contendit à Trophimo Pauli Apostoli discipulo; quòd ea pars historiæ ecclesiasticæ, si quis eam curiosiùs scire desiderat, à viris doctissimis tractata sit copiosè & abundanter, novissimè verò etiam ab illustrissimo Archiepiscopo diligenter examinata in epistola scripta ad clarissimum virum Henricum Valesium. Omittam quoque contentionem quæ vetustis temporibus fuit inter Arelatensem Viennensémque Ecclesias propter ordinationes Episcoporum provinciæ Viennensis, nisi quatenus ea conjuncta erit cum causa vicariatus Romani; de quo unico, relictis ceteris quæstionibus, tractare convenit in hoc libro.

III. Patroclus Arelatensis urbis, in qua tum constituta erat sedes Præfecturæ Galliarum, antistes sub umbra istius dignitatis civilis, ac si Præfecturam sacerdotalis honor sequi deberet, aliquam prærogativam sibi Ecclesiæque suæ conciliare conatus est, quò non solùm primum ubique locum obtineret inter Episcopos Gallicanos, sed etiam super eos efferretur. Ea de causa Zozimi Romani Pontificis auctoritatem imploravit, eo colore quæsito, quòd Trophimus Arelatensis Episcopus in Galliis primus annuntiasset Christi fidem, *ex cujus fonte totæ Galliæ fidei rivulos acceperunt*, adeóque æquum esse ut illius in ea cathedra successor præcipuum aliquod honoris auctoritatísque privilegium haberet in Ecclesia Gallicana. Prætendebat antiquitatem, qua etiam ritus quoquo modo inducti defenduntur, ut ait Tacitus; eámque confirmari postulans, sedi suæ vindicare studuit ordinationes Episcoporum provinciæ Viennensis & duarum Narbonensium. Zozimus, habita ratione temporum, annuendum censuit postulatis; datáque anno CDXVII. epistola ad universos Episcopos per Gallias & Septem provincias constitutos, non solùm ordinationes Episcoporum earum provinciarum concessit Patroclo, sed etiam statuit ut quicunque ex clero ad Romanam Ecclesiam aliòve accedere cogitaret, non aliter id faceret quàm cum epistola formata Episcopi Arelatensis; cui etiam commisit judicia causarum quæ in provinciis illis emergerent; hoc tamen addito, ut de majoribus causis referret ad sedem apostolicam. Quod imitatum est ex mandatis quæ data fuerant Episcopo Thessalonicensi.

Vide infrà lib. 8. cap. 17. §. 7.

IV. Cùm huic Zozimi epistolæ debeantur initia vicariæ dignitatis Episcoporum Arelatensium, operæ pretium est eam diligenter & accuratè expendere. Incipiamus igitur ab epistolis formatis. Fortè acciderat per eas tempestates ut impostores quidam, qui se asserebant Episcopos sive Presbyteros esse aut omnino in ordine ecclesiastico constitutos, Romam profecti ex Galliis, titulo sibimet sanctitatis inscripto, in nomen venerationis irrepserint, & indebitam reverentiam promeriti fuerint, eo nimirum honore excepti ab Ecclesia Romana qui sanctissimi ordinis viris per ea tempora tribuebatur. Zozimus in posterum esse providendum ratus, ne deinceps istiusmodi homines ausu sacrilego in nomen venerationis irreperent, mansura in ævum constitutione sancivit ne quis sub quolibet ecclesiastico gradu constitutus exiret è regionibus Gallicanis absque literis formatis Episcopi Arelatensis, quibus iste significaret eum qui peregrè iret, in clero constitutum esse, tum etiam de sacerdotio ejus, si Episcopus esset, alioqui de loco ecclesiastico certiores faceret Episcopos earum partium ad quas ille proficisci cogitaret, ut condigna ei reverentia tribui ab illis posset. Suscipiendum enim non esse si veniret absque formata Metropolitani Arelatensis. Hæc sunt verba Zozimi, emendata ex fide vetustissimi codicis M S. Bibliothecæ Regiæ. Nam editiones in hoc loco sanæ non sunt, tametsi eundem sensum referant. *Placuit apostolicæ sedi*, inquit Zozimus, *ut si quis ex qualibet Galliarum parte sub quolibet ecclesiastico gradu ad nos Romam venire contendit, vel aliò terrarum ire disponit, non aliter proficiscatur nisi Metropolitani Arelatensis Episcopi formatas acceperit, quibus sacerdotium suum vel locum ecclesiasticum, quem habet, scriptorum ejus adstipulatione perdoceat. Quod ea gratia statuimus, quia plurimi Episcopos, Presbyteros, sive Ecclesiasticos simulantes, quia nullum documentum extat per quod valeant confutari, in nomen venerationis irrepunt, & indebitam reverentiam promerentur. Quisquis igitur, fratres carissimi, prætermissa prædicti formata, sive Episcopus, sive*

De epistolis formatis vide Bernardinum Ferrarium in lib. 1. de antiq. eccles. epist. genere cap. 5.

Tresbyter, sive Diaconus, aut deinceps inferiore gradu sit, ad nos venerit, sciat se omnino susci-pi non posse.

V. Post impositam Gallicanis Episcopis necessitatem accipiendarum formatarum ab Episcopo Arelatensi, cui per consequentiam tribuebatur honor primi Galliarum Metropolitani, descendit deinde Zozimus ad ordinationes Episcoporum provinciæ Viennensis ac duarum Narbonensium; quarum auctoritatem Metropolitanum Arelatensem tenere constituit secundùm morem antiquum, irritum & inane decernens si quid contra tentaretur, & Episcopum etiam ordinatorem gradu suo dejiciendum esse pronuntians. *Iussimus autem præcipuam*, inquit, *sicuti semper habuit, Metropolitanus Episcopus Arelatensium civitatis in ordinandis sacerdotibus teneat auctoritatem; Viennensem, Narbonensem primam, & Narbonensem secundam provincias ad pontificium suum revocet. Quisquis verò posthac contra apostolicæ sedis statuta & præcepta majorum, omisso Metropolitano Episcopo, in provinciis supradictis quemquam ordinare præsumpserit, vel is qui ordinari se illicitè siverit, uterque sacerdotio se carere cognoscat.* Consuetudo antiqua cujus hoc loco meminit Zozimus, antiqua non erat, & ante annos tantùm viginti cœperat in Concilio Taurinensi, non quidem omnium Episcoporum qui per tres illas provincias ordinandi forent consecrationem Arelatensi Episcopo tribuens, sed eorum tantùm qui in civitatibus Arelatensi civitati vicinis constituendi essent, ut patet ex canone secundo illius Concilij. Verùm Patroclus subsidium ab audacia mutuatus, Zozimo ista persuasit tanquam rem positam extra omnem controversiam. Vnde factum ut cùm sequenti tempore Leo Magnus retractaret privilegia Arelatensis Ecclesiæ, non dubitaverit dicere nullum Arelatensium Episcoporum ante Patroclum habuisse jus ordinandorum Episcoporum extra provinciam Viennensem, & hoc ipsum quod Patroclo temporaliter videbatur esse concessum, sententia postmodum meliore sublatum esse, nimirum à Bonifacio primo.

Leo I. epist. 89.

VI. Hic locus me admonet ut gravissimam difficultatem, quæ hactenus exercuit industriam hominum eruditorum, & cujus occasione captum consilium est ordinandi Episcopum Arelatensem vicibus apostolicæ sedis, in medium proferam, undenam videlicet auctoritatem Metropolitani Episcopi traxerit Episcopus Arelatensis adversùs civilem Imperij dispositionem & canones Nicænos, qui constantem in ecclesiastico ordine disciplinam fixerunt, adjudicato provinciæ ecclesiasticæ primatu Ecclesiæ illi quæ constituta erat in civitate cui jus metropoliticum tributum erat in laterculo Imperij. Nam ante Concilium Nicænum Marinus Arelatensis, qui Concilio Arelatensi interfuit & primus inter Episcopos nominatur in epistola synodica ad Silvestrum, non vendicabat sedi suæ jus metropoliticum, sed è contrà dicitur esse Episcopus provinciæ Viennensis in veteri catalogo Episcoporum qui ad Arelatensem synodum convenerunt. Itaque per universum orbem, si Africam excipias, ea fuit constans regula priscis temporibus, illum debere esse Metropolitanum qui Episcopus erat in civili metropoli provinciæ. Africam excipiendam esse dixi; cujus Episcopi, præter Carthaginensem, hac lege non tenebantur; quippe qui antiquiorem ordinatione Episcopum pro Primate habebant, nulla habita ratione civilium metropoleon, ut patet ex Conciliis Africanis & multis veterum scriptorum testimoniis; salvo jure Primatum Mauritaniæ & Numidiæ, quibus in Concilio universali Africæ (ut Marca observavit) primus locus post Carthaginensem dabatur ob dignitatem & vetustatem provinciarum, quamvis essent Primatibus Byzaceno, Tripolitano, & Sitifensi posteriores quoad ordinationem. Sed Afri, licèt Primatibus, id est, Episcopis ordinatione antiquioribus, primas sedes in Concilio generali tribuerent, nulli tamen Ecclesiæ speciali dignitatem primatus vindicabant posthabita metropoli civili, ut factum in Ecclesia Arelatensi; quæ in jus metropoliticum invasit in provincia Viennensi adversùs Viennensem provinciæ Metropolitanum. Ita enim se habebat dispositio civilis, postquam Romanis Principibus placuit Narbonensem veterem dividere in tres provincias, in Narbonensem videlicet, Viennensem, & Alpes maritimas, ut Vienna vetus colonia metropolis esset provinciæ Viennensis, cui nomen dabat, & Arelas una esset earum urbium quæ Viennæ contributæ erant. id & quod & Ammianus Marcellinus & Notitiæ veteres ostendunt.

Vide R. P. Sirm. in Notis Formulam pag. 274. 275.

Marca de Lib. Primat. pag. 191. Hinc Chifflet. in Not. ad Inn. pag. 184.

VII. Amplificata deinde civitatis Arelatensis gloria post Concilium illic habitum ævo Constantini Magni, ex cujus nomine dicta est Constantina, aucta etiam ob moram ejusdem Constantini & sequentium aliquot Imperatorum in ea urbe factam, præcipuè Constantij filij Constantini, qui illic anno CCCLIII. ob tricesimum imperij sui annum theatrales ludos & Circenses ambitioso apparatu edidit, ibidémque proximis Kalendis Ianuariis septimum Consulatum iniit, & ex more ludos Circenses fecit. Ex ea urbis gloria factum ut veterum scriptorum monumentis valde celebrata sit, adeo ut Am-

Amm. Marcel. lib. 14. Vide C. V. Adr. Valesij in Rer. Francic. pag. 40.

mianus Marcellinus eam vocet multarum urbium decus, & Gallulam Romam Ausonius in libro de urbibus. Translata verò illuc sede præfecturę Galliarum à Valentiniano Imp. post cædem Maximi Tyranni, ut ego quidem arbitror, cumulata sunt in eam civitatem omnia civilis administrationis decora & ornamenta, úrbsque ipsa facta metropolis Galliarum, ut colligi potest ex rescripto Honorij ad Agricolam P. P. Galliarum, ubi Arelatensis urbs dicitur esse metropolis Septem provinciarum. Solebant enim olim Principes (ut observatum est ab illustrissimo Archiepiscopo) dividere provincias pro suo arbitrio; & novas quoque metropoles condebant, quarum Episcopi simul evehebantur ad dignitatem Metropolitanorum. Itaque ex honore civili Arelatensis urbis descendisse puto honorem ecclesiasticum, tentante nimirum Episcopo urbis illius in se trahere ordinationes Episcoporum provinciæ Viennensis, quæ antea pleno jure pertinuerant ad Viennensem Metropolitanum. Illum ista præsumpsisse non ita multò post cædem Maximi docet canon secundus Concilij Taurinensis habiti anno CCCXCVII. in quo sic legitur: *Illud deinde inter Episcopos urbium Arelatensis & Viennensis, qui de primatus apud nos honore certabant, à sancta synodo definitum est, ut qui ex eis approbaverit suam civitatem esse metropolim, is totius provinciæ honorem primatus obtineat, & ipse juxta canonum præceptum ordinationum habeat potestatem. Certè ad pacis vinculum conservandum hoc consilio utiliore decretum est, ut si placet memoratarum urbium Episcopis, unaquæque de his viciniores sibi intra provinciam vindicet civitates, atque eas Ecclesias visitet quas oppidis suis vicinas magis esse constiterit; ita ut memores unanimitatis atque concordiæ, non alter alterum, longiùs sibi usurpando quod est alij propius, inquietet.*

VIII. Integrum canonem retuli, ut ostenderem tum Arelatem fuisse urbem metropolitanam. Frustra enim definirent patres hunc totius provinciæ honorem primatus habiturum qui approbaret suam civitatem esse metropolim, si nulla ex hoc capite controversia fuisset inter Viennensem Episcopum & Arelatensem, quæ nulla esse poterat, si Arelas non fuisset tum metropolis. Compertum habebant Viennam esse veterem provinciæ metropolim, adeóque ad illam secundùm ecclesiasticas regulas pertinere ordinationes Episcoporum provinciæ Viennensis. Sed quia tum Arelas erat metropolis Galliarum in ordine civili, contendebátque hauddubiè ob eam causam Episcopus Arelatensis transisse ad suam Ecclesiam à Viennensi jura ordinationum, quòd Vienna tum contributa esset Arelatensi urbi, patres in synodo Taurinensi congregati in his angustiis constituti, obscuro & ambiguo dicendi genere interlocuti sunt eam civitatem frui debere honore primatus quæ doceret se esse provinciæ metropolim; dato interim ad fovendam concordiam Episcopis consilio, ut quisque viciniores sibi civitates ad suam curam revocaret. Ea sola via patebat exeundi ex his difficultatibus, qua & Viennensis Ecclesiæ juribus non derogarent in universum, & Arelatensi urbi, penes quam civilis tum administrationis fastigium erat, injurioſi non existerent, néve illius Episcopum exasperarent, si quid contra illum decernerent. Sciebant enim injurias ægrè tolerari, &, ut ait Tacitus, proclivius esse injuriæ quàm beneficio vicem exsolvere; quia gratia oneri, ultio in quæstu habetur. Viennensem Episcopum minorem tum esse Arelatensi & imparem. istum verò non depositurum memoriam acceptæ injuriæ, & si occasio daretur, ulturum adversùs unumquemque Episcoporum, quos facile illi esset opprimere apud illustrissimam præfecturę potestatem. in maximi porrò beneficij loco habiturum Viennensem quòd aliquas civitates retineret judicio synodi. Ea de causa provinciam diviserunt, cujus maxima pars concessa est Episcopo Arelatensi.

IX. Quoniam verò pronum est ambitione labi, ei præsertim qui versatur inter summas potestates & apud illas in honore est, Arelatensis Episcopus, qui magna parte provinciæ depulerat Episcopum Viennensem, totam sibi subjicere meditatus est, ac non solùm illam, sed etiam duas Narbonenses, quæ in vicino erant. Sed quia prævidebat magnam ex hoc capite futuram esse contradictionem Metropolitanorum harum provinciarum, qui ægrè paterentur adimi sibi provincialium suorum ordinationes, Zozimum Pontificem Romanum putavit in partes trahendum esse, ut ejus auctoritate hanc sibi potestatem vindicaret in illis provinciis. Itaque falsa suggestione ad eum data significavit pati se contradictionem in ordinandis Episcopis harum provinciarum, præsertim à Proculo Massilienſi Episcopo & à Viennensi, qui in Concilio Taurinensi contenderant ad se pertinere consecrationes Episcoporum, hic quidem secundæ Narbonensis, iste verò provinciæ Viennensis; cùm tamen Arelatensis Episcopus *jam inde à Trophimo ordinationis seriem temporibus roboratam* possederit, non solùm in provincia Viennensi, sed etiam in utraque Narbonensi: *quoniam Trophimus sacerdos quondam Arelatensi urbi ab apostolica sede transmissus ad illas regiones tanti nominis reverentiam primus exhibuit, & in alios*

Amm. Marcell. lib. 15.

Honorij Constitutio erat apud Sirmond. in Notis ad hunc.

Vide supra lib. 1. cap. 8.

Vide B. P. Olivier. in Notis ad Fragmenta pag. 276. 279.

Marca in lib. de Primat. p. 91. & 92. & in collect. ad Hist. Vales.

Tacit. lib. 45 hist.

Zozim. epist. 7. 8.

non immeritò ea quam acceperat auctoritate transfudit. Zozimus habita ratione petitionis Patrocli, quem summis potestatibus acceptissimum esse sciebat, & qui in metropoli Galliarum urbe constitutus erat Episcopus, confirmavit ei ordinationes per tres illas provincias *juxta majorum canones*; castigatísque Proculo & Simplicio, quòd non ferenda impudentia in Concilio Taurinensi *contra statuta patrum & sancti Trophimi reverentiam* postulassent creandorum in his provinciis sacerdotum potestatem sibi fieri, laudata antiquitate, *cui decreta patrum*, inquit, *sanxere reverentiam*, redire in ordinem suum intermissa præcepit, & Metropolitanum Arelatensis civitatis Episcopum jam inde à Trophimo ordinationis seriem temporibus roboratam inviolabili in utraque Narbonensi & Viennensi auctoritate possidere. Tum data ad Hilarium Narbonensem Episcopum epistola de eodem argumento, antiquam consuetudinem (nam cuncta ad antiquitatem referebat) opponens canonibus, interdicit ei ordinationes Episcoporum primæ Narbonensis: *quia satis constitit*, inquit, *Arelatensis Ecclesiæ sacerdoti prisca id institutione concessum ut non solùm in provincia Viennensi, sed etiam per duas Narbonenses, Episcopos faciat.* Porrò, ut facilior esset istarum rerum executio, Patroclum existimavit ornandum esse auctoritate quadam extraordinaria, quæ reverentiam illi conciliaret etiam apud eos ipsos Episcopos qui magnitudini ejus repugnabant. Itaque præter necessitatem accipiendarum ab eo formatarum, ei vices suas committit per Gallias, jubens ut si quæ illic causa gravis emerserit, ad Patroclum referatur; ita tamen ut si causa major sit, ad apostolicæ sedis examen deducatur. *Ad cujus* (id est, Patrocli) *notitiam, si quid illic negotiorum emerserit, referri censuimus, nisi magnitudo causæ etiam nostrum requirat examen.* quod intelligēdum est secundùm ea quæ suprà dicta sunt cùm de Thessalonicensi Episcopo ageremus. Scio Bonifacium & Leonem Romanos Pontifices ademisse Episcopis Arelatensibus ordinationes Episcoporum duarum Narbonensium. Sed hæc non sunt instituti nostri. Illud tantùm dicam, ex auctoritate quam Zozimus dedit Patroclo descendisse ut Valentinianus Imperator constituerit anno CDXXV. uti quidam Episcopi, nimirum Gallicani, qui nefarium Pelagiani & Celestiani dogmatis errorem sequebantur, per Patroclum sacrosanctæ legis antistitem convenirentur. Redeamus itaque nunc ad tractandam causam Vicariatus Arelatensis.

Vide Prosperi Chronicon, Honorio I. X. & Theod. V. Coss.

Zozim. epist. 5.

Valentiniani Constitutio extat in Appendice Cod. Theod. Tit. VI. & To. 1. Concil. Gall. pag. 54.

***

CAPVT XXXI.

Synopsis.

I. Ad exemplum conventus civilis septem provinciarum, qui quotannis agebatur apud Arelatem, Hilarius Arelatensis Episcopus destinat celebrare Concilia eorum Episcoporum qui per eas provincias censebantur, quibus ipse præsideret.

II. Ea de causa Concilium Regense coëgit in aliena provincia, cui & ipse præfuit, & de causa ordinationis Metropolitani Ebredunensis cognovit tanquam primus provinciarum Gallicanarum Metropolitanus. Rursum instituitur comparatio inter Episcopum Thessalonicensem & Arelatensem.

III. In eo Concilio constitui procuravit Hilarius irritas fore ordinationes quæ citra auctoritatem Metropolitani Arelatensis peragerentur. Causa Armentarij explicatur. Tum aperitur verus ac genuinus sensus canonum Concilij Regensis.

IV. Agitur deinceps de Concilio Arausicano, quod ab eodem Hilario celebratum est. Generale illud fuit, ut probatur multis argumentis.

V. Probabile quoque est Concilium Vasense fuisse generale. Explicatur primus canon ejusdem Concilij, in quo agitur de Episcopis ex provincia sua ad aliam accedentibus.

I. CONSTITUERAT Imperator Honorius anno CDXVIII. ad Agricolam Præfectum Galliarum scribens, ut quia propter privatas ac publicas necessitates de singulis civitatibus, non solùm de provinciis singulis, Arelatem ad examen Præfecti vel honoratos confluere, vel mitti legatos, aut possessorum utilitas aut publicarum ratio exigebat functionum, singulis annis constituto tempore in metropolitana, id est, in Arelatensi urbe Concilium, id est, conventum publicum haberent Septem provinciæ, sub illustri præsentia præfecturæ, si id ratio publicæ dispositionis permitteret. Quoniam verò, ut observavit illustrissimus Archiepiscopus, dignitas quæ civitatibus competebat in ordine civili, facilè communicabatur episcopatibus earum urbium, incessit Episcopum Arelatensem ambitio sibi vindicandi titulum primi Metropolitani Galliarum. Erat Hilario Arelatensi Episcopo altissimus animus & gloriæ appetens. Itaque cùm se in metropoli Galliarum urbe constitutum esse videret, in qua singulis annis decretum erat haberi Concilium Septem provinciarum, scirétque præterea sedi suæ in persona Patrocli commissas esse à Zozimo Papa vices apostolicæ sedis per Gallias & Septem provincias, intravit in animum ejus illa pulcherrima cogitatio, celebrandum quoque esse Concilium eorum Episcoporum qui per eas provincias constituti erant; non repugnaturos Episcopos, tamenetsi nova tentarentur; & si ab-

nuerent, facilè flexuros si Præfecti prætorio vel Vicarij auctoritas interveniret. incipiendum ab uno esse, ut exemplum daretur in futurum. porrò non curandum esse de loco in quo synodus haberetur, modò auctoritas Arelatensis Episcopi susciperetur. immo validius apud posteros firmiúsque futurum argumentum, si Concilium extra provinciam Arelatensem haberetur cum auctoritate & sub præsentia Metropolitani Arelatensis, quàm si sub illustri præsentia præfecturæ haberetur. Existimabat hauddubiè facilius dein Episcopos illarum provinciarum ad synodum Arelatensem venturos, si semel devorassent necessitatem obsequendi evocationi Episcopi Arelatensis.

II. Itaque anno CDXXXIX. Hilarius coacto Concilio in civitate Regensi, quæ erat in provincia Alpium maritimarum, de causa ordinationis Ebredunensis Metropolitani cognovit tanquam primus provinciarum Gallicanarum Metropolitanus, ad quem referri deberet de gravioribus causis quæ per provincias emergerent, secundùm ea quę à Zozimo fuerant constituta ad exemplum Episcopi Thessalonicensis. Par est enim existimare Hilarium, quem constat magnum virum fuisse, nihil inconsideratè egisse, & ista usurpasse in consequentiam literarum Zozimi, de quarum auctoritate putabat non dubitari inter Episcopos Gallicanos. Sanè in Concilio Regensi præsedit citra contradictionem, nullo Episcoporum litem adversùs eum movente ob eam causam, tanquam constaret hanc sedis Arelatensis antistiti potestatem competere ut synodis præsideret intra Gallicanas provincias congregatis. Quinimò cùm Concilium illud coactum esset ad castigandam temeritatem Armentarij, qui se Episcopum Ebreduni ordinari consenserat, inter vitia ordinationis apertis verbis refertur omissa Metropolitani auctoritas, id est, Hilarij Arelatensis, tanquam absque eo non liceret ordinare Metropolitanos. Quo loco revocanda est memoria eorum quæ suprà dicta sunt, cùm de Thessalonicensi Episcopo ageremus, id jus Episcopo illi fuisse ut non antè ordinari possent Metropolitani provinciarum Illyricianarum quàm relatio de persona & electione ejus qui electus esset ad Thessalonicensem missa fuisset à comprovincialibus Episcopis, irritámque futuram fuisse ordinationem quæ prætermissa Thessalonicensis antistitis auctoritate celebrata fuisset. Quæ regula tum maximè servanda erat cùm discordia propter antistitis electionem exorta erat in Ecclesia, cùm constitutum sæpe esset ut graviores causæ ad examen Thessalonicensis Episcopi deferrentur. Cùm autem tum Arelatensis Episcopus exsurgeret in comparationem Thessalonicensis, scirétque se generalibus Zozimi mandatis instructum esse, qui ad notitiam ejus referri censuerat si quid negotiorum per Gallias emergeret, intelligens vir prudens magnis conatibus obsistere timiditatem, contrà audacem animum difficiliora etiam negotia utpluri-mùm perducere ad felices exitus, tentandos putavit Gallicanos Episcopos, & si res succederet, bene esse.

III. Congregato igitur, uti diximus, Concilio Regensi, ut mansura etiam circa Metropolitanos auctoritas confirmaretur exegit, eámque ordinationem esse irritam pronuntiari quæ citra auctoritatem Metropolitani Arelatensis Episcopi celebrata foret. Quod ut facilius obtineret, primùm huc flexit Episcopos ut ordinationem Armentarij nullam esse censerent; *quia sacris Ecclesiæ canonibus ac reverendis patrum constitutionibus omni parte neglectis, absque trium Episcoporum præsentia, absque comprovincialium litteris, sine Metropolitani auctoritate, irritam ordinationis speciem à duobus temerè convenientibus præsumptam esse clarebat.* Et favorabilis in speciem occasio erat. Nam & præcipitata ordinatio erat, & à duobus tantùm Episcopis celebrata, comprovincialibus neque præsentibus neque consensus suos per literas præstantibus. Itaque hac pulcherrima occasione usus Hilarius, consensu Gallicanorum Episcoporum locum primi Metropolitani obtinuit, absque quo non liceret Episcopos ordinare in provinciis Gallicanis. Sic enim intelligendum omnino puto canonem septimum Regensem, quo de Episcoporum ordinationibus cavetur in futurum. Excitati quippe hac occasione Episcopi, *sibimetipsis contra hujusmodi scandala præcavendum censuerunt*, & *propter ejusmodi temeritatem*, nimirum propter ordinationem Armentarij, qui contra canones & citra Metropolitani Arelatensis auctoritatem ordinatus in Ebredunensi Ecclesia fuerat, definiverunt uti cùm aliqua Ecclesia Episcopum perdidisset, vicinæ Ecclesiæ Episcopus ad eam exequiarum tempore accederet, providerétque intra septimum diem uti legitima canonicáque electio fieret à Clericis Ecclesiæ vacantis. Tum verò opperiri eum jubent, ut ego quidem arbitror, auctoritatem Metropolitani Arelatensis. Quod credere me cogit præsentia Hilarij, qui dolorem suum graviter ob prætermissam auctoritatem suam ultus est adversùs Armentarium in hoc Concilio Regensi ea sola de causa congregato. Vnde concludo canones istos, quoties de Metropolitano loquuntur, Arelatensem intelligere. Decernunt ergo patres

Concil. Reg. in præfat.

Concil. Reg. can. 6

Vide Marcum in lib. de Primat. § 14.

Ibid. can. 7. ut postquam cuncta quæ diximus providerit Episcopus ille qui defuncti exequias curavit, *exin se Ecclesiæ referens, mandatum Metropolitani simul cum omnibus sanctis Episcopis opperiatur, nec quisquam ad Ecclesiam quæ summum amiserit sacerdotem, nisi Metropolitani litteris invitatus, accedat.* Quibus constitutis, quæ (ut inquit canon octavus) *omnes communi consensu conservanda, neque, quod absit, sine offensa omnium ac Dei à quoquam transgredienda definiunt*, Hilarius ante omnes subscripsit hoc modo: *Ego Hilarius Episcopus, juxta id quod universis sanctis coëpiscopis meis, qui mecum subscripserunt, placuit, definita patrum sequutus, his definitionibus subscripsi.*

IV. Defuncti explicatione canonum Concilij Regensis, ad Arausicanum veniamus, quod biennio post sub eodem Hilario celebratum est. Erat sanè Arausica una ex civitatibus quæ componebant provinciam Arelatensem. Vnde colligitur jus huic synodo præsidendi competivisse Hilario, ea etiam de causa, quòd Concilium haberetur intra suam ipsius provinciam. Interfuerunt huic Concilio Eucherius Episcopus Lugdunensis & Ingenuus Ebredunensis, qui longo intervallo subscribunt post Hilarium. Sed cùm Episcopis illis ordinatione antiquior esset Hilarius, colligi hinc non potest illum tenuisse illic primum super eos locum vi auctoritatis suæ. Itaque illud unum contendo, ad synodum Arelatensis Episcopi occurrisse etiam Episcopos provinciæ Lugdunensis & Alpium maritimarum ac fortean aliarum provinciarum. Nescimus enim quarum Ecclesiarum Episcopi fuerint illi qui in Concilio illo Arausicano adfuisse leguntur in subscriptionibus. Præterea constat ex canone XXIX. multos Episcopos ad eam synodum non accessisse legitimè, ut videtur, impeditos, *qui consensus dederunt*, plerosque etiam defuisse per contumaciam, qui castigantur in hoc canone, utrorumque autem admonendorum ut ad sequentem futuram synodum veniant sollicitudo relinquitur Hilario. in quo auctoritatem quandam extraordinariam in Hilario agnovisse synodum Arausicanam constat. *Reliquos qui defuerunt*, inquiunt Episcopi, *beatissimi fratris nostri Hilarij solicitudini relinquimus datis ad ipsos horum exemplaribus commonendos.* Vnde colligi potest generalem fuisse synodum, quæ cura & auctoritate coacta fuerit Hilarij Episcopi Arelatensis. Adde quòd canon XXI. generalis est, non unius tantùm provinciæ causa conditus, sed plurium, cùm ita dicat: *In nostris provinciis placuit de præsumptoribus, ut si cubi contigerit duos Episcopos Episcopum invitum facere, auctoribus damnatis, unius eorum Ecclesiæ ipse qui vim passus est substituatur, si tamen vita respondet.*

V. Sequitur Concilium Vasense habitum intra provinciam Arelatensem: de quo nihil certi dicere possumus, destituti subsidio quod in hujuscemodi rebus adferre solent subscriptiones Episcoporum. Attamen ex primo canone colligi posse videtur generale illud fuisse, cùm decretum generale sit, & ad omnes Gallicanas provincias ex æquo pertineat. Nam hæc sunt verba canonis: *Placuit ergo, tractatu habito, Episcopos de Gallicanis provinciis venientes intra Gallias non discutiendos, sed solum sufficere si nullus communionem alicujus interdixerit.* Respicit enim canon ad Episcopos ex provincia sua ad aliam provinciam accedentes, quos, si è longinquo venirent, examinare oporteret, ut agnosci posset an verè Episcopi essent, vel impostores; quoad eos verò qui è vicinis provinciis venirent, cùm sibi invicem noti sint, istam curam non esse necessariam. Quibus verbis puto intelligi vicinas tantùm Arelatensi urbi provincias, Septem nimirum, ac fortassis Lugdunensem, quæ in vicino erat, præsertim cùm Arausicano Concilio interfuisse reperiatur Eucherius Episcopus Lugdunensis pro se & pro coëpiscopis suis, quorum adsensum se expectare profitetur in fine Concilij.

CAPVT XXXII.

Synopsis.

I. Disputatur de tempore quo celebratum est Concilium Arelatense secundum.

II. Generale illud fuisse, non verò provinciale, scripsit illustrissimus Archiepiscopus. Quod etiam probatur ex canone XVIII. ejusdem Concilij.

III. Possessionem suam pro convocatione Conciliorum generalium confirmari in synodo illa procuravit Hilarius Episcopus Arelatensis, exemplo ducto à synodo Nicæna, quæ Patriarcharum auctoritatem firmaverat canone. Explicatur canon ille Arelatensis.

IV. Chelidonius Episcopus Vesontionensis deponitur ab Hilario, quia internuptam duxerat, & quia capitali aliquos sententia condemnaverat. Qui judicio non adquiescens, Romam se contulit ad Leonem Papam.

V. Chelidonium secutus est Hilarius, prohibiturus ne quid adversùs decreta Concilij Gallicani tentaretur. Auctoritatem Conciliorum provincialium his verbis tuitus est quibus iram Leonis in se accersivit.

VI. Habita Romæ synodo ob eam causam, adfuit Hilarius, contenditque retractari non posse judicia Conciliorum provincialium quæ concordibus Episcoporum suffragiis decreta erant. Absolutus est Chelidonius in Romana synodo, non tamen ab Hilario susceptus.

VII. In eodem Concilio Romano proposita est alia adversùs Hilarium querela, quòd Projecto Episcopo infirmo & nescienti alium superposuisset Episcopum.

VIII. Arguitur deinde quòd militaris eum manus

per provincias sequeretur, & quòd ignotos invitis populis Episcopos daret. Fatale fuit illud ævo Leonis in Vicariis apostolicæ sedis.

IX. Leo adversùs Hilarium decernit uti suis unusquisque limitibus ac terminis contentus esset, & ne quis privilegium sibi debitum transferre in alium præsumeret.

X. Deinde Hilario adimit potestatem congregandi Concilia generalia, illum præterea privans auctoritate metropolitica in provincia Viennensi.

XI. Tribuit Leontio Episcopo Forojulienſi auctoritatem convocandi Concilia generalia. Sed tamen multo sale constitutionem illam condivit, ut Gallicanorum Episcoporum consensum eliceret.

I. AMPLIFICANDÆ auctoritatis suæ studiosus Hilarius Episcopus Arelatensis, ambitionem suam canone ecclesiastico firmari procuravit in Concilio Arelatensi secundo, quod generale erat ex provinciis Gallicanis circum Arelatem positis. Sed antè quàm de re ipsa agamus, necessarium videtur constituere tempus istius synodi, *cùm exploratum hactenus*, ut Sirmondus ait, *de Concilij istius tempore nihil sit.* Rectè censuit idem vir eruditissimus posterius illud fuisse Arausicano & Vasensi, *quorum ex canonibus Concilij hujus canones pro parte contexti sunt.* Sed in hoc, ut mihi quidem videtur, humani aliquid passus est, quòd habitum putavit sub Ravennio Arelatensi Episcopo, qui successit Hilario. Nam cùm constet temeritatem Hilarij, qui magnas synodos propria auctoritate congregabat intra Gallias, à sancto Leone repressam esse epistola scripta anno quadringentesimo quadragesimo quinto, locus non est dubitandi quin synodus illa habita fuerit ab Hilario, adversùs quem Leo incanduit ob hanc ipsam causam. Neque verò ego id dico, sed illustrissimus Archiepiscopus, qui adnotat synodum illam esse constituendam inter annum CDXLII. & CDXLV. quo scripta est epistola Leonis adversùs Hilarium.

Vide Ibid. l. 6. pp. 17. §. 3.

II. Constituto itaque tempore istius synodi, inquirendum deinde est utrum fuerit generalis, an verò provincialis tantùm. Illustrissimus Archiepiscopus ostendit in libro sexto istius operis fuisse generalem, ob eam videlicet causam, quòd in ea adfuerint Episcopi & Metropolitani diversarum provinciarum, de quibus componendis agitur in variis canonibus istius Concilij. Cui observationi potest addi, ex canone XVIII. (quem mox referemus) videri datam Leoni occasionem invehendi in Hilarium, quem videbat efferentem se paulò nimis supra collegas suos, ad exarchicam auctoritatem tendere magnis passibus, cùm palam & apertè se gereret ut Primas Episcoporum Gallicanorum.

Vide lib. 6. cap. 17. §. 1.

III. Hilarius enim, postquam repetitis actibus possessionem suam pro congregandis Conciliis stabiliverat, respiciens fortassis ad canonem sextum Nicænum, quod Patriarcharum auctoritatem consuetudine & longo annorum usu firmatam æterna lege solidatam esse voluit, ne quid deinceps dubietatis ex hoc capite oriri posset inter Episcopos, ad hæc inquam fortasse respiciens Hilarius, sibi consensu decretóque Episcoporum confirmari in Concilio illo Arelatensi procuravit auctoritatem in cujus possessione erat. Decretum itaque est ut quoties Arelatensis Episcopus synodum generalem congregaret, ad eam singuli Episcopi ab eo evocati tenerentur accedere, nisi infirmitate impedirentur; & si quis adesse negligeret, aut abscederet ante finem Concilij, is alienus à communione esset, nec ei quisquam communicaret donec in sequenti synodo fuisset absolutus. Hæc sunt verba synodi: *Ad Arelatensis Episcopi arbitrium synodus congreganda: ad quam urbem ex omnibus mundi partibus, præcipuè Gallicanis, sub sancti Marini tempore legimus celebratum fuisse Concilium atque conventum. Si quis commonitus infirmitatis causa defuerit, personam vice sua dirigat. Si quis autem adesse neglexerit, aut cætum fratrum antequam Concilium dissolvatur crediderit deferendum, alienatum se à fratrum communione cognoscat; nec cum recipi liceat, nisi in sequenti synodo fuerit absolutus.* Adnotat porrò heic illustrissimus Archiepiscopus callidum esse canonis istius consilium; qui ita conceptus est, ut dicere prima fronte videatur Concilium Arelatense primum fuisse congregatum auctoritate Marini Episcopi Arelatensis; cùm tamen certum sit convocatum fuisse ab Imperatore Constantino. Sed quærebatur ab Hilario exemplum vetus adeptæ potestatis, seu verum illud, seu falsum, modò veri speciem haberet. Nam ut in ætatibus auctoritatem senectus habet, quemadmodum observatum est à Tullio, sic in exemplis antiquitas. Et ubi vetustatis auctoritas quæritur, grandioribus decet exemplis uti, quò facilius homines persuadeantur.

Concil. t. Arelat. cap. 18. 19.

IV. Haud ita multò pòst incidit occasio gravis, quæ ingentium motuum causa fuit. Nam Hilarius, postquam primatus ejus per Gallias sine controversia esse visus est, provincias visitans jure metropolitico, cùm accessisset ad sanctum Germanum Autisiodorensem Episcopum, inaudivissentque Vesontionenses illum in vicinia esse, *flammata*, ut ait auctor vitæ Hilarij, *ad utrumque nobilium & mediocrium studia convolarunt, adstruentes Chelidonium* (Vesontionensis Episcopus is erat) *internuptam suo adhibuisse consortio, &*

Vita Hilarij edita in Chronol. Sanctor. insulæ Lerin. pag. 112.

seculari administratione perfunctum capitali aliquos condemnasse sententia. Manifestum erat Chelidonium non posse esse Episcopum, si ista vera erant. Itaque Hilarius coacta pro munere suo synodo, cùm accusatio testimoniis confirmata fuisset, Chelidonium monuit ut sententiam in se ipse diceret, néve expectare vellet episcopale judicium; nolentem verò obsequi canonum dispositioni dejecit à sede episcopali, ut docent sanctus Leo & vetus codex M S. monasterij Iurensis à Chiffletio laudatus. Chelidonius verò, qui fortassis sciebat suspectam Leoni esse effusam illam Hilarij potentiam, Romam se contulit, ibíque se injusto judicio dejectum esse conquestus est apud Summum Pontificem.

V. Sciens ista Hilarius, Chelidonium secutus est, non ambitioso comitatu septus, nullis impedimentis, non rheda non equo vectus; sed ingressus iter pedibus, in equum omnino non ascendit; ut vel hinc colligi posset nihil intra Gallias ab eo præsumptum esse amore gloriæ, sed studio tantùm tuendæ dignitatis Ecclesiæ Arelatensis. Romæ positus, primùm Apostolorum ac Martyrum memorias invisit, deinde Leonem, *cum reverentia impendens obsequium, & cum humilitate deposcens ut Ecclesiarum statum more solito ordinaret, adstruens aliquos apud Gallias publicam meritò excepisse sententiam & in Vrbe sacris altaribus interesse.* Venisse se, non tanquam accusatorem, nec ut causam diceret, sed ut judicium sub præsentia sua factum familiari apud Leonem suggestione sive sermone doceret legitimum fuisse, ne qua fraus ei subriperet. *Se ad officia non ad causam venisse; protestandi ordine, non accusandi, quæ sunt acta suggerere.* Addidit verba quæ hauddubiè Leoni visa sunt plena contumaciæ, nimirum non toleraturum se ut sententia adversùs Chelidonium lata retractaretur. Nam his verbis apertè ostendere videbatur non passurum se causas concordibus Episcoporum suffragiis definitas in provinciis Gallicanis rursum judicari apud apostolicam sedem, & si Chelidonius absolveretur à Synodo Romana post dejectionem suam, non tamen habiturum se illum pro Episcopo, neque communionem ei suam impertiturum. Vnde illa Leonis querela, Hilarium Ecclesiarum statum & concordiam Sacerdotum novis præsumptionibus turbavisse, & sic Gallicanos Episcopos suæ cupiisse subdere potestati ut se beato Petro Apostolo non pateretur esse subjectum, cujus reverentiam verbis arrogantioribus minuerat. Nam hæc sunt ipsa Leonis verba, digna profectò quæ referantur, cùm ex his colligi possit quantus fuerit in hac causa Leonis dolor. *Sed hunc tramitem semper inter majores nostros & bene tentum & salubriter constitutum Hilarius Ecclesiarum statum & concordiam Sacerdotum novis præsumptionibus turbaturus excessit, ita suæ vos cupiens subdere potestati ut se beato Apostolo Petro non patiatur esse subjectum, ordinationes sibi omnium per Gallias Ecclesiarum vindicans, & debitam Metropolitanis sacerdotibus in suum jus transferens dignitatem, ipsius quoque beatissimi Petri reverentiam verbis arrogantioribus minuendo.* S. Leonis Ep. 67 ad Episcopos provinciæ Viennæ.

VI. Congregata synodo ob eam causam, ad eámque vocatus Hilarius, adfuit quidem, sed ea mente, quemadmodum colligitur ex epistola Leonis, ut non sineret judicium suum retractari, multa hauddubiè prolocutus de suprema auctoritate Conciliorum provincialium, quæ retractari nullo modo possent si nihil dubietatis aut controversiæ emersisset inter Episcopos judices, adeóque Chelidonij causam, quæ concordi Gallicanorum Episcoporum decreto judicata fuerat, in Romana synodo retractari non posse. Hic est enim, ut ego arbitror, sensus verborum Leonis, dum ait Hilarium, cùm nihil rationabile haberet quod in Concilio Sacerdotum respondere posset, in ea verba erupisse quæ nullus laicorum dicere, nullus Sacerdotum posset audire. Hic est tumor mentis quem Pontifex Hilario objicit. Absolutus itaque est in Romana synodo Chelidonius, non tamen ab Hilario susceptus, qui ejus communioni conjungi nullatenus adquievit, ut docet ejus vitæ auctor.

VII. In eodem Concilio Romano nova adversùs Hilarium proposita querela est, quòd Projecto videlicet Episcopo infirmo & nescienti alium superposuisset Episcopum, invitis civibus, idque in aliena provincia. Acceperat Leo literas à Projecto, quibus dolorem suum testabatur, itémque epistolam civium, ipsius Projecti & numerosa singulorum subscriptione firmatam, invidiosissimis contra Hilarium querimoniis plenam, *quòd Projecto Episcopo suo ægrotare liberum non fuisset, ejúsque sacerdotium in alium præter suam notitiam esse translatum, & tanquam in vacuam possessionem ab Hilario pervasore heredem viventis inductum.*

VIII. Tertia adversùs Hilarium proposita querela est, quòd videlicet militaris eum manus per provincias sequeretur, illum verò armati præsidij præsumptione suffultum invadere per tumultum Ecclesias quæ proprios amiserint Sacerdotes, ac sic officij publici ministerio ignotos invitis populis Episcopos dari. Testatur istud Leo in eadem epistola, & legitur etiam in Novella constitutione Valentiniani III. lata pro confirmando isto Leonis adversùs Hilarium judicio. Sic enim loquitur

Novella Valentiniani tit. 17. Concilior. Gall. pag. 85.

loquitur Valentinianus: *Hilarius enim, qui Episcopus Arelatensis vocatur, Ecclesiæ Romanæ urbis inconsulto Pontifice indebitas sibi ordinationes Episcoporum sola temeritate usurpans invasit. Nam alios incompetenter removit, indecenter alios invitis & repugnantibus civibus ordinavit. Qui quidem quoniam non facilè ab his qui non elegerant recipiebantur, manum sibi contrahebat armatam, & claustra murorum in hostilem morem vel obsidione cingebat, vel aggressione referabat, & ad sedem quietis pacem prædicaturus per bella ducebat.* Fatale fuit illud ævo Leonis in Vicariis apostolicæ sedis, ut publicorum officiorum ministerio uterentur ad asserendam auctoritatem suam. Nam suprà vidimus eadem tempestate qua hæc Hilario objiciebantur, Anastasium Thessalonicensem sibi exhiberi per publicam potestatem fecisse Atticum veteris Epiri Metropolitanum, eò quòd Thessalonicam secundùm morem non accessisset in initiis suæ ordinationis. Quanquam puto Leonem, qui exacerbato adversùs Hilarium animo erat, magnificis ista verbis elocutum esse, ut invidiam ei pararet apud Episcopos Gallicanos, ratus ea ratione imminutum iri nimiam istius potentiam, quæ Romano nomini insultabat. Durum enim Leoni erat ista tentari ab homine qui auctoritatis suæ initia Romanæ sedi deberet, quæ causarum cognitionem intra Gallias commiserat Episcopo Arelatensis Ecclesiæ. unde illi initium magnitudinis & invadendi in auctoritatem exarchicam argumentum in speciem probabile. Nam ista omnia usurpata ab Hilario esse censet illustrissimus Archiepiscopus in consequentiam vicariæ potestatis quam Zozimus delegaverat Arelatensibus Episcopis, vi cujus illis auctoritas quædam cogendarum in Galliis synodorum competere videbatur.

Mem in lib. de Primat. §. 77.

IX. Gallicanarum Ecclesiarum administrationem revocare in ordinem cupiens Summus Pontifex, simul castigaturus Hilarium, decrevit uti suis unusquisque limitibus ac terminis contentus esset, & ne quis privilegium sibi debitum transferre in alium præsumeret. Quod decretum est adversùs Metropolitanos, qui non inviti consenserant jura ordinationum per provincias Gallicanas in Episcopum Arelatensem esse translata. Quapropter ne deinceps Metropolitani hunc honorem Hilario haberent, gravem refractariis pœnam intentat his verbis: *Quòd si quis negligens apostolicas sanctiones, plus gratiæ tribuens personali, sui honoris desertor esse voluerit, privilegium suum in alium transferre se posse credens, non is cui cesserit, sed is qui intra provinciam antiquitate episcopali ceteros prævenit, sacerdotes ordinandi sibi vindicet potestatem.* Hæc ita prudentissimè sanciebat Leo, ut metum incuteret ei qui Metropolitanum Arelatensem agere consentiret ordinationes in sua provincia, cùm decerneret ut is inhonoratus & inglorius esset inter suos comprovinciales, & se ipso factus videretur inferior, cùm videret consecrationum jus sibi debitum ad Episcopum minoris civitatis esse translatum. Nihil enim faciliùs aut potentiùs cohibet homines quàm metus ignominiæ aut dedecoris.

X. Attamen non putavit satis hoc remedio provisum adversùs potentiam Hilarij. Nam postquam eum redarguerat quòd in aliena provincia ordinationes celebrare præsumeret, id usurpans quod nullus decessorum ejus ante Patroclum habuit, *cum & ipsum quod Patroclo à sede apostolica temporaliter videbatur esse concessum, postmodum sit sententia meliore sublatum*, transit ad summam rerum, ad celebrationem nimirum Conciliorum generalium Galliæ, quorum congregandorum potestatem adimit Hilario, illum præterea privans auctoritate metropolitica in provincia Viennensi, tantùm illi servato civitatis suæ sacerdotio. Hæc sunt verba legis: *Suis unaquæque provincia sit contenta Conciliis, nec ultrà Hilarius audeat conventus indicere synodales, & sacerdotum Domini judicia se interserendo turbare: qui non tantùm noverit se ab alieno jure depulsum, sed etiam Viennensis provinciæ, quam malè usurpaverat, potestate privatum.*

XI. Quia verò videbat suetos magnis Conciliis Gallicanos Episcopos, facilè conventuros ad evocationem Hilarij, si nulla alia auctoritas esset intra Gallias quæ synodos hujuscemodi congregare posset, partem hanc potestatis Hilarij transfert in Leontium Episcopum Forojulienſem, qui vetustate ordinationis reliquis partium illarum Episcopis anteibat. Ista tamen minimè sui securus constituit, metuens ne Episcopi illi nollent excutere imperium Hilarij, ut Leontij jussa spectarent. Itaque ei potestatem faciens congregandi Concilia ex diversis provinciis, primò non hoc illi tribuit ut istiusmodi Concilia congregare possit pro suæ voluntatis arbitrio, sed cùm Episcopi ita putaverint esse faciendum. Deinde non jubet pro imperio uti Concilia celebrari non possint præter consensum Leontij; sed Episcopos orat uti hunc ei honorem habere velint. Vnde colligi potest indiguisse Leonem consensu Episcoporum ut ratus esset honor quem ipse tribuebat Leontio. *Et quoniam*, inquit, *honoranda est semper antiquitas, fratrem & coëpiscopum nostrum Leontium probabilem sacerdotem hac, si vobis placet, dignitate volumus decorari, ut præter ejus consensum alterius pro-*

vinciæ non indicatur à vestra sanctitate Concilium, & à vobis omnibus, quemadmodum vetustas ejus & probitas exigit, honoretur, Metropolitanis privilegij sui dignitate servata. Æquum est enim; nec ulli de fratribus fieri videtur injuria, si his qui sacerdotij vetustate præcedunt, pro ætatis suæ merito in suis provinciis à sacerdotibus ceteris deferatur.

CAPVT XXXIII.

Synopsis.

I. Nunc investigandum est utrum Leonis conatus adversùs Hilarium illi cesserit feliciter. Episcopi Gallicani putabant Leonem totam hanc camarinam movere ut ordinationes Episcoporum Galliæ in se traheret. Quod nostri omnino nolebant.

II. Probabile est tentamenta Leonis non obfuisse dignitati Episcoporum Arelatensium. Nam deinceps Episcopi vicinarum provinciarum Arelatem convenerunt in variis occasionibus. Et Ravennius, Hilarij successor, principem ubique locum tenuit inter Episcopos Gallicanos.

III. Concilium Arelate celebratur in causa insulæ Lirinensis, cui ad evocationem Hilarij interfuerunt Episcopi ex diversis provinciis.

IV. Variè scripsit Ravennius ad Episcopos, aliter ad eos scribens qui monachi non fuerant, aliter ad eos qui ex Lirinensi insula assumpti erant. Præcipuè verò adesse optavit Rusticum Episcopum Narbonensem.

V. Initur narratio de vita & rebus gestis Rustici, ut etiam captata occasione illustretur memoria magni viri. Monachus fuit in monasterio Lirinensi, tum Presbyter Ecclesiæ Massilienſis, demum Episcopus Narbonensis. Ad eum sanctus Leo scripsit epistolam decretalem.

VI. Deteguntur initia episcopatus ejus auctoritate inscriptionis Narbonensis, quæ explicatur.

VII. Ecclesiam Narbonensem rursum ædificavit, cùm suis tum piorum virorum sumptibus. Limen novæ illius Ecclesiæ conlocatum est anno 448.

VIII. Rusticus factus est Episcopus Narbonensis anno 430. die nona Octobris.

IX. Misera scriptoris annalium Massilienſium conjectura, qui ex hac inscriptione collegit Rusticum fuisse Episcopum Massilienſem.

I. SVPERIORI capite epistolam à Leone adversùs Hilarium scriptam per partes explicuimus; in qua agnoscere potuit eruditus lector paulò commotiorem adversùs Hilarium fuisse Leonem, & nihil intentatum reliquisse quo posset illum à summæ dignitatis loco deturbare. Videamus nunc an hic conatus illi cesserit feliciter; si priùs unum adhuc ejusdem epistolæ membrum, quod de industria reservavimus huic capiti, retulerimus, ex quo patebit Gallicanorum Episcoporum animos non adeo abalienatos ab Hilario fuisse quàm Summus Pontifex optabat. Intelligere enim possumus ex hoc loco persuasos fuisse Episcopos Leonem in se trahere voluisse ordinationes Episcoporum per Gallias, & ob hoc ipsum totam eam camarinam movere, ut postquam jura ordinationum Hilario adempta fuissent, ad augendam Romani Pontificis auctoritatem accederent. Quod omnino nolebant Episcopi Gallicani, qui malebant id jus ad Arelatensem Episcopum pertinere, unum videlicet ex coëpiscopis suis, quàm ad Romanum. Videns ista Leo, persuasionem illam ex animis Gallicanorum Episcoporum delendam esse putavit. Itaque sic ad eos scripsit: *Non enim nobis ordinationes vestrarum provinciarum defendimus, quod potest forsitan ad depravandos vestræ sanctitatis animos Hilarius pro suo more mentiri; sed vobis per nostram sollicitudinem vindicamus ne quid ulteriùs liceat novitati, nec præsumptori locus ultrà jam pateat privilegia vestra cassandi. Nostræ enim gratulationi hoc solùm crescere profitemur, si & apostolicæ sedis diligentia apud vos illibata servetur, & per sacerdotalis disciplinæ concordiam honori vestro perire quod suum est improbis usurpationibus non sinamus.*

II. Verùm, ut liberè eloquar quod sentio, non puto Leonem ista perviciſſe adversùs Episcopum Arelatensem, quamvis decreta sua firmari procurasset auctoritate Imperatoris Valentiniani. Manebat adhuc, ut mihi videtur in Gallorum pectoribus inclinatio in Ecclesiam Arelatensem, & metus Romanæ potestatis, tametsi Leo religiosissimis verbis eam suspicionem ex animis eorum eximere tentasset. Non invenio sanè quicquam ab Hilario tentatum aut factum post ea tempora. Sed hinc colligo salvam Ecclesiæ ejus fuisse suam auctoritatem, quòd eo mortuo, Episcopi, non solùm provinciæ Viennensis, sed etiam vicinarum, ad ordinationem Ravennij convenerunt, quem haud dubiè spectabant velut Metropolitanum Galliarum. Alioqui enim non convenissent. Deinde video ad evocationem Ravennij convenisse Episcopos diversarum provinciarum; tamenetsi Leo, insuperhabita postulatione Gallicanorum Episcoporum, neque Ravennio, viro sibi acceptissimo, confirmare voluerit jura ordinationum per provincias Gallicanas, neque ei committere vices apostolicæ sedis, quas ratione Ecclesiæ suæ gesserant prædecessores ejus, ut docent iidem Episcopi in epistola ad Leonem. Nam in Concilio Arelatensi habito in causa insulæ Lirinensis anno CDLV. interfuerunt sub Ravennio XII. Episcopi diversarum provinciarum. Non loquor de epistola synodica Episcoporum Galliæ ad Leonem, cui cum Ravennio subscripserunt XLIII. Episcopi. Nam reponi potest congregatos eos fuisse auctoritate Leonis, qui eam curam Ravennio injunxerat ut epistola ejus ad Flavianum CP.

universis fratribus innotesceret per sollicitudinem Ravennij. Denique principem locum inter Episcopos Gallicanos obtinuisse Ravennium hinc colligi posse mihi videtur, quòd & in epistola illa synodica & in responsione Leonis, tum etiam in actis Concilij apud Arelatem habiti in causa insulæ Lirinensis, Ravennius primo ubique loco nominatur ante Rusticum Narbonensem & Ingenuum Ebredunensem, tametsi isti ordinatione multò antiquiores essent. Vnde patet, ut hoc quoque dicamus, corrigendam esse inscriptionem alterius epistolæ ejusdem Leonis ad Ravennium, Rusticum, & Venerium, quæ perturbato ordine hodie legitur, cùm Rusticus ante Ravennium nominetur hoc modo: *Dilectissimis fratribus, Rustico, Ravennio, Venerio, & ceteris Episcopis per Gallias constitutis.* Nisi si Leo ita egit de industria, ut ostenderet nihil privilegij super ceteros Episcopos habere Ravennium.

T. 1. Concilior. Coll. pag. 58.

III. Prætermissis ceteris probationibus, in solo Concilio Arelatensi explicando immorabimur; ex quo constare poterit non dubitasse Ravennium quin Episcopos Arelatem ad Concilium evocare posset, tametsi de causa ageretur monasterij extra provinciam Viennensem positi. Exorta enim erat gravis & ingens controversia inter Theodorum Episcopum Forojulienſem in secunda Narbonensi & Faustum Abbatem Lirinensem de monachis laicis, deberétne eorum curam gerere Episcopus, an verò ad Abbatem solum ea cura pertineret absque ulla interventione auctoritatis Episcopi, & an liceret Episcopo quosdam ex eis promovere ad clericatum invito Abbate. Repugnabat hauddubiè Faustus, quem propterea Theodorus ex insula abduci & sibi exhiberi jussit. Erat maxima per regiones illas monasterij Lirinensis & Abbatis fama. Itaque controversia illa provinciales varia in studia diduxit, & grande, ut cum Ravennio loquamur, scandalum genuit, quod atrocitate sui multos involvit. Quid heic fecit Ravennius Arelatensis? Pro jure loci sui & secundùm receptam consuetudinem epistolam generalem scripsit ad Episcopos provinciarum finitimarum, uti ad hoc remediandum scandalum Arelatem accederent ante diem III. Kalendas Ianuarias, qui dies audientiæ constitutus erat. Convenerunt ergo duodecim Episcopi, & inter hos, Rusticus Narbonensis, & Ingenuus Ebredunensis Alpium maritimarum Metropolitanus. Hujus auctoritate Concilij sopitum est illud dissidium; ut patet ex Actis synodi, quæ à Sirmondo & Dacherio edita sunt.

Concilium Arelat. III. To. 1. Concil. Coll. pag. 1210. Et To. VI. Spicileg. Dacheriani pag. 13.

IV. Ravennius porrò, cùm epistolam generalem ad Episcopos scriberet, in fine exemplaris quod ad Episcopos qui ex insula Lirinensi assumpti erant (*ex* enim legendum puto pro *in*) misit, hæc addidit: *Beatitudinem verò vestram præcipuè adesse convenit, quos insula ipsa velut sinu quodam genetricis fovens, ad eam gratiam quæ nunc in vobis est Domino instigante produxit.* In exemplari verò quod ad Rusticum Narbonensem missum est, præter communem Episcopis ex Lirinensi monasterio assumptis admonitionem, istam peculiarem pro Rustico addidit Ravennius: *Ac præcipuè beatitudo vestra ut adsit primùm deprecamur, quia gravior infirmitas necessariò medicos peritissimos inquirit.* Erat enim Rusticus vir doctissimus, ac negotiorum hauddubiè monasticorum peritissimus. Monachus quippe fuerat in primo adolescentiæ flore, ut docet Hieronymus in epistola ad eum in initiis susceptæ ab eo vitæ monasticæ scripta circa tempora Innocentij Papæ primi. *Hæc dicimus, ut primate, fili Rustice, fronte doceamus magna cœpisse, excelsa sectari, & adolescentiæ immo pubertatis incentiva calcantem, perfectæ quidem ætatis gradum scandere, sed lubricum iter esse per quod ingrederis.* Cogitasse autem fortassis jam tum Rusticum de clericatu colligi videtur ex eadem Hieronymi epistola, in qua sic legitur: *Hæc dico, ut etiamsi clericatus te titillat desiderium, discas quod possis docere, & rationabilem hostiam offeras Christo, ne miles antè quàm tyro, ne priùs magister sis quàm discipulus.* Et infrà: *Ità ergo age & vive in monasterio ut Clericus esse merearis.* Et mox: *Cùm ad perfectam ætatem veneris, si tamen vita comes fuerit, & te vel populus vel Pontifex civitatis in clerum allegerit, agito quæ Clerici sunt.*

V. Occasio postulat ut quoniam initia Rustici attigimus, etiam ceteras vitæ ejus partes aggrediamur, utpote magni viri, & qui, nisi primas, saltem secundas partes obtinebat inter Episcopos Gallicanos. Iam docuimus Hieronymi testimonio eum fuisse monachum. Olim autem, cùm videremus eum in monasterio socium fuisse Venerij, qui dein fuit Episcopus Massilienſis, existimabamus monachum fuisse in monasterio Massilienſi. Sed nunc omnino persuasum habeo Lirinensis insulæ secretis semet abdidisse. E monasterio deinde ad Ecclesiam evocatus, hauddubiè à Venerio Massilienſi Episcopo, Ecclesiæ Massilienſis Presbyter factus est. Deinde ex secundis subselliis episcopalem sedem conscendit anno CDXXX. ut mox ostendam. Post aliquammultos ab ordinatione sua annos cogitavit de restauranda Ecclesia Narbonensi, quæ vi ignis consumpta fuerat. quod peractum fuit anno XIX. episcopatus ejus. Quo fortassis exemplo Gregorius Tu-

ronorum Episcopus civitatis suæ Ecclesiam *ab incendio dissolutam diruptámque, reædificatam in altiori ampliorique fastigio, septimodecimo ordinationis suæ anno dedicavit*; ut ipsemet testatur in lib. x. hist. Francor. cap. xxxi. Anno CDLII. Leo Papa ad Rusticum scripsit celebrem illam epistolam, quæ in omnium manibus versatur, missam per Hermetem Archidiaconum, cujus mentio extat in sequenti inscriptione, quique dein Narbonensis Episcopus fuit post Rusticum.

VI. Supereſt ut fidem nostram liberemus, & ut ostendamus initia sedis Rustici incidere in annum quadringentesimum trigesimum. Hujus rei illustre testimonium extat in veteri Inscriptione Narbonensi, quam, licèt ab aliis edita jam fuisset, nos tamen ex ipso lapide antiquo dedimus emendatiorem in Notis ad Salvianum, & nunc heic rursùm edendam esse censuimus. Res enim tanti momenti est ut vel alieno loco illustrari debeat; cùm ejus ope, quod est rarissimum in ea antiquitate, nullo negotio demonstretur, non solùm annus, sed etiam dies, quo Rusticus ordinatus est Episcopus Narbonensis. Eam itàque Inscriptionem heic tibi proponimus, lector; nostrámque interpretationem ea de causa addimus, quòd nondum à quoquam intellecta sit hæc Inscriptio.

✝ DŌ. ET. XPŌ. MISERANTE. LIM. HOC. C̄. L. K. T. Ē. ANNO. IIII. C̄S. VALENTINIANO. AVG̃. VI. IIKL. D̄. XVIII. ANNO. EPT̄VS. RVSTI.....
RVSTICVS. EPS. EPI. BONOSI FILIVS
EPI. ARATORIS. DE. SORORE NEPVS
EPI VENERISOCI. IN MONASTERIO
CONPRB. ECCLE. MASSILIENS.
ANNO. XV. EPTVS. SVI. D̄. ANN. V. III. ID̄ OCTB̄
C. VRSOPRBO. HERMETE. DIACO. ET EOR. SEQ̄ TIB̄
COEP. DEPON. PARIET̄. ECCL. DVD. EXVSTAE
XXXVII. D̄. QVAD. INFVNDAM. PONI. COEPI.
ANNO. II. VII. ID̄ OCTB̄ ABSID. P.E MONTANVS. SVBD. MERCED.
MARCELLVS. GALL. PRLE. CVLTOR. PRECE
EXEGIT. EPM. HOC. ONS. SVSCIP. INPENDIA
NECESSAR. REPROMITENS. QVAE PER
BIENN. ADMINIST
SVAE PREB. ARTIFI. B
SOL. ꝺC
ADOPER. ECETER. SOL. L. ꝺ
HINC. O BLAT. SCI
EPI. VENERI SOL. C....
EPI. DYNAMI. L....
ORESI. CC.....
AGROECI. I.....
ET DECONIÆ.....
SALVTI.....

Explicatio Inscriptionis.

Deo & Christo miserante, limen hoc conlocatum est anno quarto Consule Valentiniano Augusto sextum, III. Kal. Decembris, XVIIII. anno episcopatus Rustici.

Rusticus Episcopus, Episcopi Bonosi filius, Episcopi Aratoris de sorore nepus, Episcopi Veneri socius in monasterio, Compresbyter Ecclesiæ Massilienſis, anno XV. episcopatus sui, die anni quinta, III. Idus Octobris, cum Vrso Presbytero, Hermete Diacono, & eorum sequentibus, cæpit deponere parietem Ecclesiæ dudum exustæ. Trigesima septima die quad. in fundamento poni cæpit. Anno secundo, VII. Idus Octobris, absidem poni fecit Montanus Subdiaconus. Marcellus Galliarum Præfectus, Dei cultor, prece exegit Episcopum hoc onus susciperé, impendia necessaria repromittens, quæ per biennium administrationis suæ præbuit artificibus, mercedem solidorum sexcentorum, ad operas & cetera solidos mille quingentos.

Hinc oblationes sancti Episcopi Veneri solidos C ..... Episcopi Dynami L ..... Oresi CC..... Agræci mille ..... & Deconiæ ..... saluti .....

VII. Ex hac explicatione patet hoc Narbonensis Ecclesiæ recenter à Rustico constructæ limen conlocatum esse anno quarto Consule Valentiniano Augusto sextùm, ut in fronte inscriptionis legitur, hoc est, anno quadringentesimo quadragesimo octavo. Anno quippe CDXLV. Valentinianus III. iniit sextum consulatum. Itaque annus ille fuit primus sexti consulatus Valentiniani. Annos namque ab ultimo consulatu primum, secundum, tertium, &c. numerabant, quousque rursum capesserent consulatum; ut patet ex antiquis Inscriptionibus. Cùm ergo inter sextum consulatum Valentiniani, qui in annum CDXLV. incidit, usque ad septimum ejusdem consulatum, quem anno CDL. notatum reperimus, intercidant quinque anni integri, annúsque CDXLVIII. quartum omnino locum inter illos obtineat, necessariò cogimur existimare limen hoc conlocatum fuisse anno eodem quadringentesimo quadragesimo octavo.

VIII. Calculus ille chronologicus in primis necessarius erat, ut deinde faciliùs invenire possemus annum & diem quo Rusticus factus est Episcopus Narbonensis. Nam si anno quarto sexti consulatus Valentiniani agebatur annus decimus nonus episcopatus Rustici, consequens est ut affirmemus initia sedis ejus incidere in annum CDXXX. à quo usque ad annum CDXLVIII. numerantur omnino anni decem & novem. Atque id quidem satis manifestum est. Diem verò ordinationis ejus, in quo tota difficultas versatur, eruimus è difficiliori loco totius Inscriptionis, nimirum è linea illa singulari D in linea quinta primæ columnæ, ubi sic scriptum est: ANNO. XV. EPTVS. SVI. D. ANN. V. III. ID. OCTB. Linea illa multorum ingenia torsit divinare conantium. Tandem nos ejus sensum assecuti sumus ex Inscriptione ejusdem ævi quæ Narbone legitur in prægrandi fragmento columnæ rotundæ in Ecclesia sanctæ Mariæ majoris, sub altari sancti Petri, in qua sic scriptum est:

ANNO. XVII. EPISCPT. RVSTICI
ANNI. DIE. CC. LXVI. KL. IVLII.

Si parva hæc inscriptio componatur cum superiore, nullo negotio divinabimus quid per literam illam singularem D & sequentes literas intellexerit sculptor. Etenim si Kalendis Iuliis agebatur dies ducentesimus sexagesimus sextus anni decimi septimi episcopatus Rustici, dubitari non potest quin dies ordinationis ejus incidat in diem VII. Idus Octobris; à qua die usque ad Kalendas Iulias, ipsis Kalendis annumeratis, inveniuntur omnino CCLXVI. dies integri. Idem sensus est superioris Inscriptionis, cujus quintam lineam sic reddidimus: *Anno* XV. *episcopatus sui, die anni quinta, tertio Idus Octobris.* Dies enim quinta decimiquinti anni episcopatus Rustici, si initium ipsius ponatur die nona Octobris, incidit omnino in diem tertiam ante Idus Octobris.

IX. Admiror verò scriptorem Annalium Massilienſium: qui cùm Rusticum hunc Episcopum Massilienſem fuisse sibi persuasisset, atque adeo diversum eum esse à Narbonensi, id demum probare se putavit auctoritate hujus nostræ Inscriptionis. Cetera ex iis quæ dicta huc usque de illo sunt facilè colligi potest errare eos qui scribunt illum ad cathedram Narbonensem evectum esse anno quadringentesimo vigesimo septimo.

CAPVT XXXIV.

Synopsis.

I. Hilarus Papa, qui Leoni succesſit, literas de ordinatione ſua miſit ad Leontium Epiſcopum Arelatenſem, in quibus agnoſcebat auctoritatem primi Metropolitani Galliarum in Leontio. Eodem tempore Leontius Hilarum putavit inſtruendum ac monendum ut cuſtodiret canones. Quod ille pollicitus eſt.

II. Aliis literis Leontius Hilaro gratulatus eſt pontificatum, ſimúlque poſtulavit confirmationem privilegiorum Eccleſiæ Arelatenſis. Ex verbis ejus colligitur privilegia quæ tribuebantur Epiſcopo, intelligi debere data eſſe Eccleſiæ.

III. Primi Galliarum Metropolitani dignitatem in Leontio agnovit idem Hilarus in cauſa Hermetis Epiſcopi Biterrenſis, qui tranſierat ad Narbonenſem. Monarchiæ nomen in rebus eccleſiaſticis non eſt ſemper invidioſum.

IV. Hermes fuerat Archidiaconus Ruſtici Epiſcopi Narbonenſis, & ab eo ordinatus Epiſcopus Biterrenſis. Non ſuſceptus verò à Biterrenſibus, ad Narbonenſem Eccleſiam tum Ruſtici morte vacuam tranſiit. Hanc tranſlationem aliqui turbare conantur, miſſa legatione ad Hilarum Papam. Is verò Leontium redarguit quòd eam translationem non impediviſſet. Tum Hermeti adimit jus ordinandorum Epiſcoporum primæ Narbonenſis.

V. Intra quatuor & quadraginta annos variè ſe geſſerunt Romani Pontifices in eadem facti ſpecie. Quod oſtenditur per comparationem cauſæ Hermetis cum cauſa Perigenis Epiſcopi Corinthienſis.

VI. Quandonam vetitæ translationes, quandonam verò permiſſæ. Hilarus Hermetem non removet ab Eccleſia Narbonenſi, ſed adimit illi poteſtatem ordinandi Epiſcopos ſuæ provinciæ. Continuatur comparatio inter Hermetem & Perigenem.

VII. Hilarus Leontio facultatem tribuit congregandi Concilia generalia, prudentiſſimo conſilio, quòd id mallet videri uſurpatum per delegationem ſedis apoſtolicæ quàm propria auctoritate Leontij.

VIII. His ſynodis Hilarus reliquit integram can-

sarum judicium, sic tamen ut majores causæ ad apostolicam sedem referendæ essent. Quod statutum est ad exemplum auctoritatis Episcopi Thessalonicensis.

IX. De formatis literis Episcopo peregrè profecturo tribuendis à Metropolitano. Et si iste dare noluerit, liceat Episcopo illi causam suam deferre ad examen Episcopi Arelatensis.

X. Occasione temeritatis Mamerti Viennensis Episcopi, qui Diensibus invitis Episcopum ordinaverat in contemptum Leontij, jubet Hilarus ut singulis annis Concilium generale celebretur, & in proximo causa ista discutiatur. Quod factum est. Referuntur provinciæ quæ conveniebant ad synodos Episcopi Arelatensis.

XI. Refertur controversia de Ecclesiis civitatis Cemelensis & Castri Nicæensis. Explicatur locus Hilari, qui ait Ingenuum Episcopum Ebredunensem Metropolitani semper honore subnixum fuisse. Vnde collegerunt viri docti non jure egisse Hilarium Arelatensem, qui Armentarium è cathedra Ebredunensi deturbavit ea etiam de causa quòd absque auctoritate ejus se ordinari consenserat.

XII. Quæritur an synodus Arelatensis adversùs Lucidum fuerit generalis. Probabile est Lugdunensem quoque, quæ propter eandem causam habita est, fuisse generalem, adeóque à Leontio convocatam fuisse.

I. LEONE Romano Pontifice fatis concedente anno quadringentesimo sexagesimo primo, Hilarus in summi sacerdotij apice constitutus est. Eadem omnino tempestate Ravennius Arelatensem sedem vacuam fecerat, & in ejus locum substitutus fuerat Leontius. Hilari itaque Romani Pontificis & Leontij Arelatensis gestis caput istud destinatur, cùm post varios tumultus qui Leonem inter & Hilarium exarserant usque ad contumelias & jurgia, cœpisset Arelatensis Ecclesia bene sperare pro integra privilegiorum suorum restitutione, quæ pessumdata fuerant aliquatenus per auctoritatem Leonis. Ad Hilarum enim cum sede non transierunt decessoris iræ animique. Contrà, statim atque locatus est in sede Petri, literas de ordinatione sua secundùm morem scripsit ad Leontium, & quidem iis verbis usus quæ probant illum agnovisse in Leontio auctoritatem primi Galliarum Metropolitani. Nam ei committit curam significandi ordinationem suam omnibus per universam Galliam Episcopis. Interim Leontius Pappolum misit ad Hilarum, primùm gratulaturus ei, ut puto, tantam dignitatem, deinde conquesturus quòd prætermissa consuetudine ad ipsum non scripsisset de sua ordinatione, postremò ut ipsum admoneret custodire paternorum canonum regulas, ut una esset *in omnibus*, id est, ubique, observantia ecclesiasticæ disciplinæ. Addidit autem Leontius, missurum se ad Hilarum personam quæ de omnibus ipsum instrueret. Ista non per superbiam accepit Hilarus, neque ut is qui putaret Leontium excedere limites reverentiæ; sed scripta ad eum dignissima successore piscatoris epistola, primùm quidem deprecatus est ne sibi imputaret contemptum consuetudinis, non id aliqua culpa sua factum esse, sed nuncij tarditate. defunctum enim se jampridem officio illo fuisse. Spondit deinde servaturum se canones, & auxiliante gratia Dei provisurum universali concordiæ sacerdotum Domini. Insigne visum est earum literarum initium referre, ex quo intelligemus Summum hunc Pontificem peculiari amore prosecutum esse Gallicanas Ecclesias omnésque in eis Domini sacerdotes ante adeptum pontificatum. Sic ergo loquitur ille in veteri codice M S. Bibliothecæ Regiæ, meliùs profectò quàm in vulgatis editionibus, *Dilectioni meæ, qua circa Ecclesias Gallicanas omnésque in eis Domini sacerdotes etiam in inferiori gradu positus abundavi, multum accedit augmenti quòd per virum spectabilem Pappolum filium nostrum sermonis tui ad me sunt delata principia.*

II. At non unam de eo argumento epistolam ad Hilarum scripsit Leontius. Nam præter eam cui hoc loco respondet Summus Pontifex, alia quoque Leontij gratulatoria ad ipsum data non ita pridem edita est à clarissimo & optimo viro Domno Luca Dacherio monacho Benedictino. Post maximam Tom. 1. Spicil. pag. 576. verò gratulationem & hortationem ut ea perduceret ad felicem exitum quæ à Leone bene cœpta erant adversùs hæreticos, demum ista subjungit de confirmatione privilegiorum Ecclesiæ Arelatensis : *Ceterum cùm Ecclesia nostra Arelatensis semper ab apostolica sede amplis favoribus & privilegiis fuerit decorata, rogamus sanctitatem tuam ut per eam nihil nobis decedat, sed potiùs augeatur; ut & collaborare tecum in vinea Domini Dei Sabaoth valeamus & invidorum conatus infringere; quos, si non esset auctoritas reprimens, certum est de die in diem grassaturos in pejus, qui a malitia quinos oderunt ascendit semper.* Ex hoc loco discimus ea persuasione imbutum fuisse seculum illud, ut putaret Ecclesiæ dari privilegium quod Episcopo tribuebatur, tametsi verba privilegij de solo Episcopo loqui viderentur. Istud jam multis argumentis pro Thessalonicensi Ecclesia probavimus in capite XXII. istius libri. Ad Arelatensem quod attinet, præterquàm quòd verba Leontij satis clara sunt, ex Libello etiam precum Symmacho Papæ oblato à Cæsario Arelatensi & ex epistola XI. Symmachi ad ipsum data colligimus privilegia Episcopis Arelatensibus concessa à Romanis Pontificibus, Ecclesiæ data intelligi; ut dicemus infrà. Redeamus nunc ad Hilarum.

III. Aliis ille literis manifestè agnovit in Leontio dignitatem & auctoritatem primi

Galliarum Metropolitani, in causa nimirum Hermetis Episcopi Biterrensis, qui ad Ecclesiam Narbonensem transierat post obitum Rustici, non repugnante, ut video, Leontio. De quo negotio antè quàm plura dicam, necessarium mihi videtur referre locum ex hac tertia Hilari ad Leontium epistola; ex qua colligere possumus, cùm in ea tantùm agatur de invasione Ecclesiæ Narbonensis, non dubitasse Summum Pontificem quin prima provincia Narbonensis ad curam pertineret Arelatensis antistitis. Nam hæc sunt omnino verba ejus: *Miramur fraternitatem tuam ita legis catholicæ immemorem esse ut quæ iniqua & contra patrum nostrorum statuta in provincia quæ ad monarchiam tuam pertinet, si ipse aut non vis aut non potes, etiam nec nos silentij tui taciturnitate permittas corrigere.* Ex quo interim loco discimus invidiosum non esse nomen monarchiæ in vetusto codice MS. monasterij Iurensis, cujus fragmentum retulit Chifflетius in sua Vesontione his verbis: *Siquidem antedictus Hilarius venerabilem Celidonium supradictæ metropolis Patriarcham patritio præfecturioque fultus favore, indebitam sibi per Gallias vindicans monarchiam, à sede episcopali nulla existente ratione dejecerat.* Nam & posterioribus temporibus monarchiæ vocabulum usurpabant, cùm significare volebant singularem unius Episcopi diœcesim.

IV. Hunc ego Hermetem, cujus causa heic agitur, Rustici Episcopi Narbonensis Archidiaconum fuisse puto, à quo Biterrensibus hauddubiè ordinatus fuerat Episcopus. Haud ita multò pòst Rusticus obierat. Hermes verò, qui se à Biterrensibus excluſum ac susceptum non fuisse querebatur, ad Narbonensem Ecclesiam transiit, consensu, ut ego existimo, cleri ac populi, Episcoporum comprovincialium, & ipsius etiam Leontij Arelatensis; eáque translatio sine controversia tenebat. Sed quia nihil adeo concordibus animis agi inter homines potest quod non aliquos habeat contradicentes, Frithericus quidam vir magnificus, at laicus, misso Romam Ioanne Diacono, Hermetis ordinationem in Narbonensi Ecclesia turbare studuit, ea videlicet de causa quòd contra canones ab Ecclesia sua transisset ad majorem. Faustus verò & Auxanius Episcopi Gallicani Romam eadem de causa profecti sunt ad accusandum Hermetem. His auditis Hilarus, lætus fortassis quòd occasionem haberet reddendi Leontio sua verba, eum ob istam causam redarguit, jubétque ut relationem de ea re ad se mittat sua ac ceterorum Gallicanorum Episcoporum subscriptione firmatam; *ut quid definire possimus*, inquit, *recurrenti pagina possitis agnoscere.* Tum in epistola generali ad provincias missa, multa prolocutus de atrocitate istius facinoris, demum in hæc verba erumpit: *Quibus enim, sicut etiam vos probatis, factum constat exemplis, & qua non objurgatione dignissimum est quod sanctorum patrum decretis & ipsis repugnat canonum constitutis?* Ait ergo, Hermeti, quem ecclesiasticæ quietis contemplatione non removet à sede Narbonensi, ordinandorum Episcoporum potestatem ademptam esse in Concilio Romano, & ad Constantium Vceticensem, qui ævo honoris Primas erat, esse delatam; ita tamen ut Hermete deficiente, faciendorum mos antistitum Narbonensi mox reddatur Ecclesiæ; quem non civitas sed causa præsumptionis amisit.

V. Causam Hermetis integram retuli, ut ostenderem intra quatuor & quadraginta annos variè se in eadem facti specie gessisse Bonifacium & Hilarum Romanos Pontifices. Nam cùm anno CDXIX. Perigenes Episcopus Patrensis, sed qui à Patrensibus non esset susceptus, ordinatus fuisset Ecclesiæ Corinthiensis Episcopus, eámque translationem, tanquam canonibus adversam, non tolerarent quidam Episcopi Illyriciani, re ad Bonifacium Papam delata, Bonifacij decreto confirmata est post judicium Rufi Episcopi Thessalonicensis, cujus studiis attollebatur Perigenes. Immo Bonifacius ad divinam providentiam retulit quòd à Patrensibus susceptus non fuisset Perigenes, ut in Ecclesia illa Episcopus esse posset in qua suam à cunabulis transegisset ætatem, & in ordinatoris locum succederet. Sicenim de illo scribit ad Rufum Bonifacius: *Quis renuit judicij fuisse divini ideo hunc à Patrensibus in tempore non esse receptum, & diù super præmissa Ecclesia magna deliberatione suspensum, ut hujus ovilis pastor fieret in cujus caulis suam à cunabulis transegisset ætatem? Iudicia Dei, abyssus multa. quod congruè aptamus exemplum. Et nemo crederet quod in ordinatoris aliquando locum subrogari posset, quia fuerat * ab aliis ordinatus. Non ambigo cœlestis tunc istud fuisse sententiæ &c.* Postremò eis minatur excommunicationem qui populos Achaïæ excitare dicebantur adversùs Perigenem: *In eos necesse est vigorem censuræ, qui contra nostrum post hæc nescientibus nostris incitare dicuntur populos, si perstiterint, execramus.* Itaque valuit translatio Perigenis, ceu suprà diximus. Hæc Bonifacius in gratiam Perigenis.

VI. Hilarus verò Hermetem diverso consilio studens opprimere, primò negat aliquod exemplum esse quo causa ejus adjuvari possit, nesciens hauddubiè quod ævo prædecessoris sui Bonifacij contigerat in Achaïa. Tum ait translationem ilam repugnare pa-

Vide supra cap. 22. §. 4. & cap. 24. §. 6. 13. & seqq.

Apud Holsten. in Collect. Rom. pag. 53.

* Legendum, quia fuerat alius ordinatus.

Vide supra cap. 24. §. 14. 15.

trum decretis & canonum constitutis. In quo distinguendum est. Constat enim translationes in universum vetitas esse. At si quis Episcopus ordinatus sit, non tamen receptus à populo cui præpositus est, hunc in alia civitate Episcopum fieri posse constat, modò accedat consensus Episcoporum comprovincialium. Et Bonifacius nihil heic objecerat Perigeni; immo, ut diximus, ad divinum beneficium retulerat contumaciam Patrensium. Quòd si verbis Bonifacij adversùs Hilarum uti liceret, dicere possemus judicij fuisse divini Hermetem à Biterrensibus in tempore non esse susceptum, & diù super præmissa Ecclesia magna deliberatione suspensum, ut hujus ovilis pastor fieret in cujus caulis suam à cunabulis transegisset ætatem, id est, Narbonensis, cujus Archidiaconus fuerat, in ordinatorísque sui locum aliquando subrogari posset, qui fuerat Biterrensibus ordinatus. Denique Hilarus, tamenetsi Hermetem non removeat ab Ecclesia Narbonensi, adimit illi potestatem ordinandi Episcopos primæ Narbonensis, quæ ad illum pertinebat secundùm canones; diversus nimirum à Bonifacio, qui Perigenem confirmaverat in possessione omnium jurium Ecclesiæ Corinthiensis, ut colligitur ex epistola Sixti III. ad Episcopos in synodo apud Thessalonicam congregandos. Is enim cùm præfatus esset de conservandis juribus singulorum Episcoporum Illyrici, in fine comminatur Perigeni adempturum se illi potestatem provinciæ, si, ut cœperat, Anastasij Thessalonicensis Episcopi, cui Sixtus commiserat vices suas per Illyricum, imperium detrectaret. *Noverit*, inquit, *Corinthius Episcopus sibi licentiam potestatis liberæ minimè tribuendam, si huic voluerit Ecclesiæ resistere quam sibi noverit profuisse.*

Concil. Ancyr. can. 17. Concil. Antioch. can. 16. 18.

Videsupra cap. 3. & 4.

VII. Castigato Hermete, Hilarus statim transit ad Leontium, cui vices suas delegat pro congregatione Conciliorum generalium Diœceseos Gallicanæ, valde prudenti consilio usus. Videbat enim frustra fuisse decreta decessoris sui Leonis, qui edixerat uti suis unaquæque provincia Conciliis contenta esset, néve ultrà Hilarius Arelatensis Episcopus synodos generales auderet indicere. Frustra, inquam. Etenim post epistolam Leonis diversarum provinciarum Episcopi convenerant ad ordinationem Ravennij; & Ravennius cupiens componere perturbatum Lirinensis insulæ statum, epistolam generalem scripserat ad Episcopos Gallicanos, qua eos evocabat ad Concilium in civitate Arelatensi celebrandum, cui interfuerunt Episcopi diversarum provinciarum. Videns itaque ista Hilarus, ac sciens præterea Arelatenses Episcopos privilegium illud congregandarum synodorum ad se traxisse in consequentiam mandatorum Patroclo datorum à Papa Zozimo, maluit id deinceps usurpari quasi per delegationem sedis apostolicæ, quàm ab Arelatensi Episcopo tentari propria auctoritate. Nam licèt ille omnium primus eam auctoritatem Arelatensi Ecclesiæ dedisse reperiatur, non tamen existimandus est ei dedisse initium, quandoquidem diù ante pontificatum ejus Hilarius & Ravennius absque delegatione speciali Romani Pontificis congregaverant synodos generales ex provinciis Gallicanis. Ergo cùm durum videretur Hilaro ista fieri etiam invita sede apostolica, optimum factu judicavit si constitutionem ea de re publicam emitteret; ut cùm deinceps ad Arelatensis Episcopi arbitrium synodus intra Gallias congregaretur, intelligerent omnes istud fieri ex delegatione sedis apostolicæ, non propria istius auctoritate. In epistola itaque generali ad Episcopos Gallicanos scripta, quæ Edicti speciem præfert, ita loquitur: *Per annos itaque singulos, ex provinciis quibus potuerit congregari, habeatur episcopale Concilium, ita ut opportunis locis atque temporibus secundùm dispositionem fratris & coëpiscopi nostri Leontij, cui sollicitudinem in congregandis fratribus delegavimus, Metropolitanis per literas ejus admonitis celebretur; ut si quid usquam vel in ordinandis Episcopis, vel Presbyteris, aut cujuslibet loci Clericis faciendis, contra præcepta apostolica reperitur admissum, aut in eorum conversatione quippiam reprobatur, communi omnium auctoritate resecetur.* Ideo autem dixit Hilarus, *ex provinciis quibus potuerit congregari*, quia providebat dissipationem Galliarum earundémque in diversa regna sectionem obstituras communicationi Episcoporum inter se. Iam enim Franci, Gotthi, Burgundiones majorem Galliarum partem ab Imperio Romano distraxerant; qui fortassis ægrè laturi erant Episcopos provinciarum suarum finibus educi, ut Arelatem se conferrent urbem Romani Imperatoris imperio subjectam, ubi miscere consilia poterant adversùs novum Galliarum statum.

Videsupra cap. 3. & 4.

VIII. Integrum verò causarum judicium relinquit Hilarus istiusmodi synodo, sic tamen ut si quæpiam causa incidat quæ ob sui gravitatem provinciali nequeat examine definiri, relatio mittatur ad sedem apostolicam. *In dirimendis sanè gravioribus causis*, inquit, *& quæ illic non potuerint terminari, apostolicæ sedis sententia consulatur.* Constituta autem ista fuerunt ad exemplum mandatorum quæ Thessalonicensibus Episcopis data fuerant à sede apostolica, quemadmodum suprà monuimus in capite XXIX. cùm de Zozimi rescriptis

reſcriptis agebatur. Vt vel hinc intelligere poſſimus plurimam lucem cauſæ Arelatenſis Eccleſiæ attuliſſe ſtabilitam ſemel auctoritatem Epiſcopi Theſſalonicenſis, ad cujus exemplum Arelatenſis Epiſcopi poteſtas formata eſt.

IX. Capite ſequenti aliud jus Arelatenſi Epiſcopo tribuitur; nimirum ut ſi Metropolitanus quiſpiam, propter aliquam fortaſſis ſimultatem, comprovinciali ſuo Epiſcopo peregrè profecturo dare noluerit litteras formatas, abſque quibus quemquam egredi provincia vetat, liceat Arelatenſi Epiſcopo cum duobus Metropolitanis provinciarum quæ contiguæ ſunt cuncta diſcutere, & pro cauſæ qualitate obſervanda conſtituere. Quibus verbis Arelatenſi Epiſcopo tribuitur poteſtas decernendi, cum conſilio tamen duorum Metropolitanorum.

X. Anno dein quadringenteſimo ſexageſimo tertio Hilarus Papa ſcribens ad eundem Leontium, adversùs Mamertum Epiſcopum Viennenſem, qui invitis Dienſibus Epiſcopum conſecrare præſumpſerat, ídque in parte provinciæ à qua eum depulerant reſcripta Leonis, renovat decretum de celebrando ſingulis annis univerſali Galliarum Concilio; jubétque ut in tali proxima ſynodo præſidens pro jure ſuo Leontius quæ ſunt acta diſcutiat, & à Mamerto rationem facti ſui ſub univerſo cœtu fraternitatis exigat, ac deinde omnium literis notitiæ Hilari iſta referat, ut ipſe quod ſancto dictante Spiritu fuerit faciendum ad comprimendos actus illicitos ordinet. Coacta ſynodus ad Hilarum plenè reſcripſit Mamertum, inſuperhabita diviſione provinciæ à Leone decreta, & contempto Leontio, Dienſibus Epiſcopum dediſſe contrà quàm ei licebat. Hunc contemptum Leontij, cujus moderationem in hac cauſa valde commendat, ægrè tulit Hilarus; non ſecùs ac Bonifacius, quem Illyricianos Epiſcopos ob Rufi Theſſalonicenſis contemptionem caſtigaſſe ſuprà vidimus. Præcipit deinde Mamertum conveniri per Veranum Epiſcopum Lugdunenſem, eíque culpam hanc condonari, ſi pollicitus fuerit ſe nihil tale deinceps facturum. Quòd ſi in contumacia duraverit, ad Arelatenſem Eccleſiam eædem quatuor civitates revertantur quarum Mamertus non fuerat ordinatione contentus. Illius verò qui licèt indebitè Dienſibus ordinatus erat Epiſcopus ſacerdotium relinquit arbitrio Leontij, ut ejus judicio dignitatem ſibi collatam aut retineat aut amittat. Quod rurſum repetit in epiſtola ad Epiſcopos provinciarum Viennenſis, Lugdunenſis, Narbonenſis primæ & ſecundæ, & Alpinæ, quarum Epiſcopi tum hauddubiè conveniebant ad ſynodum Leontij Epiſcopi Arelatenſis, quemadmodum eos ſuprà conveniſſe vidimus ad Concilia Hilarij.

XI. Supereſt ut heic agamus de cauſa Ingenui Ebredunenſis, & Auxanij Aquenſis, qui tum acriter contendebant de Eccleſiis civitatis Cemelenenſis & caſtri Nicænſis, quæ Leonis Papæ decreto unitæ erant, in quarum verò una, Nicænſi nimirum, ut opinor, Auxanius Epiſcopum conſtituerat cum auctoritate Papæ Hilari: ad quem cùm delata propter hoc facinus fuiſſet Ingenui querela, ſtatuit ille ut cuſtoditis omnibus quæ ſuper Eccleſiis Cemelenenſis civitatis vel caſtelli Nicænſis à Leone definita fuerant, nihil Eccleſiarum juri noceret ordinatio novi Epiſcopi præſumpta ab Auxanio, ſed ſtatutæ correctionis forma permaneret ut ad unius antiſtitis regimen prædicta loca reverterentur; ita nempe (ſic enim intelligendus omnino eſt Hilarus) ut Epiſcopus ille ordinaretur ab Epiſcopo Ebredunenſi, ad cujus metropolim pertinebat Cemelenum in provincia Alpium maritimarum ſitum. In epiſtola porrò illa ait Hilarus Ingenuum Ebredunenſem Alpium maritimarum provinciæ Metropolitani ſemper honore ſubnixum fuiſſe. Vnde colligunt viri docti non jure egiſſe Hilarium Arelatenſem, qui Armentarium è cathedra Ebredunenſi deturbavit ea etiam de cauſa quòd abſque ejus auctoritate, qui Metropolitanus erat, ſe ordinari conſenſerat. Veruntamen metropolitica illa Hilarij Arelatenſis auctoritas non impediebat quin Ebredunenſis etiam Epiſcopus eſſet Metropolitanus, juréque metropolitico uteretur in provincia Alpium maritimarum; excepto tamen ordinationum jure, quod ad ſe revocabat Hilarius tanquam ad primum Galliarum Metropolitanum. Quòd ſi omnium per Gallias Epiſcoporum ordinationes ad ſe pertinere debere putabat Hilarius, planum eſt potiori jure contendiſſe cum ejus auctoritate ordinari debuiſſe Metropolitanos, qui alium ſuper ſe Epiſcopum non habebant, qui eorum electionem examinaret, quàm Metropolitanum Arelatenſem. Quanquam ſi quis heic vellet movere controverſiam, poſſet non infulsè affirmare eum non eſſe verborum Leonis ſenſum qui prima fronte occurrit, ſed explicanda ea eſſe ſecundùm jus quod ex decreto ejuſdem Leonis Theſſalonicenſi Epiſcopo competebat in ordinationibus Epiſcoporum Illyricianorum; nimirum ſic Hilarium ordinationes ſibi omnium per Gallias ſacerdotum vindicaſſe, ut non antè ordinari poſſent quàm de electione eorum relatio ad eum facta fuiſſet à Me-

Vide Marcam in lib. de Primat. §. 73.

Vide ſuprà cap. 16. §. 7.

tropolitano provinciæ, ac Metropolitanorum etiam ordinationem omnino auctoritate ejus fieri debuisse. Quod nihil adimit de potestate Metropolitanorum in suis provinciis, modò præscriptum sibi modum servent; ut patet ex epistola sancti Leonis ad Anastasium.

XII. Stabilita semel auctoritate Leontij per provincias Gallicanas, nihil vetat quin viri eruditi existimare possint synodum quæ adversùs Lucidum Presbyterum Arelate convenit anno CDLXXV. fuisse generalem; præsertim cùm ei subscripsisse reperiantur aliquot Episcopi finitimarum provinciarum, & inter hos, Patiens Lugdunensis, & Euphronius Augustodunensis. Suspicari præterea possunt synodum Lugduni eodem anno celebratam in causa ejusdem Lucidi, Leontij auctoritate coactam fuisse, illúmque in ea præsedisse secundùm datam ipsi formam à Papa Hilaro. Sed in re adeo obscura nihil affirmare ausim, donec major lux affulgeat.

CAPVT XXXV.

Synopsis.

I. Æonius successit Leontio, ut colligitur ex epistola Ruricij Episcopi Lemovicensis ad Æonium. Probabile est istum quoque usum esse ampla illa potestate in cujus possessione fuerant prædecessores ejus.

II. Moriens autem Æonius, successorem suum designavit Cæsarium, qui plurimis Conciliis generalibus præfuit.

III. Concilium Agathense congregatum est permissu Regis Alarici & sollicitudine auctoritatéque Cæsarij. Probatur multis rationibus & testimonio Ruricij ad Cæsarium.

IV. Similis huic locus apud Hieronymum, qui refertur.

V. Cæsarius præfuit Concilio Agathensi, eique primo loco ante omnes Metropolitanos subscripsit. Nimirum ob vices apostolicæ sedis. Edixit synodus uti singulis annis synodus generalis haberetur, cujus congregandæ curam reliquit Cæsario. Qui sint Hispani Episcopi in epistola Ruricij. Synodus Tolosana, quam in sequentem annum destinaverat Cæsarius, habita non fuit.

VI. Aliam aliquot pòst annis synodum generalem intra Gallias congregavit Cæsarius, ex qua scripsit ad Papam Symmachum de his quæ in Concilio illo decreta fuerant.

VII. Cæsarius ad eum mittit qui peterent confirmationem privilegiorum Ecclesiæ Arelatensis. Refertur libellus precum ab iis porrectus Symmacho.

VIII. Expenduntur verba istius libelli, ex quibus multa notatu digna colliguntur.

IX. Symmachus ita confirmavit privilegia Ecclesiæ Arelatensis ut ceterarum Ecclesiarum privilegia diceret esse servanda. Ejus interim auctoritatem extendit in provinciam Hispaniam. Majores causæ ad sedem apostolicam referendæ. Itaque Episcopi Galliæ & Hispaniæ in regno Gothorum existentes pertinebant ad ordinationem Episcopi Arelatensis.

X. Minatur Symmachus abstentionem Episcopis Gallicanis, si detrectaverint accedere ad Concilia quæ auctoritate Episcopi Arelatensis fuerint congregata. Metropolitani vocabulo intellexit Arelatensem.

XI. De necessitate accipiendarum formatarum ab Episcopo Arelatensi.

XII. Pallium Cæsario concessum à Symmacho. Cyprianus auctor vitæ Cæsarij emendatur. Metropolitani Galliarum dignitas.

XIII. Eximiam illam dignitatem in Cæsario agnovit Hormisdæ, qui ad eum scripsit de sua ordinatione. Emendatur alia Hormisdæ epistola, in qua omissum est nomen Episcoporum Scythiæ.

XIV. Enumerantur aliæ synodi in quibus Cæsarius præsedit. Causa Contumelioſi Episcopi Reiensis judicata est in Concilio generali. Emendatur epistola Agapeti ad Cæsarium, quæ gravi mendo laborat in editionibus.

I. LEONTIO Arelatensi Episcopo proximè successit Æonius, ut docet Ricius Episcopus Lemovicensis in epistola gratulatoria ad illum data in initiis ordinationis ejus. *Agnito*, inquit, *transitu sanctæ & venerabilis apud me recordationis Domini mei decessoris vestri Leontij, animo & mente confusus, diù multùmque tristatus sum; quòd & impedientibus peccatis meis tanto antistiti occurrere non merueram, & tali essem parente privatus.* Et infrà: *Nunc verò, ut dicere instituera[m], accersione ipsius Domini mei & apostolatus vestri ordinatione comperta, ad officium vestrum mittere cogitabam.* Hinc ergo patet falli eos qui Ioannem collocant inter Leontium & Æonium. Ceterùm non invenio istum quicquam notatu dignum egisse quo probari possit ipsum quoque usum esse per Gallias auctoritate illa in cujus possessione erat Leontius. Ex regula tamen heic à nobis toties proposita affirmare licet ad ipsum cum sede transisse vetera privilegia, tametsi clara & aperta istius rei testimonia non exstent, adeóque illum decessoribus suis non fuisse minorem. Nam in epistola Papæ Gelasij ad ipsum scripta anno CDXCIV. exstat aliquod vestigium, licèt valde tenue, generalis sollicitudinis Æonij; cui, ceu Vicario sedis apostolicæ & primo Galliarum Metropolitano, ea cura committitur, ut Gallicanos Episcopos certiores faciat vigere inter ipsos & sedem apostolicam alternæ viscera gratiæ. Omisso itaque Æonio, veniendum est ad Cæsarium, hominem primarum in republica partium, & qui vicariam Arelatensium Episcoporum dignitatem extulit in immensum.

II. Erat Cæsarius patria Cabillonensis in provincia Lugdunensi prima. Tyrocinia pietatis in monasterio Lirinensi posuit admodum juvenis. Inde verò abductus ab Æonio concive suo, primùm ordinatus ab eo est Diaconus, deinde Presbyter. Aliquantò pòst Æonius sentiens imminere sibi supremum diem, clerum & populum civitatis ad se vocans, admonuit illos de Cæsario post mortem

ſuam eligendo; dein *& ipſos dominos rerum* (Alaricum videlicet Vviſigotthorum, ut ego interpretor, & Theodericum Oſtrogotthorum Reges) *per internuntios* oravit, quemadmodum docet auctor vitæ Cæſarij, ne alium quàm Cæſarium in Arelatenſi Eccleſia Epiſcopum conſtituerent. Quod & factum eſt. Hunc ego virum reperio primum ubique locum tenuiſſe inter Epiſcopos Gallicanos, & plurimis Conciliis generalibus præfuiſſe, in primis autem celeberrimo Concilio Agathenſi in prima Narbonenſi, ad quod convenerunt Epiſcopi octo provinciarum regni Gotthici, Arelatenſis nimirum, Alpium maritimarum, Narbonenſis primæ & ſecundæ, Aquitaniæ primæ & ſecundæ, Novempopulaniæ, & tertiæ Lugdunenſis. Nullus Epiſcopus aderat ex provincia Viennenſi, tametſi propinqua valde eſſet, quia Vienna tum erat in regno Burgundionum.

III. Magnum illud Concilium permiſſu Regis Alarici congregatum eſſe conſtat ex præfatione ejus. Quæri autem poteſt qua auctoritate evocati fuerint Epiſcopi, utrum per præceptionem regiam, an verò per tractoriam Cæſarij Epiſcopi Arelatenſis, ad quem ex veteri conſuetudine, & canone eccleſiaſtico, privilegióque præterea apoſtolicæ ſedis, pertinebat arbitrium & poteſtas congregandorum Conciliorum ex provinciis Gallicanis. Primò dici poſſet eam in ſe curam traxiſſe Cæſarium, qui de celebranda ſynodo cogitaverat in ſeceſſu Burdigalenſi, ut docet Ruricius Lemovicenſis ad illum ſcribens. Exiſtimandum præterea eſt Alaricum, bonum alioqui Principem, & catholicis Epiſcopis, tametſi ipſe Arrianus eſſet, admodum favorabilem, non turbaſſe ordinem in Gallia conſtitutum, atque adeo illibatam Cæſario ſervaſſe auctoritatem ſuam. His argumentis probari poſſe puto ſynodum Agathenſem congregatam fuiſſe auctoritate litterarum Cæſarij, quas ille miſit ad ſingulos Epiſcopos regni Gotthici. Sed ut non egeamus argumentis facit teſtimonium ejuſdem Ruricij: qui ſe excuſans apud Cæſarium quòd Agathenſi Concilio non interfuiſſet, primùm quidem abſentiam ſuam imputat infirmæ atque ægræ valetudini, tum accuſat tabellarium, cujus culpa factum erat ut Cæſarij literæ, quibus eum evocabat ad ſynodum in Agathenſi urbe celebrandam, tardiùs ad eum pervenirent. Elegans eſt hic locus, & in primis dignus referri, utpote ab homine ſcriptus qui ſe ſciret Epiſcopum eſſe. *Si ad tempus aliud*, inquit, *quod intimatis*, (nimirum ad ſynodum in Toloſana urbe celebrandam anno ſequenti, de qua ad Ruricium reſcripſerat Cæſarius) *ſi Deus vitam ceſſerit, venire vultis, nobis per hominem veſtrum maturiùs indicetis: quia literas veſtras ad me modò tardiſſimè veniſſe ſignifico; tametſi nos pro dignitate, vel pro ætate, non debemus tardiùs quàm alij commoneri, qui fortaſſe (ut minùs prudens dicam) merebamur ambiri. Quia ſi aliis nomen urbium præſtat auctoritas, nobis auctoritatem demere non debet urbis humilitas. Siquidem multò melius multòque eminentius eſt civitatem de ſacerdote quàm ſacerdotem de civitate noſcere.*

IV. Hunc locum, qui corruptus eſt in editione Henrici Caniſij, nos olim correximus ex ingenio. Ceterùm non præteribo iſtum Ruricij locum quin illi adjungam alium vulgatiſſimum Hieronymi locum ex epiſtola ad Evagrium, qui ſic habet: *Vbicunque fuerit Epiſcopus, ſive Romæ, ſive Eugubij, ſive Conſtantinopoli, ſive Rhegij, ſive Alexandriæ, ſive Thanis, ejuſdem eſt meriti, ejuſdem eſt ſacerdotij. Potentia divitiarum & paupertatis humilitas vel ſublimiorem vel inferiorem Epiſcopum non facit. Ceterùm omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſunt.* Nunc ad rerum ordinem redeo.

V. Concilio igitur Agathenſi præfuit Cæſarius, in quo multa conſtituta ſunt utiliter in publicum, eíque primo loco ante omnes Metropolitanos ſubſcripſit, tametſi in aliena provincia, & Cypriano Burdegalenſi, ut arbitror, ordinatione poſterior. Quæ indicant extraordinaria quadam auctoritate id factum eſſe, nimirum ob vices apoſtolicæ ſedis. Porrò cautum eſt canone LXXI. uti ſynodus, nimirum generalis, ſecundùm conſtituta patrum, id eſt, Hilari Papæ & ſequentium haud dubiè Pontificum, annis ſingulis congregaretur. Curam verò & auctoritatem eligendi locum quò convenire deberent Epiſcopi in ſequenti ſynodo, tum etiam eos evocandi, relictam Cæſario fuiſſe, prout par erat, colligitur ex epiſtola Cæſarij ad Ruricium; in qua conquerens de abſentia ejus, ſimúlque eum redarguens quòd perſonam non direxerit vice ſua, demum addit Toloſam delectam eſſe celebrando futuro Concilio: *Indico pietati veſtræ quia filius veſter Eudomius, ſi potuerit, hoc elaborare deſiderat, ut ſuperveniente anno Toloſæ ſynodum Chriſto propitio habeamus; ubi etiam, ſi potuerit, Hiſpanos vult Epiſcopos convenire.* De Hiſpanis Epiſcopis quod ait, intelligendum eſt de his qui in ea Hiſpaniæ parte conſtituti erant quæ Gotthico imperio parebat, hoc eſt, in Hiſpania citeriori. Itaque optabat Eudomius alium anno ſequenti Epiſcoporum conventum agi, in quo, præter Epiſcopos Gallicanos, intereſſent etiam Epiſcopi Hiſpani, Vrgellenſis videlicet, Gerundenſis, Barcinonenſis, & reliqui illarum partium. Nam eos ſuæ non ita multò pòſt auctoritati ſubjicere curavit Cæſarius, ut

ſtatim dicetur. Ceterùm ſynodum illam Toloſanam non fuiſſe habitam certum eſt, turbatis nimirum Gotthorum rebus, & furentibus poſt extinctum Alaricum belli reliquiis; quo præterea mortuo, Toloſa victricibus Clodovei armis ceſſit, ab imperio Gotthorum diſtracta. Vix autem eſt ut inter arma ſubeat cogitatio congregandorum ſacerdotum. Et fortaſſis hæc mala providebat Cæſarius, cùm reſcriberet ad Ruricium de conſilio Eudomij, orans eum precibus ſuis ageret apud Deum uti tam ſancto propoſito favere velit pro ſua erga Eccleſiam benignitate. *Et ideo orate*, inquit, *ut tam ſancto deſiderio ſuo Dominus tribuere dignetur effectum.* Falluntur ergo qui putant Concilium illud Toloſanum à Cæſario fuiſſe convocatum.

VI. Romanæ tum Eccleſiæ præſidebat Papa Symmachus, vir Gallicanis Epiſcopis acceptiſſimus. Pacatis poſt Clodovei victorias & mortem rebus Gotthorum, qui ultra Carcaſſonem latè in provincia Narbonenſi & Hiſpania citeriori imperium tenebant, Cæſarius congregata alicubi ſynodo, ut ego arbitror, anno DXIII. ex ea ſcripſit ad Symmachum de iis quæ in Concilio illo decreta fuerant, ab eo petens ut decreta illa obſervari præciperet in Eccleſia Romana, ut una diſciplinæ forma eſſet in Romana Eccleſia & in provinciis Gallicanis. Quòd autem exiſtimem Cæſarium iſta ſcripſiſſe ex ſynodo quapiam, hoc facit, quòd de rebus conſtitutis loquitur in averſione, ut ſolent epiſtolæ ſynodicæ, & ſemper loquitur in numero plurali, *Poſtulamus, depoſcimus, ſuggerimus.*

VII. Sequenti anno Cæſarius ad Symmachum miſit Ægidium Abbatem & Meſſianum Notarium, nomine ejus petituros confirmationem privilegiorum Eccleſiæ Arelatenſi ab apoſtolica ſede conceſſorum. Illi verò petitionem ejus his verbis conceperunt: *Quantum in omnibus Eccleſiarum Pontificibus, quæ in toto orbe diffuſæ ſunt, apoſtolica ſedes ſibimet vindicat principatum, & ſynodalibus decretis firmior ejus præcellit auctoritas, tantum poteſtatis ſuæ proviſione dudum à ſeſe conceſſa debet inconcuſſa ſervare, quatenus Arelatenſis Eccleſia fruatur privilegiis ſuis; quæ nunc per antiſtitem Cæſarium ſeriem ſuæ petitionis inſinuat, & quam hactenus habuit poteſtatem veſtra depoſcit auctoritate firmari; ut quod veneranda ſedes quondam perenni ſanctione cuſtodiri præcepit, & pragmaticis ſpecialiter decreta ſunt conſtitutis, beatitudinis veſtræ præceptis ſuis etiam nunc confirmet auctoritas. Aquenſis etiam civitatis Epiſcopum ſanctitatis veſtræ moneri præcipite conſtitutis ut dum à Metropolitano antiſtite Eccleſiæ Arelatenſis ad ſynodale Concilium fuerit evocatus, vel aliqua ordinationis cauſa eum ſibi poſtulet religio divina neceſſarium, minimè venire fruſtretur. quatinus ea quæ longævis ſeculis priſcorum ſanxit auctoritas, vobis præſulibus præſenti futuræque ætati inviolata ſerventur.*

VIII. Ex hoc libello precum nonnulla colliguntur notatu digna. Primò, contendiſſe Cæſarium privilegia Arelatenſis Eccleſiæ fuiſſe perenni ſanctione decreta à Pontificibus Romanis. Vnde patet parem in hoc eſſe cauſam Eccleſiæ Arelatenſis & Theſſalonicenſis, & quæ ſuprà dicta ſunt de privilegiis Eccleſiæ Theſſalonicenſis, quòd perpetua eſſent, trahi debere ad Arelatenſem. Deinde, privilegia Arelatenſis Eccleſiæ pragmaticis ſpecialiter decreta fuiſſe conſtitutis, id eſt, Principum edictis & reſcriptis. quæ tamen hodie non extant. Demum, Cæſarium non petiiſſe ſtatim confirmationem privilegiorum Eccleſiæ ſuæ, ſed quo primùm tempore paſſus contradictionem eſt ab Epiſcopo Aquenſi ſecundæ Narbonenſis Metropolitano, qui recuſabat ire ad Concilia Cæſarij. Itaque ſi ea occaſio non incidiſſet, abſtinuiſſet fortaſſis Cæſarius à petenda confirmatione; ac nihilominus uſus fuiſſet auctoritate ſedis ſuæ, qua eum uſum vidimus diù ante hunc annum. Nam & antea Pallium, quod erat inſigne Vicariorum ſedis apoſtolicæ, Romæ acceperat à Symmacho; ut ſtatim dicetur.

IX. Accepto libello, Symmachus ad Cæſarium reſcripſit rationabile eſſe ut ſancta Arelatenſis Eccleſia propriis privilegiis perfruatur, & quod vetuſtas præſtitit, & patrum auctoritas roboravit, novam non debere violare præſumptionem. (Quod dictum eſſe adversùs Epiſcopum Aquenſem dubitare non ſinit libellus precum.) ſervanda tamen eſſe ceterarum Eccleſiarum privilegia. Tum addit: *Manentibus ſiquidem his quæ patrum conſtituta ſingulis Eccleſiis conceſſerunt, decernimus ut circa hæc quæ tam in* Gallia *quàm in Hiſpania provinciis de cauſa religionis emerſerint ſolertia tuæ fraternitatis invigilet; & ſi ratio poposcerit præſentiam ſacerdotum, ſervata conſuetudine unuſquiſque tuæ dilectionis admonitus auctoritate conveniat.* Hæc Symmachus, novum jus Arelatenſi Epiſcopo tribuens quoad Hiſpaniam provinciam, id eſt, eam Hiſpaniarum provinciam quæ in regno Gotthorum conſtituta erat; in quam imperium ſuum proferre cogitaverat Cæſarius ante conſtitutionem Symmachi, ut ſuprà vidimus. Decernit autem ut ſi controverſia incidens amputari potuerit in Concilio Cæſarij, Dei hoc meritis applicetur. alioquin exiſtentis negotij qualitas ad ſedem apoſtolicam Cæſario referente perveniat. Quod conſtitutum eſt juxta ſuperiorum Pontificum ret-

cripta, qui tum demum ad apostolicam sedem deferri voluerunt cognitionem causarum ab Episcopis Thessalonicensibus & Arelatensibus, si post examen provinciale causa definiri non potuerit coram Vicario sedis apostolicæ. Ad hanc porrò epistolam respiciens Hormisda Pontifex Romanus, de Dardaniæ, Illyrici, & Scythiæ Episcopis ad communionem sedis apostolicæ reversis scribens ad Episcopos Galliæ & Hispaniæ, epistolam suam dirigit Cæsario & his qui sub ejus ordinatione consistunt. Quibus verbis intellexit, ut dixi, Episcopos Galliæ & Hispaniæ, qui ad ordinationem Arelatensis Episcopi pertinebant, & ad ejus Concilia venire tenebantur. Idem enim est, ut observat infrà illustrissimus Archiepiscopus, ad synodum Patriarchæ alicujus aut ad ordinationem ejus pertinere.

Vide infrà lib. 6. cap. 4. n. 6.

X. Minatur deinde Symmachus abstentionem Episcopo Aquensi & ceteris, si derectaverint accedere ad Concilia quæ auctoritate Episcopi Arelatensis fuerint congregata. Hæc sunt ejus verba: *Et si tam Ecclesiæ Aquensis antistes, vel alius quilibet, Metropolitano Pontifici juxta canonum definitionem evocatus obtemperare noluerit, noverit subdendum se, quod non optamus; ecclesiasticæ disciplinæ.* Heic duo quædam observanda sunt. Primò, Symmachum Metropolitani vocabulo intelligere Arelatensem, quòd is esset primus Galliarum Metropolitanus, ut suprà dictum est. Secundò, affectatum ab eo esse hunc loquendi modum, ut ostenderet auctoritatem convocandi generalia Galliarum Concilia competere Episcopo Arelatensi, non solùm ex privilegio sedis apostolicæ & ex veteri consuetudine, sed etiam secundùm canonum definitionem. Nam canones decernunt uti cùm quis Episcopus ad Concilium evocatus fuerit à Metropolitano, adesse ne differat, nisi fortassis ægra valetudine aut alia justa causa impediatur.

XI. Postremò renovat Symmachus decretum Zozimi de necessitate accipiendarum formatarum ab Episcopo Arelatensi. quod decretum observari jubet ab omnibus ecclesiastici ordinis atque officij viris qui è Gallicana vel Hispania regione Romam proficisci voluerint. Hæc sunt ejus verba: *Et in hac parte magnopere te volumus esse sollicitum, ut si quis de Gallicana vel Hispania regionibus ecclesiastici ordinis atque officij ad nos venire compulsus fuerit, cum fraternitatis tuæ notitia iter peregrinationis arripiat; ut nec honor ejus per ignorantiam aliquam contumeliam patiatur, & ambiguitate depulsa à nobis animo securo in communionis gratiam possit admitti.* Huic loco lucem afferent ea quæ suprà dicta sunt cap. XXX. §. 1 v. si lector ea consulenda tanti esse putaverit.

Vide infrà cap. 36. §. 7.

XII. Quæri posset hoc loco quonam modo factum sit ut in hac Symmachi epistola, qua privilegia Arelatensis Ecclesiæ & vicariatus apostolicæ sedis continentur ac confirmantur, nulla extet mentio Pallij Cæsario concessi à Symmacho, quod tamen eum ab illo accepisse testatur Papa Vigilius in epistola secunda ad Auxanium Episcopum Arelatensem. *Et quia digna credimus ratione compleri*, inquit Vigilius, *ut agenti vices nostras Pallij non desit ornatus, usum tibi ejus, sicut decessori tuo prædecessor noster sanctæ recordationis Symmachus legitur contulisse, beati Petri functi auctoritate concedimus.* Docet itaque Vigilius collatum Cæsario Pallium fuisse à Symmacho. Immo ex verbis Vigilij colligitur traditionem illam Pallij factam fuisse per epistolam, *Symmachus legitur contulisse.* Et tamen in epistolis quæ nunc extant Symmachi ad Cæsarium nulla Pallij mentio facta reperitur. Vnde fortassis concludi debet non extare hodie omnes epistolas quæ à Symmacho datæ sunt ad Cæsarium. Ad Pallium quod attinet; nulla illius mentio est in epistolis Symmachi quæ supersunt, quòd illæ datæ sint diù pòst quàm Cæsarius ab illo Pallium acceperat. Acceperat enim anno quingentesimo decimo, cùm post obsidionem Arelatensem sub publica custodia perductus in Italiam, Romam tandem venisset. Tum enim Pallium ei tributum fuisse docet Cyprianus in ejus vita, quam vir clarissimus Domnus Ioannes Mabillon monachus Benedictinus nuper restituit ex veteri codice manu scripto: *Papa Symmachus, tanta meritorum ejus dignitate permotus, non solùm verissimè eum Metropolitani honore suspexit, sed & concesso specialiter Pallij decoravit privilegio.* Cyprian. in vita Cæsarij lib. 1. cap. 33.

Ceterùm heic adnotandum est in hoc Cypriani loco non agi simpliciter de honore metropolitico Ecclesiæ Arelatensis, de quo tum apud omnes constabat citra omnem controversiam, sed de dignitate Metropolitani Galliarum. Deinde hinc colligitur manifestè vicariatus apostolicæ sedis in Cæsario, quem ob eam ipsam causam Symmachus Pallio putavit ornandum. Nam ut liberè in hoc capite promam meam sententiam, puto pro *suspexit* legendum esse *subvexit*, adeóque Metropolitani vocabulo intelligi debere Vicarium sedis apostolicæ. Hanc emendationem probat editio Surij, apud quem iste locus mutato stilo, ut solet Surius, ita legitur: *Symmachus præclara ejus meritorum dignitate permotus, non solùm eum verissimè Metropolitani honore præditum voluit, (id est, subvexit) sed etiam speciali quodam privilegio*

Pallij usum ei permisit. Itaque Symmachus, tum propter veterem consuetudinem, tum etiam contemplatione meritorum Cæsarij, ei vices suas commisit per Gallias, id est, Metropolitanum eum Galliarum, in cujus dignitatis possessione jam antea fuerat Cæsarius, esse constituit, simúlque Pallium, quod erat insigne Vicariorum sedis apostolicæ, illi concessit.

XIII. Eximiam illam Metropolitani Galliarum dignitatem in Cæsario agnovit etiam Hormisda Pontifex Romanus, qui proximè Symmacho successit. Statim enim ac in sede Petri locatus est, literas de ordinatione sua, ut moris erat inter Episcopos illustrissimarum Ecclesiarum, misit ad Cæsarium, quarum hoc initium est in veteri codice MS. Bibliothecæ regiæ: *Dilectissimo fratri Cæsario Hormisda. Quamvis ratio exigat ut fraternitati tuæ nostri sacerdotij primitias nuntiemus, tamen Dei beneficia tacere .....* Cetera non extant. Idem ad eum scripsit anno DXV. Episcopos Dardanos, Illyrios, & Scythas ad sedis apostolicæ communionem rediisse, Eutychiana hæresi damnata. Scythas in hoc loco memoravi cum Dardanis & Illyriis, tamenetsi sciam eorum mentionem non extare in vulgatis epistolarum Hormisdæ editionibus, ut monerem nomen eorum reperiri in epistolæ istius exemplari quod habetur descriptum in veteri codice MS. Bibliothecæ regiæ. *Ergo Episcopi tam Dardani quàm Illyrij penè omnes, necnon Scythæ, errorem condemnando præteritum, petentes beati Petri Apostolorum principis communionem &c.* Rectè. Nam aliæ editiones sunt absurdæ, in quibus sic legitur: *Ergo Episcopi tam Dardani quàm Illyrici penè omnes, ne sint errore condemnandi præterito, petentes &c.* Lectionem regij codicis confirmat etiam ipse Hormisda in epistola ad Avitum Episcopum Viennensem de statu Ecclesiæ orientalis: in qua licèt de Scythis non loquatur, tamen cùm Thraces adjungit Dardanis & Illyricis, ostendit deesse hoc aliquid in epistola ad Cæsarium de eodem argumento. Sic ergo scripsit ad Avitum Hormisda. *Nam unde est quòd cùm pro magna parte à conterminis suis Thracibus, Dardanis, Illyricis, cognita eorum perversitate deserantur, procul positos ignorantiæ spe, fraudibus, & variis artibus nitantur allicere.* Scythæ porrò contermini erant Thracibus, utrique autem siti in ora Ponti Euxini.

Vide supra cap. 28. §. 1. & cap. 33. §. 1.

Hormisd. epist. 30

Hormisda epist. 10.

XIV. Præsedit postea Cæsarius in Concilio Arelatensi IV. anno DXXIV. Carpentoratensi anno DXXVII. & Arausicano II. anno DXXIX. Nam tres illæ synodi non fuerunt tantùm ex Episcopis provinciæ Arelatensis, sed generales ex regno Gothorum. Causam quoque Contumelioſi Episcopi Reiensis judicatam fuisse in synodo generali, cui Cæsarius præfuit, colligitur ex epistolis Ioannis II. & Agapeti Pontificum Romanorum. De quo negotio, cùm satis explicatum sit in epistolis illis, nihil dicam. Illud tantùm admonebo corruptam esse ultimam partem septimæ Agapeti epistolæ, quæ data est ad Cæsarium, ideóque putasse me non prætermittendam esse hanc occasionem illius emendandæ. Nam cùm dixisset Agapetus velle se ut Contumeliosus, *reddita sibi modò propria substantia*, suspensus interim esset ab administratione patrimonij ecclesiastici & à celebratione Missarum, inferiùs tamen ei suspenso ac præsumptori concedit celebrationem Missarum, si vera est lectio quæ extat in vulgatis editionibus. Vnde sequitur Agapetum sibimet repugnare in eadem epistola. Ergo ut vitium illud auferatur, sic legendus est hic locus ex fide vetustissimi codicis MS. Bibliothecæ regiæ: *Suspenso igitur, sicut præfati sumus, Episcopo Contumelioso ea tantùm quam præsumpsisse dicitur celebratione Missarum, & patrimonio Ecclesiæ in gubernatione Archidiaconi ejusdem Ecclesiæ constituto, ita ut alimonia sufficientia Episcopo non negentur, Visitatoris te in ejus loco præcipimus ordinare personam, & patienter expectare judices quos inspirante Domino constituerimus audire.* Agebatur de retractanda causa Contumelioſi, qui sedem apostolicam appellaverat post judicium Episcoporum Gallicanorum. Expectare itaque Cæsarium jubet quid decreturi sint judices à se delegandi, interim verò Contumeliosum manere suspensum à celebratione Missarum & ab administratione patrimonij ecclesiastici, ita tamen ut ei alimenta episcopali dignitati congrua præbeantur. Nam si apud T. Livium P. Scipio Nasica rectè monuit erubescendum esse Romanæ urbi, si vir clarissimus (nimirum L. Scipio) in carcerem inter fures nocturnos & latrones includeretur, indecorum quoque esset si Episcopo, tamenetsi reo, non ampliora alimenta subministrarentur quàm reis ceterorum ordinum.

Liv. lib. 29.

CAPVT XXXVI.

Synopsis.

I. Vigilius Papa, primus omnium Pontificum Romanorum concessit vices suas Auxanio Episcopo Arelatensi conceptis verbis.

II. Cùm civitas Arelatensis transiit in jus Regis Childeberti, iste Vigilium oravit ut Auxanio vices apostolicæ sedis & Pallium delegaret. Pallium erat genus imperatorij indumenti, ideòque requirendus fuit consensus Iustiniani.

III. Vices postea suas commisit Auxanio postquàm consensum Imperatoris habuit.

IV. Explicatur epistola Vigilij, quæ difficultate non caret. Pallium erat vestis eximia atque collucens, & quæ plurimum habebat dignitatis. Probatur ex Thegano & Ioanne VIII. & XII.

V. Vigilius Auxanio vices suas & Pallium concessit ad exemplum Papæ Symmachi. Tum verò nulla mentio consensus Imperatoris.

VI. Causas à Vicario suo judicari jubet cum competenti numero Episcoporum. Sed judicum electionem relinquit arbitrio Auxanij. Causas autem discuti jubet canonicæ & apostolicæ æquitate.

VII. Causas religionis, & eas præterea quæ in provinciis definiri non possent, referri jubet ad sedem apostolicam. Vetus ordo discutiendæ hæreseos noviter emergentis.

VIII. Renovat deinde privilegium de literis formatis ab Arelatensi Episcopo accipiendis.

IX. Secutus postremò exemplum superiorum Pontificum, vicariatus istius publicationem mandavit. Episcopi Gallicani sueti erant imperio Episcoporum Arelatensium.

X. Vigilius Auxanio specialiter commisit causam Prætextati. Notatur Baronius, qui Prætextatum hunc putat fuisse Episcopum Rothomagensem.

I. MANIFESTIS, ut reor, indiciis hactenus ostendimus Episcopos Arelatenses primum inter Gallicanos Episcopos locum tenuisse in consequentiam honoris qui Ecclesiæ Arelatensi tributus fuerat à sede apostolica. Sed nunc res ipsa se prodet evidentissimis argumentis, adeo ut argumentationibus agendum nobis nequaquam sit. Nam post Cæsarium eadem auctoritas, qua ille instructus fuerat, successoribus ejus confirmata est à Pontificibus Romanis: qui prædecessorum suorum mandata verbis suis explicantes, vices suas conceptis verbis commiserunt Episcopis Arelatensibus, dum ipsos ea auctoritate instruerent in cujus possessione fuerant sedis illius Episcopi ante Vigilij tempora. Is primus omnium vices suas, vices inquam suas, ad postulationem Childeberti Francorum Regis commisit Auxanio Episcopo Arelatensi, qui Cæsario successerat. Quam causam, quia multa continet non leviter prætereunda, res postulare videtur ut ab initio repetamus.

II. Post pulsos ea Galliæ parte Romanos quæ Rhodano & mari mediterraneo adjacet, primùm Wisigotthi eam oram insederunt, & Arelatense oppidum tenuerunt, quod deinde transiit in jus & dominium Ostrogotthorum. Anno demum DXXXVI. cùm exarsisset bellum inter Iustinianum Augustum & Vitigem Ostrogotthorum Regem, eodémque iste tempore bellum crudele & exitiosum in Gallia haberet cum Francis, pacem his conditionibus ab istis redemit, ut contenti essent viginti auri centenariis & ea Galliarum parte quæ Gotthis parebat; in qua sita erat civitas Arelatensis, quæ in divisione harum provinciarum cessit Regi Childeberto, ut rectè ista explicat Hadrianus Valesius vir clarissimus. Mortuo interim non ita multò post Cæsario Arelatensi Episcopo successit Auxanius. Hunc ergo ornare cupiens Childebertus aliquo insigni decore, ut ope ejus provinciam recenter ad Francos versam in officio contineret imperióque Francico parere assuefaceret, literas ad Papam Vigilium scripsit anno DXLV. quibus eum orabat uti Auxanio vices apostolicæ sedis delegaret per Gallias, eique Pallium mitteret; quod erat insigne Vicariorum sedis apostolicæ, uti jam dictum est. Non repugnavit Vigilius. Sed quia Pallium erat genus quoddam imperatorij indumenti, cujus usum Imperatores permiserant Patriarchis, noluit Pontifex in hoc gratificari Auxanio, donec sciret an Iustinianus id grátum habiturus esset. Docet nos illud ipse Vigilius his verbis: *De his verò quæ caritas vestra tam de usu Pallij quàm de aliis sibi à nobis petiit debere concedi, libenti hoc animo etiam in præsenti facere sine dilatione potuimus, nisi cum Christianissimi Domini filij nostri Imperatoris hoc, sicut ratio postulat, voluissemus perficere notitia Deo auctore; ut & vobis gratior præstitorum causa reddatur, dum quæ postulatis, cum consensu Christianissimi Principis referuntur, & nos honorem fidei ejus servasse cum competenti reverentia judicemur.*

Hadr. Valef. Lib. 8. Rer. Francic. pag. 407. & sqq.

Vide infrà lib. 6. cap. 6. §. 4. 10.

Vigil. epist. 1. ad Auxan.

III. Non dubitabat, ut video, Vigilius quin Imperator, quem per Patricium Belisarium ad id induci procuraverat, consensum suum præstiturus esset. Neque sua spes illum fefellit; ut docet secunda ipsius epistola ad Auxanium, qua illi committit vices suas per Gallias, simúlque Pallium mittit. *Sicut nos*, inquit, *pro tuæ caritatis affectu, & pro gloriosissimi filij nostri Regis Childeberti Christiana devotione mandatis, vices nostras libentissima voluntate contulimus, ita fraternitatem tuam convenit Deo placitis operibus tantæ sedis auctoritate digna conversatione uti atque disponere, ut bonis actibus innotescens, rectum circa caritatem tuam judicium nostræ electionis ostendas.* Et infrà ait se id facere cum consensu Iustiniani & Theodoræ, tanquam Vicariatus apostolicæ sedis ita penderet ab imperio Principum ut Pontificibus eum nemini tribuere liceret absque interrogatione Principis. Nam ea quæ sequuntur intelligi non possunt de Pallio, de quo nondum in ea epistola locutus erat Vigilius cùm ista scriberet. *Oportet ergo*, inquit, *fraternitatem vestram incessantibus supplicationibus Deo nostro preces effundere, ut Domnos filios nostros clementissimos Principes Iustinianum atque Theodoram sua sem-*

per protectione custodiat, qui pro his vestræ caritati mandandis, suggerente gloriosissimo & excellentissimo viro filio nostro Patricio Belisario, pro quo item vos convenit exorare, pia præbuerunt devotione consensum.

IV. Ista tamen ita puto intelligenda, ut quia vicariatus absque Pallio tribui non consueverat, istúdque, quòd genus esset imperialis indumenti, concedi non poterat absque consensu Imperatoris, noluerit Vigilius antè committere Auxanio vices suas quàm certus esset consensus Imperatoris pro dando Pallio; ne fortè Auxanio tributa dignitas in contemptum veniret, si non fulgore Pallij colluceret atque illustraretur. Nam Pallium fuisse vestem quandam eximiam, atque collucentem, & quæ plurimum dignitatis haberet, dicet infrà illustrissimus Archiepiscopus. Quem fulgorem diù perdurasse in Pallio colligi posse videtur ex Thegano Chorepiscopo Trevirensi: qui loquens de infanda Ludovici Pij Imperatoris exauctoratione ab Ebbone Remensi Archiepiscopo peracta, adversùs quem propter hoc facinus vehementissimè insurgit, hæc dicit: *Vestivit te purpura & Pallio, & tu eum induisti cilicio.* Item ex epistola Ioannis VIII. ad Karlomannum Regem Bajoariæ, Ludovici Regis Germaniæ filium: *Pallium verò, vestra petitione inclinati, Theodemaro Archiepiscopo consuetudinaliter dirigentes, optamus ut hoc decore interiùs fulgeat in oculis interni judicis quo nitet exteriùs humanis obtutibus.* Colligitur idipsum ex epistola Ioannis XII. ad Dunstanum Archiepiscopum Dorobernensem scripta anno DCCCCLIV. in qua sic habetur: *Pallium verò fraternitati tuæ ex more ad Missarum solemnia celebranda commendamus; quod tibi non aliter, Ecclesiæ tuæ privilegiis in suo statu manentibus, uti concedimus quàm usum antecessores nostri prodiderunt. Neque tua prudentia hoc incognitum habet vel cujusquam, quoniam indumenti honor moderatione actuum tremendus erit. Honestati morum tuorum hæc ornamenta conveniunt, quatenus auctore Deo possis esse conspicuus.*

Vide lib. 6. cap. 6. §. 3. 4.

Thegan. cap. 44. de gestis Ludov. Pij.

Apud Aud. Duchesn. to. 3. Scriptor. hist. Franc. pag. 880.

Apud Eadmerum lib. 1. hist. Novor. pag. 128.

V. Concessit igitur Auxanio Vigilius Pallium & vices suas, ad exemplum nimirum Papæ Symmachi, qui tamen Cæsario Pallium contulerat absque ulla mentione consensus Imperatoris. Hæc sunt Vigilij verba ad Auxanium: *Et quia digna credimus ratione compleri ut agenti vices nostras Pallij non desit ornatus, usum tibi ejus, sicut decessori tuo prædecessor noster sanctæ recordationis Symmachus legitur contulisse, beati Petri functi auctoritate concedimus.* Observandum est autem in hoc loco, Vigilium, qui rescripserat nolle se postulatis Auxanij annuere antè quàm sibi constaret de consensu Imperatoris, nunc Pallium tribuere absque ulla mentione nominis imperatorij, immo dicere se id facere ex auctoritate beati Petri, tanquam facultas concedendi Pallium exstaret in eo qui Petri cathedram teneret, quicunque tandem is foret. Sed his omissis, transeamus ad mandata quæ idem Pontifex dedit Auxanio.

Vide supra cap. 35. §. 12.

VI. Iubet igitur Vigilius ut si quæ inter Episcopos qui sub regno vel potestate Childeberti Regis constituti erant dissensiones emergerent, eæ ab Auxanio canonica & apostolica æquitate discuterentur cum competenti numero Episcoporum, ita ut judicium quod eo ordine ferretur, vetustis Pontificum Romanorum regulis non repugnaret. Itaque sic vices suas Auxanio committit Vigilius ut nihil illi soli licere velit in judiciis Episcoporum, omninóque imperat ut ea non aliter judicentur quàm adhibito competenti comprovincialium Episcoporum numero. Sed istorum interim judicum electionem, ut erga Rufum Thessalonicensem fecerat Bonifacius, relinquit arbitrio sui Vicarij, ut integer ordo judiciorum & summa decernendi auctoritas penes illum essent. Statuit deinde ut causæ illæ *canonica & apostolica æquitate* discutiantur ab Auxanio, tanquam dicere vellet irritum futurum judicium quod non ex æquitate Petri latum esset. Nam & eum vult sequi formam judiciorum in regulis ac decretis superiorum Pontificum contentam. *Ea modis omnibus prælato judicio finituri*, inquit, *quæ Deo placitis decessorum nostrorum possint regulis convenire.*

Vide supra cap. 14. §. 11.

Vide supra cap. 15. §. 1.

VII. Transit statim Vigilius ad causas fidei & ad reliquas majores causas, quarum relationem mitti jubet ad sedem apostolicam, si illæ *pro sui magnitudine* terminari non potuerint in Concilio provinciali. Afferam autem locum integrum; tum ut lector facilius intelligat hanc partem mandatorum Vigilij, & ut locus iste, qui sanus non est in editionibus, per occasionem emendetur. Sic ergo legitur in toties laudato codice regio: *Si qua verò certamina aut de religione (quod Deus auferat) aut de quolibet negotio quod ibi pro sui magnitudine terminari non possit evenerint, totius veritatis indagine diligenti ratione discussa, relationis ad nos seriem destinantes, ea apostolicæ sedi terminanda servate; ut universis à fraternitate vestra competenti ratione dispositis, pax, quæ pro magno munere Apostolis dominica voce collata est, Ecclesiæ Dei, quæ una est in toto orbe diffusa, stabili firmitate servetur, ne antiqui hostis possit quassatione vexari, in illius petra Christi Dei Domini & Salvatoris nostri electione firmata stabilitate consistens.* Vult itaque Vigilius ut emergens in provincia hæresis, in Episcoporum provincialium examen veniat secundùm

Vide supra cap. 5. §. 2.

cundùm morem antiquum. At si in examine provinciali causa illa non potuerit terminari, tum verò relationem ab Arelatensi antistite mitti ad sedem apostolicam, ut istius sedis auctoritate pax in Ecclesia retineretur, adeóque concordia revocaretur inter eos qui de religione contendebant.

Vide supra cap. 32. §. 1. & cap. 33. §. 10.

VIII. Renovat deinde Vigilius privilegium quod à Zozimo Papa profectum, longa possessione firmatum, à Symmacho etiam confirmatum fuerat in gratiam Cæsarij. *Nullus ergo*, inquit, *de Pontificibus tuæ per has vices ordinationi commissis, sicut & ad eos data loquitur nostra præceptio, in longinquis quibuslibet locis audeat proficisci, nisi solenni more, sicut à decessore tuo nostro prædecessore similiter concedente consueverant, formatam vestræ caritatis acceperint.* In epistola autem generali scripta ad Episcopos in regno Childeberti constitutos, cujus mentionem in ista fecisse eum vidimus, sic loquitur de necessitate accipiendarum formatarum ab Episcopo Arelatensi: *Illud pari auctoritate mandamus, ne quisquam Episcoporum sine prædicti fratris & coëpiscopi nostri formata ad longinquiora loca audeat proficisci: quippe quia & decessorum nostrorum decessoribus ejus, quibus vices suas libentissimè contulerunt, sanctæ sic definiunt jussiones.* Respicit itaque Vigilius ad rescripta Zozimi & Symmachi; qui, uti dicebamus, eam necessitatem jam antea imposuerant Episcopis Gallicanis

Vide Sirm. 14. §. 12.

IX. Videbat Vigilius necessariam esse literarum istarum publicationem ut sua Arelatensi antistiti dignitas & auctoritas constaret. Itaque prædecessorum suorum exemplis instructus, qui de vicariatu Episcoporum Thessalonicensium ob eam ipsam causam rescripserant ad Episcopos Illyricianos, tum etiam Zozimi, qui de vicariatu Patrocli scripserat ad Episcopos per Gallias & Septem provincias constitutos, putavit scribendum esse ad Episcopos Gallicanos de vicariatu Auxanij, ut eorum consensu iste faciliùs uti posset ampla illa auctoritate quam ei tribuebant literæ Vigilij ad ipsum datæ. *Quæ cuncta*, inquit, *ut fraternitas vestra meliùs per Dei gratiam possit implere, universis Episcopis, quibus te præesse voluimus, auctoritatis nostræ est serie declaratum.* Extat auctoritas illa seu literæ Vigilij ad Episcopos regni Childeberti. De his autem agemus in capite sequenti. Interim heic adnotandum est necessariam tum futuram non fuisse eam præceptionem quoad Episcopos Gallicanos, si nulli alij Episcopi subjecti fuissent auctoritati Episcopi Arelatensis quàm qui jam inde à temporibus Zozimi & Symmachi ad ordinationem & synodum ejusdem Episcopi pertinebant. Illi quippe sueti erant imperio Arelatensis Episcopi, neque admonitione ulla indigebant ut ejus jussa spectarent. Dispar ratio fuit eorum Episcoporum qui tum recenter subjiciebantur Ecclesiæ Arelatensis antistiti, ut statim dicemus.

Vide supra cap. 32. §. 1. & cap. 33. §. 12.

X. Eodem porrò tempore quo generalem istam delegationem Auxanio concessit Vigilius, ei specialiter commisit causam Ioannis Presbyteri & Teredij Diaconi adversùs Prætextatum. Eam causam jubet ut Auxanius cum competenti Episcoporum provincialium numero dijudicet secundùm decreta præteritorum sedis apostolicæ Pontificum; *ratione prospiciens*, inquit, *ne aliquem facilè ex laicis ad sacratos ordines saltu præcipiti cuiquam sacerdotum liceat aggregare.* Vnde colligi debere puto vel istum Prætextatum repentè ex laico promotum esse ad ordines ecclesiasticos, non præmissa annua conversione, vel, si is Episcopus fuit, aliquem laicum præcipitanter contra canones admisisse ad clericatum. Istud verò emendari petebant Ioannes & Teredius. Omnino autem persuasum habeo errare illustrissimum Cardinalem Baronium, qui de Prætextato Rotomagensi Episcopo heic agi putat. Nam iste nondum, ut puto, erat Episcopus quum Vigilius ista scribebat. Certè nondum pulsatus erat de ullo crimine; quippe qui nonnisi post annos triginta quatuor majestatis accusatus est à Rege Chilperico; ut pluribus narrat Gregorius Turonensis lib. v. cap. xix.

CAPVT XXXVII.

Synopsis.

I. Explicanda est in hoc capite epistola generalis Vigilij de vicariatu Auxanij.

II. Vicariatus ille tribuitur Auxanio per provincias quæ pertinebant ad regnum Childeberti. Enumerantur provinciæ illæ. Fieri id potuit ad exemplum auctoritatis Episcopi primæ Iustinianæ.

III. Ait Vigilius sibi in beato Petro commissam esse curam universarum Ecclesiarum. Sumptum id ex sancto Leone. Hæc persuasio altiùs deinde penetravit in animos Pontificum Romanorum. Hinc descendit necessitas constituendorum per provincias Vicariorum.

IV. Emendatur & explicatur Vigilij locus quo insinuat necessitatem constituendi Vicarij. Quæ emendatio confirmatur auctoritate ejusdem Vigilij.

V. Sic vices suas Auxanio committit ut nihil illi soli licere velit in judiciis causarum. Causas autem majores referri jubet ad sedem apostolicam.

VI. Initur comparatio inter Episcopum Thessalonicensem & Arelatensem. Iubet Vigilius uti Episcopi ab Auxanio evocati ad Concilium accedant, nisi justam ob causam abesse cogantur. Personam tamen pro se mittere debent.

VII. De formatis accipiendis ab Episcopo Arelatensi. Errant qui putant Aurelianum non statim successisse Leontio in cathedra Arelatensi.

I. OPERÆ pretium fuit generalis epistolæ Vigilij ad Episcopos Gallicanos examen in hoc capite suscipere, velut divisione facta, ut epistolam illam, quæ specialem quandam curam ac diligentiam desiderare videtur, quòd multa contineat notatu digna, per partes explicare possemus. Quod non adeo facile fuisset, si singulos quosque locos retulissemus in capite superiori ad epistolam quæ data est ad Auxanium.

II. Primùm igitur adnotandum est vicariatum apostolicæ sedis Auxanio tribui, non solùm in provinciis circum Arelatem positis, ut antea assolebat, sed etiam in provinciis quæ pertinebant ad regnum Childeberti. *Dilectissimis fratribus universis Episcopis omnium provinciarum per Gallias, qui sub regno vel potestate gloriosissimi filij nostri Childeberti Regis Francorum constituti sunt, sed & his qui ex antiqua consuetudine ab Arelatensi consecrati sunt vel consecrantur Episcopo.* Veteres provinciæ quæ Arelatensi Episcopo subjectæ erant quo tempore Vigilius ista statuebat, hæ fuerunt, Viennensis, Alpes maritimæ, utraque Narbonensis, Hispania Tarraconensis; nisi si ista tum distracta erat à corpore provinciarum quæ Arelatensi Episcopo parebant. Itaque ad has provincias accesserunt, magna pars quartæ Lugdunensis, & in hac, Parisij, aliqua pars secundæ Belgicæ, Silvanectum nimirum & Bellovacum, integra Lugdunensis secunda, Britannia, & aliqua pars Aquitaniæ. Cùm ergo nulla antea lege, nulla consuetudine istæ provinciæ pertinerent ad curam Arelatensis Episcopi, cui tamen imperium in illas tribui cupiebat Childebertus, & fieri istud non posset nisi per concessionem vicium sedis apostolicæ, necessarium omnino fuit adiri Papam Vigilium, qui Romanæ tum Ecclesiæ præsidebat, ut illius decreto extraordinaria illa auctoritas, quæ provinciarum limites irrumpebat, in Arelatensem Episcopum conferretur. Et erat recens exemplum, si modò ista Gallis nostris nota erant, Archiepiscopi primæ Iustinianæ; qui nuper vicariatum apostolicæ sedis acceperat à Vigilio per sex provincias, juxta postulata Imperatoris Iustiniani. Quidni parem Arelatensi Episcopo intra Gallias auctoritatem conciliaret Childebertus?

Vide v. c. Carolum le Cointe ad an. 511. §. 56.

Vide supra cap. 22. §. 9. & cap. 29. §. 5.

III. Concessurus Auxanio vices suas Vigilius, primùm docet sibi in beato Petro commissam esse curam universarum Ecclesiarum, ut de pace & statu earum sollicitus sit. Hæc persuasio, quæ extat in epistola sancti Leonis ad Episcopos Metropolitanos per Illyricum constitutos, altiùs postea penetravit in animos Pontificum qui posterioribus seculis Romanam cathedram tenuerunt. Lubet autem referre ipsa Leonis verba, ut etiam in hoc loco ostendamus Arelatensis Episcopi dignitatem efformatam fuisse ad exemplum privilegiorum Ecclesiæ Thessalonicensis. Sic ergo loquitur Leo de vicariatu Anastasij Episcopi Thessalonicensis: *Et quia per omnes Ecclesias cura nostra distenditur, exigente hoc à nobis Domino, qui apostolicæ dignitatis beatissimo Apostolo Petro primatum fidei suæ remuneratione commisit, universalem Ecclesiam in fundamenti ipsius soliditate constituens, necessitatem solicitudinis quam habemus cum his qui nobis collegij caritate junctì sunt sociamus. Vicemitaque nostram fratri & coëpiscopo nostro Anastasio commisimus.* Eadem cogitatione imbutus Vigilius, primùm sibi, ut diximus, in beato Petro commissam esse ait curam universarum Ecclesiarum, hinc verò descendit ad necessitatem constituendorum per provincias Vicariorum sedis apostolicæ, qui præsentiam Romani Pontificis repræsentent. Hæc sunt verba Vigilij: *Quantum nos divina potentia Apostolorum primi sedem, non pro nostris meritis, sed pro ineffabili suæ misericordiæ pietate, habere constituit, tantum nos de universarum Ecclesiarum dispositione, pace, & statu convenit esse sollicitos. quippe cùm doctor gentium dicat Apostolus: Instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum. Quomodo ergo inter Domini sacerdotes sancta & Deo placita potest manere concordia, nisi ut si humani generis hostis antiqua nequitia consuetam zizaniam seminare voluerit, sit qui absentiam nostram sedis apostolicæ vicibus perfruendo spirituali gratia repræsentans, auferat certamen exortum?*

Vide infrà cap. 47. §. 2.

IV. Hunc locum retuli ex fide codicis regij. Nam omnino aliter habetur in editionibus: ubi pro *sit qui absentiam &c.* legitur, *si qui absentiam nostram sedis apostolicæ vicibus perfruendo repræsentat, auferat certamen exortum.* Sed vulgatam lectionem non admittit sensus hujus loci. Nondum enim tributus Auxanio fuerat vicariatus, qui illi tantùm committitur in consequentiam istius argumentationis. Ait quippe Vigilius non posse aliter manere concordiam inter sacerdotes Domini nisi si sit aliquis qui vice sua componat jurgia & certamina quæ inter illos exorirentur; ea de causa concessisse se vices suas Auxanio. Præterea hanc emendationem esse legitimam probatur etiam ex epistola ejusdem Vigilij ad Episcopos regni Childeberti de vicariatu Aureliani Episcopi Arelatensis, qui Auxanio successit. Etenim eodem argumentandi genere usus Vigilius ait: *Ita enim inter sacerdotes Domini potest pax super omnia Deo placita custodiri, si fuerit qui vicum nostratum auctoritate subnixus, personam nostram in Gallia-*

rum partibus præsentans, secundùm consuetudinem à nostris decessoribus attributam sapienti & sollicita indagatione custodiens, si quam humani generis hostis antiquus Zizaniam inter Dei famulos nequitia consueta seminare tentaverit, sapientiæ suæ moderamine adhibitis sibi fratribus & coëpiscopis nostris justitia Deo placita scandala orta submoveat.

V. Addit ergo post ista Vigilius: *Quapropter Auxanio fratri & coëpiscopo nostro Arelatensis civitatis antistiti vices nostras caritas vestra nos dedisse cognoscat; ut si aliqua, quod absit, contentio fortassis emerserit, congregatis sibi fratribus & coëpiscopis nostris causam canonica & apostolica integritate discutiens, Deo placita æquitate definiat.* Quo loco revocanda mihi est memoria eorum quæ in proximo capite dicta sunt de judiciis Episcoporum, nimirum sic vices suas Auxanio commisisse Vigilium ut nihil illi soli licere in hoc voluerit, cunctáque agi præscripserit in conventu comprovincialium Episcoporum. Causas verò majores sic committit Auxanio ut ei necessitatem imponat mittendi relationem ad apostolicam sedem: *Contentiones verò si quæ, quas Dominus auferat, in fidei causa contigerint, aut tale emerserit fortè negotium quod pro magnitudine sui apostolicæ sedis magis judicio debeat terminari, ad nostram discussa veritate perferat sine dilatione notitiam.*

VI. Sequens istius Vigilij epistolæ caput pertinet ad celebrationem Conciliorum Diœceseos Gallicanæ. Sed antè quàm Vigilij verba referamus, non inutile erit heic observasse illum in ista constitutione secutum esse ordinem quem sanctus Leo præscripserat Anastasio Episcopo Thessalonicensi. Nam cùm suprà adnotaverimus in istius potestate & mandatis ferme cuncta contineri quæ sequentibus seculis aut mandata Legatis sunt aut ab illis præsumpta, adnotaverimúsque præterea Arelatensem antistitem sedis apostolicæ per Gallias Vicarium factum esse ad exemplum potestatis quæ Thessalonicensi Episcopo tributa erat per Illyricum, par est ut comparationem eorum instituamus ubi occasio tulerit. Sic enim fiet ut lectores planè intelligant parem intra Gallias Arelatensibus Episcopis auctoritatem tributam fuisse ac Thessalonicensibus intra Illyricum. Ediderat itaque Leo vicariatum Anastasij Thessalonicensis Episcopi constituens, uti ad synodum quisquis Episcoporum ab Anastasio foret evocatus occurreret, nec sanctæ se congregationi denegaret. Definierat præterea, ut quisquis Episcoporum superbo animo, cùm nulla corporis vel causæ foret necessitate detentus, fraternum sæpius vellet vitare conventum, se sciret esse judicandum. Nunc ergo Vigilius ait, tanquam suis verbis reddere destinasset sensum verborum Leonis: *Et quia necesse est ut aptis Deo propitiante temporibus ab Arelatensi Episcopo, qui nostris vicibus fungitur, quotiens judicaverit expedire, pro facienda consolatione communi Episcoporum debeant congregari personæ, nullus inobediens ejus fortè mandatis se à congregatione suspendat, nisi aut corporalis infirmitas aut justæ causæ eum excusatio venire prohibeat.* Tum edicens uti qui justam ob causam non accesserit ad synodum, Presbyterum aut Diaconum pro se mittat, injecta mentione promissionis Christi, qui se pollicitus est futurum in medio eorum qui in nomine ejus congregati essent, addit: *Quid ergo æstimat subiturum qui Deo odiosa superbia in illa congregatione interesse contemnit in qua se Dominus noster adfuturum pia promissione denuntiat?* Odiosa illa superbia, quam contumacibus illis Episcopis objicit Vigilius, est is ipse superbus animus quem in Illyriis Episcopis damnat Leo. Ceterùm hunc Vigilij locum edidimus ex fide ejusdem codicis regij, in quo legitur multò emendatior quàm in editionibus.

VII. Postremum caput epistolæ Vigilij respicit necessitatem accipiendarum formatarum ab Episcopo Arelatensi. Qua de re cùm multa jam à nobis dicta sint, quæ, nunc repeti non est opus, transeamus ad Aurelianum, qui post Auxanium fuit Arelatensis Episcopus & sedis apostolicæ Vicarius per Gallias. Falluntur autem, ut rectè observatum est à Saxio, qui putant Aurelianum non statim successisse Auxanio. Sed hæc non sunt instituti nostri.

Vide supra cap. 31. §. 1.

Supra cap. 30. §. 2.

Apud Holsten. pag. 149.

Ibid. pag. 160. Vide supra cap. 31. §. 11. & 12.

CAPVT XXXVIII.

Synopsis.

I. Aurelianus succedens Auxanio, fit Vicarius Apostolicæ sedis, secundùm vetustam consuetudinem. Generalem pro hac causa epistolam ad Episcopos Gallicanos dedit Vigilius secundùm morem.

II. Aurelianus sollicitus de bona fama Vigilij, illi per legatum significavit qui siniſtri rumores de illo essent. Iste, scripta ad eum epistola, fidem suam singillatim explicuit, simul illum admonens, ut illam in omnium Episcoporum Galliæ notitiam deducat. Evincunt ista sollicitudinem Ecclesiarum Gallicanarum fuisse tum penes Episcopum Arelatensem.

III. Aureliano successit Sapaudus. Hunc statim Pelagius Papa vicibus apostolicæ sedis ornavit secundùm morem. Tum usum ei Pallij concedit, & privilegium formatarum confirmat.

IV. Datum id precibus Childeberti Regis, ut patet ex epistola Pelagij ad Childebertum. Non meminit autem consensus Imperatoris pro concessione Pallij.

V. Admonet deinde Childebertum Pelagius honorandum esse Sapaudum propter apostolicam vicem.

Episcopi tum contendebant Vicarios apostolicæ sedis subjacere debere judicio suorum collegarum, si quid peccarent. Explicatur epistola Pelagij. Ejus auctoritate ostenditur vicariatum Arelatensem fuisse perpetuum.

VI. Sapaudo successit Licerius; quem vicibus etiam apostolicæ sedis & Pallio ornatum fuisse colligitur ex more tum recepto & ex epistola sancti Gregorij de vicariatu Virgilij, qui proximè successit Licerio.

I. AVXANIO itaque Arelatensi Episcopo cùm successisset Aurelianus, magnæ nobilitatis vir, ut vulgò existimant, antiquæ consuetudini & Childeberti Regis precibus datum à Vigilio est ut is quoque Romani Pontificis Vicarius esset intra Gallias. Vetustam consuetudinem memoravi, tamenetsi hanc auctoritatem Vigilius non repetat disertis verbis à veteri more; quia video illum omnino secutum esse vestigia decessorum suorum, eadémque Aureliano mandata dedisse quæ superioribus Episcopis Arelatensibus data fuerant jam inde à temporibus Zozimi. Præterea Vigilius, cùm auctoritate illum sua ornasset, præscripto judiciorum ordine, hæc addit: *Quia ita decessores vestros, qui decessorum nostrorum vices egisse monstrantur, feciisse testimonium nostri declarat scrinij.* Non immorabor in explicandis mandatis Aureliano datis, cùm satis in hanc rem incubuerim in superioribus capitibus. Illud tantùm dicam, generalem ad Gallicanos Episcopos epistolam secundùm morem dedisse Vigilium, ut eos certiores faceret conlatum à se Aureliano fuisse vicariatum sedis apostolicæ.

II. Post aliquot exinde annos, cùm videret Aurelianus sinistram de Vigilio famam in Occidente spargi in causa Trium Capitulorum, ac si Vigilius contraria Chalcedonensi Concilio tradidisset, legationem ad eum misit, significans ei qui tum rumores de illo essent, addens nihilominus hauddubiè non dubitare se quin falsi essent, perspectam sibi esse fidem & prudentiam Vigilij, nihil facturum quo suam famam dehonestaret. Intellexit vir prudens quò tenderet istorum verborum sensus. Itaque scripta confestim epistola ad Aurelianum, primùm fidem suam singillatim explicuit, deinde illum admonuit ut hanc fidei suæ professionem in omnium Gallicanorum Episcoporum notitiam deduceret; *ut nullis*, inquit, *aut falsis scriptis, aut mendacibus verbis, aut nuntiis, qualibet ratione turbentur.* Evincunt autem illa sollicitudinem Ecclesiarum Gallicanarum fuisse tum penes Episcopum Arelatensem tanquam Vicarium sedis apostolicæ. Istius porrò legationis, quæ per Anastasium missa est, mentio extat in epistola à Clericis Italiæ directa ad Legatos Francorum qui Constantinopolim proficiscebantur. Vigil. epist. 7.

III. Aureliano successit Sapaudus anno quingentesimo quinquagesimo sexto. Statim verò Pelagius Pontifex Romanus istius nominis primus eum vicibus apostolicæ sedis ornavit secundùm morem; ut constat ex illius epistola ad Sapaudum, in qua sic legitur: *Majorum nostrorum, operante Dei misericordia, cupientes inhærere vestigiis, & illorum actus divino juvamine in omnibus imitari, caritati tuæ per universam Galliam sanctæ sedis apostolicæ, cui divina gratia præsidemus, vices injungimus. Hoc enim antiquitatis memoria docet, hoc Ecclesiæ Romanæ testantur scrinia, à sanctis patribus & decessoribus nostris tuis decessoribus esse concessum.* Et infrà: *Vtere igitur, carissime frater, auctoritate Pontificis & pastoris mansuetudine, per nos tibi locum Vicarij apostolicæ sedis divinæ gratiæ largitate concessum.* Tum usum ei Pallij concedit, & privilegium formatarum confirmat.

IV. Porrò licèt Pelagius in hoc secutus sit antiquum morem, petitionísque Childeberti mentionem non faciat in epistola ad Sapaudum, ex epistola tamen ab eo scripta ad eundem Childebertum patet datum id etiam precibus ejus. *Vices autem nostras*, inquit, *præfato consacerdoti nostro Sapaudo secundum petitionem vestram direximus, usum Pallij pariter concedentes; quia in scrinio ecclesiastico hujusmodi exempla reperimus, quibus ostenditur Arelatensibus Episcopis à sanctæ recordationis decessoribus nostris hæc fuisse conlata.* Non meminit autem consensus Imperatoris pro concessione Pallij.

V. Admonet deinde Childebertum Pelagius honorandum esse Sapaudum propter apostolicam vicem, omninóque procurare eum debere ne is quem per vices apostolicas augeri postulaverat, *in aliqua parte cuiquam Gallicanorum sacerdotum vel cujuslibet ordinis ecclesiastici personæ contemptibilis habeatur.* Quippe tum descenderat aliquatenus dignitas Vicariorum sedis apostolicæ, ut observatum est superiùs, ac nihilo minùs Episcopi contendebant Vicarios illos, si peccarent, judicandos esse ab Episcopis suarum provinciarum. Hinc factum ut cùm non ita multò pòst Sapaudus criminis cujusdam suspectus esset habitus, in judicium vocatus sit à suffraganeis suis secundùm canones. Cùm verò nollet se sistere judicio, Childebertus Rex eum compulit eam necessitatem subire. Qua de re graviter apud illum expostulavit Pelagius his verbis: *Passi estis subripi vobis, & Sapaudum fratrem & coëpiscopum nostrum Arelatensis civitatis antistitem, cujus Ecclesia in regionibus Gallicanis primatus privilegio & se-*

dis apostolicæ vicibus decoratur, ad petitionem Episcopi ab ipso ordinati in judicium sequentis civitatis Episcopi, quod nulla ecclesiastica lege vel ratione conceditur, judicandum juberetis occurrere. Ex hoc interim loco discimus falli eos qui vices apostolicas Arelatensi Ecclesiæ affixas non fuisse contendunt, sed personis tantùm datas. Nam cùm Pelagius doceat Ecclesiam Arelatensem vicibus apostolicæ sedis decoratam esse, planum est ex his quæ dicta sunt in capite XXII. privilegium illud perpetuum fuisse & ad omnes ex æquo Arelatenses Episcopos pertinuisse; ita tamen ut renovatione interdum indigeret, non secùs ac Thessalonicensis Ecclesiæ privilegium.

VI. Mortuus est Sapaudus anno quingentesimo octuagesimo nono; cui statim successit Licerius Regis Guntchramni Referendarius; ut Gregorius Turonensis tradit in libro VIII. hist. Francor. cap. XXXIX. Hunc non invenio functum fuisse vicibus apostolicæ sedis. Attamen ex epistola Gregorij Magni ad Virgilium, de qua agemus in capite sequenti, colligi potest Licerium quoque Vicarium sedis apostolicæ egisse intra Gallias. Vices enim suas & usum Pallij concedens Virgilio, cuncta revocat ad antiquum morem; tum hunc honorem debitum esse ait Episcopo Ecclesiæ Arelatensis, & nihil de debito honore subtrahendum illi esse. Quod evincit rursum vices apostolicæ sedis loco tributas fuisse, non personis tantùm, adeóque Licerium vicibus apostolicæ sedis & Pallio fuisse decoratum. Moriens autem Licerius successorem habuit Virgilium; ut narrat idem Gregorius Turonensis lib. IX. cap. XXIII.

CAPVT XXXIX.

Synopsis.

I. Virgilius Arelatensis Episcopus petit à sancto Gregorio vices apostolicæ sedis & Pallium juxta antiquam consuetudinem. Non repugnavit Gregorius.

II. Debitum fuisse hunc honorem Ecclesiæ Arelatensi colligitur ex verbis sancti Gregorij.

III. In epistola generali ad Episcopos Gallicanos Gregorius renovat auctoritatem quam prædecessores ejus tribuerant Episcopis Arelatensibus.

IV. Vices suas & Pallium Virgilio concedens Gregorius, vult tamen sua singulis Metropolitanis jura servari. Explicatur locus ille sancti Gregorij, qui non est simpliciter intelligendus.

V. Modum deinde præscribit utendi Pallio, ut iret obviam ambitioni Virgilij, ne is Pallio illo ceu quodam indumento quotidiano uteretur. Habuit posterioribus temporibus hoc privilegium Hincmarus Archiepiscopus Remensis. Sed ipse eo privilegio non utebatur.

VI. Gregorius præscribens ordinem judiciorum, decernit duodecim judices in qualibet causa debere esse. Pelagius Papa decreverat eam esse certam provinciam quæ decem vel undecim Episcopos judices habebat sub uno Metropolitano. Quod etiam observatum est ab Vrbano secundo.

VII. Gregorius in Angliam mittens Augustinum, eum Virgilio commendavit, cùm per Arelatem transiturus esset. Virgilium vocat Metropolitanum Galliarum. Pallium Arelatensibus Episcopis tributum antiquitus.

VIII. Vices apostolicæ sedis concessas olim fuisse Ecclesiæ Arelatensi probatur auctoritate Gregorij septimi. Desiit autem ea auctoritas post Gregorium Magnum.

I. CONSTITUTUS in Arelatensi sede Virgilius, vir magnarum virtutum & magnorum meritorum, nihil prius aut antiquius habuit quàm ut dignitatem Ecclesiæ suæ collatam conservaret. Sedebat tum in cathedra Romana Gregorius cognomento Magnus, vir ut sanctissimus, ita doctissimus, peritissimus jurium sedis apostolicæ, ac politiæ ecclesiasticæ callentissimus. Ad hunc ergo Virgilius, suffragatione usus Regis Childeberti, literas scripsit, petens ut juxta antiquum morem sibi tribueret vices apostolicæ sedis & Pallium. Non repugnavit Gregorius; sed missa ad eum epistola per Ioannem Presbyterum & Savinum Diaconum Ecclesiæ Arelatensis, ut est in veteri codice MS. Bibliothecæ regiæ, cuncta primùm concessit quæ postulata ab eo erant, deinde illum aliquot præceptis instruxit circa negotia quædam magni momenti, mandatáque dedit similia his quæ decessoribus Virgilij data fuerant à superioribus Pontificibus Romanis. *Quod verò in eis juxta antiquum morem*, inquit, *usum Pallij ac vices sedis apostolicæ postulasti, absit ne aut transitoriæ potestatis culmen aut exterioris cultus ornamentum in vicibus nostris ac Pallio quæsisse te suspicer.* Et paulò pòst: *Libente ergo animo postulata concedimus; ne aut vobis quicquam de debito honore subtrahere aut præcellentissimi filij nostri Childeberti Regis petitionem contempsisse videamur.* Acta hæc anno quingentesimo nonagesimo quinto. S. Gregor. lib. 4. epist. 50.

II. Gregorius itaque vices suas & Pallium concessit Virgilio, non ad preces Childeberti simpliciter, neque ut personam Virgilij honoraret; sed quia id vetus consuetudo poscebat, quæ in plerisque vim legis obtinet. Debitum namque Virgilio fuisse hunc honorem non obscurè significat: quia nimirum Ecclesiæ Arelatensi sic tributum erat illud privilegium ut ad omnes successores pertineret, ita tamen ut confirmatio privilegij petenda esset à Romano Pontifice quoties novus Arelatensi cathedræ datus erat antistes. Nam & consuetudinem illam rursum urget sanctus Gregorius in epistola ad

S. Gregor. lib. 4. epist. 53. Childebertum: *Vnde & gratanter ea quæ scripsistis accepimus, & quæ voluistis animo libenti concessimus; atque ideo fratri nostro Virgilio Arelatensis civitatis Episcopo vices nostras juxta antiquum morem & excellentiæ vestræ desiderium Deo favente commisimus; cui etiam & Pallij usum, sicut prisca habuit consuetudo, concessimus.* Item in epistola ad Episcopos in regno Childeberti constitutos: *Opportunum esse perspeximus in Ecclesiis quæ sub regno præcellentissimi filij Childeberti Regis sunt secundùm antiquam consuetudinem fratri nostro Virgilio Arelatensi Episcopo vices nostras tribuere.*

Ibid. epist. 52.

III. Iam antea multoties observavimus necessariam fuisse promulgationem hujus privilegij, ne quis se juris ignorantia tueri posset. Ea de causa Gregorius, præter epistolas ad Virgilium & ad Childebertum scriptas, alias dedit ad Episcopos qui sub regno Childeberti erant, ob necessitatem publicandæ legis, ut diximus. Eodem tempore ad illos scripsit de potestate quæ Virgilio competebat tanquam Vicario sedis apostolicæ, in judiciis nimirum episcopalibus, congregatione Conciliorum generalium, majorum causarum relatione ad sedem apostolicam, de literis formatis ab illo accipiendis. Sed hoc postremum caput præcipuè urget, respiciens hauddubiè ad rescripta Zozimi, Symmachi, & Vigilij. Ait enim: *Hoc etiam vos pariter prævidimus admonendos, ut nullus vestrum ad longinquiora loca sine præfati fratris & coëpiscopi nostri Virgilij auctoritate tentet aliquo modo proficisci; scientes quia & prædecessorum nostrorum, qui vices suas ejus prædecessoribus commiserunt, sic procul dubio mandata definiunt.*

IV. Redeamus nunc ad Virgilium. Ad illum itaque scribens Gregorius de variis disciplinæ capitibus, flectit rursum ad concessionem Pallij & vicium suarum: *Itaque fraternitati vestræ vices nostras in Ecclesiis quæ sub regno sunt præcellentissimi filij nostri Childeberti juxta antiquum morem Deo auctore committimus. singulis siquidem Metropolitis secundùm priscam consuetudinem proprio honore servato.* Hic locus non est leviter prætereundus. Etenim Gregorius sic vices suas juxta antiquum morem committit Virgilio, ut tamen singulis Metropolitanis secundùm priscam consuetudinem jura sua servari velit. Quod à Pontificibus Romanis observatum fuisse vetustis temporibus, cùm vices suas cuipiam tribuerent, observat alibi ex Hincmaro illustrissimus Archiepiscopus. Videndum ergo quid sibi velit hoc loco Gregorius. Neque enim hinc colligi potest nihil auctoritatis ab eo tribui Virgilio supra Metropolitanos, cùm constet illum accepisse potestatem super omnes Episcopos in regno Childeberti constitutos. Intelligit ergo Gregorius, sic usurum auctoritate ista extraordinaria Virgilium, ut tamen Metropolitanis relinquat ordinationes Episcoporum secundùm veterem morem. Sed hic mos explicandus est ex epistola sancti Leonis ad Anastasium Thessalonicensem; ex qua colligitur servandas quidem esse Metropolitanis ordinationes comprovincialium Episcoporum, sed eas celebrari non posse extra conscientiam Vicarij, ut suprà adnotavimus.

Marca in lib. de Primatib. §. 51.

Vide Tepis. 22. §. 1. & 14. §. 10.

V. Transit deinde Gregorius ad concessionem Pallij, modum præscribens utendi. *Pallium quoque transmisimus*, inquit, *quo fraternitas tua intra Ecclesiam ad sola Missarum solennia utatur.* Timebat fortassis ne Virgilius, ut humanum est ambitione labi, Pallio ceu quodam quotidiano indumento uteretur ad fastum & ad ostentandam auctoritatem suam. Hic Gregorij metus se prodere videtur in initio illius epistolæ, in qua sic legitur: *Absit ne aut transitoriæ potestatis culmen aut exterioris cultus ornamentum in vicibus nostris ac Pallio quæsisse te suspicer.* Habuit posterioribus seculis hoc privilegium Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus, ut ei liceret, si vellet, uti quotidie Pallio; ut refert Flodoardus. Sed ipse in epistola XXXVI. ad Nicolaum Papam scribit eo privilegio usum non fuisse, quòd ad aliud illum oporteret *tendere & de aliis cogitare quàm alicui pompæ ac ostentationi applaudere.* Privilegia porrò sibi concessa à Summis Pontificibus ea de causa petiisse se, ut hac novitate carnales & animales homines, apud quos veteres constitutiones jam quasi pro vili habebantur, ut ipse ait, territi, reverentiùs se erga Remensem Ecclesiam haberent. Hæc sunt ejus verba ex ejus epistola ad Nicolaum Papam: *Privilegia autem sedis apostolicæ non ideo petij ut mihi non sufficeret quod sacri canones & decreta sedis Romanæ Pontificum cuique metropoli concedunt.* Et nonnullis interjectis, ait se privilegia illa petiisse, *ut quia veteres constitutiones jam quasi pro vili apud quosdam habentur, his novis decretis carnales & animales homines territi quiddam reverentius contra Ecclesiam indignitati meæ commissam agerent.*

Flodoard. lib. 3. hist. Rem. c. 21.

VI. Illud postremò annotandum est in epistola Gregorij ad Virgilium, quòd cùm superiores Pontifices causarum judicia indefinitè commisissent Episcopis Arelatensibus, cum competenti numero collegarum, iste numerum Episcoporum judicum, hauddubiè quo minor esse non possit, decernit esse duodecim. *Si qua verò inquisitio de fide*, inquit, *vel fortasse aliarum rerum inter Episcopos causa emerserit, quæ discerni difficilius possit, collectis duodecim Episcopis ventiletur atque de-*

cidatur. Reſpiciebat fortaſſis ad epiſtolam deceſſoris ſui Pelagij, qui ita ſcripſerat ad Epiſcopos qui ad ſynodum CP. convenerant evocati à Ioanne CP. Epiſcopo: *Scitote certam provinciam eſſe quæ habet decem vel undecim civitates & unum Regem & totidem minores poteſtates ſub ſe & unum Epiſcopum aliósque ſuffragatores decem vel undecim Epiſcopos judices, ad quorum judicium omnes cauſæ Epiſcoporum & reliquorum ſacerdotum ac civitatum cauſæ referantur.* Hanc eandem regulam, ut hoc obiter dicam, in medium adduxit Vrbanus II. cùm epiſcopatum Atrebatenſem reſtitueret. *Liquet ſanctorum canonum inſtitutis integram eſſe provinciam & Metropolitanum proprium debere ſortiri quæ duodecim conſtat epiſcopatibus.*

Apud Mirœum in Notit. Eccleſiaſt. Belg. pag. 185. & Tom. 1. Spicileg. Dacher. pag. 121.

VII. Poſt aliquot exinde annos Gregorius de ſalute Anglorum ſollicitus, Auguſtinum in eam inſulam miſit cum dignitate & auctoritate Vicarij ſedis apoſtolicæ. Et quia ille, ut in Angliam trajiceret, Galliam per Maſſiliam & Arelatem petiturus erat, literas ei commendatorias dedit ad Virgilium, in quibus eum vocat Metropolitanum Galliarum, quòd primi ſacerdotis locum teneret intra Gallias, ut Pelagij primi verbis utamur. Cùm verò Auguſtinus poſtea conſiſteret in Anglia, déque multis diſciplinæ capitibus conſuluiſſet Gregorium, inter alia petiit qualiter deberet cum Galliarum atque Britannorum Epiſcopis agere. Ad quæ Pontifex ita reſpondit: *In Galliarum Epiſcopos nullam tibi auctoritatem tribuimus; quia ab antiquis prædeceſſorum noſtrorum temporibus Pallium Arelatenſis Epiſcopus accepit; quem nos privare auctoritate percepta minimè debemus.* Virgilius erat tum Arelatenſis Epiſcopus. Is verò Pallium non acceperat ab antiquis prædeceſſorum Gregorij temporibus, ſed à Gregorio. Itaque ſic explicandus eſt hic locus, ut dicere voluerit Gregorius Pallium Arelatenſi Epiſcopo, quiſquis is tandem foret, perpetuo privilegio, cui derogari non debebat, tributum fuiſſe ab antiquis temporibus; ſicut ſuprà ſimili argumento oſtendimus omnes Illyricianas Eccleſias pertinuiſſe ad curam Theſſalonicenſis antiſtitis, quiſquis is tandem foret, adeóque privilegium Epiſcopi Theſſalonicenſis fuiſſe perpetuum.

S. Greg. lib. 9. Indict. 11. epiſt. 53.

Ioan. lib. 11. Indict. 7. epiſt. 31.

Illyricianas cap. 22. l. 1.

VIII. Arelatenſi Eccleſiæ tributas fuiſſe olim vices apoſtolicæ ſedis apertè ſcribit Gregorius VII. ad Archiepiſcopum Remenſem his verbis: *Inde eſt quòd Arelatenſis Eccleſiæ non ſolùm à beato Gregorio doctore dulciſſuo, ſed etiam à pluribus ejus ſanctis anteceſſoribus, cùm haberet vicem ſedis apoſtolicæ, ut omnes Epiſcopos totius regni Francorum, quod tunc latiùs extendebatur, ad Concilium convocaret, eóſque in judicio conſtringeret, ſine cujus licentia nullis de ſupradictis Epiſcopis longè à ſuo epiſcopatu fas erat abire, poſt aliqua tempora pro quibuſdam cauſis prædicta poteſtas & auctoritas ceſſavit, & ſuam vicem aliis quibus placuit ſedes apoſtolica conceſſit.* Quibus verbis innuere hoc quoque videtur Gregorius, deſiiſſe eam Arelatenſium Epiſcoporum auctoritatem poſt tempora Gregorij Magni.

Gregor. VII. lib. 4. epiſt. 2.

CAPVT XL.

Synopſis.

I. Extincto Virgilio Epiſcopo Arelatenſi, extincta quoque eſt vicaria dignitas Eccleſiæ Arelatenſis. Neque enim conſtat Ioannem aut Felicem, qui poſtea ſedem illam tenuerunt, fuiſſe Vicarios apoſtolicæ ſedis.

II. Rotlandus poſtea tentavit reſtaurare antiquam Eccleſiæ ſuæ dignitatem, irrito conatu.

III. Felicior fuit Roſtagnus, qui Pallium & vices apoſtolicæ ſedis accepit à Ioanne VIII. Papa. Verùm non conſtat an ea auctoritate uſus ſit. Certè in Conciliis deinde ſubſcripſit longo intervallo poſt alios Epiſcopos.

IV. Temeritas Roſtagni in ordinatione Epiſcopi Narbonenſis repreſſa. Saxius refellitur, qui putavit Ioannem Pontificem Romanum ad Roſtagnum ſubſcripſiſſe uti Agius Narbonenſis Epiſcopus deponeretur.

V. Raimbaldus vices apoſtolicæ ſedis obtinuit ſeculo ſequenti, & ſubjectionem Metropolitani Aquenſis. Attamen iſta auctoritas diù non valuit.

VI. Vnicum illud privilegium ſequenti tempore habuit Arelatenſis Archiepiſcopus, ut nulli prorsùs Legato, niſi ei tantùm qui de Romani Pontificis latere deſtinatus eſſet, ſubjiceretur. Probatur ex Innocentio III.

I. EXTINCTO itaque Virgilio, extinctam quoque fuiſſe puto vicariam dignitatem Eccleſiæ Arelatenſis. Certè non video quemquam eorum qui poſt iſta tempora cathedram Arelatenſem tenuerunt appellari Vicarium apoſtolicæ ſedis, neque aliqua magna aut extraordinaria auctoritate inſtructum fuiſſe. Vnus Ioannes Arelatenſis Epiſcopus occurrit, cui anno DCLXVIII. Vitalianus Papa commendavit Theodorum Epiſcopum & Adrianum Abbatem in Angliam profecturos. Quod ut explicari fortaſſis poſſet ex epiſtola Gregorij Magni, cùm Virgilio commendaret Auguſtinum, ſic intelligi poteſt de ſimplici epiſtola commendatoria ad Ioannem ſcripta, quòd neceſſariò eundum viris illis eſſet per Arelatenſem civitatem. In Concilio Romano quod ab Agathone Papa habitum eſt anno DCLXXX. ſubſcripſit Felix Epiſcopus Arelatenſis, *Legatus venerabilis ſynodi per Galliarum provincias conſtitutæ.* Sed hinc nulla prærogativa Epiſcopi Arelatenſis colligi poteſt. Quippe

Beda l. 4. cap. 1.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

in eadem synodo adfuerunt Adeodatus Leucorum Episcopus & Taurinus Diaconus Tolonensis, ambo Legati venerabilis synodi per Galliarum provincias constitutæ.

II. Tentavit deinde Rothlandus Arelatensis Episcopus anno DCCCLXIV. veterem Ecclesiæ suæ dignitatem instaurare, irrito tamen conatu, ut opinor. Quamvis enim Nicolaus primus agnoscat prædecessores suos Romanos Pontifices commisisse olim vices suas Episcopis Arelatensibus, nullam ei tribuit auctoritatem; tantùm illi pollicetur protectionem sedis apostolicæ, si, ut se facturum scripserat, decretis ipsius obedire curaret. Interrogaverat præterea Nicolaum Rotlandus an sibi fas foret legatos ad apostolicam sedem mittere, ut Summum Pontificem faceret certiorem de his quæ intra provinciam emergerent. Istud quoque probavit Nicolaus, ea cautione adhibita, ut legatos suos moneret Rotlandus ne redditum suum præcipitarent.

Nicol. I. epist. 41. To. 3. Concil. Gall.

III. Felicior ævo Ioannis VIII. fuit Rostagnus successor Rotlandi. Hic enim anno DCCCLXXVIII. usus ipsissimis verbis quibus in causa Virgilij usus erat sanctus Gregorius, Pallium vicésque suas Rostagno concessit per Gallias, déque ea re epistolam scripsit ad Episcopos Gallicanos descriptam ex ea quam pro vicariatu Virgilij ad Episcopos regni Childeberti scripserat sanctus Gregorius. Vsúsne sit ea auctoritate Rostagnus quam à Ioanne Papa acceperat, difficile dictu est. Illud unum affirmare licet, eum in Conciliis & conventibus per ea tempora habitis longo intervallo subscripsisse post Archiepiscopos aliarum sedium, imò postpositum aliquoties fuisse simplicibus Episcopis.

Ioan. VIII. epist. 94. 95.

IV. Anno deinde nongentesimo duodecimo incidit occasio quæ Rostagno viam aperire videbatur ad invadendam ordinationem Episcopi Narbonensis. Moris erat inter Episcopos provinciarum Narbonensis & Arelatensis, ut si quid emergeret in alterutra provinciarum quod congregationem sacerdotum requireret, vicinæ provinciæ Episcopos, præcipuè verò Metropolitanum, evocarent in provinciam quæ auxilio indigebat. Hinc subscriptiones Episcoporum Arelatensium in Conciliis provinciæ Narbonensis. Occiso igitur Arnusto Archiepiscopo Narbonensi, cùm clerus & populus Narbonensis convenissent pro facienda successoris electione, optimum factu visum est si Rostagnus Arelatensis rogaretur Narbonem accedere, cum Episcopis provinciæ Narbonensis consulturus de novo pastore eligendo & de vindicanda cæde Arnusti. Ille verò venit quidem in provinciam; sed Agathæ substitit cum Ancelino Episcopo Vceticensi, ibique Gerardum quendam, Ancelini consanguineum, evexit ad fastigium cathedræ Narbonensis. Hactenus ea res satis feliciter cesserat. Sed tandem Agij electio prævaluit; adeóque Rostagni conatus irritus fuit. Manifestum porrò est Saxium fuisse deceptum, qui ex falso quodam catalogo Archiepiscoporum Narbonensium collegit Ioannem decimum literas ad Rostagnum Arelatensem Agij exauctorandi causa direxisse. Nam ex narratione quæ extat apud Catellum, & ex epistola ejusdem Ioannis ad Episcopos suffraganeos Ecclesiæ Narbonensis, quam idem Catellus edidit, omnino constat hunc Ioannem approbasse electionem Agij.

Catellus lib. 5. Memor. Occit. pag. 775.

Pontif. Arelat. pag. 111.

V. Medio seculi sequentis Raimbaldus Arelatensis Archiepiscopus vetustam Ecclesiæ suæ dignitatem & auctoritatem mente revolvens, opportunitate temporum usus est ut à sede apostolica obtineret vices apostolicæ sedis, ac præterea subjectionem Aquensis Archiepiscopi renovavit. Extat enim sacramentum Pontij Aquensis, in quo debitam subjectionem & reverentiam & obedientiam à sanctis patribus constitutam secundùm præcepta canonum sanctæ sedi Arelatensi perpetuò se exhibiturum promittit. Præfuit deinde Raimbaldus Concilio Tolosano anno MLVI. ubi dicitur esse Vicarius Papæ Victoris unà cum Pontio Aquensi. Attamen ista auctoritas diù non valuit. Etenim in dedicatione Ecclesiæ Barcinonensis, quæ facta est biennio pòst, Guifredus Narbonensis Archiepiscopus primo loco nominatur ante Raimbaldum. Vnde colligi debet extincto Victore extinctam quoque fuisse auctoritatem quam is dederat Archiepiscopo Arelatensi.

Apud Sanct. pag. 60.

VI. Vnicum illud privilegium habuit sequenti tempore Arelatensis Archiepiscopus, ut nulli prorsùs Legato, nisi ei tantùm qui de Romani Pontificis latere destinatus esset, subjiceretur. Testatur id Innocentius III. in epistola ad Arelatensem Episcopum scripta anno millesimo ducentesimo octavo: quam, quia nondum edita est, & res ita postulat, heic edere visum est.

Licèt per apostolicum privilegium sit indultum ut nulli prorsùs Legato, nisi ei tantùm qui de Romani Pontificis latere fuerit destinatus, Arelatensis provincia sit subjecta; quia tamen ad eliminandam hæreticam pravitatem & rabiem sedandam hostilem ad partes illas Legatos necessariò destinavimus, quibus te volumus prudenter assistere ac providere, auctoritate tibi præsentium præcavemus ut per obsequia propter necessitatem hujusmodi prædictis Legatis impensa nullum tibi

vel

Innoc. III. lib. 1. Epist. 166.

vel Ecclesiæ tuæ præjudicium generetur. Datum Laterani VI. Nonas Maij, anno XI.

CAPVT XLI.

Synopsis.

I. Adversùs ea quæ suprà dicta sunt nonnulli quadam argumenta opponunt ut probent Arelatenses Episcopos nunquam fuisse usos auctoritate Vicarij apostolicæ sedis. Aperitur ratio conciliandæ istius contradictionis.

II. In re tamen adeo antiqua nihil afferri certi potest, nisi quòd certum est extraordinariam illam Arelatensium Episcoporum auctoritatem viguisse à temporibus Zozimi usque ad sanctum Gregorium.

III. Ex capite Artaldus *quidam colligunt Archiepiscopum Arelatensem fuisse subjectum Archiepiscopo Narbonensi. Viderunt Correctores Romani mendum hoc esse, istúdque caput pronuntiarunt intelligendum esse de Episcopo Electensi in prima Narbonensi. Quos rectè in hoc reprehendit Bosquetus.*

IV. Certum est hoc non agi de Episcopo Arelatensi, sed de Helenensi apud Ruscinones; qui tum erat Artaldus, ut patet ex veteribus monumentis illorum temporum. Artaldo successit Ermengaudus.

V. Caput illud non posse intelligi de Episcopo Electensi hinc probatur quòd ævo Vrbani II. nondum Episcopus institutus erat in monasterio Electensi.

I. ADVERSÙS ea quæ huc usque dicta sunt de eximia illa Archiepiscoporũ Arelatensium auctoritate quidam opponunt subscriptiones quorundam Conciliorum, & alia quædam veteris ævi monumenta, ex quibus colligi videtur aut vicariam illam dignitatem rem vanam ac futilem fuisse, aut certè eos illa nunquam usos fuisse. Sed si quis diligenter & accuratè expendere velit fidem rerum à nobis proditarum, inveniet profectò Arelatenses Episcopos verè usos esse ea auctoritate quam illis concesserant Summi Pontifices cum bona Principum venia. Perturbatus esse potest in vetustis codicibus, ut sæpe accidit, ordo subscriptionum, uti jam adnotatum est à viris doctissimis. Præterea ea tum fortassis erat publica Gallicanæ Ecclesiæ disciplina, ut tametsi Vicariorum apostolicæ sedis prærogativam agnoscerent, loco tamen non cederent, nisi quatenus ordinatione antiquiores erant.

II. In re tamen adeo antiqua & obscura nihil certi afferre possumus, nisi quòd, uti diximus, certum est extraordinariam illam Arelatensium Episcoporum auctoritatem viguisse à temporibus Zozimi usque ad Gregorium Magnum; quamvis verum sit eam variis interim procellis jactatam fuisse, prout Romanis Pontificibus displicebat istorum Vicariorum audentia. Qua de re fusè disseruimus suprà, ubi occasio tulit.

III. Ceterùm antè quàm finem ultimum imponam huic causæ, res postulare videtur ut qui Arelatenses Episcopos ostendimus prælatos fuisse universis Episcopis Gallicanis, in primis verò Narbonensi, eum subtrahamus jurisdictioni Archiepiscopi Narbonensis, cui subjectum illum fuisse nonnulli colligunt ex capite *Artaldus* apud Gratianum, ubi sic legitur ex Gestis Vrbani secundi: *Artaldus Arelatensis Episcopus, Narbonensis Ecclesiæ suffraganeus, Romam consecrandus ad Dominum Papam Vrbanum venit. Suus quippe Archiepiscopus eum consecrare nolebat &c.* Viderunt Correctores Romani mendum hoc esse, pronuntiarúntque hoc agi de Episcopo Electensi, qui verè est suffraganeus Archiepiscopi Narbonensis. Sed illos ob hanc emendationem reprehendit vir illustrissimus Franciscus Bosquetus Episcopus Monspelliensis: qui retinendam esse putat vulgatam lectionem, ut capitis istius auctoritate probet Arelatensem Episcopum fuisse olim subjectum Archiepiscopo Narbonensi.

IV. Contrà certum est hoc non agi de Episcopo Arelatensi, sed de Helenensi, sive Elenensi, ut tum scribebant, in finibus Galliæ Narbonensis. Hanc emendationem, quæ alioqui manifesta est, aperit vetustissima canonum collectio MS. quæ extat in Bibliotheca regia, ubi legitur: *Artaldus Alanensis Episcopus &c.* Præterea Artaldus sedebat in cathedra Helenensi anno MXC. XVIII. Kal. Octobris, ut constat ex Chartulario illius Ecclesiæ; & Concilio Nemausensi interfuit anno MXCVI. mense Iulio, ut legitur in veteri charta MS. monasterij Rivipullensis in diœcesi Ausonensi. Helenensis porrò Ecclesia tum suffraganea erat Ecclesiæ Narbonensis citra omnem controversiam. Oportuit autem Artaldum fuisse defunctum ante annum millesimum centesimum primum. Etenim Nonis Maij illius anni Ermengaudus Helenensi cathedræ præsidebat.

V. De Electensi porrò sive Alectensi Episcopo, tametsi sit sempérque fuerit suffraganeus Ecclesiæ Narbonensis, istud caput intelligi non posse hinc probatur quòd ævo Vrbani II. Alectensis Episcopus nullus erat in provincia Narbonensi, qui beneficio demum Ioannis XXII. institutus est in monasterio Alectensi.

CAPVT XLII.

Synopsis.

I. Vicariatus Augustino Cantuariensi Archiepiscopo concessus fuit ut privilegium personale. Cantuarienses porrò Archiepiscopi non nisi diù post ista tempora facti fuerunt Vicarij apostolicæ sedis.

II. Simplicius Papa vices suas per Hispaniam concessit Zenoni Episcopo Hispalensi, absque ulla jurisdictione, tantùm ut canones & decreta apostolicæ sedis servari procuraret.

III. Hormisda vices suas per Hispaniam concessit Ioanni Episcopo, sive ille Tarraconensis fuit, sive Illicitanus.

IV. Verùm non eitribuit tantam potestatem quanta tributa fuerat Episcopis Thessalonicensibus & Arelatensibus. Explicatur istius potestas. Fuit simplex delegatio absque jurisdictione.

V. Disparratio est Sallustij Episcopi Hispani, cui idem Hormisda vicariatum concessit cum jurisdictione conjunctum. Mandata porrò illi data non undequaque conveniebant cum mandatis quæ data fuerant Episcopis Ecclesiarum Thessalonicensis & Arelatensis.

VI. Idem Hormisda vices suas contulisse dicitur in Gallia sancto Remigio Remensi Episcopo. Verùm literæ Hormisdæ de vicariatu Remigij respuuntur ab eruditis.

VII. Sanctus Gregorius vices suas in Sicilia commisit Maximiano Episcopo Syracusano. Sed hoc privilegium fuit personale.

VIII. Idem Gregorius sollicitus de Anglis fide Christiana imbuendis, illuc misit Augustinum Abbatem; quem postea Episcopum ordinari jussit, Pallióque decoravit.

IX. Vices apostolicæ sedis illi datæ sunt cum Pallio, cum quo ea dignitas conjuncta erat. Porrò privilegium illud fuit personale. Posterioribus seculis Archiepiscopus Cantuariensis erat Legatus natus sedis apostolicæ in Anglia.

I. POST explicatum vicariatum Ecclesiæ Arelatensis, res postulare prima fortassis fronte videretur ut etiam ageremus de dignitate Ecclesiæ Cantuariensis, cujus Archiepiscopus Augustinus apostolicæ sedis Vicarius fuit in Anglia. Verùm quoniam privilegium illud personale tantùm fuit, non verò perpetuum, ut manifestè colligitur ex epistola Gregorij Magni ad Augustinum, quam Beda recitat, cùm præterea constet Cantuarienses Archiepiscopos nonnisi diù post ista tempora factos fuisse Vicarios Romani Pontificis, nos, qui veterum solummodo temporum Vicarios susceepimus examinandos, omittimus hanc materiam, ut quantum fieri poterit paucissimis verbis loquamur de viris illis quorum personis vices suas Romani Pontifices antiquitus commiserunt.

Beda lib. 1. cap. 29

II. Primus hujusce generis Vicarius occurrit Zeno Episcopus Hispalensis, quem Papa Simplicius circa annum CDLXVII. ea dignitate ornans, nulla eum jurisdictione instruxit; tantùm eum monuit ut curam canonum & decretorum apostolicæ sedis susciperet in regionibus Hispanicis, ut ea observari procuraret. *Talibus idcirco gloriantes indiciis*, inquit Simplicius, *congruum duximus vicaria sedis nostræ te auctoritate fulciri; cujus vigore munitus, apostolicæ institutionis decreta vel sanctorum terminos patrum nullo modo transcendi permittas.*

III. Sequenti seculo vixit Hispanus alter Episcopus, nomine Ioannes, quem vulgò putant Tarraconensem Episcopum fuisse; cùm tamen admoneat auctor catalogi Archiepiscoporum Tarraconensium præfixus volumini Constitutionum provincialium Tarraconensium, in veteri canonum libro hunc Ioannem Illicitanæ Ecclesiæ Episcopum appellari. Ad hunc ergo literas anno DXXI. scripsit Hormisda Pontifex Romanus; in quibus post laudes ejus, quòd pro ecclesiasticis disciplinis sanciendis apostolicam sedem consuluisset, hæc addit: *Et quia per insinuationem dilectionis tuæ nobis est viæ patefacta providentia, remuneramus solicitudinem tuam, & servatis privilegiis Metropolitanorum, vices vobis apostolicæ sedis eatenus delegamus, ut inspectis istis, sive ea quæ ad canones pertinent, sive ea quæ à nobis sunt nuper mandata serventur, sive ea quæ de ecclesiasticis causis tuæ revelationi contigerint, sub tua nobis insinuatione pandantur. Erit hoc studij ac solicitudinis tuæ, ut talem te in his quæ injunguntur exhibeas, ut fidem integritatémque ejus cujus curam suscipis imiteris.*

IV. His verbis Hormisda tantam huic Ioanni potestatem non tribuit quantam Thessalonicensibus & Arelatensibus tribuerant olim Romani Pontifices. Sic enim vices illi suas delegat, ut nihil illi licere velit in provincia; tantùm illum admonet relationem ad apostolicam sedem mittere quoties eæ causæ intra hanc partem Hispaniæ in qua iste habitabat evenirent de quibus necessariò consulenda esset eadem sedes. Ceterùm non tribuit illi judicia causarum, neque potestatem convocandi Concilia, necessitatem demum accipiendarum ab eo formatarum non imponit Episcopis peregrè profecturis. Immo in epistola tum scripta ad universos Episcopos Hispaniæ, tametsi scribat se constituta ista edidisse post suggestionem Ioannis, nullam tamen illi prærogativam tribuit, neque ejus mandata aut monita spectare jubentur Episcopi Hispani. Vnde patet vicariatum illum fuisse simplicem delegationem absque jurisdictione; tantùm ut esset in Hispania qui de omnibus quæ illic evenirent referret ad apostolicam sedem, ne quid alicujus momenti lateret Episcopum Romanum.

V. Ejusdem Hormisdæ beneficio Hispanus alter Episcopus, nomine Sallustius, Hispalensis, ut vulgò putant, Episcopus, vicariatum cum auctoritate conjunctum accepit per Bæticam Lusitaniámque provincias. Nam præter cetera, hanc ei potestatem tribuit ut Concilia congregare possit, ad quæ convenire teneantur Episcopi. Tum

causarum quæ inter Episcopos emergerent cognitionem ei judiciúmque committit. *Vices itaque nostras*, inquit, *per Bæticam Lusitaniámque provincias, salvis privilegiis quæ Metropolitanis Episcopis decrevit antiquitas, præsenti tibi auctoritate committimus, augentes tuam hujus participatione ministerij dignitatem, relevantes nostras ejusdem remedio dispensationis excubias.* Tum de celebrandis Conciliis, & de causis Episcoporum judicandis: *Quoties universalis poscit religionis causa, ad Concilium te cuncti fratres evocante conveniant; & si quos eorum specialis negotij pulsat contentio, jurgia inter eos oborta compesce, discussa sacris legibus determinando certamina.* Demum verò jubet ut de singulis quibusque negotiis ad se rescribat, etiam de iis quæ finem in provincia accepissent; prorsùs contra mandata quæ Vicariis Thessalonicensi & Arelatensi data fuerant, qui tum demum relationem ad apostolicam sedem mittere tenebantur, si causa in provinciali judicio terminari non potuisset. *Quidquid autem illis*, inquit Hormisda, *pro fide & veteribus constitutis vel provida dispositione præcipies, vel personæ nostræ auctoritate formabis, totum ad scientiam nostram instructæ relationis attestatione perveniat.*

VI. Hunc eundem Hormisdam volunt sancto Remigio Remensi Episcopo vices suas commisisse per regnum Clodovei, qui baptizatus & insertus corpori Christi fuerat ab eodem Remigio. Extant porrò literæ ad Remigium propterea datæ ab Hormisda, descriptæ, ut visum est viris eruditissimis, ex superiori epistola ad Sallustium, adeóque fortassis referendæ inter spurias Pontificum Romanorum epistolas. Certè Sirmondus, cùm Conciliorum Galliæ tomos adornaret, in quos varia Romanorum Pontificum rescripta conjecit, istud omisit, non omissurus hauddubiè si qua in eo lux veritatis deprehensa ab illo fuisset. Quia tamen sunt qui epistolam illam germanam esse contendunt, judicio suo fruantur.

VII. Sanctus Gregorius vices suas in pluribus provinciis commisit diversis Episcopis, quos recensere supervacaneæ esset diligentiæ. Heic tantùm agere paucis institui de vicariatu Maximiani Episcopi Syracusani & Augustini Cantuariensis. Ad Maximianum quod spectat, cùm ad eum extent plurimæ Gregorij epistolæ, hac in primis ejus auctoritatem sancivit in Siculas Ecclesias. *Super cunctas Siciliæ Ecclesias reverendissimum te virum Maximianum fratrem & coëpiscopum nostrum vices sedis apostolicæ ministrare decernimus, ut quisquis illic religionis habitu censetur, fraternitati tuæ ex nostra auctoritate subjaceat: quatenus eis non sit necessarium post hæc pro parvulis ad nos causis tanta maris spatia transmeando pervenire; sed si qua fortasse difficilia existunt, quæ fraternitatis tuæ judicio nequaquam dirimi possint, hæc solummodo nostrum judicium flagitent, ut sublevati de minimis, in causis majoribus efficaciùs occupemur.* Ne verò successores Maximiani ex ea epistola asserere in posterum Syracusanæ sedi conarentur vicariatum apostolicæ sedis, his eam verbis concludit: *Quas videlicet vices, non loco, sed personæ tribuimus: quia ex transacta in te vita didicimus quid etiam de subsequenti tua conversatione præsumamus.* Privilegium itaque fuit personale.

Greg. l. lib. 2. indict. 10. epist. 4.

Vide suprà cap. 22. §. 2.

VIII. Anno Christi DXCVI. cupiens Gregorius Anglos imbuere religione Christi, illuc misit Augustinum Abbatem, quem postea Episcopum ordinari jussit, Pallióque decoravit. Tum ei mandavit ut duodecim Episcopos per diversa loca ordinaret sub Londinensis Ecclesiæ, ad quam ordinatus erat Augustinus, auctoritate. Mandavit præterea ut totidem Episcopi ordinarentur sub Episcopo Eboracensi. Hos autem omnes, id est, universos Britanniæ Episcopos, decernit semper subjectos fore Augustino, ita tamen ut privilegium illud non transeat ad successores. *Post obitum verò tuum*, inquit, *ita Episcopis quos ordinaverit* (Eboracensis nimirum Episcopus) *præsit, ut Londonienses Episcopi nullo modo ditioni subjaceat. Sit verò inter Londonienses & Eboracenses civitatis Episcopos in posterum honoris ista distinctio, ut ipse prior habeatur qui priùs fuerit ordinatus.*

IX. Objici potest nullam in his Gregorij literis mentionem esse vicariatus apostolici, adeóque hinc colligi non posse Episcopos Britanniæ subjectos Augustino fuisse tanquam Vicario Summi Pontificis. Et sanè certum est vicariatum illum datum non fuisse Augustino conceptis verbis. Attamen affirmare licet eum vices apostolicæ sedis accepisse cum Pallio. Quod manifestè colligitur ex nono ejusdem Gregorij responso ad interrogationes Augustini, quæ extant apud Bedam. Interrogaverat illum Augustinus qualiter deberet cum Galliarum & Britanniarum Episcopis agere. Respondit Gregorius: *In Galliarum Episcopos nullam tibi auctoritatem tribuimus: quia ab antiquis prædecessorum meorum temporibus Pallium Arelatensis Episcopus accepit, quem nos privare auctoritate percepta minimè debemus.* Cum Pallio igitur conjuncta tum erat dignitas Vicarij apostolicæ sedis, quam adimere Arelatensi Episcopo injustum esse putabat Gregorius. Dispar ratio fuit de Episcopis Britanniæ; quos, cùm nulli alij Vicario parerent, subjectos esse statuit Augustino, ut in superiori epistolæ

la. Ait enim in fine istius responsi: *Britanniarum verò omnes Episcopos tuæ fraternitati committimus, ut indocti doceantur, infirmi persuasione roborentur, perversi auctoritate corrigantur.* Porró privilegium hoc personale fuisse jam observavimus. Posterioribus tamen seculis Vicarij sive Legati dignitas affixa est Ecclesiæ Cantuariensi, ita ut Ecclesiæ illius Episcopus diceretur Legatus natus sedis apostolicæ.

CAPVT XLIII.

Synopsis.

I. Gregorius II. Papa Bonifacium in Germaniam misit, ut gentes illas in fide Christi erudiret. Is gessit vicem Petri inter feroces & indomitas gentes.

II. Legatione igitur Romanæ sedis ornatus est; ut ipse docet apud Othlonum & alibi. Probatur etiam auctoritate Hincmari.

III. Legationem exercuit cum consensu Regum nostrorum & Episcoporum, in neminem coniumelioſue. Agnovit autem nullam se muneris sui partem exequi posse absque auctoritate Karoli Francorum Principis. Karoli Martelli pietas laudata à Bonifacio & à Pontificibus Romanis. Bonifacium auctoritatem ecclesiasticam nusquam frangi permisit. quod probatur auctoritate Lupi Ferrariensis.

IV. Gregorius II. Legatum suum Bonifacium commendavit Karolo Martello, tum omnibus Francis, rogans eos uti Bonifacio sociisque ejus alimenta victui necessaria subministrarent.

V. Quæritur an ad Bonifacium pertinuerit congregatio Conciliorum. Poterat cogitare de celebrando Concilio; sed ejus ministerium quoad hoc in sola suggestione positum erat, omninóque auctoritate Principis opus erat ad Concilia congreganda. Quod probatur auctoritate Concilij Liptinensis, tum etiam testimonio Vvillibaldi.

VI. Extincto Zacharia, opus Bonifacio fuit vicariatus continuationem petere à Stephano secundo.

VII. Familiaritatis apostolicæ sedis vocabulo intelligitur vicariatus Romanus. Probatur auctoritate Bonifacij, Nicolai primi, & Innocentij tertij.

VIII. Refertur epistola Bonifacij ad Stephanum, qua petit uti legatio sedis apostolicæ sibi continuetur.

IX. Ostenditur id factum ab eo non esse prava ambitione, sed ut extraordinaria illa auctoritate uteretur ad majorem Dei gloriam. Instituitur aliqua comparatio inter Bonifacium & Hilarium Episcopum Arelatensem.

X. Bonifacius abstinuit à nomine Legati donec eam dignitatem rursum accepit a Stephano, ut colligitur ex duabus illius epistolis. Martyrium pro Christo deinde subiit in Frisia.

I. QVEMADMODVM Gregorius primus Anglos fide Christiana imbuendos suscepérat, ita Gregorius secundus Germanorum curam gessit, misso in eam provinciam Vvinfrido sive Bonifacio anno Christi septingentesimo decimo nono. De viri illius virtutibus necesse nunc non est quicquam dicere, cùm satis fama notus sit, réisque ab eo præclarè gestæ claris jam scriptoribus memoratæ sint. De legatione tantùm ejus agendum est, ut intelligere possimus in quo ea versaretur, & quis ex ea fructus colligi pro rebus nostris possit. Illud tamen interim observare possumus in antecessum, multis eum variisque contradictionibus jactatum esse, utpote qui, ut ad ipsum scribit Benedictus Episcopus & vicedominus sanctæ sedis apostolicæ, vicem beati Petri gereret inter feroces & indomitas gentes. Plurimum tamen solatij inter tot mala habuit ex gratia Principum nostrorum, qui sua eum auctoritate juvarunt, eóque usi sunt ad revocandam collapsam disciplinam ecclesiasticam.

II. Legatione illum Romani Pontificis ornatum fuisse cùm in Germaniam missus à Gregorio est, tametsi Presbyter tantùm esset, patet ex verbis ipsius ad Vvillibrordum Episcopum Trajectensem, quæ recitat Othlonus. *Onus regiminis*, inquit, *quod mihi indigno imponere cupis, sanctæ Præsul, suscipere non audeo, quia à beato Gregorio Papa in Germaniam ob evangelizandi causam directus sum; ipsiusque legationis gratia in has barbaras nationes adveniens, sponte me tuæ gubernationis imperio subjeci.* Ea de causa ipse se eadem tempestate vocabat ultimum & pessimum omnium Legatorum quos catholica & apostolica Romana Ecclesia ad prædicandum Evangelium destinavit. Et multò pòst ad Zachariam Pontificem Romanum scribens ait: *Et quia servus & Legatus apostolicæ sedis esse dinoscor, unum sit verbum & meum hic & vestrum ibi.* Testatur idipsum & Hincmarus in epistola XLIV. cap. XX. *Gregorius à primo secundus, sed & tertius Gregorius, Vvinfrid cognomento Bonifacium Legatum apostolicæ sedis ad reformandam Christianitatis religionem, primò Presbyterum, postea verò Episcopum ordinatum, direxerunt.*

III. Vicariatum ille suum exercuit cum consensu Regum nostrorum & Episcoporum, quorum intererat, nulla injuria facta juri Principum aut Conciliorum. Istud ex epistola CXXXV. Bonifacij ad Zachariam collegit illustrissimus Archiepiscopus, in qua sic legitur: *Notum enim sit paternitati vestræ quia postquam indigno mihi mandastis in provincia Francorum, sicut & ipsi rogaverunt, sacerdotali Concilio & synodali conventui præesse, multas injurias & persecutiones passus sum.* Sanè ipse Bonifacius scribens in initiis suæ legationis ad Danielem Episcopum, agnoscit nullam se muneris sui partem exequi posse absque auctoritate Karoli Francorum Principis. *Nam sine patrocinio Principis Francorum nec populum regere, nec Presbyteros vel Diaconos,*

monachos vel ancillas Dei defendere possum, nec ipsos paganorum ritus & sacrilegia idolorum in Germania sine illius mandato & timore prohibere valeo. Quod ne quis ad vim aut contradictionem Karoli referre possit, prohibet auctoritas ipsius Bonifacij, qui pietatem ejus multis laudibus celebrat, tum etiam epistolæ Summorum Pontificum Gregorij II. & Gregorij III. ac Zachariæ, qui eum & vivum & mortuum laudant, ob cetera quidem bene facta ejus, sed etiam ob auxilium Bonifacio præstitum in diversis causis ecclesiasticis. Præterea Lupus Ferrarienſis in vita sancti Vvigberti cap. III. Bonifacium laudat quòd auctoritatem ecclesiasticam nusquam frangi permiserit, eámque violari non consenserit à Principibus, inter quos diù versatus est. Hæc sunt verba Lupi loquentis de Bonifacio: *Fuit enim fidei Christianæ cùm propugnator acerrimus, tum propagator vigilantissimus, nesciens aucupari favorem Principum fœdissimis adulationibus, nec honorem seu rigorem ecclesiasticum mortiferis compendiis ac malè dulcoratis refrigeriis enervare.* Vnde colligi debet legitima seculo illo visa esse quæ tempore Bonifacij agebantur in causis ecclesiasticis à Principibus Francorum.

IV. Mittens itaque Gregorius II. Bonifacium in Germaniam, Episcopum jam ordinatum, cum vicibus apostolicæ sedis, primùm, quod dignitas apostolicæ sedis postulabat, eum commendavit Karolo Francorum Duci, cui Martello cognomen hæsit. *Pro quibus eum gloriosæ benevolentiæ tuæ*, inquit, *omnimodo commendamus, ut in omnibus necessitatibus adjuvetis, & contra quoslibet adversarios, quibus in Domino prævaletis, instantissimè defendatis.* Sciebat enim non aliter posse hominem peregrinum versari inter Francos quàm cum consensu Principis, eum præsertim qui aliqua auctoritate instructus esset quæ suspicionem novarum rerum injicere potuisset in animum Principis. Ceterùm ut essent qui eum favore suo juvarent apud Karolum, Bonifacium per epistolam generalem commendavit Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Ducibus, Castaldiis, Comitibus, omnibúsque Deum timentibus, rogans præterea eos uti Bonifacio sociísque ejus alimenta victui necessaria subministrarent. Verùm contributio illa, præterquam quòd voluntaria erat, infra mediocritatem subsistebat, quòd (ut rectè adnotat illustrissimus Archiepiscopus) exigui admodum sumptus sufficerent homini frugaliter viventi & Apostolorum virtutibus æmulanti.

V. Quæri autem hoc loco potest, an Bonifacio, qui Romani Pontificis Legatus erat, ea fuerit auctoritas, ut ad eum pertineret congregatio Conciliorum; præsertim cùm in mandatis quæ Thessalonicensibus & Arelatensibus Episcopis data vidimus, illud in primis eis tribuatur, ut quoties ita putaverint esse faciendum, synodos congregent in suis provinciis. quæ mandata data quoque deinceps sunt Legatis quos post Karoli Magni tempora Romani Pontifices miserunt in provincias. Nam & in epistola Zachariæ ad Bonifacium legimus ipsum à Papa petiisse uti sacerdotem quendam mitteret in Galliam ad Concilia celebranda. *Petisti*, inquit Zacharias, *ut sacerdos à nobis dirigatur in partibus Franciæ & Galliæ ad Concilia celebranda.* Vnde colligi posse videtur penes Legatos fuisse per eas tempestates auctoritatem congregandi Concilia. Verùm hanc controversiam statim solvit ipse Zacharias. Nam cùm dixisset necessarium non esse ut alius pro hac causa dirigatur in illam provinciam Bonifacio superstite, *qui sedis apostolicæ & nostram illic præsentas vicem*, demum addit: *Concilia verò, aggregatis Episcopis provincialibus, ut tibi & ubi tibi rectum videtur, celebranda procura.* Poterat ergo Legatus cogitare de celebrando Concilio; sed ejus ministerium quoad hoc in sola suggestione positum erat, omninóque auctoritate Principis opus erat ad Concilia congreganda, ut patet etiam ex præfatione Concilij Liptinensis. Quare Vvillibaldus in vita sancti Bonifacij cap. IX. ista rectè annotavit: *Cùmque Caroli Ducis glorioſi temporale finitum esset regnum, & filiorum ejus Carolomanni & Pipini roboratum esset imperium, tunc quippe Domino Deo opitulante, ac suggerente sancto Bonifacio Archiepiscopo, religionis Christianæ confirmatum est testamentum, & orthodoxorum patrum synodalia sunt in Francis correcta constituta.* Item cap. X. *Carolomannum Ducem ad congregandum supradictum synodorum conventum sæpissime concitavit.* Sed tum de hac causa, tum etiam de ceteris rebus gestis Bonifacij in legatione, nihil ampliùs dicam, quoniam illustrissimus Archiepiscopus ista accuratè executus est in lib. VI. cap. XXIV. XXIX. & lib. VIII. cap. XI.

VI. Vicariam sedis apostolicæ dignitatem per sex & triginta annos habuit Bonifacius, decursis videlicet duorum Gregoriorum & Zachariæ pontificatibus, qui hoc ei munus summa cum ejus laude mādaverant. Illis cùm successisset Stephanus istius nominis secundus anno DCCLII. viderétque se velut contemni à Bonifacio, qui toto biennio neque nuntium ad eum miserat neque literas quibus ei gratularetur successionem in cathedra Apostolorum, ac nihilo minùs vicariam illam potestatem absque suo permissu retinebat, hauddubiè adversùs illum incanduit, expirasse eam potestatem docens morte Za-

Bonifac. epist. 149

chariæ, adeóque caveret ne quid deinceps ex ea præsumeret. Ista ita contigisse mihi collegisse videor ex epistola Bonifacij ad Stephanum: in qua deprecans errores suos, tum tarditatem suam excusans, omnibus modis contendit à Stephano uti sibi continuaretur ea dignitas, multùm obtestatus se nihil eorum prætermisisse quæ conducere putasset ad asserendam Romani Pontificis auctoritatem apud exteras nationes, emendaturum porrò si quid minùs bene gestum esset, tantùm ne ipsum ea ignominia afficeret ut tot per annos fixum fastigij regimen sibi abrogaret.

Bonifac. Mogunt. epist. 91.

VII. Sed antè quàm Bonifacij verba referam, admonendus est lector, familiaritatis apostolicæ sedis vocabulo, quo heic utitur Bonifacius, intelligi vicariatum Romanum. Testis erit ipse Bonifacius in epistola CXXXV. ad Zachariam: in qua loquens de vicibus apostolicæ sedis sibi commissis, quibus per triginta tum annos ornatus fuerat, ait: *Postquam me ante annos propè triginta sub familiaritate & servitio apostolicæ sedis annuente & jubente venerandæ memoriæ antistite apostolico Gregorio anteriore voto constrinxi, quicquid mihi lætitiæ acciderat apostolico Pontifici solebam indicare.* Sic etiam fortassis explicanda est vox familiaritatis in epistola XIX. Nicolai primi ad Lotharium Regem Austrasiæ, qua eum rogat ut Rodoaldum Portuensem Episcopum & Ioannem Ficolensem, Legatos apostolicæ sedis, *digno honore suscipiat, & familiaritatis eis locum concedat*, id est, honorem illis habeat congruentem viris qui familiaritate seu legagatione sedis apostolicæ instructi erant, & ut eos Legatorum auctoritate uti sinat. Sic Innocentius III. instaurationi privilegiorum Ecclesiæ Thessalonicensis intentus, uti suprà adnotavimus, ita scribit ad G. Thessalonicensem, cujus decessores vetustis temporibus fuerant apostolicæ sedis Vicarij per provincias Illyricianas: *Licèt autem præfatus antistes satis profectò fuerit ex Ecclesiæ suæ dignitate conspicuus, magis tamen utique fuit ex apostolicæ sedis familiaritate præclarus.*

Vide suprà cap. 20. §. 4.

VIII. Referenda nunc sunt ipsa Bonifacij verba, ex quibus constabit illum valde voluisse continuato imperio uti, & omnino accensum contumelia Pontificis animum placare ob eam causam studuisse. *Sanctitatis vestræ clementiam intimis ac visceratis obnixè flagito precibus ut familiaritatem & unitatem sanctæ sedis apostolicæ ab almitatis vestræ clementia impetrare & habere merear, & in discipulatu pietatis vestræ sedi apostolicæ serviendo, servus vester fidelis ac devotus permanere possim, eodem modo quo antè sub tribus præcessoribus vestris apostolicæ sedi serviebam venerabilis memoriæ duobus Gregoriis & Zachariæ, qui me semper hortatione & auctoritate litterarum suarum muniebant & adjuvabant. quod & pietatem vestram agere deprecor, ut præceptum paternitatis vestræ eò melius perficere & implere possim. Nam si quid in ista legatione Romana, qua per XXX. & VI. annos fungebar, utilitatis Ecclesiæ præfatæ peregi, adhuc implere & augere desidero. Si autem minùs peritè aut injustè à me factum aliquid vel dictum reperitur, judicio Ecclesiæ Romanæ prompta voluntate & humilitate emendare me velle spondeo. Interea deprecor ut pietas Domini mei non indignetur quia tam tardè Missum meum & litteras ad præsentiam vestram direxi. Sed hoc idcirco contigit quia præoccupatus fui in restauratione Ecclesiarum quas pagani incenderunt, qui per titulos & cellas nostras plus quàm XXX. Ecclesias vastaverunt & incenderunt. Et hæc fuit occasio tarditatis litterarum & appellationis paternitatis vestræ, & non aliqua negligentiæ incuria.*

S. Bonifac. epist. 91. & To. 2. Conciliar. Galliæ pag. 7.

IX. Mirari autem hoc loco non absurdè quis posset, quid est quòd vir insigni modestia præditus, ac morti proximus, quique longissimum per ævum palam professus fuerat contemptum rerum humanarum, nunc timida, ut videtur, ambitione, & sollicita cupiditate legationis, Stephani animum demisso obsequio & inclinata mente mitigare studet. Ista quidem vulgò sunt indicia pravæ ambitionis, quæ in animos hominum sanctissimorum penetrare non potest. Sed quia etiam sapientibus, ut Tacitus observat, cupido gloriæ novissima exuitur, fatendum quidem est superesse adhuc aliquid humani in sanctis illis viris, sed tamen eorum consilia, quæ interdum humana esse prima facie videntur, ad gloriam summi Dei spectare, huc omnes eorum cogitationes tendere, & nihil aliud spirare eos, cùm cogitant de acquirendis aut conservandis honoribus, quàm ut ex ea occasione multa pro imperio agant ad gloriam Dei quæ non adeo facilè exequi possent si privata tantùm auctoritate agerent. Hilarium Arelatensem Episcopum sanctissimum virum fuisse omnes norunt. Et tamen ille multùm sollicitus fuit de retinenda auctoritate sedis suæ per Gallias. Sed ut ostenderet non id se aliqua prava ambitione agere, Romam proficiscens ad tuendam dignitatem suam, non rheda non equo vectus est, non ambitiosum comitatum duxit neque impedimenta; sed ingressus iter pedibus, in equum omnino non ascendit. Itidem Bonifacius, cùm se permulta ad gloriam Dei & ad augmentum Christianæ religionis fecisse intelligeret per sex & triginta annos quibus legationem apostolicæ sedis obtinuerat, multáque adhuc superesse quibus ad optatum finem perducendis necessaria esset continua-

Vide Hilarium tom. 3.

tio suæ legationis, putavit vir sanctus omni studio conandum esse uti ea sibi continuaretur à Stephano Papa.

X. Cessisse Bonifacium monitis Papæ Stephani & à nomine Legati abstinuisse donec eam dignitatem rursum accepit à Stephano colligitur ex titulo istius epistolæ. Nam cùm in plurimis epistolis consuevisset se vocare Legatum Germanicum sedis apostolicæ & Romanæ Ecclesiæ, etiam ad Zachariam scribens, heic abstinet ab illo nomine, discipulum tantùm se dicens Ecclesiæ Romanæ. *Domino excellentissimo*, inquit, *& præ ceteris Pontificibus præferendo & amando, & apostolatus privilegio prædito, Stephano Papæ, Bonifacius exiguus Episcopus, discipulus Romanæ Ecclesiæ, optabilem in Christo caritatis salutem.* At postea quàm mitigatus Stephanus imperium ei continuavit, tum verò ad eum scribens Legatum se rursum Germanicum nuncupavit. *Venerando ac diligendo Domino*, inquit, *apostolatus privilegio prædito, Stephano Papæ, Bonifacius exiguus Legatus vel Missus Germanicus catholicæ & apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, optabilem in Christo caritatis salutem.* Fuit ergo Romanæ Ecclesiæ Legatus etiam sub Stephano secundo, id est, usque ad finem vitæ. Nam non ita multò pòst occisus est à paganis, cùm verbum Dei prædicaret in Frisia.

J. Bonifac. epist. 1. 8. 13. 85. vit. 141.

Num epist. 97.

CAPVT XLIV.

Synopsis.

I. Hactenus antiquitas. Aperit se deinceps nova rerum facies. Quod ut melius intelligatur, inunda primum est velut anacephalæosis quædam eorum quæ dicenda sunt. Post Karoli M. & Nicolai I. tempora major fuit Legatorum auctoritas quàm vetustis temporibus.

II. Olim Legatorum in provincias adventus ne minimo quidem sumptui erat provincialibus. Procurationes deinde Legatorum introductæ sunt, quarum occasione Legati ad summas opes pervenirent. Tandem prorsùs abolitæ sunt.

III. Fuere tamen nonnulli Legati qui castè provincias administrarunt. Sed ij pauci numero fuere.

IV. Invit Legatorum fortunam timor ex potestate eorum, quæ maxima erat. Ista quidem feliciter ut plurimùm cessere. Fuere tamen ea temporum vicissitudines ut interdum Romanos Pontifices pœnituerit quod nimis amplam potestatem tribuissent Legatis.

V. Inde paulatim abolitus usus frequentium legationum, tum etiam ob contradictionem Principum & Episcoporum. Melius enim ac consultius visum est abstinere à mittendis Legatis quàm eos exponere tot procellis ac tempestatibus.

VI. Nullus post Bonifacij obitum Legatus fuit in Gallia & Germania usque ad Karoli Calvi tempora. Probatur ex Hincmaro, qui putabat Metropolitanorum ac reliquorum Episcoporum jura convelli cùm legatio sedis apostolicæ cuipiam tribuebatur cum jurisdictione.

VII. Drogo Episcopus Metensis, olim sacri Palatij Archicapellanus sub Ludovico Pio, vicariatum apostolicæ sedis per Gallias obtinet à Sergio secundo. Explicantur capita auctoritatis illi concessæ.

VIII. Passus est contradictionem ab Episcopis Gallicanis, & conatus ejus frustrà fuit.

IX. Venerunt postea legationes sedis apostolicæ in consuetudinem. Legati Nicolai I. pecunia corrupti, immensis ditati opibus Romam regressi sunt.

X. Arsenius Hortensis Episcopus in Galliam mittitur cum amplissima potestate. Hunc Adventius Episcopus Metensis laudat quòd manus suas excusserit ab omni munere.

XI. Auctor tamen annalium Fuldensium docet illum magnificis muneribus honoratum fuisse à Ludovico Rege Germaniæ & à Karolo Calvo fratre ejus. Quod evertere videtur testimonium Adventij. Nisi si discrimen constituatur inter munera Principum & privatorum hominum.

I. HACTENUS antiquitas. Nunc se nobis nova rerum facies offeret, cùm post explicatam & assertam in animis gentium ac nationum Romani nominis potestatem, cuncta per Legatos actitata sunt, qui pro suæ voluntatis arbitrio & ædificabant & destruebant quæ vel ædificanda vel destruenda esse videbantur. Sed antè quàm immensum illum vastúmque ultimorum temporum campum ingrediamur, operæ pretium est inire in anteccessum velut anacephalæosin quandam eorum quæ nobis incumbunt dicenda; quibus imbuti lectorum animi, paratiores ad hanc materiam descendant, & hac facillima methodo velut manu ducantur ad cognitionem rerum haudquaquam contemnendarum. Primùm ergo adnotandum est, tamenetsi magna olim fuerit Legatorum apostolicæ sedis auctoritas, non adeo tamen effusam fuisse ac liberam ut fuit post Karoli Magni tempora, cùm ad Nicolaum primum ventum est.

II. Deinde sciendum, Legatorum in provincias adventum ne minimo quidem sumptui olim fuisse provincialibus, ultimis verò temporibus latam esse legem, qua cautum est uti Legatis suppeditarentur sumptus, non solùm necessarij, sed etiam liberales, ab iis ad quos mittebantur. Ea pensitatio, quæ procuratio dicebatur, modica in initio fuit, deinde ita vitio humanæ mentis excrevit, ut & provinciæ exhaurirentur, & sumptus effunderentur cum probro atque dedecore, ob fastum & pompam Legatorum. Quin & interdum Romani Pontifices, ut caris suis gratificarentur, occasionémque darent opum brevi compendio parandarum, legatione illos sua ornabant, sícque instructos ad provincias mittebant opulentas & ad obsequium inclinatas. Quo fiebat ut qui pau-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

peres & inopes accedebant ad provincias, repentè divites facti, eas ſtatim deponerent, adeo ut non ob aliud veniſſe viderentur, ut innuit Ivo Carnotenſis, quàm ut provinciam raptarent ſub umbra legationis. Nam ſicut torrentes cùm hybernis aut fortuitis imbribus intumuere, cuncta objecta rapiunt, domos ſubruunt, arbores evellunt, & circumpoſitum latè vaſtant agrum, ſic iſti Romani, velut aliquod flumen torrens, quod de veteribus Romanis dicebat Arnobius, data hac diteſcendi occaſione cunctas ſubmergebant atque obruebant nationes. Hinc tot graves & juſtæ provincialium querelæ; quæ tandem extorſerunt Innocentij III. conſtitutionem qua modus quidam ponitur his procurationibus, quas ſequens ætas prorsùs abolevit utiliter in publicum.

Arnob. lib. 1.

III. Interim obſervandum eſt non ita generalem fuiſſe eam peſtilentiam quin aliqui evaſerint. Sed ij, fatendum enim eſt, tam pauci numero fuere, ut ob eam ipſam abſtinentiam valde laudati ſint à ſcriptoribus ſuorum temporum, tantùm quia caſtè, ut decebat, provinciam adminiſtraverant. Nam & eò olim proceſſerat corruptela illa malæ conſuetudinis ut inventus ſit Legatus qui ſe gloriaretur non fuiſſe gravem provinciis ſanguinique provincialium peperciſſe.

IV. Iuvit Legatorum fortunam timor ex poteſtate eorum, quòd ſolerent cuncta provinciarum negotia in ſe trahere, Concilia celebrare, Epiſcoporum electionibus ſemet immiſcere eorúmque judicia peragere, denique cuncta vertere prout vellent. Iſta quidem feliciter utplurimùm ceſſere; ex eáque felicium eventuum fortuna factum eſt uti eorum memoria magnam ſibi auctoritatem magnóſque ſpiritus in rebus eccleſiaſticis & Legati ſumerent & Pontifices darent. Fuere tamen eæ temporum viciſſitudines ut interdum Romanos Pontifices pœnituerit quòd nimis amplam poteſtatem Legatis ſuis tribuiſſent; qui pravo conſilio rem gerentes, nam temeritas non eſt ſemper felix, Romanum nomen in invidiam adducebant.

V. Inde paulatim abolitus uſus frequentium legationum, tum etiam ob contradictionem Principum, qui reverentiam prohibebant exhiberi Legatis qui ſibi non eſſent accepti, aut quorum mandata putabant ſibi ac provinciis eſſe contraria & infeſta. Vnde orta conſuetudo examinandi eorum facultates antè quàm munere ſuo fungantur in Gallia. Quin & interdum Epiſcopi detrectabant eorum imperium. Itaque melius ac conſultius viſum eſt abſtinere à mittendis Legatis quàm eos exponere tot procellis ac tempeſtatibus. His ita enarratis, deſcendamus nunc ad rem ipſam, per partes viſuri quæ heic dicta in averſione ſunt.

VI. Nullus hactenus poſt ſancti Bonifacij obitum, ut Sirmondus obſervat ex Hincmaro, Pippini Regis & Karoli ac Ludovici Imperatorum temporibus Legatus apoſtolicæ ſedis in Gallia aut Germania fuerat. Præſtat autem ipſa Hincmari verba referre, ex quibus nonnulla colligi poſſunt quæ valde conducunt ad intelligendam ſeculi illius diſciplinam. Sic ergo loquitur ille in epiſtola XLIV. cap. XXX. *Sancto & venerando viro Bonifacio in Friſia verbum Domini prædicante anno incarnationis dominicæ* DCCLIV. *martyrio coronato, & ſimoniacæ hæreſis pravitate & neophytorum præſumptione ac ceteris quibuſque pro temporum opportunitate & qualitate compoſitis, hactenus provinciæ Ciſalpinæ, temporibus Pippini Regis & Karoli ac Hludovici Imperatorum, ſine hoc Primicerio vel Primate à ſede apoſtolicâ delegato annos circiter viginti tres manſerunt, & Metropolitanis ſingulis ſuo jure ſervato, apoſtolicæ ſedis favore & Principum ſuorum diſpoſitione ſecundùm ſacros canones & decreta ejuſdem ſanctæ ſedis Pontificum quæque fuerunt agenda venerabiles Epiſcopi per auctoritatem canonum ſacrorum & decreta ſedis Romanæ Pontificum peregerunt.* Putabat ergo, ut videtur, Hincmarus Metropolitanorum ac reliquorum Epiſcoporum jura convelli poteſtatémque deminui cùm legatio ſedis apoſtolicæ cuipiam tribuebatur cum juriſdictione.

Hincmar. Tom. Concil. Gal. pag. 3.

Pithœus lib. cap. 31. p. 6.

VII. Extincto itaque Bonifacio, nullus in regno Francorum Legatus apoſtolicæ ſedis fuit per annos nonaginta. Anno demum DCCCXLIV. Drogo Epiſcopus Metenſis, Karoli Magni filius ex concubina, ægrè ferens hauddubiè quòd primum locum amiſiſſet ſuper Epiſcopos Gallicanos poſt mortem Ludovici Pij, quo vivente fuerat ſacri Palatij Archicapellanus, alia ratione putavit proſpiciẽdum eſſe dignitati ſuæ, voti porrò compotem ſe futurum ſi vicibus apoſtolicæ ſedis ornaretur in regno Francorum. Agitaſſe iſta illum puto cùm captum conſilium eſt mittendi Romam Ludovicũ filium Lotharij Imperatoris; ut ea pulcherrima occaſione uſus Regum patruus, vir præterea rerum agendarum peritia clarus, & qui vivente Ludovico fratre multum ubique auctoritatis habuerat, à Pontifice Romano, qui tum erat Sergius iſtius nominis ſecundus, vicariatum ſedis apoſtolicæ per Ciſalpinas provincias acciperet. Extant literæ Sergij II. de vicariatu Drogonis, editæ à viro clariſſimo Iacobo Sirmondo, ex quibus colligimus Pontificem Drogoni commiſiſſe cunctas provincias cis Alpes conſtitutas,

tas, ut Episcoporum per provincias illas constitutorum necessitatibus vice Romani Pontificis subveniret, eorum causas judicaret, Concilia generalia celebraret, denique ut ad eum referretur de omnibus causis quæ ubique emergerent, omnium verò provincialium Conciliorum decreta ad eum mitterentur.

VIII. His mandatis instructus Drogo cùm rediisset in Galliam, passus contradictionem est ab Episcopis ægrè ferentibus eam illi datam esse potestatem quæ omnium Metropolitanorum & Episcoporum auctoritatem pessumdaret. Itaque licèt præsederit paulò pòst in Concilio habito ad Theodonis villam, in loco qui dicebatur *Iudicium*, is tamen honor ei tributus non est ob vices apostolicæ sedis, sed ob nobilitatem ejus. Nam & in titulo ejusdem Concilij scriptum est Drogonem ei præsedisse *consensu eorundem Regum*, id est, Lotharij, Ludovici, & Karoli. Præterea conatus istos Drogonis frustra fuisse colligitur ex canone XI. Concilij Vernensis & ex epistola XLIV. Hincmari cap. XXX. Sed de toto isto negotio opus non est nos plura dicere, cùm illustrissimus Archiepiscopus illud accuratè discusserit in hoc opere.

Vide supra lib. 4. cap. 5. & infra lib. 6. cap. 19. & 24.

IX. Venerunt postea legationes apostolicæ sedis in consuetudinem, non quidem commissæ per longum tempus, sed secundùm varias quæ emergebant occasiones. Anno DCCCLXIII. à Nicolao primo Papa *missi sunt*, ut scribit auctor annalium Metensium, *Hagano & Rodoaldus apostolicæ sedis Legati in Galliam* ad discutiendum causam Lotharij Regis & Vvaldradæ. *Qui in Franciam venientes, pecunia corrupti, magis faverunt iniquitati quam æquitati, & immensis ditati opibus, Romam regressi sunt.* Agit etiam de his auctor annalium Bertinianorum, qui Legatos illos fuisse ait Raduoldum Portuensem Episcopum & Ioannem Ficoclensem; adnotat autem illos muneribus corruptos, *epistolas Domni Apostolici occultantes*, nihil de his quæ sibi commendata fuerant egisse; *ut autem aliquid viderentur egisse*, Guntharium Colonien sem Archiepiscopum & Theutgaudum Trevirensem Romam ire jussisse. Ea de causa Rodoaldus depositus est anno sequenti in Romana synodo, ut docent ejusdem Nicolai literæ.

Vide Annal. Bertin. Rem. ad ann. 863. n. 3.

Vid. I. epist. 10.

X. Anno DCCCLXV. idem Nicolaus pro eadem causa misit in Galliam Arsenium Hortensem Episcopum & Consiliarium suum. *Quò perveniens*, inquit auctor annalium Metensium, *tanta auctoritate usus est & potestate ac si idem summus Præsul advenisset.* Hic rem strenuè gessit, neque se frangi sinens munerum oblatione neque favore hominum. Testatur istud Adventius Episcopus Metensis ad Papam Nicolaum scribens, ac deplorans quòd huic Legato similis non fuerat Rodoaldus. Hæc sunt ejus verba: *Arsenium reverentissimum ac sanctissimum Episcopum Apocrisiarium atque fidelissimum Consiliarium à vestro sancto latere Legatum excepimus, & quasi angelum Dei gratanter atque inhianter amplexati fuimus, ac pro parte desiderabilis visionis vestræ illo uti decrevimus. Extitit enim nobis ex candelabro pontificatus vestri lucerna ardens & lucens, illumque in divinis cultibus atque necessariis Ecclesiæ negotiis probum cooperatorem ac ferventissimum vestræ legationis executorem esse gavisi sumus. Excussit enim manus suas ab omni munere, & ut de sacrato vestri pectoris fonte potaverat, nobis omnibus æquitatis & justitiæ exempla propinavit.* In hoc epistolæ Adventij fragmento scripsi *executorem*, tamenetsi editiones habeant *excusatorem*, primùm ut sequeremur & sensum epistolæ & admonitionem illustrissimi Cardinalis Baronij, qui *executorem* reposuit in margine, & quia sciebamus in vetustissimo codice monasterij Moyssiacensis, in quo continentur leges Vvisigotthorum, vulgò scribi *excusationem* pro eo quod editiones habent *executionem*. Vnde colligitur certam esse emendationem illam.

Sic in epistola Adriani IV. quæ edita est infrà cap. 46. §. 7.

XI. Sed his quæ ait Adventius in laudem Arsenij, nempe illum excussisse manus suas ab omni munere, repugnare videtur auctor annalium Fuldensium, qui docet illum magnificis muneribus honoratum fuisse à Ludovico Rege Germaniæ & à fratre ejus Karolo Calvo. *Arsenius Episcopus*, inquit, *Nicolai Papæ urbis Romanæ Legatus ob pacem & concordiam inter Hludouvicum & Karolum fratrem ejus necnon Hlotharium nepotem eorum renovandam atque constituendam missus est in Franciam. Qui apud villam regiam Franconofurt à Hludouvico Rege honorificè susceptus, & muneribus magnificis honoratus, conditóque inter eos Placito de supradicta conventione apud Agrippinam Coloniam habituro, ad Karolum Regem in Galliam pergit. Illic quoque mirificè à Rege susceptus, regalibúsque donis sublimatus, propter conditum Placitum Agrippinam, ut diximus, Coloniam venit.* Ista, inquam, convellere videntur auctoritatem eorum quæ in commendationem Arsenij scripsit Adventius; nisi si discrimen ponatur inter munera Principum & privatorum hominum, ut illa accipere liceat tanquam è publico, ista attingere fas non sit, ne munerum acceptio præjudicet adversùs veritatem & justitiam.

Annal. Fuld. ad an. 865.

* * *

CAPVT XLV.

Synopsis.

I. Nicolao primo debentur initia nonnullorum capitum posterioris disciplinæ. Is immediatam Conciliorum generalium convocationem in se traxit absque literis Principis. Vnde emersit necessitas mittendorum Legatorum in provincias.

II. Inde etiam factum ut idem Nicolaus ad Episcopos Gallicanos scripserit apostolica illos auctoritate synodum Metensem celebraturos esse, eique præfuturos Legatos suos. His tamen verbis utitur quæ plurimum modestiæ præferunt.

III. Præter causam Lotharij & Thembergæ, Nicolaus Legatis suis commisit omnes causas provinciarum Gallicanarum. Vnicum hoc vinculum retinendæ auctoritatis. Causæ difficiles ad apostolicam sedem referendæ.

IV. Nihil heic novi statutum à Nicolao. At clausula quæ dein sequitur in ejus literis, prorsùs abolet auctoritatem synodorum. Iubet enim acta Synodi ad se mitti; ut si injustè fuerit judicatum, restaurari jubeat cognitionem.

V. Retinuit tamen aliquam reverentiam erga Reges nostros, jubens ut Legati facultates institutionésque suas communicent cum Karolo Calvo, ut præsentibus Consiliariis ejus examinentur, demum verò executioni mandentur si consensus Regis accesserit.

VI. Prospexit etiam dignitati Episcoporum, Legatis imperans uti easdem facultates & institutiones ostenderent Episcopis. Quo consilio id factum. Populo quoque Christiano ista significari jussit, ob necessitatem publicationis. Ea ratione Conciliorum provincialium auctoritatem infregit.

VII. Emerserunt deinde frequentes legationes, quas recensere supervacaneæ diligentiæ fuerit. Decurrendum tantùm est per illustriores sequentium seculorum eventus.

I. QVONIAM ventum est ad Nicolaum primum, cujus studiis debentur initia nonnullorum capitum posterioris disciplinæ, operæ pretium est in illo paulisper immorari; præsertim cùm ex his quæ dici ea occasione possunt pendeant ea quæ deinceps dicturi sumus de auctoritate & facinoribus Legatorum. Ante Nicolaum Concilia generalia regni Gallicani congregabantur auctoritate Regum, etiam ea quæ Romanus Pontifex haberi præcipiebat. Qui mos cùm satis decens ac rationi consentaneus hactenus habitus fuisset, Nicolai tamen auctoritate tentatus est. Nam is immediatam Conciliorum generalium convocationem in se traxit absque litteris Principis, eo colore quæsito, quòd nemini liceat generalem synodum convocare absque jussione sedis apostolicæ. Ex eo principio emersit necessitas mittendorum Legatorum in provincias, ut Concilia celebrarentur sub eorum præsentia, tanquam si ipse summus apostolicæ sedis antistes adesset & ordini judiciorum immineret. Vidimus itaque in capite superiori missos ab eo Legatos fuisse in Galliam in causa divortij Regis Lotharij, tum etiam ut concordiam revocari procuraret inter Reges dissidentes. Quod ultimum negotium licèt merè seculare esset, nihilque spirituale haberet admixtum, Legato tamen commissum est, ut inciperent Legati omnia negotia in se trahere.

Vide infrà lib. 6. cap. 28. §. 5.

Ibid. §. 3. & 12.

II. Memorabilis est Nicolai epistola ad Episcopos in Concilio Metensi residentes: in qua præscribens ordinem quem sequi oporteat in causa divortij Lotharij, propter quam & Concilium celebrari jubebat & Legatos mittebat, apostolica Episcopos illos auctoritate synodum celebraturos esse pronuntiat, eíque præfuturos Legatos suos. Attamen his verbis utitur quæ plurimum modestiæ præferunt, fortassis ut ea ratione faciliùs Episcopos ad consensum traheret, obstituros novitati, si superbè ac pervicaciter quæsita auctoritas fuisset. Hortatur enim eos ut cum Legatis apostolicæ sedis synodum congregent, cui cum fraternitate eorum præsideant iidem Legati; *quatenus*, inquit, *à pontificij nostri latere venientibus Missis, synodicam illic celebrationem, apostolica fulti auctoritate, cum fraternitate vestra præsidentibus, adunare debeatis.* Ea ratione obtinuit Nicolaus quod animo destinaverat, infelici tamen exitu ob perfidiam & avaritiam Legatorum, ut ipsemet Nicolaus graviter conqueritur alicubi.

III. Præstat reliquas istius epistolæ partes diligenter excutere. Missi fuerant Legati ob causam Lotharij & Theutbergæ, quemadmodum colligitur ex variis Nicolai epistolis & ex scriptoribus illorum temporum. Alias tamen causas, quæcunque tandem illæ essent, illis committendas esse credidit, ut provincialium ingenia & instituta penitiùs cognoscerent, dum litigantes, studio defensionis aut victoriæ, partium arcana vitámque omnem apud judices, ut vulgò fit, detegunt. Vnicum hoc vinculum retinendæ auctoritatis. Itaque Legatos jubet alias quoque causas investigare, in synodo definire, & si tanti quæpiam causa momenti fuerit ut in synodo terminari non possit, ad apostolicam sedem referatur. *Si verò aliarum ecclesiasticarum utilitatum in eodem Concilio res acciderint, digno examine pertractantes eas cum Domini timore diffinire satagite. Si autem aliqua in eo fuerit contentio orta, in qua diffinitionis ponere nequiveritis fortassè censuram, nostro eam judicio reservare sancimus.*

IV. Nihil heic novi statutum est, ut observabit infrà illustrissimus Archiepiscopus. Ea quippe erat portio antiqui juris quod Episcopo Romano competebat in Occiden-

te, nimirum ut ad eum referendæ essent ex omnibus provinciis causæ difficiles & ambiguæ, quæ provinciali non potuissent examine definiri. Nam & in mandatis Episcopo Thessalonicensi datis, de quibus fusè actum est suprà, ea illi semper lex imposita erat, ut causas difficiles & ambiguas apostolicæ sedis judicio reservaret post examen provinciale. Nihil igitur heic novi statutum est à Nicolao. At sequens clausula, ut adnotat illustrissimus Archiepiscopus, prorsùs abolet auctoritatem synodorum, sive pro judicandis causis, sive etiam pro condendis canonibus. Nam jubet acta synodi ad se mitti; ut si invenerit causas secundùm æquitatem definitas fuisse, Deo omnipotenti gratias referat; si verò injustè fuerit judicatum, restaurare jubeat cognitionem. *Statuimus autem*, inquit, *ut cuncta quæ in eodem Concilio peracta fuerint ac diffinita, nostro præsulatui gestorum serie incunctanter significetis; ut si ea justitiæ pulcritudine probabilique sanctione diffinita perspexerimus, Deo omnipotenti gratias referamus; si verò injustitiæ, quod nolumus, & contrarietatis fuerint acta intentione, ea renovare summopere jubeamus.*

V. Attamen licèt Nicolaus in se traxerit auctoritatem convocandorum Conciliorum generalium, retinuit tamen aliquam reverentiam erga Reges nostros. Colligitur istud ex epistola ejus ad Rodoaldum & Ioannem de synodo Metensi convocanda. Nam cùm generalia mandata dedisset, specialémque instructionem cum hac epistola mittere se significasset, jubet ut tam epistolas synodicas quàm istas ipsúmque Commonitorium Regi Karolo præsentibus cunctis ostendant. Quod idem est ac si juberet uti Legati literas legationis suæ sive facultates ac præterea secretas, ut hodie loquimur, instructiones cum Principe communicarent, ut præsentibus Consiliariis ejus examinentur, tum demum verò executioni mandentur delegatáque sibi auctoritate Legati utantur si consensus Regis accesserit. Hæc sunt verba Nicolai: *Et deinde cùm pro causa Balduini ad Carolum perrexeritis, eidem glorioso Regi epistolas synodicas, & has quas nunc vobis dirigimus, pariter cum Commonitorio, præsentibus cunctis ostendite.*

Inter appendic. epistolar. Nicolai, epist. 2.

VI. Non solùm autem Principis dignitati prospexit, sed etiam Episcoporum; seu ut specie honoris eos in partes traheret, sive quia putabat non aliter cohærere posse concordiam quàm si ista fierent cum eorum consensu, quòd intelligeret vir prudentissimus auctoritatem quæ dabatur Legatis adimere suam Episcopis, id verò invitis illis fieri non posse. Ea de causa addidit ista in eadem epistola: *& non solùm ei*, id est, Karolo, hæc quæ dicta sunt ostendite, *sed & omnibus Episcopis & universis fidelibus hoc notum facientes palam legere & denuntiare studete.* Populo quoque Christiano ista significari jubet, ob necessitatem publicationis, ne quis ignorantiæ vitio se tueri possit. Ea ratione Nicolaus Conciliorum provincialium auctoritatem infregit, & paulatim omnis auctoritas quæ penes Episcopos erat in jus ditionémque Romani Pontificis transiit.

Vide Flodoard. cap. 18. l. 2.

VII. Emerserunt deinde frequentes legationes, quas recensere supervacaneæ diligentiæ fuerit. Itaque omissa ea cura, decurremus per illustriores sequentium seculorum eventus, simul admiraturi quorundam virtutes & summas animi dotes, & narraturi etiam inviti multorum probra atque dedecora.

CAPVT XLVI.

Synopsis.

I. Sub initia tertiæ Regum nostrorum dynastiæ novæ politiæ forma introducta est in detrimentum auctoritatis Metropolitanorum & Conciliorum, tum etiam dignitatis regiæ. Quippe omnes causæ pendebant ab arbitrio Legatorum. Ad eos quoque pertinebat convocatio Conciliorum generalium ex provinciis suæ legationis, in quibus illi primum semper locum obtinebant. Legatus statim ac advenerat in provinciam, cogitabat de celebrando Concilio.

II. Magna autem erat Legatorum dignatio, quòd in provinciis positi usurparent auctoritatem suspendendi & deponendi Episcopos. Unicum eorum suffragium aquiparabatur collectis totius synodi suffragiis. Primam causarum cognitionem ad se trahebant. Canones sanciebant.

III. Eorum auctoritas interdum porrigebatur in universum regnum, interdum verò in quasdam tantùm provincias. Disputatio instituitur de terminis Aquitanicæ legationis, quæ plurimum olim splendoris & auctoritatis habuit. Enumerantur provinciæ quæ Legato Aquitaniæ parebant, in quibus fuit Britanniæ sub Archiepiscopo Dolensi.

IV. Probatur ex historia Pontificum & Comitum Engolismensium; & ex Bulla Paschalis II. de legatione Gerardi Episcopi Engolismensis, quæ refertur.

V. Disputatur an Gerardus ille legationem illam habuerit sub Gelasio secundo. Afferuntur argumenta in utramque partem.

VI. Transgressus Gerardus in partes Calixti, legatione Aquitanica ab eo ornatus est. Refertur Bulla Calixti de ea legatione.

VII. Igitur legationis Aquitanicæ termini in Britanniam porrigebantur. Nam Britannia suum Archiepiscopum habuit alium à Turonensi etiam Adriani IV. pontificatu.

VIII. Enumerantur rursum provinciæ Aquitanicæ legatione conclusæ; & ostenditur latiùs patuisse legationem Amati Episcopi Oloronensis, cui præter eas provincias commissa est etiam provincia Narbonensis integra. Quid tum provincia Narbonensis finibus comprehenderetur.

IX. Cùm Gregorius VII. primatum Lugdunensi Ecclesiæ concessisset super quatuor provincias Lug-

dunenſes, Gebuinus impatienter tulit legationem apoſtolicæ ſedis Amato conceſſam eſſe in tertia Lugdunenſi, non tamen palam contradicere auſus. Probatur ex epiſtola Gebuini ad Archiepiſcopum Turonenſem & ad Epiſcopum Andegavenſem.

X. Eadem æmulatio exercuit Hugonem Archiepiſcopum Lugdunenſem; qui ut obliquè infringeret auctoritatem Amati in tertia Lugdunenſi, eodem tempore Turonenſem Archiepiſcopum ad ſe evocavit quo eum Amatus ad ſynodum invitaverat. Bene tamen deinceps inter eos convenit.

XI. Termini Aquitanicæ legationis non fuere ſemper certi, ſed contracti aut dilatati pro libito Pontificum Romanorum. Gaufridus Epiſcopus Carnotenſis habuit legationem Aquitaniæ poſt Gerardum Engoliſmenſem. Emendatur auctor Chronici Maurigniacenſis, & Martyrologium Carnotenſe.

Vide infrà lib. 6. cap. 30. §. 1.

I. HACTENUS ſatis æqua lege conſtiterat eccleſiaſtica politia, tamenetſi Nicolaus nonnulla graviſſimi momenti tentaſſet adversùs mores antiquos. At ex fundamentis quæ jacta ſunt deſinente ſecunda Regum noſtrorum ſtirpe conſecuta eſt nova ejuſdem politiæ forma in detrimentum Metropolitanorum Conciliorúmque provincialium & generalium regni Francici. Quin & eodem tempore valde imminuta eſt regia auctoritas. Nam Legatorum miſſiones adeo frequentes deinceps fuerunt, & poteſtas illis ab apoſtolica ſede conceſſa tam ſplendida erat ac magnifica, ut omnes cauſæ eccleſiaſticæ ab eorum nutu penderent, & ſecundùm illorum voluntatem judicarentur, aut ad apoſtolicam ſedem remitterentur. Tum

Ibid. §. 4.

porrò Legati non ſolùm cauſas privatorum hominum ſoli judicabant; ſed ad eos pertinebat convocatio Conciliorum generalium ex provinciis quæ intra terminos legationis eorum continebantur, & in his Conciliis primum ſemper locum obtinebant etiam ſupra Metropolitanos. In mandatis porrò quæ Legatis dabantur, illud in primis erat, ut generalia legationis ſuæ Concilia celebrarent, ut diſcimus ex Eadmero in libro quinto hiſtoriæ Novorum. Vnde & in epiſtola Anacleti II. ad Epiſcopos Gallicanos ſcriptum

Baron. ad an. 1130. §. 35.

eſt injunctum eſſe Ottoni Epiſcopo Tudertino, quem Legatum in Galliam mittebat idem Anacletus, uti Concilia celebraret, ac ſi qua emergerent negotia, unà cum Epiſcopis Gallicanis juſtitia mediante terminaret. quod etiam obſervavit idem Anacletus in epiſtolis de legatione Gerardi Epiſcopi Engoliſmenſis, quæ extant apud Baronium. Hinc factum ut ſtatim ac Legatus advenerat in provinciam, de Concilio celebrando cogitaret. Quare nemini mirum videri debet ſi duo pluráve Concilia intra unum annum in eadem provincia à Legatis celebrata eſſe legerit.

II. Magna autem erat eorum dignatio, quòd in provinciis poſiti uſurparent auctoritatem ſuſpendendi & deponendi Metropolitanos & alios Epiſcopos. Præterea ſedis apoſtolicæ judicio reſervare poterant ea quibus Epiſcopi conſentire nollent in Conciliis, ea Legatis auctoritate conceſſa, ut unicum eorum ſuffragium æquipararetur collectis totius ſynodi ſuffragiis. Quin & primam cauſarum cognitionem ad ſe trahebant in Conciliis definiendarum, & interdum etiam abſque Concilio. Denique canones & conſtitutiones condebant pro obſervatione diſciplinæ eccleſiaſticæ. Quæ omnia cùm copioſè explicata ſint ab illuſtriſſimo Archiepiſcopo in capite trigeſimo libri ſequentis, neceſſe non eſt ea iſthic repetere. Igitur ad reliqua tranſeamus.

III. Legati hujuſcemodi mittebantur ad diverſa regna; eorum verò auctoritas interdum porrigebatur in univerſum regnum, interdum verò in quaſdam tantùm provincias. De his ad quorum curam pertinebat totum corpus regni non attinet dicere. Sed cùm legatio Aquitaniæ, quæ plurimum ſplendoris & auctoritatis habuit à tempore Gregorij VII. uſque ad Innocentium ſecundum, ſatis hactenus obſcura & involuta fuerit, non inutile erit heic ejus initia & progreſſum terminóſque deſcribere, cùm Legati iſtiuſmodi tum maxima quæque negotia in Galliis emergentia ſuo judicio definirent. Obſcura, inquam, hactenus fuit iſta materia. Neque enim ſatisfacit Bernardus Abbas Bonævallis, quum in libro ſecundo de vita ſancti Bernardi cap. VI. de Gerardo Epiſcopo Engoliſmenſi loquens, qui Aquitaniæ Legatus fuit, ait: *Erubeſcebat enim ad primam domum redire, cujus potentatui & Turonica & Burdegalenſis & Auxienſis provinciæ ſubditæ fuerant, & quicquid à collibus Iberorum uſque ad Ligerim complectitur & claudit Oceanus, paruerat ejus imperio.* Etenim Britannia, quæ trans Ligerim incolitur, ad Aquitanicam legationem pertinebat; utalij jam obſervaverunt, & conſtat ex epiſtolis Paſchalis II. & Calliſti II. Summorum Pontificum. Præterea Arnulphus Sagienſis Archidiaconus, qui dein Epiſcopus fuit Lexovienſis, adversùs eundem Gerardum ſcribens, ait eum quinque archiepiſcopatibus ſingulari poteſtate præfuiſſe, & in ipſis vices Romani Pontificis exercuiſſe, cùm tamen in loco mox prolato ex vita ſancti Bernardi tres tantùm archiepiſcopatus recenſeantur intra limites legationis iſtius Gerardi. Indiget itaque hic locus explicatione. Affirmare auſim Aquitanicam legationem conſtitiſſe ex provinciis Bituricenſi, Burdegalenſi, Auſcitana, Turonenſi, &

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Britannica, eósque esse quinque archiepiscopatus ab Arnulpho Lexovienſi intellectos. Nam tum Britannia provincia Archiepiscopum ſuum habebat, Dolenſem nimirum antiſtitem, qui dictus eſt Archiepiſcopus uſque ad tempora Innocentij III. invitis licèt ac reclamantibus Archiepiſcopis Turonenſibus.

IV. Veram eſſe hanc noſtram obſervationem docet vetus ſcriptor hiſtoriæ Pontificum & Comitum Engoliſmenſium à viro clariſſimo Philippo Labbeo editus; cujus hæc ſunt verba: *Gerardus verò Engoliſmenſis Epiſcopus cùm Domino Paſchali Papæ adhæſiſſet, qui ad partes Galliarum venerat, cognita honeſtate & præclara ſapientia, ei vices ſuas priùs in Britannia, & deinde Turonenſi, Burdegalenſi, Bituricenſi, Auſcitana provinciis commiſit.* Extant literæ Paſchalis II. quæ apertè docent hunc Epiſcopum Engoliſmenſem ab eo conſtitutum fuiſſe Legatum in provinciis Bituricenſi, Burdegalenſi, Auſcitana, Turonenſi, & Britannia, editæ illæ quidem ex codice MS. ſancti Albini Andegavenſis in tomo tertio Spicilegij Domni Lucæ Dacherij viri optimi & de antiquitate eccleſiaſtica bene meriti; quas tamen, quòd ab authentico nonnihil deflexerint, ſecunda editione donandas eſſe cenſuimus. Sic ergo habent in eodem codice ſancti Albini.

Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, atque Principibus per Bituricenſem, Burdegalenſem, Auſcitanam, atque Britanniam provincias conſtitutis, & ceteris tam Clericis quàm laicis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Apoſtolicæ ſedis auctoritate providentiáque compellimur, cui auctore Deo præſidemus indigni, non ſolùm vicinis & proximis, ſed procul etiam poſitis fidelibus, quæ ad ſalutem ſpectant animæ providere. quod, quantum in nobis eſt, auxiliante Domino implere ſatagimus. Proinde vobis, cariſſimi fratres & filij, Apoſtolorum Petri & Pauli benedictionem impendimus, & paterna vos affectione cohortamur in Domino quatenus uſque in finem firmum propoſitum juſtitiæ teneatis, laboris mercedem maximam in æterna gloria percepturi. Vt autem penes vos habeatis apud quem querelas veſtras atque negotia, cùm opportunum fuerit, referatis, cujúſque conſilio & hortatu quæ ad ſalutem veſtram attinent peragatis, vices noſtras fratri cariſſimo Gerardo Engoliſmenſi Epiſcopo commiſimus, in partes eum noſtræ ſollicitudinis adſciſcentes. Huic vice noſtra, ut noſtro Apoſtolorúmque in partibus veſtris Vicario, ad Dei honorem & ad ſalutem animarum veſtrarum fideliter obedite; ut vobis per Dei gratiam collaborantibus, quæ extirpanda ſunt extirpare, quæ corroboranda ſunt corroborare prævaleat. Nec ſollicitudinem, fratres cariſſimi, pigeat, cùm neceſſitas eccleſiaſticæ utilitatis exegerit, ſynodales cum eo celebrare conventus; quos nimirum convocandi nos ei vice noſtra poteſtatem indulſimus. Data Laterani XVIII. *Kal. Maij.*

V. Extincto deinde Paſchali anno MCXVIII. non conſtat an Gerardo commiſſa fuerit legatio Aquitanica à Gelaſio ſucceſſore Paſchalis. Imò Calliſtus II. vices ſuas per eaſdem provincias illi delegans, ait ſe id facere ad exemplum Paſchalis, nulla facta mentione Gelaſij. Vnde colligi poſſet illum hac auctoritate inſtructum non fuiſſe à Gelaſio. Præterea Cono Epiſcopus Prænestinus ad Hugonem Epiſcopum Nivernenſem ſcribens de electione Calliſti ſecundi, dum ait Gerardum Engoliſmenſem Epiſcopum in partes ejus tranſiſſe, his verbis utitur quæ indicare videntur illum abalienatum quodam modo fuiſſe à Curia Romana tempore Gelaſij. Ait enim: *Nam & Engoliſmenſis Epiſcopus, antequam à nobis diſcederet, ſubſcripſerat, & Domino Papæ humiliter ſe ſubdiderat.* Ratio autem alia propter quam Gerardus commotus eſſet adversùs Gelaſium hauddubiè alia eſſe non potuit quàm quia vices illi ſuas non commiſerat. Legatum tamen apoſtolicæ ſedis fuiſſe etiam ſub pontificatu Gelaſij dicere videtur Ordericus Vitalis, qui de ejus morte loquens ita ſcribit: *Tunc Girardus Engoliſmenſis Epiſcopus, vir eruditiſſimus, migravit, qui magni nominis & poteſtatis in Romano Senatu tempore Paſchalis Papæ, & Gelaſij, Calixti, & Honorij fuit.* Innocentij ſecundi tempora omiſit, quia Girardus ab illo non ſtetit, imò adverſarij ejus Anacleti partes impensè fovit.

To. 3. Spicilegij Dacher. pag. 491.

Order. Vital. lib. 13. pag. 908.

VI. Electo deinde Calliſto II. apud Cluniacum anno MCXIX. Gerardus Engoliſmenſis Epiſcopus in partes tranſgreſſus, electioni ejus ſubſcripſit, ut mox dicebamus, & ei ſe ſubdidit. Tum ei hauddubiè monſtrata eſt legatio Aquitanica, ad mitigandum viri præpotentis animum. Itaque anno ſequenti Pontifex ad Gallos in quinque provinciis Aquitanica legatione comprehendi ſolitis hæc ſcripſit de vicibus apoſtolicæ ſedis rurſum commiſſis eidem Gerardo. Extat epiſtola illa in veteri codice MS. ſancti Albini Andegavenſis, unde à nobis primùm edita eſt.

Calixtus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis fratribus & filiis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Principibus, & ceteris tam Clericis, quàm laicis, per Bituricenſem, Burdegalenſem, Auſcitanam, Turonenſem, & Britanniam provincias conſtitutis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Et patrum præcedentium inſtitutio exigit, & fraternæ caritatis debitum nos compellit, ut providere ſalubriter univerſis

Ecclesiæ filiis auxiliante Domino procuremus. Verùm quia ubique præsentes esse aut per nos ipsos cuncta exercere non possumus, fratres nostros, quos nimirum opportunos credimus, in partem nostræ sollicitudinis evocamus. Eapropter venerabili fratri nostro Gerardo Engolismensi Episcopo nostras in partibus vestris vices duximus committendas, quemadmodum & Dominus prædecessor noster sanctæ memoriæ Paschalis Papa commisisse cognoscitur. Confidimus enim in Domino quia ipse ministerium hoc ad honorem Dei & salutem vestram sancto cooperante Spiritu fideliter ministrabit. Rogamus itaque universitatem vestram, monemus, atque præcipimus, ut ei, tanquam Vicario nostro, humiliter pareatis. Et cùm opportunitas ecclesiasticæ utilitatis exegerit, ad vocationem ejus unanimiter convenire & synodales cum eo conventus solenniter celebrare curetis; quatenus communi deliberatione corrigenda corrigere & confirmanda possit auctore Domino confirmare. Datum Beneventi XVII. *Kal. Novembris.*

VII. Sed ut ad id revertamur quod superiùs dicebamus, legationis Aquitanicæ terminos in Britanniam usque porrectos fuisse, Dolensem verò archiepiscopatum fuisse unum ex quinque archiepiscopatibus Legato Aquitaniæ contributis, istius rei probatio colligitur etiam ex literis quas jam descripsimus Paschalis & Callisti, qui Britanniam provinciam enumerant divisam à Turonensi. Ratio enim aliqua esse debuit ob quam Pontifices illi Britanniam seorsim exprimerent à provincia Turonensi. Ea verò alia esse non potest quàm quòd ea provincia Metropolitani Turonensis auctoritatem respueret Dolensisque Archiepiscopo subjici mallet, etiam post Vrbani II. decretum. Quod adeo verum est ut Adriani quoque quarti pontificatu cùm agitata controversia esset de Pallio Archiepiscopi Dolensis, idem Adrianus, ut docet Innocentius tertius, Engelbaudo Turonensi Archiepiscopo præceperit uti aut cum Hugone Archiepiscopo Dolensi conveniret cum suffraganeis, aut usque ad festum sancti Michaëlis proximò tunc venturum plenam ei exhibiturus & recepturus justitiam apostolico se conspectui præsentaret. Extant literæ illæ Adriani in veteri codice MS. monasterij sancti Germani de Pratis, nondum editæ, ideóque heic opportunissimo loco inserendæ.

Innoc. III. lib. 1. epist. 82.

* Leg. *Archiepiscopo.*

Adrianus Papa Turonum Archidiacono.*

Ad apostolatus nostri præsentiam Dolensis Ecclesiæ clerus, multis laboribus attritus & molestiis fatigatus, apud nos suppliciter intercessit ut venerabili fratri nostro H. Archiepiscopo Dolensi dignaremur Pallij sui plenitudinem indulgere. Hocverò cùm ex tenore concordiæ quam inter te & ipsum factam fuisse confitebatur, tum ex antiqua consuetudine requirebat. Venerunt & adversùs eum nuntij tui, qui quandam compositionem, quam per Abbatem de Fontaines factam fuisse de suffraganeis ibi asserebant, confirmari unanimiter postulabant. Porrò eandem Ecclesiam cum præfato Archiepiscopo suo in ipsa compositione suffraganeis dicebant renuntiasse, * accedens *& à prædecessore nostro bonæ memoriæ Lucio Papa, sicut in ejus scripto continetur, ita fuisse de communi consilio fratrum diffinitum. Ad hoc ipsam compositionem nullam fuisse Dolensis penitùs Ecclesia respondebat, dicens insuper ipsam sententiam Romani Pontificis non tenere, quia ille qui tunc temporis officium gerebat, fraudem & dolum adhibuit, dum nec Dolensis Ecclesia præsens in examinatione fuisset, & ad Capuanum archiepiscopatum, quem postea per intrusionem Regis Siculi adeptus est, vehementer aspiraret, unde in ipsa compositione nihil ad commodum Dolensis Ecclesiæ. Nos verò quia hujus rei plenam non potuimus habere cognitionem, cùm altera pars in negatione persisteret & se non habere mandatum penitùs hoc exequendi affirmaret, nihil à nobis super eodem negotio est terminatum, prædictam tamen compositionem omnino quassavimus. Sanè juxta postulationem ejusdem Ecclesiæ memorato fratri nostro Pallium, insigne videlicet pontificalis officij, duximus indulgendum; quem cum apostolicæ sedis benedictione & nostræ gratiæ plenitudine remittentes, tanto Ecclesiæ cui præest sua jura illibata volumus servare & integra quanto ecclesiasticis utilitatibus convenit nos ex injuncto officio attentiùs providere. Vnde hos Dolensis Ecclesiæ misericorditer* * consultationem *consulentes, ne ipsa sacrosanctam Romanam Ecclesiam ad* excusationem suæ justitiæ negligentem esse veldesidem conqueratur, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus aut cum eo amicabiliter componas & cum eo tibi conveniat, aut ad proximam festivitatem sancti Michaëlis plenam exhibiturus & susceperus in præsentia nostra justitiam apostolico te conspectui repræsentes.*

* adeo

* vulgo

* eandem

VIII. Itaque Aquitanica legatio, uti dicebamus, constabat ex provinciis Bituricensi, Burdegalensi, Auscitana, Turonensi, & Britannica. Latiùs autem patuit legatio à Gregorio VII. concessa Amato Episcopo Oloronensi apud Benearnos; quippe cui, præter quinque provincias suprà memoratas, commissa est etiam provincia Narbonensis integra, hoc est, prima Narbonensis & Hispania Tarraconensis, quæ tunc sub Metropolitano Narbonensi erat. Sic enim intelligendæ sunt Gregorij literæ à nobis olim editæ, quæ sic habent in veteri codice MS. sancti Albini Andegavensis.

GREGORIUS *Episcopus servus servorum*

Dei, omnibus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Regibus, Principibus, Clericis quoque, ac laicis, in Narbonensi, Gallia, Guasconia, Hispaniáque regione, salutem & apostolicam benedictionem. Dilectissimi fratres & filij, prudentiæ vestræ manifestissimè notum est quòd Romana Ecclesia hanc consuetudinem habuit ab ipsis suæ fundationis primordiis, ut ad omnes partes, quæ Christianæ religionis titulo prænotantur, suos Legatos mitteret; quatinus ea quæ gubernator & rector ejusdem Romanæ Ecclesiæ per suam præsentiam expedire non prævalet, vice sua Legatis concessa, monita salutis ac morum honestatem per eos cunctis per orbem terrarum constitutis Ecclesiis nunciaret, eásque apostolica doctrina in omnibus quæ sacræ religioni conveniunt diligenter instrueret. Proinde horum præsentium portitorem, venerabilem confratrem nostrum A. Episcopum, ad partes vestras dirigimus: ut quæ ibi vitia eradicanda sunt, à fundamento evulsis, plantaria virtutum Deo auctore sollerti vigilantia plantare procuret. Quem sicut nostram immo beati Petri præsentiam vos suscipere apostolica auctoritate jubemus; ac sic pro reverentia apostolicæ sedis, cujus nuncius est, vos in omnibus sibi obedire atque eum audire mandamus ut propriam faciem nostram seu nostræ vivæ vocis oracula. Scriptum est enim: Qui vos audit, me audit. *Agite itaque prudenter ac religiosè; & sic vos obedientes Deo & sancto Petro in omnibus exhibete, quatinus ipso Apostolorum principe interveniente, utriusque vitæ gloriam & felicitatem consequi mereamini.*

IX. De legatione Amati multa eruditè pro more suo adnotavit Illustrissimus Archiepiscopus in historia Benearnensi, ac post eum alij. Sed tamen nos quoque nonnulla adferemus non ingrata, opinor, futura viris eruditis & antiquitatis ecclesiasticæ studiosis. Anno MLXXIX. Gregorius VII. primatum Gebuino Lugdunensi Archiepiscopo concesserat super quatuor provincias Lugdunenses, hoc est, Lugdunensem proprie dictam, Rotomagensem, Turonensem, & Senonensem. quod Decretum statim amplexus est Archiepiscopus Turonensis, ejúsque suffraganei. Inde altos spiritus induit Gebuinus, quòd ingens accessio facta esset dignitati suæ. Itaque cùm inaudivisset concessam Amato esse legationem in provincia Turonensi, impatienter id tulit, quòd ex eo imminui agnosceret auctoritatem suam. Quare Rodulfum Archiepiscopum Turonensem & Eusebium Andegavensem Episcopum verbis ambiguis hortatus est ne paterentur Amatum in ea provincia uti auctoritate Legati. Quia tamen intelligebat validum hinc telum peti posse adversùs novam dignitatem Ecclesiæ Lugdunensis, si Romanorum Pontificum rescriptis privata audentia occurreret, sic temperat scriptionem suam, ut profiteatur habiturum se illum pro Legato, postquam sibi constiterit de legatione ejus. nolle enim se *jussionibus apostolicis contraire.* Extat enim ea de re, ut dixi, Gebuini ad eosdem Archiepiscopum & Episcopum epistola in vetusto codice MS. sancti Albini Andegavensis, digna profectò quæ manibus eruditorum hominum teratur. Sic autem habet.

Dilectissimis in Christo fratribus, Rodulfo venerabili Turonensi Archiepiscopo, suo carissimo, & Andegavensi Episcopo Eusebio, Gebuinus indignus Presbyter Lugdunensis Ecclesiæ, in Domino salutem. Cùm dilectionis & caritatis vestræ, quam quotidie erga Lugdunensem Ecclesiam exhibetis, reminiscor, in exequendis obsequiis vestris ultra vires est animus, sic quod condignè meritis vestris referri debeat non habemus. Ergo ut carissimis, & præcordiorum nostrorum intimis, vobis conveniens nostrum aperimus. Credo quòd jam pervenit ad aures vestras quàm benignè Papa nos susceperit, quanto affectu familiaribus commendaverit; & cùm de multis adinvicem haberemus sermonem, nullam tamen nobis de Domno Amato fecit mentionem. Vt pius pater, cùm de multis meritò nos corriperet, non tamen ammisit quin apostolica auctoritate Lugdunensi Ecclesiæ antiquam nobilitatem restauraret; & in tantum in retractando privilegio nostro studuit, ut cùm in diversa responsa dies non sufficeret, ipse etiam dictando plurimum nocte laboraret. Præcepítque nobis ut Diensi Episcopo in fidelitate Beati Petri & in omnibus ferrem auxilium, si quando in provinciis nobis commissis celebraret Concilium. Vnde non satis miror Domnum Amatum hujusmodi rem egisse; cùm neque Papæ neque ipsius literas acceperim, neque legationis ejus certa signa cognoverim. Audivi tamen illum suscepisse legationem vestræ provinciæ antè quàm Romam pergerem. Quòd si est, consilio vestro nobis opus est: quia nec Lugdunensis Ecclesiæ dignitatem volo minuere, nec jussionibus apostolicis contraire. Et, si fieri potest, quid de his sentiatis, ad præsens rescribere ne differatis. Valete.

X. Eadem æmulatio exercuit Hugonem Archiepiscopum Lugdunensem, Gebuini successorem, ac sedis apostolicæ Legatum, virum, ut patet ex epistola LX. Ivonis Carnotensis, acrem & vehementem in retinenda dignitate sua: qui ut obliquè infringeret auctoritatem Amati in tertia Lugdunensi, eodem tempore Turonensem Archiepiscopum ad se evocavit quo eum Armatus ad synodum invitaverat; ut patet ex epistola Rodulfi Turonensis Archiepiscopi ad A. suffraganeum suum, quæ nondum edita est. Quo

factum est ut Rodulfus, qui aiebat sibi impositam esse necessitatem parendi Archiepiscopo Lugdunensi Primati suo, ad Concilium Amati accedere recusaverit. Quam ob causam, ut ego quidem existimo, excommunicatus est ab Amato, quòd ei inobediens extitisset. Ita enim habetur in Narratione monachorum Majoris-monasterij Turonensis de his quæ acta sunt pro libertate illius monasterij, edita à clarissimo viro Laurentio Bochello ex veteri codice MS. qui nunc extat in bibliotheca Seguieriana: *Consilium & opem requisivimus Domni Amati Legati sedis apostolicæ & Archiepiscopi Burdegalensis Ecclesiæ. Qui afflictioni nostræ valde compatiens, indicavit nobis cassam esse illam excommunicationem quam super nos Archiepiscopus Turonensis & complices ejus intentaverant. Quippe ipse antea eundem Archiepiscopum Rodulfum certis ex culpis excommunicaverat; & in hoc magis nos esse reos constanter affirmabat, quòd inobedienti suo quoquo modo obedieramus &c.* Probabile est Amatum communicasse cum Hugone literas pontificias legationem suam continentes, Hugonem verò earum auctoritatem reverenter suscepisse, benéque deinceps inter eos convenisse. Nam in eadem Narratione monachorum Majoris-monasterij reperio celebratum ab iis unà fuisse Colloquium Dolense in Biturigibus, in quo rursum agitata est causa illius monasterij: *Denique Dolensi Colloquio, quod eo tempore habitum est coram Primatibus & Legatis sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Domno videlicet Hugone, & Domno Amato, de quibus prædiximus &c.*

XI. Verùm ut redeamus ad legationem Aquitanicam, sic constituere possumus, nullos ei terminos fuisse præscriptos, sed contractos aut dilatatos pro libito Summorum Pontificum. Quippe Amato, præter quinque provincias quas diximus, mandata etiam fuit prima Narbonensis & provincia Tarraconensis, quæ tum sub Metropolitano Narbonensi erat & Regibus Francorum parebat. At Gerardo Engolismensi Episcopo tributæ sunt tantùm quinque provinciæ; nihilque juris illi concessum est in provinciam Narbonensem, neque in Tarraconensem. Ad exemplum verò potestatis quæ illi collata fuerat, Innocentius II. Gaufrido Carnotensi Episcopo legationem Aquitaniæ commisit, id est, earum provinciarum quas auctoritati Geraldi fuisse subjectas jam docuimus. Vnde in Chronico Maurigniacensi scriptum est Aquitaniæ totius legationem illi commissam fuisse. Hunc, inquit auctor illius Chronici, *præcedentes Apostolici amicum semper & familiarem habuerant, & pro valoris vel elegantiæ qua præditus erat magnitudine, totius ei Aquitaniæ legationem indixerant.* In eo tamen errat hic auctor, quòd ait illam legationem Gaufrido commissam fuisse à decessoribus Innocentij secundi. Constat enim Gerardum ea dignitate ornatum fuisse à temporibus Paschalis usque ad Innocentium, eam verò tum transmissam ad Gaufridum quando Gerardus secessit ab obedientia Innocentij, in partes transgressus Anacleti. Vnde factum est ut in Martyrologio Carnotensi, ut quidem citant viri clarissimi Sammarthani, dicatur functus esse legatione pro Innocentio per annos quindecim. Præstat autem locum ipsum heic referre, cùm in eo enumerentur provinciæ quæ limitibus Aquitanicæ legationis tum continebantur, si tamen Auscitana, quæ vitio hauddubiè librarij omissa est, addatur. *Nono Kal. Febr. obiit Gaufridus Episcopus Carnotensis, qui super Bituricensem, Burdegalensem, Dolensem, & Turonensem provincias per annos circiter 15. sanctè & religiosè functus est legatione pro Innocentio.* Mendosus est hic locus. Nam legatio Aquitaniæ ei commissa est ab Innocentio post annum MCXXX. Ipse verò obiit anno MCXXXVIII. Itaque non potuit legatione illa fungi per annos quindecim.

Apud Duchesn. to. IV. pag. 582.

Vide I. Bouchel. lib. 2. tit. 6.

CAPVT XLVII.

Synopsis.

I. Perpetuos in provinciis Legatos instituendos esse censuerunt Romani Pontifices, reservato retinendæ dominationis arcano per legationes. Probatur ex Honorio III.

II. Sed ut res ista ordine procederet, insinuanda erat ægro mortalium generi necessitas Legatorum. Ea necessitas deducta ex cura universalis Ecclesiæ, quam Romanæ sedis antistiti incumbere scribit post Vigilium Alexander secundus. Eam curam expetere ut Romanus Pontifex mittat qui provincias vice sua visitent. Hoc jus à veteri consuetudine repetit Gregorius septimus. Ex ea persuasione factum ut cuncta ecclesiastica negotia Legatis committerentur, specie extirpandi vitia & inserendi virtutes.

III. Religiosissima illa Pontificum verba non ita semper accipiebantur in provinciis, eáque species pietatis aliquando passa est contradictionem.

IV. Eandem veterem consuetudinem obtenderunt etiam Paschalis II. & Callistus II.

V. Prædecessorum suorum cogitata magnificis verbis elocutus est Innocentius III. Legatorum utilitatem ac necessitatem commendans.

VI. Ex eo factum est ut in immensum posterioribus seculis excreverit Legatorum dignitas & auctoritas, ita ut cuncta omnino provinciarum negotia ad eos deferrentur. Olim causas judicabant in Conciliis. Vltimis verò temporibus insuperhabuerunt Episcoporum nomen.

VII. Tanta olim fuit Legatorum auctoritas ut non liceret judicia eorum retractare. Probatur auctoritate Alexandri

Alexandri II. apud Thomam Spalatensem. Item ex Gregorio septimo.

VIII. Fuit illud unum ex arcanis retinendæ dominationis, ea approbare quæ à Legatis acta erant. Maxima porrò & amplissima potestate ornabantur. Facile Legatis erat quemlibet suæ legationis Episcopum opprimere.

IX. Ivo Carnotensis docet tantam fuisse Legatorum auctoritatem ut ad reddendam factorum suorum rationem cogi non possent, quantumvis iniqua sententia esset.

X. Iudicia Legatorum ac delegatorum apostolicæ sedis debere esse sacrosancta declaravit Innocentius III. in causa Episcopi Pictavensis.

I. RESERATO retinendæ dominationis arcano per legationes, perpetuos in provinciis Legatos ea de causa instituendos esse censuerunt Romani Pontifices. Eam illis mentem fuisse docet Honorij III. epistola ad Rogerium Archiepiscopum Pisanum, in qua verbis minimè ambiguis scribit Corsicam deferbuisse à subjectione & obedientia sedis apostolicæ ob desuetudinem Legatorum. *Corsicana verò*, inquit, *tam prolixitate spatiorum quàm negligentia pastorum, dominorum insolentia, & desuetudine Legatorum sedis apostolicæ, à subjectione & obedientia Romanæ Ecclesiæ deferbuerat.* Scilicet ea prima & potior cura Legatis erat ut populos imbuerent reverentia Pontificum Romanorum, commendata successione Apostolorum & loci auctoritate, intentatis porrò pœnis adversùs eos qui majestatem Romanæ sedis minùs colere viderentur. Et suetus jam Legatis Christianus orbis nihil aliud malebat, imbutus nimirum ea persuasione, curam universalis Ecclesiæ ita pertinere ad Summum Pontificem ut cuncta Ecclesiarum negotia ab illo seu à Legatis ejus judicanda essent.

II. Hanc disciplinam in animos hominum immittere curarunt Pontifices variis temporibus. Diserta in eam rem sunt Alexandri secundi verba ex epistola generali de legatione Petri Damiani Episcopi Ostiensis, quæ infrà describuntur in capite trigesimo libri sexti. Is ergo jus mittendorum in provincias Legatorum ex eo capite arcessit, ut olim factum à Vigilio, quòd cura universalis Ecclesiæ eum cogat mittere ad vicem suam personas quæ visitent Ecclesias, cùm id efficere per se ipse non possit. Altiùs hoc jus repetit Gregorius septimus, qui Legatum in Gallias mittens Amatum Episcopum Oloronensem, ait se id facere juxta veterem consuetudinem Romanæ Ecclesiæ, quæ *ab ipsis suæ fundationis primordiis*, ut ipse ait, ad omnes partes quæ Christianæ religionis titulo prænotantur suos Legatos misit; *quatinus ea quæ gubernator & rector ejusdem Romanæ Ecclesiæ per suam præsentiam expedire non prævalet, vice sua Legatis concessa, monita salutis ac morum honestatem per eos cunctis per orbem terrarum constitutis Ecclesiis nuntiaret.* Ex ea persuasione factum ut cuncta ecclesiastica negotia Legatis committerentur, specie extirpandi vitia & inserendi virtutes. Gregorius itaque post magnificam illam præfationem hæc addit: *Proinde horum præsentium portitorem, venerabilem confratrem nostrum A. Episcopum, ad partes vestras dirigimus; ut quæ ibi vitia eradicanda sunt à fundamento evulsis, plantaria virtutum Deo auctore sollerti vigilantia plantare procuret.*

III. Verùm licèt ista religiosissimis verbis scriberent Pontifices, non ita tamen semper accipiebantur in provinciis, eáque species pietatis aliquando passa est contradictionem. Miserat idem Gregorius Legatos in Germaniam anno MLXXIV. Hubertum Episcopum Prænestinensem & Giraldum Ostiensem, ut vice ejus & auctoritate fulti, convocato Concilio generali, *quæ corrigenda essent corrigerent, quæ religioni addenda essent adderent.* Interceſſit his mandatis Liemarus Bremensis Archiepiscopus omnium Germaniæ Episcoporum nomine, synodum à Legatis celebrari prohibens, tanquam rem inusitatam & longè à suis rationibus alienam. Itaque re infecta Legati reversi sunt; castigatúsque propterea est graviter Liemarus à Gregorio, licèt irrito conatu. Ista porrò contigerunt quo tempore dissociata erat concordia sacerdotij & imperij.

IV. Eandem veterem consuetudinem, quam obtendebat Gregorius, obtendit & Paschalis II. ad Henricum Regem Anglorum scribens his verbis: *Universum siquidem terrarum orbem Dominus & Magister noster suis discipulis dispertivit; sed Europæ fines Petro singulariter commisit & Paulo; nec per eorum tantùm, sed per successorum discipulos ac Legatos, Europæ universitas conversa est & confirmata. Vnde usque ad nos, licèt indignos, eorum Vicarios hæc consuetudo pervenit, ut per nostræ sedis Vicarios graviora Ecclesiarum per provincias negotia pertractarentur seu retractarentur.* Item Callistus secundus, cùm anno MCXX. Legatum in Galliam mitteret P. Presbyterum Cardinalem. Nam de legatione ejus scribens ad Ludovicum Regem Francorum, ita loquitur: *Nos enim à latere nostro eum secundùm antiquam apostolicæ sedis consuetudinem ad terram potestatis tuæ pro corrigendo & confirmando quæ corrigenda & confirmanda fuerint delegamus.*

V. Innumera sunt exempla hujusmodi, si quis ea congerere velit. Verùm cùm referre omnia necesse non sit, sufficiet unicus Innocentij III. locus, qui quod decessores ejus simplici sermone dixerunt, magnificis verbis elocutus est ad Imperatorem Con-

Vide Baron. ad an. 1074. §. 2.

Gregor. VII. lib. 2. epist. 13.

Apud Eadmer. pag. 115.

To. 3. Spicileg. pag. 146.

stantinopolitanum scribens de legatione concessa Pelagio Episcopo Albanensi. Primùm igitur scribit Dominum Iesum Christum sedem apostolicam instituisse totius Christianitatis caput & magistram, à qua panis intellectus & vitæ ad alias procedat Ecclesias. Pontificem Romanum portare onera gravia cum plenitudine potestatis. Verùm quia ipse cuncta per se facere non potest, multos sibi operarios & coadjutores adjungere, ac per eos exequi quod per se non potest personaliter adimplere, sic vices suas aliis committendo ut intelligatur ipsemet facere quod per alios fieri decernit. Cùm autem necessitas Ecclesiæ CP. postulet illuc mitti Legatum à latere, destinasse se in eam rem Pelagium Episcopum Albanensem; *cui nos vices nostras commisimus*, inquit, *ut juxta verbum propheticum evellat & destruat, ædificet & plantet, quæ secundùm Deum evellenda & destruenda necnon ædificanda cognoverit & plantanda.*

Innoc. III. lib. 16. epist. 104 & segq.

VI. Ex eo factum est ut in immensum posterioribus seculis excreverit Legatorum dignitas & auctoritas, ita ut cuncta omnino provinciarum negotia ad eos deferrentur, sive de judiciis ageretur, sive de confirmationibus privilegiorum; tum etiam si qui lites concordia inita finivissent, pactiones suas auctoritate Legatorum firmari postulabant. Ea cùm sint notissima, inutile esset ea persequi, & satis est observasse. Quare non sine causa adnotavit Paschalis II. ad Henricum Regem Anglorum scribens, hanc esse consuetudinem ut per sedis apostolicæ Vicarios graviora Ecclesiarum per provincias negotia pertractentur. *Vnde usque ad nos*, inquit, *licèt indignos, eorum Vicarios hæc consuetudo pervenit, ut per nostræ sedis Vicarios graviora Ecclesiarum per provincias negotia pertractarentur seu retractarentur.* Legati verò, tamenetsi omnia pro suo arbitrio gererent, ut plurimùm cuncta peragebant in Conciliis, ut quæ ipsi statuebant, etiam Episcoporum auctoritate tenerent. Sed ultimis temporibus, postquam solidata fuit suprema illorum potestas, insuperhabuerunt nomen Episcoporum, satis dignitati illorum prospectum putantes si coram illis decreta conderentur. Denique Gerardus Episcopus Sabinensis & apostolicæ sedis in Sicilia Legatus, cùm generale Concilium celebrasset apud Melphiam anno millesimo ducentesimo octuagesimo quarto, in eóque nonnullas constitutiones edidisset, eas suo tantùm nomine publicavit, nulla facta mentione Concilij approbantis: *Vniversis Archiepiscopis & Episcopis & aliis Ecclesiarum Prælatis per regnum Siciliæ constitutis tenore præsentium districtè præcipiendo mandamus ut constitutiones quas in generali vocatione Prælatorum regni apud Melphiam in præsenti edidimus observent & à subditis suis faciant inviolabiliter observari.*

Apud Eadmer. lib. 5. hist. Novor. pag. 115.

VII. Tanta enim fuit olim Legatorum apostolicæ sedis auctoritas, ut non solùm, quod jam vidimus, cuncta Ecclesiarum per provincias negotia per eos agitarentur, sed non liceret præterea judicia eorum retractari, omninóque ea servanda essent quæ ab illis decreta fuerant in Conciliis provincialibus. Alexandri secundi pontificatu, cùm Sclavi maximè cuperent fieri sibi potestatem divina celebrandi in lingua Sclavonica, quod prohibitum in synodo fuerat à Maynardo sedis apostolicæ Legato, idem Alexander negavit, jubens interim ut decreta Maynardi servarentur. Rem ita gestam narrat Thomas Archidiaconus Spalatensis cap. XVI. historiæ Spalatensis, qui hæc Alexandri verba ad legatos Sclavorum dicta refert: *Nunc verò euntes, gentem illam facite observare omnia quæ à venerabili fratre nostro Maynardo sanctæ Rufinæ Episcopo Cardinali synodaliter statuta sunt.* Sic Gregorius VII. Papa, quamtumvis justæ viderentur quorundam Aquitanorum Episcoporum querelæ adversùs Giraldum Episcopum Ostiensem & sedis apostolicæ Legatum, noluit rationem habere eorum quæ ab illis postulabantur, ne auctoritatem Legati in dubium revocare videretur, seu ne temeraret ea quæ ab illo gesta fuerant; *respectu conservandæ auctoritatis tuæ*, inquit, *& honori tuo providentes.*

VIII. Fuit illud unum ex arcanis retinendæ dominationis, ea approbare quæ à Legatis acta erant in provinciis, ne dignitas eorum in contemptum veniret. Quam ob causam potestate maxima & amplissima ornabantur; eáque auctoritas, ut Mariana scribit, major erat quàm ut ei obsisti à quoquam posset. Insignis est in eam rem locus ex veteri charta Aquensis Ecclesiæ in Novempopulania, quam illustrissimus Archiepiscopus edidit in Historia Benearnensi. Descripta enim successione quorundam Episcoporum illius Ecclesiæ, demum additur: *Tempore Bernardi præfuit Olorensi Ecclesiæ Episcopus nomine Amatus, vir è contrario magnæ astutiæ & calliditatis, & totius Vasconicæ Legatus; qui quoniam totius Vasconicæ & aliarum provinciarum Legatus erat, facilè quemlibet suæ legationis Episcopum * supprimere poterat.*

IX. Quanta tum esset Legatorum auctoritas docet vel unicus Ivo Carnotensis Episcopus: qui tamenetsi liberè perstringat tyrannidem Hugonis Archiepiscopi Lugdunensis & apostolicæ sedis Legati, fatetur tamen tantam esse illius potestatem ut ad red-

dendam rationem rei à se gestæ cogi non posset, quantumvis iniqua sententia esset. *De cetero*, inquit, *prædam à Puteacensibus in me & in Carnotensem Ecclesiam factam jure possem à vobis repetere, si reverentiam vestram in jus vocare possem, qui ad suggestionem æmulorum meorum prædictos sacrilegos à me & coëpiscopis meis communione privatos me nesciente communioni reddidistis, ac per hoc scelerum suorum impunitate ad perpetranda majora sacrilegia relaxastis.*

X. Denique judicia Legatorum ac delegatorum sedis apostolicæ facta in provinciis debere esse sacrosancta decrevit Innocentius III. adversùs Episcopum Pictaviensem scribens. Cùm enim præfatus esset de magnitudine & dignitate Romanæ Ecclesiæ, dixissétque eam esse conditionis humanæ legem ut hominem simul in diversis locis existere aut ad loca remotiora transvolare subitò non permittat, addit Romanum Pontificem, quæ per se ipsum non potest, per Legatos suos vel delegatos judices exequi. Castigat deinde temeritatem Episcopi Pictavensis, qui publicè prædicabat se in episcopatu suo esse velle Episcopum atque Papam, & asserebat quòd per judices delegatos à Papa, quos Papæ judicellos appellabat, in sua diœcesi nihil agi sineret, Capellanis porrò de Mirebello præsumpserat inhibere ne observarent sententias quas delegati ab Innocentio judices protulerant & præceperant firmiter observari. Castigato igitur Episcopo illo, jubet uti sententia illa firmiter observetur, ea præclara ratione addita: *Si enim delegatos à nobis judices pro mandatorum executione nostrorum tanto discrimini subjacere contigerit, quis commissiones nostras recipere aut mandata exequi non timebit?*

Vide supra cap. 32. §. 2.

Tom. III lib. 16. epist. 11.

CAPVT XLVIII.

Synopsis.

I. Legatorum in provincias adventus ne minimo quidem sumptui olim erat provincialibus. Demum lata lex est, qua cautum est uti eis suppeditarentur sumptus, non solùm necessarij, sed etiam liberales. Refertur elegans locus Serlonis Episcopi Sagiensis.

II. Gregorius II. hortatus est Germanos uti Bonifacio impendia necessaria præberent. Tandem Gregorius VII. formulam jurisjurandi præscribens Metropolitanis, jurare eos præcepit uti Legatos Romanos in eundo & redeundo honorificè tractarent & in suis necessitatibus adjuvarent.

III. Hoc Gregorij decretum statim receptum est. Hungari tamen restitere; ut colligitur ex epistola quadam Paschalis secundi, quæ emendatur. Baronij hallucinatio detegitur, qui ex una Paschalis epistola duas fecit.

IV. Stabilita necessitate suppeditandorum Legatis sumptuum, præscriptus ab iis est ordo solutionis, coactique provinciales immensas auri argentique moles pendere. Probatur ex Ioanne Saresberiensi, & ex sancto Bernardo.

V. Probatur etiam ex epistola Friderici I. ad Adrianum quartum, in qua sævi Legatorum quorundam actus describuntur. Eis charta pura sigillata dabatur, ut in ea secundùm occasiones scriberent quod animis collubitum esset suis.

VI. Hunc fuisse vetustis illis seculis morem Ecclesiæ seu Curiæ Romanæ probatur etiam ex Matthæo Parisio.

I. LEGATORUM Apostolicæ sedis in provincias adventus ne minimo quidem sumptui olim erat provincialibus. Simpliciter victitabant; & si quid illis dabatur, ultro dabatur, nemóque cogebatur ad præbendos sumptus Legatis. Vltimis verò temporibus lata lex est, qua cautum est uti Legatis apostolicæ sedis suppeditarentur sumptus, non solùm necessarij, sed etiam liberales, ab iis ad quos mittebantur. Elegans est locus Serlonis Episcopi Sagiensis apud Ordericum Vitalem in libro duodecimo historiæ ecclesiasticæ. Hic ergo cùm inaudivisset Cardinales Romanos Petrum & Gregorium adesse, Clericis dispensatoribus suis dixit: *Velociter ite, & diligenter Romanis servite, abundanter eis omnia dantes quæ necessaria sunt, quia legationem Domini Papæ, qui post Deum universalis pater est, deferunt, ipsique, qualescunque sint, magistri nostri sunt.*

Order. Vitalis pag. 877.

II. Primus omnium Gregorius II. mittens in Germaniam Bonifacium, Clericis ac nobilibus laicis eum commendaverat, nihil sanè imperans, sed hortans ut ei impendia necessaria præberent. Contributio autem illa infra mediocritatem subsistebat, quòd exigui admodum sumptus sufficerent homini frugaliter viventi & Apostolorum virtutibus æmulanti; ac præterea contributio illa sponte fiebat à volentibus. Tandem Gregorius septimus, qui Legatorum auctoritatem in immensum extulit, etiam eorum commodis consulens, Metropolitanis formulam præscripsit secundùm quam jurare debebant cùm Pallium eis ab apostolica sede dabatur. In ea verò formula addita est clausula de procurationibus Legatorum, ut eo pacto certi illis essent sumptus necessarij. Clausulæ illius hæc sunt verba: *Legatum Romanum eundo & redeundo honorificè tractabo & in necessitatibus suis adjuvabo.*

Vide infrà lib. 6. cap. 30. §. 9.

Apud Baron. ad an. 1079. §. 9. & cap. Ego N. De jurejurando.

III. Hoc Gregorij decretum statim publicatum, statim receptum est. Hungari tamen, quamquam sit major è longinquo reverentia, detrectaverunt per illas tempestates tribuere Legatis munera seu tributa quæ citra contradictionem eis solvebantur in aliis provinciis. Colligitur istud ex epistola Paschalis secundi ad Archiepiscopum Colocien-

sem, qui ad eum scripserat Regem & regni majores admiratione permotos quòd Pallium sibi ab Apocrisariis apostolicæ sedis tali conditione oblatum fuisset, si sacramentum juraret quod ei per Apocrisarios eosdem miserat Summus Pontifex, id est, sacramentum à Gregorio VII. inventum, de quo mox dicebamus. Vt ergo Hungaros ad obsequium inclinet, primùm ostendit quid sit Pallium, deinde disputat de auctoritate Romani Pontificis in universa Ecclesia, denique docet illud juramentum per omnes ubique provincias vigere, etiam apud Danos & Saxones. Sic namque inter cetera scribit ad eundem Archiepiscopum: *Numquid non ultra vos Saxones Daníque consistunt? Et tamen eorum Metropolitani & idem juramentum asserunt, & Legatos apostolicæ sedis honorificè tractant & in suis necessitatibus adjuvant.* Erravit autem Baronius, ut hoc obiter dicam, falsa epistolæ istius inscriptione quæ extat in libris Decretalium deceptus, cùm putavit parem à Paschali secundo epistolam scriptam esse ad Archiepiscopum Panormitanum. Erravit, inquam. Nam in libris Decretalium legendum non est *Panormitano Archiepiscopo*, ut vulgò editum est, sed *Colociensi Archiepiscopo*, ut rectè observatum est ab eruditissimo viro Francisco Florente ad Tit. *De usu & auctoritate Pallij* pag. 338.

Apud Baron. ad an. 1102. §. 9.

IV. Stabilita semel necessitate suppeditandorum Legatis sumptuum, præscriptus ab iis est ordo solutionis, coactique provinciales immensas auri argentíque moles pendere. Vnde illa justissima Ioannis Saresberiensis querela: *Sed nec Legati sedis apostolicæ*, inquit, *manus suas excutiunt ab omni munere, qui interdum in provinciis ita debacchantur ac si ad Ecclesiam flagellandam egressus sit Satan à facie Domini.* Et infrà: *Provinciarum diripiunt spolia, ac si thesauros Cræsi studeant reparare.* Ista verò adeo publica erant per illa tempora ut & ipse sanctus Bernardus ad Eugenium III. scribens eum moneat uti tales in Cardinalium collegium admittat qui, cùm legatione sedis apostolicæ ornati fuerint, *Ecclesias non spolient, sed emendent, qui marsupia non exhauriant, sed corda reficiant, & crimina corrigant*, qui cùm ad apostolicam sedem redierint, *redeant fatigati quidem, sed non suffarcinati, simul & gloriantes, non quòd curiosa seu pretiosa quæque terrarum attulerint, sed quòd reliquerint pacem regnis, legem barbaris, quietem monasteriis, Ecclesiis ordinem, Clericis disciplinam, Deo populum acceptabilem sectatorem bonorum operum.*

Ioa. Saresb. lib. 5. Policr. cap. 16. & lib. 6. c. 24.

V. Eadem tempestate, cùm Adrianus IV. de Friderico primo Imperatore conquestus esset quòd Cardinalibus à latere Romani Pontificis directis non solùm Ecclesias sed & civitates regni sui clauderet, rescripsit Fridericus eadem ferme quæ ad Eugenium scripsisse vidimus sanctum Bernardum. Hæc sunt enim verba Friderici: *Cardinalibus utique vestris clausæ sunt Ecclesiæ & non patent civitates; quia non videmus eos Cardinales, sed Carpinales, non prædicatores, sed prædatores, non pacis corroboratores, sed pecuniæ raptores, non orbis reparatores, sed auri insatiabiles corrasores. Cùm autem viderimus eos quales requirit Ecclesia, portantes pacem, illuminantes patriam, assistentes causæ humilium in æquitate, necessariis stipendiis & commeatu eos sustentare non differemus.* Idem in edicto tum publicato adversùs eosdem Legatos ait: *Porrò quia multa paria literarum apud eos reperta sunt, & schedulæ sigillatæ ad arbitrium eorum scribendæ adhuc, quibus, sicut hactenus consuetudinis eorum fuit, per singulas Ecclesias Teutonici regni conceptum iniquitatis suæ virus respergere, altaria denudare, vasa domus Dei asportare, cruces excoriare nitebantur, ne ultra procedendi facultas eis daretur, eadem qua venerant via ad Vrbem eos redire fecimus.*

VI. Hunc fuisse vetustis illis seculis morem Ecclesiæ seu Curiæ Romanæ colligi potest ex his quæ Matthæus Parisius narrat de magistro Martino, quem Innocentius IV. in Angliam misit cum ampliss. auctoritate, non tamen cùm nomine Legati: *Permodum enim Legati se gerens, licèt Legati vestibus pro privilegio Regis sophisticè salvando non insignitus, passim significabat imperiosè illi Abbati &c.* Hic ergo extraordinaria & ampliss. uti diximus, auctoritate instructus in Angliam veniens anno MCCXLIV. *manus extendit ad contributionem exigendam, provisiones secundùm mentis suæ impetum, ratione relegata, ad opus ignotorum faciendas, redditus violenter extortos consanguineis Domini Papæ conferendos, auctoritate Papali truculenter armatus, cujus novas chartas secundùm desiderium suum & secundùm repentini casus emergentis negotium singulis diebus ostendit. Vnde fuerunt qui dicerent ipsum habere multas schedulas non scriptas, tamen bullatas, ut in eis quicquid placeret scriberet. quod absit. Missus est igitur iste Legatus sophisticus &c.*

CAPVT XLIX.

Synopsis.

I. Ineunda est, quamvis invitis, narratio fœdissimorum facinorum per provincias patratorum à Legatis. Non omnia tamen congerenda. Comparandarum in primis divitiarum aviditatem in Legatis accusavit antiquitas. Violentia denariorum apud Vvillelmum Malmesburiensem.

II. Ioannes Cremensis primum locum fastuosæ ac-

cupant in Concilio super Archiepiscopos & Episcopos regni Anglici, adversus se commovet indignationem Anglorum.

III. Tum etiam propter munerum acceptionem, & quia deprehensus cum meretrice ferebatur. Sed hanc narrationem esse falsam contendit illustrissimus Cardinalis Baronius.

IV. Referuntur verba sancti Bernardi, qui mores improbos cujusdam Legati describit, rapacitatem illius in primis exagitans.

V. Rogerius Hovedenus in causa sancti Thomæ Cantuarensis loquens de Legatis Romanæ Ecclesiæ, ait eos plus aurum & argentum sitire quàm justitiam & æquitatem.

VI. Ioannis Neapolitani horrenda cupiditas & avaritia, qui lucri causa etiam injustissimam causam iniquissima sententia absolvit. Tum impudens ejus responsum.

VII. Adeo vulgata tum res erat Legatorum avaritia, ut cùm Ioannes Anagninus in Galliam missus esset ad revocandam concordiam inter Reges Franciæ & Angliæ, & isti palam faveret, publicè objectum ei ab alio sit illum olfeciſſe sterlingos Regis Angliæ.

VIII. Vvillelmus Episcopus Eliensis, Legatus in Anglia & Hybernia, gravis nimium fuit Ecclesiæ Anglicanæ, cunctos ad inopiam redigens. Elegans locus ex epistola Hugonis Episcopi Coventrensis, qui ait crucem illius Legati redemisse id est ad redemptionem coëgisse omnes Ecclesias Angliæ, nec fuisse aliquem immunem qui crucis illius stigmata non sentiret. Sed ad excusandos istius Legati actus extant scripta Petri Blesensis & Celestini III.

I. INVITUS aggredior narrationem tot fœdissimorum facinorum per provincias patratorum à Legatis, quæ virorum sanctissimorum ac doctissimorum querelas vetustis temporibus non semel excitarunt. Etenim quando ita Deus voluit ut in me susciperem istud argumentum, revocandus gradus non est, immo per tot probra & discrimina pergendum est inoffenso pede. Scilicet ex illa turpium facinorum commemoratione illum maximum profectum percipiemus, quòd ætatis nostræ felicitatem nobis gratulabimur, ætatis inquam nostræ, quæ cùm remota multùm sit à malis illis temporibus, non patitur nunc populationes provinciarum, & lætatur agnovisse tandem orbem necessariam non esse Legatorum præsentiam in provinciis, quæ tamen necessaria putabatur esse quo tempore frequentia Legatorum urgebantur. Narraturi igitur probra atque dedecora Legatorum, sequemur ordinem temporum; illud tamen in primis præfati, non omnia congerere nos quæ Romanum nomen vetustis temporibus in invidiam adduxerunt, sed quosdam tantùm eventus colligere, ut ostendamus generalem fuisse eam pestilentiam, eosdémque fuisse omnium propè Legatorum mores, eandem comparandarum divitiarum aviditatem. Nam illud præcipuè in Legatis accusavit antiquitas. Testis sit Willelmus Malmesburiensis; qui describens ea quæ anno MCXVII. acciderunt in Anglia ob frequentiam Legatorum, & ad propulsandam Legatorum ingruentium rapacitatem, ut Baronij verbis utamur, ait illos nullo magno rei publicæ fructu advenisse, attamen cum grandi præda recessisse, & in ea causa commemorat violentiam denariorum. *Nam & in principio regni Henrici*, inquit, *venerat Angliam ad exercendam legationem Guido Viennensis Archiepiscopus, qui postea Apostolicus fuit, tunc Anselmus, nec multò post quidam Petrus; omnésque reversi nullo effectu rei, grandi præda sui, Petrus maximè, quòd omnes eum incendere caverent, qui esset filius Petri Leonis summi Romanorum Principis. Crebra ergo ad Angliam commeabat legatio Romanorum insidiantium imbecillitati Radulphi. Sed effugabantur omnes cautela Henrici. Nolebat enim in Angliam præter consuetudinem antiquam recipere Legatum nisi Cantuariensem Archiepiscopum. illíque libenter refringebant impetum propter violentiam denariorum.*

Baron. ad an. 1117. §. 9.

Vvillelmus Malmesb. lib. 1. gest. pontif.

II. Aliquot exinde post annos, cùm Ioannes Cremensis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Tituli sancti Chrysogoni Presbyter Cardinalis venisset in Angliam, próque dignitate Legati primum locum ubique occuparet super Episcopos, etiam in Conciliis, commovit ea res animos provincialium, quia nova præsumebantur. Rem ita narrat Gervasius Dorobernensis in actibus Pontificum Cantuariensium: *His diebus venit in Angliam Legatus quidam nomine Iohannes, à Vvillelmo Cantuariensi Archiepiscopo & Turstano Eboracensi & Episcopis Angliæ nimis pomposè susceptus est. Post modicum idem Legatus, peragrata Anglia, celebravit Concilium apud Vvestmonasterium, & totam Angliam in non modicam commovit indignationem. Videres enim rem eatenus regno Anglorum inauditam, Clericum scilicet presbyterij tantùm gradu perfunctum Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, totiúsque regni nobilibus qui confluxerant, in sublimi solio præsidere, illos autem deorsum sedentes ad nutum ejus vultu & auribus animum suspensum habere. Die quoque Paschæ cùm idem primò veniret in Angliam, officium diei loco Summi Pontificis in matrice Ecclesia celebravit, eminenti cathedræ præsidens, & insignijs pontificalibus utens, licèt non Episcopus sed simpliciter fuerit Presbyter Cardinalis. Quæ res quàm gravi multorum mentes scandalo vulneraverit, & inusitata negotij novitas & antiqui regni Anglorum detrita libertas satis indicat.*

Vide infrà cap. 52. §. 4.

Gervas. Dorob. pag. 1663.

III. Non solùm autem propter hanc novitatem in se concitavit hic Ioannes odia Anglorum, sed etiam propter munerum acceptionem, ut observat Henricus Archidia-

Henr. Huntindon. lib. 7.

conus Huntindonienſis his verbis: *Ad Paſcha verò Iohannes Cremenſis Cardinalis Romanus deſcendit in Angliam; perendinánſque per epiſcopatus & abbatias, non ſine magnis muneribus, ad nativitatem ſanctæ Mariæ celebravit Concilium ſolenne apud Londoniam.* Nolo heic commemorare fœdiſſimum facinus quod paulò poſt iſta narrat idem Huntindonienſis, de meretrice nimirum deprehenſa cum Legato, cùm ſciam illuſtriſſimum Cardinalem Baronium contendere narrationem hanc eſſe falſam. Quanquam ſi quis eam veram præſtare vellet, facilè, ut ego quidem arbitror, argumenta Baronij diſſolveret.

Baron. ad an. 1145. §. 14.

IV. Tempore dein Eugenij III. fuit quidam Legatus adeo infamis & inverecundus ut iracundiam ſancti Bernardi adversùm ſe excitaverit. Fuit is, ut Baronius adnotat, Iordanes Cardinalis, Legatus tum ad Conradum Imperatorem miſſus. Sic ergo de eo ſcribit ſanctus Bernardus ad Hugonem Epiſcopum Oſtienſem: *Pertranſiit Legatus veſter de gente in gentem & de regno ad populum alterum, fœda & horrenda veſtigia apud nos ubique relinquens. A radice Alpium & regno Theutonicorum per omnes penè Eccleſias Franciæ & Normanniæ & circumquaque circumiens uſque Rothomagum vir apoſtolicus replevit non evangelio ſed ſacrilegio. Turpia fertur ubique commiſiſſe, ſpolia Eccleſiarum aſportaſſe, formoſulos pueros in eccleſiaſticis honoribus ubi potuit promoviſſe, ubi non potuit voluiſſe. Multi ſe redemerunt ne veniret ad eos. Ad quos pervenire non potuit, exegit & extorſit per nuntios. In ſcholis, in curiis, in triviis, fabulam ſe ipſum fecit. Seculares, religioſi, omnes malè loquuntur de eo. Pauperes & monachi & Clerici conqueruntur de eo. Homines quoque ſuæ profeſſionis ipſi ſunt qui magis exhorrent & famam ejus & vitam. Hoc teſtimonium habet & ab his qui intus & ab his qui foris ſunt.*

Baron. an. 1151. §. 6. Otto Frising. lib. 1. de geſt. Frider. c. 63.

S. Bernard. epiſt. 290.

V. Nihilo favorabilior Legatis Romanis fuit Rogerius de Hoveden in cauſa ſancti Thomæ Cantuarienſis. Agens enim ad annum MCLXV. de diſcidio quod exortum erat inter eundem Thomam & Henricum ſecundum Regem Anglorum, adversùs quem Henricus legatos ad Alexandrum Papam miſerat, addit: *Illi autem videntes ſe non poſſe proficere, petierunt à Domino Papa duos Legatos mitti in Angliam ad cognoſcendam controverſiam quæ erat inter Regem & Archiepiſcopum Cantuarienſem, & ad determinandam eam in honorem Dei & ſanctæ Eccleſiæ & regni. Sed Dominus Papa nullum Cardinalem nec aliquem Legatum mittere voluit, ſciens quòd Rex Angliæ potens erat in opere & ſermone, & quòd Legati ex facili poſſent corrumpi, utpote qui plus aurum & argentum ſitiunt quàm juſtitiam & æquitatem.*

VI. Eadem tempeſtas protulit monſtrum avaritiæ, Ioannem ſcilicet Cardinalem Neapolitanum vulgò dictum, qui lucri cauſa, ut Baronius obſervat, frequenter munus legationis in Siciliam ab Alexandro tertio extorquere conſuevit. Nolo heic commemorare quæcunque de eo narrat Hugo Falcandus, illorum temporum elegantiſſimus ſcriptor. Sufficiet unica cauſa divortij Comitis Richardi, quam iſte Legatus ſummo jure contra fas & inſtituta majorum diremit pecunia corruptus. *Per idem tempus*, inquit Hugo Falcandus, *Richardus de Sagio Panhormum veniens, uxorem ſuam ſororem Bartholomæi Periſini ſecum adduxerat, ut, ea dimiſſa, neptem Archiepiſcopi Capuani nobiliſſimam meretricem, cujus amore dudum captus fuerat, matrimonio ſibi conjungeret. Hic cùm Apuliæ diù Capitaneus & magiſter Comeſtabulus extitiſſet, toties aliis rebellantibus fidem inconcuſſam retinens, nunquam ab Rege defecit: quem Regina benignè ſuſcipiens, dedit ei comitatum Richardi de Aquila Fundani Comitis, qui ſine ſpe reditus in Romanorum finibus exulabat. De ſolvendo quoque matrimonio præcepit Curiæ familiaribus ut convocatis Epiſcopis aliiſque perſonis eccleſiaſticis, & auditis utriuſque partis allegationibus, quod inde dictaret æquitas expedirent. At illi rogavêrunt Cardinales ut ejuſdem intereſſent examinationi negotij, eò quòd ipſi promptiorem harum rerum haberent notitiam, cùm Romana Curia frequenter ſuper hujuſmodi cauſis cognoſceret. Ioannes ergo Neapolitanus eorum facilè petitioni conſenſit. Epiſcopus autem Hoſtienſis, vir honeſtatis non indubiæ, cùm ſocium ſuum vidiſſet muneribus & gratia eſſe corruptum, eòque ipſo rectè judicandi libertatem ſublatam, nullis precibus adduci potuit ut eorum vellet judiciis intereſſe. Cauſa verò propter quam prædictus Richardus putabat oportere diſſolvi conjugium hæc erat, quòd ſe dudum ante contractum matrimonium cum quadam uxoris ſuæ conſobrina rem habuiſſe dicebat, cujus rei teſtes proceſſerant duo Milites hoc ſe vidiſſe certiſſimè proteſtantes. Quòd cùm adverſa pars denegaret, eſſentque qui falſum eos perhibere teſtimonium probaturi aſſererent, cauſam ejuſmodi crederent, etſi conſtaret ad ſolvendum matrimonium poſſe ſufficere, ſed ut objecti conſanguineæ ſuæ criminis injuriam propulſarent, Cardinalis rem breviter ſatagens definire, prædictos teſtes jurare præcepit. Inde ſoluto matrimonio, & ab utraque parte de non coëundo deinceps præſtito ſacramento, Richardo poteſtatem dedit ad ſecundas nuptias licitè tranſeundi, illam autem juſſit ſine ſpe conjugij permanere. In quo licèt cum eccleſiaſtici viri qui aderant, Richardi de Sagio & amicorum ejus gratiam ſequutum fuiſſe non ambigerent, illud tamen propenſiùs mirabantur, quòd viro qui deliquerat abſoluto, mulieri, quæ nihil*

Hugo Falcandus in hiſt. Sicil. pag. 110.

Baron. ad an. 1167. §. 30.

admiserat, perpetuam continentiam indixisset. Cumque latenter ejus impudentiam arguentes, tentandi gratia quærerent ab eodem utrum in causis paribus idem jus consequenter admitterent, respondit sibi licere quod eis non liceret, neque nunc id se fecisse ut id consequendum aliis traderetur. Subdit Baronius, qui ista refert: *Huc usque Hugo Falcandus de scandalis quæ amore auri Cardinalis venalis inferret.*

VII. Adeo vulgata res erat seculo illo Legatorum apostolicæ sedis avaritia, ut cùm Ioannes Anagninus à Clemente III. missus in Galliam fuisset Legatus ad revocandam pacem inter Reges Franciæ & Angliæ, & propositis quibusdam concordiæ capitibus, re infecta utrique discederent, Legatúsque assereret *quòd nisi Rex Franciæ ad plenum componeret cum Rege Angliæ, totam terram suam sub interdicto poneret*, inter alia quæ adversùm Legati minas reposuit Rex Francorum, quæ referuntur à Rogerio Hovedeno, *adjecit etiam quòd prænominatus Cardinalis jam sterlingos Regis Angliæ olfecerat.*

VIII. Haud ita multò pòst, id est, anno millesimo centesimo nonagesimo, Vvillelmus Elienſis Episcopus, commendatione usus Richardi Regis Anglorum, apud quem præcipua gratia florebat, legationem totius Angliæ & Hyberniæ obtinuit à Clemente tertio, cujus ea de re literæ referuntur à Mat-
Matth. Paris in Ypodecte I. theo Parisio. Legationis autem officium, *quod mille fusis argenti libris adquisierat, adeo immoderatè peregit, ut omnibus Angliæ Ecclesiis tam conventualibus quàm cathedralibus fieret onerosus. Siquidem mille & quingentis per Angliam evectus equitaturis, Clericorum stipatus catervis, Militúmque vallatus agminibus, omnia ferè quæ episcopali reverentiæ congruunt prætermisit.* Hic fastus in eum concitavit Anglorum invidiam & odium meritò excandescentium adversùs hominem qui ad nihil aliud videbatur impetrasse legationem sedis apostolicæ quàm ut universam Angliam una ruina opprimeret. Describit ista eleganter Hugo Coventrensis Episcopus in epistola de dejectione ejusdem Legati, quam recitat Hovedenus. *De consilio universorum statuimus*, inquit Hugo, *ne talis de cetero in regno Angliæ dominetur, per quem Ecclesia Dei ad ignominiam & populus ad inopiam erat redactus. Vt enim cetera omittam, ipse & ganeones sui totum regnum exhauserant.* Addit paulò pòst Elienſem Episcopum Cantuariam properasse, *ut ibi, sicut decebat, crucem acciperet peregrinationis, & deponeret crucem legationis, quam per annum & dimidium anni post mortem Papæ Clementis in præjudicium Romanæ Ecclesiæ & detrimentum Anglicanæ portaverat. Omnes enim Ecclesias Angliæ crux illa redemit, id est, ad redemptionem coëgit, nec fuit aliquis immunis qui crucis illius stigmata non sentiret. Et si fortè alicujus Episcopi domum intravit, ab eo scire poteritis quòd centum vel ducentarum marcarum pretio sua constiterit procuratio.* Porrò adversùs hanc Hugonis Episcopi Coventrensis epistolam Petrus Blesensis aliam epistolam scripsit pro Episcopo Elienſi, in qua eum valde laudat. Celestinus quoque tertius, qui tum sedi apostolicæ præsidebat, in gratiam ejus scripsit ad Archiepiscopos & Episcopos Angliæ, innuens ista adversùs Episcopum Elienſem præsumpta fuisse per invidiam Ioannis Comitis Moretonij, quem & complices ejus in hoc facto denuntiari solenniter excommunicatos jubet.

CAPVT L.

Synopsis.

I. Rursum avaritiam Legatorum insectatur Rogerius de Hoveden in persona Ioannis Salernitani, quem ait à ceteris potionibus quæ homines inebriare solent abstinuisse, ceterùm aurum & argentum sitivisse.

II. Raynaldus, ut dedecus illud amoliatur à nomine Legatorum, vitium illud confert in corpus virorum ecclesiasticorum. Notatur à veteri scriptore mos Romanorum ad bursarum corrosionem.

III. Refertur insignis locus Guiberti de Novigento adversùs avaritiam Romanæ Curiæ, qui illustratur ex alio loco Matthæi Parisij.

IV. Cupiditatem in Ioanne Ferentino notat idem Parisius. Refellitur Odoricus Raynaldus, qui factum istius Legati excusare conatur, hanc rapinam descendere faciens ex veteri more faciendarum collectarum.

V. Gualo Legatus in Angliam missus ab Innocentio III. honesta & inhonesta omnia quæstui habebat. Itaque ob insatiabilem avaritiam accusatus apud Pontificem, ab eo multatus est pœna pecuniaria. Verùm hæc narratio falsi suspicione laborat.

VI. Impudens Ægidij Legati mendacium: qui post corrosam multam auri vim, finxit se à latronibus spoliatum fuisse, cùm eam pecuniam in summa ambitione ac luxu profudisset, & ita crumena inani Romam rediit. Frequentia Legatorum commotus Alexander Scotorum Rex, novum Legatum repudiat. Vehemens oratio Episcopi cujusdam Scoti adversùs Legatos.

VII. Otto Legatus in Angliam missus à Gregorio IX. magnificè acceptus & multis muneribus donatus. Neque fanis pepercit neque profanis. Sed præda sua spoliatus, factus est præda de prædatore.

VIII. Interdum Legati spoliabantur pecunia compilata. Talayrandus à latronibus spoliatus in Gallia.

IX. Talayrando felicior fuit in Anglia Pileus Cardinalis. Nam cùm immensam auri vim collegisset variis modis, eam priùs Anglia eduxit quàm ipse exiret.

I. EXTINCTO Celestino successit Innocentius istius nominis tertius. Hic anno MCCI. Legatum in Scotiam & Hiberniam misit Ioannem Presbyterum Cardina-

lem Tituli sancti Stephani in Cœlio monte; cujus præclaras virtutes cùm celebret Rogerius Hovedenus, avaritiam tamen insectatur. *Eodem anno*, inquit, *Iohannes Salernitanus Tituli sancti Stephani in monte Cœlio Presbyter Cardinalis, apostolicæ sedis Legatus in Scotia & in Hibernia & in insulis adjacentibus, venit Eboracum.* Et paulò pòst: *Prædictus verò Iohannes non manducavit carnem, vinum & ciceram non bibit nec aliquid quo inebriari potuit, sed aurum & argentum sitivit.* Meminit istius legationis Radulfus de Diceto in imaginibus historiarum, his verbis: *Iohannes Salernitanus Presbyter & Cardinalis à Summo Pontifice transmissus tam Hyberniæ quàm Scotiæ Legatus, transitum habens per Angliam, sollempni processione receptus est in Ecclesia doctoris gentium Pauli prid. Kal. Septembris.*

II. Odoricus Raynaldus referens hunc locum ex annalibus Hovedeni, ut dedecus illud amoliatur à nomine Legatorum, vitium illud confert in corpus virorum ecclesiasticorum. *Deploranda planè est*, inquit, *complurium ecclesiasticorum conditio, qui reliquis superatis vitiis, avaritiæ sordibus perliti, insanæ pecuniæ cupiditati, summo aliorum scandalo, suæque animæ detrimento, turpissimè succumbunt.* Sed ab ista generali reprehensione abstinuisset haud dubiè Raynaldus, si voluisset intelligere ista referri non posse ad omnes Clericos, sed ad mores Legatorum Ecclesiæ Romanæ, quorum avaritia fato quodam semper & ubique notata est; adeo ut cùm Simon de Bria Cardinalis, natione Gallus, apostolicæ legationis auctoritate per Gallias instructus, augendis fortunis suis studeret, passus sit severam animadversionem à quodam scriptore illorum temporum, qui adnotat illum, quamvis esset natione Gallus, bene didicisse morem Romanorum ad bursarum corrosionem. Hæc sunt ejus verba, relata à viro clarissimo Francisco Duchesnio in probationibus historiæ Cardinalium Gallorum pag. 590. *Et licèt iste Cardinalis esset natione Gallicus, & fuisset Cancellarius Regis Franciæ & Thesaurarius Turonensis, bene didicerat morem Romanum ad bursarum corrosionem.*

Odor. Raynald. ad an. 1201. §. 35.

III. Nolo heic recensere cuncta quæ antiquitus dicta sunt adversùs cupiditatem & avaritiam Romanorum. Sufficiet in præsentiarum, ad retundendum hunc Odorici Raynaldi conatum, testimonium Guiberti de Novigento, qui lib. III. de vita sua cap. IV. loquens de Galdrico electo Episcopo Laudunensi ad Paschalem II. proficiscente ut electionem suam ab eo confirmari procuraret, ait: *At Palatini, Papæ videlicet necessarij, comperta hominis opulentia, aggratulari, virum ferre laudibus. Moris enim est ut audito auri nomine mansuescant.* Sic Matthæus Parisius ad annum MCIII. adnotat sedem apostolicam clementissimam esse, ac nulli deesse consuevisse, dummodo aliquid albi vel rubei intercedat.

IV. Anno Christi millesimo ducentesimo sexto, ut Matthæus Parisius scribit, *Iohannes Ferentinus apostolicæ sedis Legatus veniens in Angliam, eamque perlustrans, magnam pecuniæ summam congessit, & tandem apud Radingum in crastino sancti Lucæ Evangelistæ Concilium celebravit. Quo facto, sarcinulis cum magna cautela dispositis & prudenter commendatis, festinus viator ad mare perveniens, Angliam à tergo salutavit.* Conatur ista excusare Odoricus Raynaldus, malo sanè consilio, sed eventu pejore, hanc rapinam descendere faciens ex veteri Ecclesiæ consuetudine mittendi Legatos in provincias ad faciendas collectas. Nam ea consuetudo multis antè seculis desierat, & illa Legatorum sæva ac violenta rapacitas, qui magnam illam auri argentíque vim quam exegerant in suos usus vertebant, immensùm distabat à voluntaria illa contributione quam veteres Christiani pendebant in solatium fratrum pauperum. Esset hic locus ostendendi quantum inter ea discrimen esset. Sed cùm id facilè unusquisque apud se expendere possit, supersedeo, ut cœptum opus persequar.

V. Fuit hoc seculo Anglia ludibrium Legatorum theatrúmque ubi maximos illi quæstus prædásque faciebant. Eodem Innocentij tertij pontificatu, cùm civile bellum esset in Anglia, Réxque Ioannes auxilium Innocentij imploràsset, iste Gualonem Tituli sancti Martini in montibus Presbyterum Cardinalem Legatum in Angliam misit anno MCCXVII. qui *non prius Angliæ proceres ac Præsules*, ut Hector Boëtius narrat, *in gratiam recepit quàm ingentem numerassent argenti summam. Nam illi moris erat honesta & inhonesta omnia quæstui habere.* Excitasse porrò Gualonem adversùm se querelas Episcoporum Angliæ & Scotiæ, qui acriter apud Innocentium conquesti sunt de avaritia Gualonis, unúmque ex iis Episcopis quos, quia aurum pendere recusáverant, Romam ire Legatus jusserat, aliorum ac suo nomine coram Summo Pontifice, ac Gualone ipso, quem ob eam causam commotus Pontifex Romam revocaverat, præsente, enarrasse cuncta quæ ex quo in Angliam Legatus Gualo venerat, avarè ac sceleratè perpetrata ab eo erant, tradit idem Boëtius; qui addit Gualonem, quum se non satis purgaret, multatum esse ab Innocentio pro ejus arbitrio pœna pecuniaria. Sed adversùs narrationem illam Hectoris Boëtij opponi potest auctoritas Honorij III. qui eodem anno

no ſcribens ad Gualonem, eum jubet injunctum ſibi legationis officium laudabiliter, ut cœperat, proſequi. Vnde colligi poſſe videtur neque Romam revocatum fuiſſe Gualonem, neque caſtigatum fuiſſe ob malè geſtam legationem, cùm teſtetur Honorius illum laudabiliter in hoc munere ſe geſſiſſe.

Hoſ. Dic. lib. 13. fol. 282.

VI. Sub eodem Honorio, anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo primo, Ægidius Cardinalis in Scotiam legatus ut in ſubſidium novæ expeditionis in terram ſanctam pecuniam aliquam conquireret, accepta haud parva & à laïcis & à clero, cùm eam in itinere in ſumma ambitione ac luxu profudiſſet ac dilapidaſſet, ſpoliatum ſe à latronibus confinxit, & ita crumena inani Romam rediit. Paucis igitur diebus poſtquam ille reverſus erat, eadem de cauſa miſſus eſt alius in Scotiam Legatus. Sed iſta Legatorum frequentia commotus Scotorum Rex Alexander, habito ſuorum concilio, admittendum illum non eſſe cenſuit. In eo verò

Hoſ. Dic. ibid.

Concilio Epiſcopus quidam ſupra modum avaritiæ Legatorum Romanorum infenſus, liberrimè multa adverſùs eos proloquutus eſt, quorum ſumma hæc erat. Intolerandam eſſe omnem tyrannidem, ſed in primis ſervorum aut infimæ ſortis hominum. Si mala quibus Scotorum regnum affectum erat ſuperioribus annis, à Summo Pontifice illata fuiſſent, ea utcunque ferenda videri. Verùm ut homines infimi & ad aliquam fortunam per flagitia provecti per tantam injuriam in Scotos ſæviant, inſuper etiam ea quæ ſanctiſſima hactenus à patribus Scoti acceperant, avariſſimè quæſtui habeant, ea non indignè patienda; præſertim cùm nec finem ullum faciant, & Scotorum ſimplicitatem ac modeſtiam ſuperbiſſimè contemptui habeant. Revocavit deinde in memoriam conventus quæ perperam & inhumaniter geſta erant à Gualone & ab Ægidio, huc demum flectens ut cenſeret neque tertium iſtum Legatum neque ullum alium deinceps admittendum in regnum, ut tot malis iretur obviam.

VII. Gregorius deinde nonus anno MCCXXXVII. Legatum in Angliam miſit Ottonem Diaconum Cardinalem Tituli ſancti Nicolai in carcere Tulliano. Commovit ea legatio univerſum regnum, ut Matthæus Pariſius docet. *Venit igitur in magno apparatu Legatus prænominatus & potentia magna. Et occurrerunt ei Epiſcopi & Clerici famoſi uſque ad littus; & aliqui in naviculis navigando obviarunt ei, applaudentes, & munera impreciabilia offerentes. imò etiam Pariſiis in obviam ei obtulerunt telas eſcarleti & vaſa pretioſa nuncij diverſorum Epiſcoporum.* Damnat iſtum morem Pariſius, deſcribítque deinde qua pompa ſuſceptus Legatus ſit. Manſit autem in Anglia per triennium, neque fanis parcens neque profanis ut ſe ſuóſque ditaret. Deplorat hanc patriæ ſuæ infelicitatem idem Pariſius his verbis: *In craſtino Epiphaniæ apud Doveram Legatus navem aſcendens, poſt regales amplexus & oſcula, legationis depoſuit inſignia, & transfretans apporriatam Angliam à tergo ſalutavit, nullo præter Regem & quos idem Legatus bonis regni ſaginaverat de receſſu ſuo condolente. Nec remanſit eadem hora, ut veraciter dicebatur, in Anglia tantum pecuniæ, exceptis ſanctorum vaſis & ornamentis Eccleſiarum, quantum à regno jam extorſerat Anglicano. Præbendas autem, Eccleſias, & varios redditus opimos pluſquam trecentos ad ſuam vel Papæ contulerat voluntatem. unde regnum, quaſi vinea expoſita omni tranſeunti quam exterminavit aper de ſylva, miſerabiliter languit deſolatum.* Et paulò pòſt: *Vt manifeſto argumento monſtraretur quòd non miſſus erat ad oves quæ perierant protegendas, ſed ad pecuniam quam invenerat vindemiandam. Idcirco meritis multipliciter exigentibus Domino flagellante per Imperatorem præparantem muſcipulas illa præda meruit ſpoliari, factus præda de prædatore.*

VIII. Ea fuit Legatorum quorundam fortuna, ut cùm magnam auri vim collegiſſent per tempora ſuæ legationis, ea deinde ſpoliarentur finita legatione. Extant quamplurima talium rerum exempla. Adferam autem unicum, & quidem poſteriorum temporum; quia ex actis quæ nunc quoque ſuperſunt colligitur apertiùs quàm ex ceteris quantæ eſſent Legatorum opes, quanta pompa. Anno MCCCLIX. cùm Talayrandus Epiſcopus Albanenſis Avenionem rediret functus legatione apoſtolica ad Reges Francorum & Anglorum, pérque diœceſim Lingonenſem tranſiret, fuere qui animo deſtinarunt eundem Legatum ſpoliare opibus ſuis, quos ob hoc ipſum Legatus epiſtola generali ad Epiſcopos Gallicanos miſſa excommunicari ſolenniter juſſit. Sanè Legatus captus non eſt, quia ſe continuit intra villam de Caſtellione. Famuli verò ejus capti ſunt cum theſauro, & adducti ad caſtrum de Giam. Res verò captas eas fuiſſe docet Talayrandus in epiſtola quam, uti diximus, adverſùs prædones ſcripſit ad Epiſcopos Gallicanos, vaſa nimirum argentea, cruces aureas, lapides pretioſos, veſtes, & res alias, quas non nominat. Scio reponi poſſe iſta rapto parta non fuiſſe, hunc quippe Cardinalem ortum ex nobiliſſima familia Comitum Petragoricenſium, præterea divitiis abundaſſe, ut conſtat ex ejus teſtamento nuper edito. Sint iſta vera. Ex hoc tamen facto colligitur

Vide Guillelmum Neubrig. lib. 5. cap. 9. & Baron. ad an. 1183. §. 10.

Apud Severtium in Epiſc. Matiſcon. cap. 53. §. 7.

insidias illi positas fuisse, non ob privatas opes, de quibus certò constare non poterat latronibus, sed ob publicas, id est, ob eas quas ex procurationibus quæ Legatis debebantur, de quibus mox acturi sumus, probabile erat illum peperisse.

IX. Talayrando felicior fuit Pileus Presbyter Cardinalis Tituli sanctæ Praxedis, ab Vrbano VI. Legatus in Angliam destinatus anno millesimo trecentesimo octuagesimo primo. Hic enim, ut Thomas Vvalsinghamus refert, cùm immensam auri vim collegisset variis modis, *recessurus aurum nec argentum post se nequaquam relinquere voluit, sed secum super summarios deferri fecit, ad tantam quidem summam quantam nunquam Anglia in taxa vel talliagio semel pendere consuevit.* Præstat autem heic describere quibus artibus hic Legatus tantam auri argentíque vim collegerit, tanquam præcipitantibus fatis diripienda esset Anglia, seu jure id sive injuria fieret. Describit ista idem Vvalsinghamus his verbis: *Nam, ut asseruit, potestatem afferens inauditam, in brevi totum regnum ad ipsum confluere fecit pro diversis gratiis impetrandis. Revera diversa diversis beneficia contulit; indulgentias quas Dominus Papa concedere solummodo consuevit, & ipse concessit, biennales, triennales. Confessionales literas quibuslibet solventibus gratanter indulsit. Ad capellanatum Domini Papæ tam possessionatos quàm mendicantes admisit; nec aurum eorum respuit qui Notarij publici effici precabantur. Altaria quoque portatilia nulli pecuniam offerenti negavit. Quadraginta libras cum aliis donis Cisterciensium non repulit quum gratiosè concederet eis licentiam generalem vescendi carnibus extra monasterium indifferenter, ut in monasterio edere consueverunt. Excommunicatis gratiam absolutionis impendit. Vota peregrinationis ad Apostolorum limina, ad terram sanctam, ad sanctum Iacobum, non priùs remisit quàm tantam pecuniam recepisset quantam juxta veram æstimationem in eisdem peregrinationibus expendere debuissent. Et ut cuncta concludam brevibus, nihil omnino petendum erat quod non censuit interveniente pecunia concedendum. Interrogatus autem in qua potestate hæc faceret, cum summa indignatione respondit se Romæ, si scire vellent ejus potestatem, omnibus responsurum. Iam jámque adeo referti erant argento ejus sacculi ut advenientibus ejus ministri respondere dedignarentur nisi aurum afferrent, dicentes: Afferte nobis aurum. Argento enim vestro pleni sumus.*

CAPVT LI.

Synopsis.

I. Agendum in hoc capite de procurationibus Legatorum. Procurationis vocabulo intelliguntur cibaria quæ debentur Episcopis visitantibus, ut docet etiam glossa. Inde procurare & exhibere. Gregorius VII. sumptus Legatis præberi mandavit. Hinc paulatim introductum ut procuratio eis solveretur Alexander III. modum procurationum præscripsit in Concilio Lateranensi.

II. Cùm procuratio tribuebatur tantùm in victualibus, modica erat. Dabitur Legatis lac ad bibendum, & non bibent ultra tertiam vicem. Sed ista abrogata esse adnotat Gambarus. Cardinales Legati sunt bonis & consuetis cibis procurandi.

III. Procurationis vocabulum in eo sensu introductum erat desinente seculo duodecimo, ut probatur duobus locis illustribus. De luxu & pompa Episcopi Elicensis in Anglia.

IV. Nihilo illo modestiores erant ceteri Legati. Innocentius III. procurationes Legatorum restrixit ad necessaria, causas querelarum amputare studens.

V. Frequentia Legatorum dedit occasionem huic constitutioni. Præscriptio longa non eximit à solutione procurationum. Solum privilegium apostolicæ sedis hoc potest.

VI. Legati exigebant procurationes ab iis etiam quos non visitabant. Et huic quoque malo modum aliquem ponere studuit idem Innocentius. Sed idem tamen hanc salubrimam constitutionem evertit in sequenti clausula, permittens Legatis ut cùm opportuerit eos apud aliquem locum moram facere longiorem, procurationes recipiant ab Ecclesiis & personis quas non visitaverint.

VII. Episcopi in Concilio Triburiensi congregati hunc agendi modum damnarunt in aliquibus Episcopis sui seculi.

VIII. Antiquitus ergo pecunia non exigebatur pro procuratione. Dein Legati exegerunt, specie levandi onera provincialium. Otto Legatus duas marcas argenti ab Ecclesiis conventualibus Angliæ exegit nomine procurationis.

IX. Cùm alius Otto in Anglia passus esset contradictionem propter procurationes, Anglis respondentibus quòd toties bona Ecclesiæ exhausserat Romana importunitas quòd nullo modo amplius toleraverit, ad humilitatem religiosorum se convertit, & ab eis magnam pecuniæ vim extorsit nomine procurationis.

X. At non propterea destitit Otto ab exigendis procurationibus. Misit enim mandata ad Archiepiscopos & Archidiaconos uti procurationes in suis quinque locis nomine suo exigerent, & ad se mitterent.

XI. Cistercienses, qui per privilegia sedis apostolicæ exempti erant à solutione procurationum, querelas adversùs Ottonem suas detulerunt ad Gregorium IX. Papam. Is verò vetuit ab eis exigi procurationes pecuniarias, cibis porrò regularibus absque esu carnium contentus esset Legatus quandiu apud illos esset.

XII. In Gallia quoque motus aliquos excitarunt procurationes Legatorum. Probatur ex epistola Innocentij IV. nondum edita.

XIII. Sub Clemente V. adeo intolerabiles erant procurationes Legatorum ut se provinciales ab eis præstandis eximere studerent omnibus modis. Probatur ex facto virorum ecclesiasticorum diœceseos Helenensis. Contendebat Episcopus Helenensis se, cùm esset de regno Aragoniæ, non teneri ad præstationem procurationum Legatis in Franciam missis. Allegabat privilegium Innocentij quarti.

XIV. Eò processerat Legatorum aviditas ut se ita redderent in procurationum exactionibus onerosos quòd

oppressi subditi hujusmodi onera non valebant supportare. Frustra enim fuit decretum Innocentij IV. & Gregorij X. in Concilio Lugdunensi. Gradum deinde ad licentiam fecit Bonifacius octavus. Divites pro magna parte exempti à præstatione procurationum. Quo fiebat ut pauperes multum gravarentur. Abolitæ dein prorsùs sunt illæ procurationes.

I. REDEAMUS nunc ad procurationes quæ Legatis olim debebantur. Procurationis nomine intelligo epulas quæ ab inferioribus debentur Prælato visitanti, quas *comestiones* ob hoc ipsum vocat glossa in Clement. *Ad nostrum. De exactionibus.* Inde frequenter in scriptoribus medij temporis ille procuratus dicitur cui alimenta præbita sunt, & procurationis nomine intelliguntur, ut dixi, comestiones exhibitæ visitantibus. unde & *exhibere* quoque interdum dicebant pro *procurare*, ut notat etiam glossa in cap. *Vas electionis. De censibus. inter Extravagantes communes.* Gregorius igitur septimus sumptus Legatis præberi mandavit ab Archiepiscopis & Episcopis, uti suprà diximus; nondum tamen declaratum erat ad illos spectare procurationem quæ ratione visitationis debetur. Tandem quia Legati mittebantur ut provinciarum morbos introspicerent, quod fieri non poterat nisi visitarent Ecclesias, paulatim introductum est uti procuratio solveretur Legatis non secus ac Episcopis visitantibus Ecclesias suarum diœceseon. Quis primus istius constitutionis auctor fuerit non invenio traditum memoriæ literarum. Alexander III. præscribens modum procurationum episcopalium in Concilio Lateranensi, nihil circa Legatos statuit; nisi si Legatorum dignitati prospexit, cùm vetuit ne Cardinales parochias visitantes, viginti quinque evectionis numerum excedant. Necessarium autem erat modum quendam his rebus poni, quòd, ut illic ait Alexander, quidam Episcopi *ita graves in procurationibus suis subditis existebant, ut pro hujusmodi causa interdum ornamenta ecclesiastica subditi compellerentur exponere, & longi temporis victum brevis hora consumeret.* Ex quo interim loco multam lucem accipient ea quæ suprà relata sunt de querelis adversùs Legatos, quorum violentia effectum est ut altaria nudarentur, vasa Dei asportarentur, cruces excoriarentur, & alia multa horrenda per provincias perpetrarentur.

II. Initio autem, ut suprà observabamus, ea Legatorum procuratio modica fuit, quòd præberetur tantùm in victualibus, pauca porrò sufficerent viris qui vice Apostolorum fungebantur. Vnde glossa in cap. *Cùm instantia. De censib.* loquens de procurationibus quæ debentur Legatis apostolicæ sedis ait: *Dabitur enim Legatis lac ad bibendum, ut dicit Ioannes, ne rubentibus buccis prædicent jejuniorum doctrinam.* Addit autem Petrus Andreas Gambarus ista: *At quæro quomodo debeant procurari Legati de latere. Respondeo quòd debent acquiescere illis cibis qui dantur, & eos causa gratiarum actione suscipere. Decet enim eos esse parcos, & imitari Apostolos, quorum se successores faciunt. Aliàs quomodo possent visitando instruere plebem ad jejunia & ad bona opera, si rubentibus buccis & ventre delicatis epulis pleno evangelium Dei prædicarent.* Et paulò pòst: *Vnde dicit glossa in c. Cùm instantia. quòd Legatis dabitur lac ad bibendum secundùm Ioannem, qui locutus est ex more patriæ. Erat enim Theutonicus. Aliàs lac debetur ei qui gregem pascit.* Rursum glossa providens honestati Legatorum, prohibet eos in locis ubi procurantur bibere ultra tertiam vicem. *Nec bibent*, inquit, *ultra tertiam vicem.* Quia verò auctor glossæ, dum Legatis potestatem fecit exhauriendi tres calices, nihil dixit de magnitudine poculi, idcirco ista per jocum effudit idem Gambarus: *Item nec bibent Legati ultra trinam vicem. sed de magnitudine poculi nihil dicitur.* Cùm autem post auctorem glossæ dixisset Legatos teneri *comedere carnes cum aceto vel lardum*, demum addit ista per consuetudinem abrogata esse. Instruit deinde eos apud quos Legati apostolicæ sedis hospitabuntur quonam modo eos tractare debeant. Hæc sunt ejus verba: *Meminisse tamen debent qui Reverendissimos procurant alia cibaria esse danda rusticis, alia nobilibus. Nam rustici cepis & fabis ac caseo utuntur; & si quis aliter eos procuraret, peccaret. Nobiles ergo, quales sunt Reverendissimi Cardinales, qui sunt superillustres & nobilissimi, sunt bonis & consuetis cibis procurandi.*

Gambarus lib. 2. de auctoritate Legati §. 86.

Gambarus ibid. §. 91.

Ibid. §. 94.

III. Procurationis vocabulum, ad significandum tributum quod Legati imponebant provincialibus, receptum fuisse in Ecclesia desinente seculo duodecimo colligitur ex epistola Huberti Archiepiscopi Cantuariensis ad Capitulum Eboracense, cujus verba referentur infrà, & ex epistola Hugonis Episcopi Coventrensis de dejectione Villelmi Episcopi Eliensis, de qua superiùs actum est. Nam hæc sunt omnino ejus verba: *Et si fortè alicujus Episcopi domum intravit, ab eo scire poteritis quòd centum vel ducentarum marcarum pretio sua constiterit procuratio.* Verum itaque tunc erat quod Alexander III. observavit in canone quarto Concilij Lateranensis, quosdam ita graves in procurationibus existere suis subditis ut pro hujusmodi causa interdum ornamenta ecclesiastica subditi compellerentur exponere, & longi temporis victum brevis hora consumeret. Episcopus autem ille Eliensis, præter amplissi-

Vide infrà cap. 55. §. ult.

mam familiam, mille & quingentis per Angliam equitaturis vehebatur, ut docet Matthæus Parisius.

IV. Nihilo modestiores erant ceteri Legati, nihil eorum omittentes quæ ad pompam ac fastum & ad comparandas divitias pertinebant. Quare necessarium fuit Innocentio tertio maximo & doctissimo Pontifici, qui sedi apostolicæ præsedit paulò post casum Episcopi Elienſis, justis provincialium querelis satisfacere & modum aliquem ponere ambitioni & avaritiæ Legatorum. Scribens igitur ad Primicerium & Clerum Mediolanensem, qui procurationem solvere recusaverant Bernardo Tituli sancti Petri ad vincula Presbytero Cardinali & apostolicæ sedis Legato, declarat quidem omnes Ecclesias teneri ad impendendum procurationes Legatis & Nuntiis apostolicæ sedis, & ab earum præstatione nullam prorsùs haberi posse excusatam, nisi fortè per speciale privilegium sedis apostolicæ sit exempta; sed tamen eodem tempore procurationes illas restringit ad necessaria, *prædicto Cardinali vel potiùs nobis in ipso contumaciter resistentes, necessaria denegastis*, & neminem ex ea præstatione vult indebitè prægravari. *Sanè in his exigendis*, inquit, *eum modum & ordinem volumus observari, ut nulla Ecclesia vel Prælatus se indebitè prægravari rationabiliter conqueratur.*

Innoc. III. lib. 1. epist. 508. & cap. *Cùm instantia.* De censibus.

Vide Petrum Paulum Paris. in cap. *Accedentes.* & in cap. *Cùm ex officij.* De præscriptionib.

V. Orta erat tempestas illa in Ecclesia Mediolanensi ex contumacia Canonicorum & quorundam ministrorum illius Ecclesiæ quos Ordinarios vocabant. Hi cùm se longa possessione tuerentur ne procurationes Legatis præstarent, ex eóque ceteri Clerici onerarentur, propterea quòd Legati sæpe illac commeabant, quibus necessariò præstanda erat procuratio, eò usque incaluit contentio, ut dicerent ceteri non soluturos se procurationem nisi priùs eam Canonici persolverent & nisi etiam Ordinarij parte illos oneris, ut æquum erat, sublevarent. Nam procuratio imponebatur à Legato quæ universis cujuslibet diœceseos Clericis incumberet, singulis autem portio sua cuique solvenda injungebatur ab iis quibus ea res committebatur in unaquaque diœcesi. De ea re scribit Innocentius ad Abbatem de Cerreto, cui causam committit, simúlque decernit quæ in posterum observanda essent. Sed antequam verba ejus referamus, necesse est proponere lectori fontem & originem tot malorum, frequentiam nimirum legationum. *Cùm enim per civitatem ipsam*, inquit Innocentius, *sæpe contingat transitum facere nostros Nuntios & Legatos, quanto in eorum procurationibus faciendis pauciores existunt, tanto facientes ampliùs prægravantur, & quanto per plures onus esset procurationis divisum, tanto à facientibus faciliùs portaretur.* Tum commendata sollicitudine sua pro omnibus Ecclesiis curáque sua pro Ordinariis & aliis Clericis Ecclesiæ Mediolanensis, demum ita statuit: *Volentes autem ut quod omnibus imminet ab omnibus comportetur, discretioni tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus prædictis Ordinariis ad tuam præsentiam convocatis, nisi per speciale privilegium apostolicæ sedis à præstandis procurationibus ostenderint se immunes, etiamsi longissimo tempore procurationis obsequium non impenderint, cùm in talibus sibi præscriptio locum nequeat vendicare, ipsos ad procurationis sarcinam ordine debito subeundam appellatione remota teneri decernas.*

Innoc. III. lib. 1. epist. 569. & cap. *Accedentes.* De præscriptionibus.

VI. Quia verò Legati interdum excedebant modum sibi præscriptum, immo exigebant procurationes ab iis etiam quos non visitabant, idem Innocentius huic malo mederi cupiens constitutionem edidit in Concilio Lateranensi anno MCCXV. in hunc modum: *Procurationes quæ ratione visitationis debentur Episcopis, Archidiaconis, vel quibuslibet aliis, etiam apostolicæ sedis Legatis aut Nuntiis, absque manifesta & necessaria causa nullatenus exigantur, nisi cùm personaliter visitationis officium impendunt; vectionum & personarum mediocritatem observent in Lateranensi Concilio constitutam.* Hæc quidem rectè & ex ordine Innocentius, & secundùm jus ab ipso stabilitum in epistola ad Episcopum Slesvicensem in Dania. Sed quæ sequuntur in eadem constitutione Concilij Lateranensis, omnino evertunt ea quæ præcesserunt. Nam cùm decrevisset ne quis ab Ecclesiis exigeret procurationes, nisi cùm personaliter visitationis officium impenderet, statim illud speciali privilegio indulget Legatis, ut si necesse sit eos alicubi moram facere necessariam, procurationes recipiant etiam ab illis Ecclesiis quas non visitaverint. Subdit enim post ea quæ superiùs descripta sunt: *Hoc adhibito moderamine circa Legatos & Nuntios, ut cùm oportuerit eos apud aliquem locum moram facere necessariam, ne locus ille propter ipsos nimium aggravetur, procurationes recipiant moderatas ab aliis Ecclesiis vel personis quæ nondum fuerunt de suis procurationibus aggravatæ, ita quòd numerus procurationum numerum dierum quibus moram hujusmodi fecerint non excedat, & cùm aliqua non sufficerit per se ipsam, duæ vel plures conjungantur in unum.*

VII. Huic juri is color quæsitus, ne loca in quibus Legati moram traxerint longiorem, nimiùm propter ipsos aggraventur. Tum itaque licere Legatis decernit Innocentius procurationem exigere ab Ecclesiis quas non visitaverint. Scio ingens esse dif-

crimen inter majestatem Legatorum illius temporis & sacram Episcoporum auctoritatem, nostrique officij non esse ultimorum temporum mores refingere ad exemplum antiquorum. Attamen si licet heic componere Episcoporum in synodo Triburiensi congregatorum constitutionem cum constitutione illa Concilij Lateranensis, erit unde cisalpinis Episcopis gratulari possimus, qui negligentiæ & avaritiæ coarguerunt Episcopos visitationem parœciarum suarum non peragentes & tamen ab eis exigentes pretium mansionum, ut tum dicebant, sive procurationum. Hæc sunt verba canonis Triburiensis: *Delata est coram sancta synodo querimonia plebium, eò quòd sint quidam Episcopi nolentes ad prædicandum vel ad confirmandum suas per annum parrochias circumire, qui tamen exigunt ut mansiones quibus in profectione uti debuerant, aliquo pretio redimant qui parare debent. Quæ duplex infamia negligentiæ & avaritiæ sanctæ synodo magno fuit horrori. Statuerunt itaque ne quis ultrà exerceat id cupiditatis ingenium, & ut sollicitiores sint Episcopi de suis gregibus visitandis.* Ista statuebantur anno Domini DCCCXCV. id est, trecentis & viginti annis ante Concilium istud Lateranense.

Concil. Triburiense. c. 18. apud Burchard. lib. 1. c. 213.

Vide Zeltnerum Notas ad Agobard. pag. 40.

VIII. Antiquitus ergo pecunia non exigebatur pro procuratione. Dein factum est ut Legati, quò se minùs graves & onerosos exhiberent provincialibus, nomine procurationis certam pecuniæ summam exigerent ab Ecclesiis intra legationis suæ terminos constitutis. Testatur istud de Ottone, quem anno MCCXXV. Honorius III. in Angliam miserat, Matthæus Parisius, his verbis: *Tunc idem Otto cepit ab omnibus Ecclesiis Angliæ conventualibus, nomine procurationis, duas marcas argenti.* Delusum porrò fuisse Ottonem, & clitellis vacuis ab Anglia recessisse confusum, tradit idem Parisius ad annum MCCXXVI. *Eodem anno cùm magister Otto Domini Papæ Nuntius tempore quadragesimali ad Northanhumbriam profecturus, & procurationes desideratas exacturus, Northamtonam usque pervenisset, venerunt ad eum, Cantuariensi Archiepiscopo procurante, literæ Domini Papæ, in quibus continebatur expressum ut statim visis literis Romam veniret, ejus potestate penitùs enervata. Obliquo igitur oculo literis inspectis, demisso vultu eas projecit in ignem; atque illico proposito mutato, clitellis vacuis ab Anglia recessit confusus.*

IX. Alius ejusdem nominis Legatus Otto Tituli sancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconus Cardinalis, qui in Angliam venerat à Rege Henrico III. vocatus, regnum illud iisdem artibus concussit anno millesimo ducentesimo trigesimo nono. Referenda sunt autem verba Matthæi Parisij, qui ista describit: *Per idem tempus convenerunt omnes Episcopi Londinum, pridie scilicet Calendas Augusti, de oppressionibus Ecclesiæ Anglicanæ tractaturi. Exigebat enim Legatus, post quotidianas exactiones, procurationes. Cui, habito consilio, responderunt Episcopi communiter, quòd toties bona Ecclesiæ exhauserat Romana importunitas quòd nullo modo amplius tolerarent. Exhibeat vos qui inconsultè vos vocavit.* Agit iterum infrà Parisius de isto conventu; addítque Legatum, cùm talem in multis constantiam videret, ad humilitatem religiosorum se convertisse, & ab eis pecuniam non minimam extorsisse nomine procurationis.

X. At non propter hos rumores destitit Otto à consilio corrogandarum pecuniarum. Anno namque sequenti mandata dedit ad Episcopos & Archidiaconos uti curam gererent in suis quique locis exigendarum procurationum, eo colore quæsito, quòd ei mora longior esset facienda in Anglia, æquum porrò non esse ut propriis sumptibus suis aliena negotia perageret. Recitat ista idem Parisius. *Legatus interea*, inquit, *sui non oblitus, nummos & redditus non segniter sibi rapuit; procurationésque sibi dari compellens, mittebat Episcopis & Archidiaconis districta mandata, circa festum Annunciationis beatæ Mariæ, in hæc verba.*

Otto miseratione divina &c. discreto viro illi Episcopo, vel Archidiacono, salutem. Cùm necesse habeamus de mandato Summi Pontificis moram trahere longiorem, nec possimus propriis stipendiis militare, discretioni vestræ qua fungimur auctoritate mandamus & quæsumus ut procurationes nobis debitas in episcopatu vel archidiaconatu vestro colligi faciatis nostro nomine diligenter, eas quàm citiùs poteritis nobis transmissuri, contradictores per censuram ecclesiasticam compescendo. Provisò quòd quælibet procuratio summam quatuor marcarum aliquatenus non excedat. Et ubi una Ecclesia non sufficiet ad procurationem hujusmodi habendam, duæ pariter unam solvant. nimirum juxta constitutionem Innocentij III. in Concilio Lateranensi.

XI. Cùm verò idem Otto nullum neque finem neque modum faceret rapacitati, & à monachis Cisterciensis ordinis, quos privilegia Pontificum Romanorum immunes reddiderant à procuratione Legatorum, procurationes exigeret pecuniarias, victualibus non contentus, ij querelam suam adversùs illum deferentes ad Gregorium IX. Papam, literas, ut ait Matthæus Parisius, eidem Legato sub hac forma reportarunt.

Gregorius Episcopus &c. Legato Ottoni &c. Licèt tibi, si bene meminis, nuper direxerimus scripta nostra ut liceat tibi de monasteriis Cistercienſis

ordinis procurationes exigere moderatas, indulgentia concessa eidem ordini non obstante; quia tamen non est intentionis nostræ, nec credimus esse tuæ, ut contra ipsorum indulgentiam procurationes ab eis pecuniariæ exigantur, mandamus quatenus cibis regularibus contentus, absque esu carnium, cùm ad eos accesseris, prout in prædicta indulgentia continetur, procurationes pecuniarias occasione literarum hujusmodi non patiaris exigi ab eisdem.

Vide Clement. Ad nostrum. De censib.

XII. In Gallia quoque nostra motus aliquos excitarunt illæ Legatorum procurationes. Colligitur istud ex epistola Innocentij IV. ad Episcopos provinciæ Narbonensis, ex qua constat illos difficiles se præbuisse in solutione procurationum. Extat ea epistola in archivo Archiepiscopi Narbonensis. Sic autem habet.

Innocentius Episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopo Narbonensi ejúsque suffraganeis salutem & apostolicam benedictionem. Volentes ut in vestris & Franciæ partibus sit uniformitas in procurationibus sedis apostolicæ Legatorum, præsentium auctoritate præcipiendo mandamus quatinus hujusmodi procurationes in provincia vestra ratione prævia reducatis ad legitimum modum qui in aliis provinciis regni Franciæ observatur. Datum Lugduni II. Idus Iunij, pontificatus nostri anno quarto.

De hac legatione vide Odor. Raynaldum ad an. 1310. §. 33.

XIII. Anno MCCCX. cùm Clemens V. Legatos in Galliam misisset Stephanum Tituli sancti Cyriaci in Thermis Presbyterum Cardinalem & Landulfum Tituli sancti Angeli Diaconum item Cardinalem, eísque indulsisset uti quandiu ea legatio duraret, tam in præsentia quàm in absentia procurationes usque ad summam viginti librarum Turonensium parvorum diebus singulis pro eorum quolibet, pro suis & familiæ suæ expensis, reciperent à personis ecclesiasticis exemptis & non exemptis illarum partium per quas eos transire contingeret eísque vicinarum vel adjacentium, habuit ista res contradictionem in episcopatu Helenensi, qui tum erat intra fines regni Aragoniæ. Nam cùm imperassent uti personæ ecclesiasticæ provinciæ Narbonensis persolverent quingentas libras monetæ Turonensis, & Vicarij generales Archiepiscopi Narbonensis personas ecclesiasticas diœceseos Helenensis taxassent in viginti libris Turonensium parvorum, Raymundus Episcopus Helenensis suo diœcesanorúmque suorum nomine respondit non teneri se ad præstationem illius pecuniæ, ea videlicet de causa, quòd cùm Helenensis diœcesis foret de alio regno, nunquam persolverat procurationes debitas Legatis aut Nuntiis qui à Romana Ecclesia mittebantur ad Regem Franciæ pro negotiis dictum Regem & regnum Franciæ tangentibus. Allegavit præterea privilegium Innocentij IV. qui Iacobo Regi Aragonum per speciale privilegium concessit *quòd si Legati vel Nuntij per sidem apostolicam mitterentur, legationis officium in diocesi Elenensi minimè exercerent, licèt sit de provincia Narbonensi, nisi de episcopatu prædicto Elenensi faceret mentionem, & quòd in regno Aragoniæ esset situs.* Quin & Infans Sancius Regis Majoricarum, ad quem tum comitatus Ruscinonensis pertinebat, primogenitus & Locumtenens, de eadem re scripsit ad Vicarios generales Archiepiscopi Narbonensis, asserens inter cetera istud redundare in præjudicium & gravamen Domini Regis Majoricarum. Quod ideo annotavi, ut ostenderem variis interdum contradictionibus jactatas fuisse procurationes Legatorum, variis coloribus quæsitis.

Actæ extant in archivo Archiepiscopi Narbon.

XIV. Nam eò processerat Legatorum apostolicæ sedis aviditas, ut cùm amplissima auctoritate instructi ad provincias accederent, tum in literis pontificiis de legatione sua potestatem accepissent exigendi procurationes, etiam intentatis pœnis excommunicationis, sic se redderent in dictarum procurationum exactionibus onerosos, ut oppressi subditi hujusmodi onera non valerent supportare, & victum longi temporis brevis hora consumeret. Fruſtra enim fuit decretum Gregorij X. in Concilio Lugdunensi, qui ad exemplum Innocentij IV. vetuerat ne procurationes reciperentur in pecuniis, munerúmque receptionem interdixerat. Gradum deinde ad licentiam fecit Bonifacius VIII. qui eis quibus officium visitationis incumbit permisit uti *à volentibus Ecclesiarum & locorum visitatorum rectoribus seu personis pecuniam licitè recipere valeant pro sumptibus moderatis faciendis in victualibus, diebus quibus visitationis officium personaliter exercebunt.* Hinc factum ut sequenti tempore & Pontifices Legatis fecerint potestatem exigendi procurationes pecuniarias contra majorum instituta, & Legati ad omnem aviditatem proni neque desides essent neque negligentes in exigendis procurationibus. In quo illud rursum incommodum eveniebat, ut quoniam *sedes apostolica*, quemadmodum adnotat Ioannes Paulus de Pavinis, *pro magna parte per sua privilegia divites à præstatione procurationum exemerat*, pauperes multùm gravarentur ex ea pensitatione; quæ levior non imponebatur, tamenetsi divites ab ea præstanda immunes essent, sícque fiebat, quod de seculo suo querebatur Salvianus, ut pauperculos homines tributa divitum premerent, & infirmiores ferrent sarcinas for-

Cap. Postulasti. De offic. Iudic. Delegat.

Cap. Ep. de crimin. Iudic.

Cap. Ecclesiastici.

Ioa. Paul. de Pavinis de officio Legati parte 3. q. 3.

Salvianus lib. de gubern. Dei pag. 197.

tiorum, solutionémque sustinerent divitum & indigentiam mendicorum. Sed tandem justissimæ regnorum & provinciarum querelæ fecerunt ut querelis deinceps locus non esset, abolitis nimirum prorsùs illis procurationibus.

CAPVT LII.

Synopsis.

I. Legati pecuniam ex procurationibus collectam effundebant cum probro atque dedecore. Agendum eodem tempore de luxu & pompa Legatorum. Anastasius Episcopus Thessalonicensis notatus.

II. Missus in Germaniam Legatus à Silvestro secundo Frithericus, vir cetera bonus, ambitioso apparatu in provinciam profectus est, ambitiosè provinciam habuit. Ei tamen primus locus datus non est in Concilio quandiu in eo adfuit Archiepiscopus Moguntinus.

III. Hugo Archiepiscopus Lugdunensis & apostolicæ sedis Legatus, ut magnitudinem suam ostentaret provincialibus, synodum generalem celebrare cogitat intra Gallias. Consultus à Rege Ivo Carnotensis respondit istam audentiam non esse tolerandam.

IV. Iam tum Legati contendebant primum locum sibi competere in Conciliis generalibus cum prærogativa suffragij. Sed hanc legem duram & iniquam esse putabant Angli, ut patet ex Gervasio Dorobernensi.

V. Notatur ambitio Gerardi Episcopi Engolismensis, qui generales synodos congregabat ut Concilio præsidens generali amplitudinem suæ potestatis gloriabundus inspiceret.

VI. Luxus & ambitio Petri Leonis in legatione Gallica & Anglica, tum perditissimi mores, & ad irritamenta gulæ sollicitus animus.

VII. Fastus tamen omnis abesse debet à Legatis; ut probatur etiam auctoritate sancti Bernardi.

VIII. Illustre fastus Legatorum exemplum in persona Vvillelmi Episcopi Elicnsis, ex Matthæo Pariscio.

IX. Item in Pelagio Episcopo Albanensi, quem Innocentius III. Legatum misit Constantinopolim.

X. Item in Ægidio Cardinale, qui sub Honorio III. Legatus in Scotia fuit.

XI. Otto Cardinalis Legatus in Anglia tanta pompa tantóque fastu Concilium generale celebravit ut ob hoc ipsum graviter reprehensus sit à Matthæo Pariscio.

XII. Narratur historia cujusdam nebulonis, qui se Legatum ferens apostolicæ sedis, munera pretiosa ab Abbatibus & Prioribus Angliæ exigebat, ea respuens quæ fastui & ambitioni ejus non videbantur esse congruentia, reposcens interim pretiosiora.

XIII. Explicatur Matthei Parisij locus de privilegio Regis Angliæ sophisticè salvando. Privilegium illud in eo versabatur, ut Legatus in Angliam mitti non posset nisi à Rege postulatus.

XIV. Insignia Legatorum, id est, rubræ vestes, ex Matthæo Vvestmonasterienst. Apostolicæ dignitatis insignia vocantur ab Innocentio III. & apostolica paramenta atque insignia à Tangmaro.

XV. Hinc colligitur indumenta Romanorum Pontificum, quæ rubea erant, communicata fuisse cum Legatis posteriorum temporum, sicut olim Pallium. Vestes Romanorum Pontificum fuisse olim purpureas probatur ex Concilio Remensi adversùs Arnulphum & ex Ioanne Saresberiensi.

XVI. Probatur etiam ex Ottone Frinsingensi, ex Actis Gregorij septimi, & ex veteri codice Vaticano apud Baronium.

XVII. Tum ex Petro Damiani, & Leone Ostiensi. In Pallio sive manto posita olim erat consummatio electionis Romani Pontificis.

XVIII. Legati vestibus rubeis usi diù antè quàm Romani Pontifices rubeam vestem concederent Cardinalibus. Exemplum in Pelagio Episcopo Albanensi. Tum in Dominicanis Polonis. Innocentius IV. Cardinalibus concessit uti galero rubeo. Qui secuti sunt Pontifices, sua & illi decora addiderunt.

I. PROCURATIO Legatorum sedis apostolicæ ab initiis satis bonis primùm profecta, deinde versa est in malam consuetudinem exigendi sumptus immensos, qui postea effundebantur cum probro atque dedecore ob fastum & luxum Legatorum. Quod ut ostendamus esse verum, exemplis agendum erit neque obscuris neque ambiguis, & quæ petantur ex auctoribus antiquis & bonæ fidei. Simul autem, ne causas dividamus, de luxu & pompa Legatorum agemus qui graves provinciis non erant ob procurationum exactionem. Neque enim recens est hoc malum. Quippe suprà vidimus Anastasium Thessalonicensem Episcopum Leonis magni temporibus affectasse celebrationem Conciliorum generalium Illyricianæ Diœceseos, per cujus tractus Episcopus Thessalonicensis erat Vicarius seu Legatus apostolicæ sedis, ut provincialibus potentiam & magnitudinem suam tali modo ostentaret. Medij temporis historiæ apertiora istius ambitionis exempla proferunt, quæ nos referemus. *Vide supra cap. 16. §. 11. & cap. 17. §. 6.*

II. Sedente in apostolica sede Silvestro istius nominis secundo, cùm Vvilligisus Archiepiscopus Moguntinus synodum contra Canones celebrasset in diœcesi Hildesheimensi, cujus Episcopus erat sanctus Bernvvardus, istéque querelam de ea re ad Concilium à Silvestro celebratum detulisset, primùm damnata est Vvilligisi temeritas; deinde placuit *synodum Episcopis per Saxoniam indici, Vicarium nihilominus ex parte Domini Apostolici destinari qui synodo præsideat.* Legatum illum, qui vocabatur Frithericus, summis laudibus effert Tangmarus in vita sancti Bernvvardi. Neque ego ista negaverim. Illud tantùm ex hac historia colligam, etiam tum in modestissimi hominis animum penetrasse ambitionem Legatorum sequentis ætatis. Nam istum ambitioso apparatu in provinciam profectum, ambitiosè illic egisse, docet idem Tangmarus, homo alioqui Fritherico non infensus, his verbis: *Frithericus Car-* *Vita S. Bernvvardi pag. 14.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

dinalis Presbyter sanctæ Romanæ Ecclesiæ, postea Ravennæ Archiepiscopus, Saxo genere, juvenis ætate, sed senior morum probitate, Vicarius Domini Apostolici eligitur atque dirigitur, apostolicis paramentis atque insigniis non minùs insulatus quàm si ipse procedebat. Repetit ista rursùm Tangmarus paulò pòst occasione synodi in Germania ob eam causam habitæ. *Interea affuit*, inquit, *ab Apostolico & Imperatore vice Papæ directus Cardinalis Presbyter Frithericus, omnibus insigniis apostolicis, ac si Papa procedat insulatus, equis apostolica sella Romano more ostro instratis.* Ceterùm primus locus, ut hoc obiter adnotem, datus Legato non est quandiu illic adfuit Vvilligisus Archiepiscopus Moguntinus.

Vide infrà lib. 6. cap. 31. §. 7.

III. Anno MXCVI. Vrbanus II. duo Concilia generalia celebraverat intra Gallias, primum quidem in civitate Turonensi, aliud verò apud Nemausum in prima Narbonensi. Quia verò Concilia illa plurimum habebant dignitatis ac splendoris, Hugonem Archiepiscopum Lugdunensem, qui Legatus apostolicæ sedis erat, incessit ambitio generalem synodum habendi, ut eo pacto auctoritatem suam ostentaret. Literas itaque ad universos regni Francorum Episcopos cùm scripsisset, quibus eos evocabat ad Concilium, Philippus Rex, qui haudubiè ægrè ferebat Episcopos suos evocari ab Episcopo alterius regni, consuluit Ivonem Episcopum Carnotensem quid facto opus esset. Quòd si ille non rescripsisset, non haberemus hodie exemplum ambitionis istius Legati. Sic ergo legitur in epistola LVI. Ivonis ad Philippum Regem: *De eo quod parvitati meæ mandavit vestra sublimitas, post duo Concilia hoc anno à Domino Papa celebrata, nunc Legatum ejus Lugdunensem Archiepiscopum infra eundem annum tertium generale convocare, & ad hoc regni vestri Episcopos invitare, serenitati vestræ respondeo quia cùm nuper literas ejus habuerim, nihil tale ibi legi, vel à misso ejus audivi. quod tamen si faceret, non esset hæc apostolica institutio vel ecclesiastica consuetudo.*

Vide epistolam Petri Damiani ad Hildebrandum, apud Baron. ad an. 1059. §. 45.

IV. Iam tum Legati contendebant primum locum sibi competere in Conciliis generalibus cum prærogativa suffragij; ideóque mirum videri non debet Hugonem cogitasse de celebrando Concilio, in quo ipse cum summa auctoritate præesset universis Archiepiscopis & Episcopis regni Francorum. Istam tamen legem per ea tempora duram & iniquam esse putabant Angli, non tamen contradicere ausi ob metum Romani Pontificis & Legatorum. Extat illustre istius rei exemplum apud Gervasium Dorobernensem, à nobis suprà relatum, ut necesse non sit hæc rursum describere. Illud tantùm dicam, reprehensione dignum Anglis visum fuisse quòd pomposè nimis susceptus esset Legatus ab Archiepiscopis Cantuariensi & Eboracensi, & quòd simplex Presbyter præsideret omnibus Archiepiscopis & Episcopis, idque *in sublimi solio*, ut ipsa Gervasij verba ponamus. Addit autem istud facinus totam Angliam commovisse in non modicam indignationem, & gravi ex ea re scandalo multorum mentes fuisse vulneratas. Contigere ista anno millesimo centesimo vigesimo quinto.

Vide suprà cap. 49. §. 2.

V. Scio hoc quod dicturus sum de Gerardo Episcopo Engolismensi, è satyra peti quam adversùs ipsum scripsit Arnulphus Sagiensis Archidiaconus, qui dein Episcopus fuit Lexoviensis. Referam tamen; ut si vera ex omni parte sunt quæ Gerardo objicit Arnulphus, detestemur hominis superbiam & arrogantiam; sin minùs, certè hinc colligamus multa pro more Legatorum gessisse Gerardum quæ reprehensione digna videbantur. Sic ergo loquitur Arnulphus de legatione ejus: *Abinde igitur inconcussæ prærogativa potestatis armatus, libera in Ecclesiam Dei facultate grassatus es, singulorum vel depopulando quidem vel augendo substantias, infimis summa, summis infima commutando.* Et mox: *Abinde tua diffusioribus spatiis effusa cupiditas copiosam rapacitati suæ materiam non defuisse gavisa est. Quid ergo manifestas exactiones, quid familiaria ob periculum justitiæ suscepta dispendia dicam? Quid generales synodos, quid fatigatas venerabiles ex remota regione personas edisseram, ut Concilio præsidens generali amplitudinem tuæ potestatis gloriabundus inspiceres, & ambitioni satisfaceret contemplatio subditorum.*

VI. Per eadem tempora Petrus Leonis, qui in schismate dein electus est Romanus Pontifex adversùs Innocentium secundum, Legatus apostolicæ sedis fuit in Gallia & in Anglia. Qua pompa, quo fastu & luxu, quo denique dedecore in legatione versatus sit, si vera sunt quæ de illo narrat Arnulphus Sagiensis Archidiaconus, facilè lector judicabit. Neque enim veri periculum ad me recipio, cùm sciam multa interdum studio partium dici quæ non ita sunt vera ut leguntur in libris. Hæc tamen vitia ei adhuc viventi publicè exprobrat Arnulphus in libro contra Gerardum Engolismensem: *Deinde ad diversas partes functus legationis officio, cupiditati suæ potiùs quàm justitiæ satisfacere studuit, adeo ut illi ea tantùm bonos exitus habuisse negotia viderentur quæ merces adjecta & marsupij plenitudo subsecuta probaret. Vbi ergo nullis intervenientibus causis, nulla rapinæ præstabatur occasio, tunc exactio blanditiis vel comminatione plena*

non

non deerat. Bina singulis diebus sumptu plurimo convivia parabantur ; tantúsque ciborum luxus & superfluitas erat ut ad exquisitas ferculorum varietates sollicitari plerunque figulos oporteret & ignotæ compositionis nova vasa formare. Cùm autem adversùs istam impudentiam graviter detonasset Arnulphus, demum addit: *Taceo quòd hæc effusio non apud divites tantùm, sed apud inopes fiebat Ecclesias, quibus postea id luere multis jejuniis & algoribus oporteret. Cùmque pauperes Episcopos vel Abbates profusioribus quàm domi didicerat vexasset expensis, in ipsa Ecclesiarum ornamenta satis impudenti sacrilegio grassabatur, ut planè sponsam Domini spoliare suisque privare monilibus ausu temerario videretur.*

VII. Sanè fastum omnem abesse debere à Legatis apostolicæ sedis, quæ à piscatore fundata est, & res ipsa loquitur, & graves omnium seculorum querelæ adversùs ipsos evincunt. Sed in primis memorabilis est locus sancti Bernardi Abbatis Clarevallensis: qui Eugenium III. instruens cujusmodi viros lateri suo applicare debeat, quibus ministris uti in provinciis, generalia quidem monita valde utilia præscribit; præcipuè verò jubet uti Ecclesias non spolient, marsupia non exhauriant, famæ suæ provideant, orandi studium gerant, *se amabiles præbeant, non verbo, sed opere, reverendos exhibeant, sed actu, non fastu.* Quod in hominibus istis non reprehendisset sanctus Bernardus, nisi seculo illo Legatorum fastus & ambitio res fuissent vulgatissimæ, quæ bonis omnibus nauseam & fastidium creabant.

S. Bernard. lib. 4. de consid. c. 4.

VIII. Illustre fastus Legatorum exemplum refert Matthæus Parisius, cùm describit quæ gesta à Vvillelmo Elienſi Episcopo sunt anno millesimo centesimo nonagesimo. Hæc sunt ejus verba: *Legationis officium, quod mille fusis argenti libris adquisierat, adeo immoderatè peregit ut omnibus Angliæ Ecclesiis tam conventualibus quàm cathedralibus fieret onerosus. Siquidem mille & quingentis per Angliam evectus equitaturis, Clericorum stipatus catervis, Militúmque vallatus agminibus, omnia ferè quæ episcopali reverentiæ congruunt prætermisit. Illi omnes filij nobilium astabant in mensa, quos suis neptibus & consanguineis puellis copulavit per matrimonia, felices se æstimantes quos familiares habebat. Non fuit terra venalis quam non emeret, Ecclesia vel abbatia vacans quam non daret aut retineret. Sequebantur illum Ambubaiarum collegia, pharmacopolæ, mendici, mimæ, balatrones, hoc genus omne; ut illi omni musicorum genere & modulationibus vocum obsequeretur in terris, sicut angeli sancti omnipotenti Deo obsequuntur in cœlis. Hoc autem totum fecit ut cum Domino à pari contendere videretur.*

Vide supra cap. 40. §. 2. & cap. 51. §. 1.

IX. Innocentius deinde tertius anno MCCXIII. Constantinopolim misit Pelagium Episcopum Albanensem, quem diù orientalis Ecclesia habuit apostolicæ sedis Legatum. Nolo heic inire narrationem rerum ab eo gestarum in ea legatione. Referam tantùm quæ de fastu & arrogantia ejus narrat Georgius Logotheta in Chronico Constantinopolitano. *Idem Ericus*, inquit, *cùm Byzantij imperaret, ad reginam urbium à Summo Pontifice Præsul, quem ipsi Legatum indigitant, Pelagius nomine, Papæ prærogativas omnes referens, ablegatur. Namque calceos rubros induebat, neque diversi coloris indumentis amiciebatur; quinimo equi sagulum & frena eodem inficiebantur veneno. Et cùm moribus esset inhumanioribus, fastus ac insolentiæ plenus, nimiùm sæviit in Constantinopolitanos.* Vide reliqua apud Odoricum Raynaldum.

Georgius Logotheta ex versione Alatij, apud Odor. Raynald. ad an. 1204. §. 6.

X. Anno MCCXXI. Honorius III. Legatum in Scotiam misit Ægidium Cardinalem, ut in subsidium novæ expeditionis in terram sanctam pecuniam aliquam conquireret. Narrat ista Hector Boëtius in libro XIII. historiæ Scotorum; simúlque gravem Episcopi cujusdam Scoti orationem in conventu publico habitam refert de avaritia & tyrannide Legatorum. Inter Legatos verò quos oratione illa perstrinxit hic Episcopus, ista de Ægidio indignabundus effudit, cùm dixisset eum ex populi liberalitate ingentem pecuniam compilasse: *Eam omnem homo audacissimus in summa ambitione ac luxu, etiam nobis aspicientibus, profudit; nec veritus est impudens veterator falsum crimen confingere, ut flagitia sua tegeret, & ne absumptum imò devoratum thesaurum restituere cogeretur.*

Vide supra cap. 50. §. 6.

XI. Anno MCCXXXVII. Otto Tituli sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diaconus Cardinalis, de quo suprà diximus, in Angliam à Gregorio IX. missus Legatus tanta pompa tantóque fastu Concilium generale celebravit ut ob hoc ipsum graviter reprehensus sit à Matthæo Parisio. *Appropinquante verò tempore Concilij*, inquit Parisius, *jussit sibi Legatus sedem parari in occidentali parte Ecclesiæ sancti Pauli Londoniis fastigiosam nimis & solennem, longis trabibus & sedilibus gradatim exaltatam. Misit igitur literas suas, ut vocati omnes Angliæ Prælati, scilicet Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Priores installati, tam sub Conventus sui vel Capituli quàm suo nomine, literas procuratorias deferentes, ut quicquid in Concilio statueret Legatus, ratum utrobique haberetur. Venerunt igitur omnes juxta mandatum Domini Legati, nimis vexati & fatigati in corporibus propriis, equorum, & viaticis, utpote ingruente hyeme & multiformi tempestate, omnes Prælati suæ legatiæ, Angliæ tamen potissimè.* Hæc

erant instrumenta servitutis. Agit rursum de hoc fastu Ottonis idem Parisius occasione narrationis eorum quæ in Concilio illo gesta sunt, his verbis: *Ingressus Ecclesiam, coram majori * Ecclesia pontificalibus se induit, scilicet superpellicio, & desuper cappa chorali pellibus variis furrata, & mitra. Et præcedentibus Archiepiscopis Cantuariensi & Eboracensi eum cum processione solenni, cum cruce & cereis accensis, & cum Letania, sedem suam ascendit per gradus pomposè, ut dictum est, præparatam, & jam compositus tapetis & pallatis redimitam, collocante se à dextris Domino Cantuariensi, & Eboracensi à sinistris.*

* altari

XII. Insigne visum est referre locum alium ex eadem historia Matthæi Parisij, de nebulone quodam, cujus ea fuit impudentia ut palam & apertè ab Abbatibus & Prioribus Angliæ exigeret munera pretiosa, ea respuens quæ fastui & ambitioni ejus non videbantur esse congruentia, reposcens interim pretiosiora. Præsumpta sunt ista anno MCCXLIV. à Martino sedis apostolicæ Nuntio; qui *per modum Legati se gerens*, verba sunt Parisij, *licèt Legati vestibus pro privilegio Regis sophisticè salvando non insignitus, passim significavit imperiosè illi Abbati, vel illi Priori, ut sibi darent & mitterent munera pretiosa, palefridos desiderabiles, & in esculentis & poculentis sumptuosa xenia, & vestimenta adornativa. Quod cùm fecissent, ipse Martinus remisit eis quæ ei missa fuerunt, asserens ea esse insufficientia, & præcepit eis ut meliora sibi sub pœna suspensionis & anathematis transmitterent. Suspendit autem omnes à collatione beneficiorum triginta marcas valentium & supra, donec suæ satisfactum foret cupiditati.* Hominis impudentiam!

Vide eundem Paris pag. 647. edit. Tigur.

XIII. Quod ait Parisius Martinum Legati vestibus insignitum non fuisse *pro privilegio Regis Angliæ sophisticè salvando*, lucem accipit ex alio ejusdem auctoris loco. Sed antè quàm illum referam, placet alium ejus locum afferre isti similem qui mox descriptus est, ut eadem opera utrumque explicemus. Innocentius IV. mittens identidem Legatos in Angliam ad colligendam pecuniam, non tamen eis tribuebat nomen Legatorum, licèt amplissima illos auctoritate ornaret. Aliquot ergo pòst annis quàm Martinum miserat, cùm recens adhuc Anglorum odium esset adversùs illum, Marinum quendam, *alterum Martinum*, (inquit Matthæus Parisius, ad nomen alludens Martini, tanquam si diceret alterum Catilinam) in Angliam misit anno millesimo ducentesimo quadragesimo septimo. *Hic igitur*, inquit Matthæus, *quamvis insigniis Legati non polleret, potestate tamen Legati, ut sic Domini Regis privilegio illuderetur, fortiùs armabatur.* Hæc, inquam, lucem accipiunt ex alio Matthæi loco; in quo loquens de Ioanne Rufo, quem Innocentius eodem anno MCCXLVII. misit in Hyberniam, ait ei tributum non fuisse nomen Legati propter privilegium Regis Angliæ, cui concessum erat ne quis in regnum ejus mitteretur Legatus nisi ab ipso postulatus. Hæc sunt verba Matthæi: *Eisdemque diebus missus est in Hyberniam magister Iohannes Rufus ad pecuniam ibidem colligendam cum potestatis plenitudine quasi Legatus, non tamen insignibus Legati redimitus, ne videretur Papa Dominum Regem Angliæ offendisse, qui privilegio tali se gaudet umbraliter communitum ut non veniat Legatus in terram suam nisi postulatus. Memoratus igitur I. tam vigilanter mandato Papali & suæ indulsit utilitati & lucro ut sex millia marcarum ab Hybernia extorserit, quæ per conductum religiosorum in festo sancti Michaelis fecit Londinum transportari & thesauro Papali gaudenter accumulari.*

XIV. Insignia Legati quæ vocat Parisius, rubras vestes dicit Matthæus Vvestmonasterienſis de hoc ipso Ioanne loquens: *magnis armatus potestatibus quasi Legatus, non tamen rubris vestibus insignitus, ne videretur Dominus Papa Dominum Regem Angliæ offendisse, qui quodam gaudet privilegio, videlicet ut non veniat Legatus in terram suam nisi postulatus.* Eadem Legatorum quæ heic dicuntur insignia, apostolicæ dignitatis insignia vocantur ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi. Hic enim privilegia quatuor patriarchalium sedium renovans, *sancta universali synodo approbante* decernit inter alia ut quatuor illi Patriarchæ crucis vexillum ante se faciant ubique deferri, nisi in urbe Romana, & ubicunque Summus Pontifex præsens extiterit, *aut ejus Legatus utens insigniis apostolicæ dignitatis.* Dixerat autem Tangmarus, ut suprà vidimus, Frithericum, qui Legatus in Germaniam missus est à Silvestro secundo, *apostolicis paramentis atque insigniis* non minùs insulatum fuisse quàm si ipse Papa processisset.

Concil. Later. in Innoc. III. 25.

XV. Hinc patet indumenta Pontificum Romanorum, quæ plurimum splendoris habebant, fuisse communicata cum Legatis posteriorum temporum, non secus ac olim Vicariis apostolicæ sedis Pallium tribuebatur. Quod ut meliùs intelligatur, ostendendum est priscis illis temporibus vestes Romanorum Pontificum fuisse purpureas. Initium probationis faciendum est à verbis Arnulphi Episcopi Aurelianensis in synodo Remensi habita anno DCCCCXCI. qui loquens de Pontifice Romano hæc dixit: *Quid hunc, Reverendi patres, in sublimi solio residentem, veste purpurea & aurea radiantem, quid hunc,*

Concil. Rem. 25.

inquam, esse censetis? Nimirum si caritate destituitur, soláque scientia inflatur & extollitur, Antichristus est in templo Dei sedens & se ostendens tanquam sit Deus. His congruunt quæ de Romano Pontifice scribit Ioannes Saresberiensis lib. VI. de nugis curialium cap. XXIV. *Sed & ipse Romanus Pontifex omnibus gravis & ferè intolerabilis est. Præterea omnes arguunt quòd ruentibus & collabentibus Ecclesiis quas patrum construxit devotio, altaribus quoque incultis, palatia extruit, & ipse non modò purpuratus sed deauratus incedit.*

XVI. Purpuram fuisse vestem ordinariam Pontificum Romanorum colligitur etiam ex pluribus aliis veterum scriptorum testimoniis, quæ heic congerere operæ pretium duximus. Otto Frisingensis loquens de electione Leonis IX. id testatur his verbis: *Hic ex nobili Francorum prosapia oriundus, auctoritate regalis excellentiæ ad sedem beati Petri destinatus fuerat; cùmque assumpta purpura pontificali per Gallias iter ageret, contigit eum Cluniacum venire, uti tunc præfatus Hildebrandus prioratus, ut dicitur, obedientiam administrabat.* Et paulò pòst: *Inclinatus ille ad monitum ejus, purpuram deponit &c.* Colligitur illud ipsum ex Actis vitæ Gregorij VII. à Baronio relatis; in quibus post narrata quæ in electione ejus contigere, demum ista adduntur: *Indutus rubea chlamyde, sicut est mos, & Papali mitra insignitus, invitus & mœrens in beati Petri cathedram fuit inthronizatus.* Chlamydem illam rubeam fuisse indumentum quo uti tum solerent Summi Pontifices evincitur etiam ex scripto codice Vaticano cujus fragmentum refert Baronius. Agebatur de dejectione Burdini, qui Gregorij VIII. nomine assumpto Romanam cathedram diù tenuerat adversùs Gelasium secundum & Callistum secundum. Huic ergo victo ea ignominia irrogata est ut *præparato camelo pro alto caballo, & indutus pilosa pelle vervecis pro chlamyde rubea,* positus sit ex adverso super camelum, datáque sit ei in manibus pro fræno cauda cameli, atque ita in Vrbem introductus sit.

XVII. Rem istam conficiemus adhuc duobus exemplis. Cadalous Parmensis Episcopus Romanam sedem invaserat post Nicolaum secundum. Ad hunc ergo scribens Petrus Damiani, eúmque redarguens, his inter alia verbis eum compellat: *Habes nunc forsitan mitram, habes juxta morem Romani Pontificis rubeam cappam.* Leo Ostiensis describens electionem Victoris III. docet primùm illum invitum electum esse, eíque Victoris nomen à clero & populo impositum fuisse. *Sed quoniam hæc omnia, ut diximus, contra ejus animum fiebant, cappam quidem rubeam induit, Alba verò induere eum nunquam potuerunt.* Facilius quippe erat Pallium superponere nolenti quàm Albam, quæ manicas habet. In Pallio verò sive manto aut Pluviali, ut sequentis seculi vocabulis utar, posita erat electionis consummatio, uti dicemus ad Arnulphum Lexoviensem. Revertamur nunc ad causam Legatorum.

XVIII. Itaque Romani Pontifices, ut reverentiam Legatis suis conciliarent, cum eis communicabant usum chlamydis rubeæ quandiu essent in legatione constituti. Nam & diù antè quàm Romani Pontifices rubeam vestem concederent Cardinalibus, sive id factum à Bonifacio octavo, sive à Paulo secundo, diù inquam ante hoc privilegium Legati vestibus rubeis utebantur. Testatur istud de Pelagio Episcopo Albanensi, qui Legatus apostolicæ sedis in Oriente fuit ævo Innocentij tertij, Georgius Logotheta: *Purpurea illi talaria,* inquit, *ejusdem coloris vestimenta, frenáque & sagum pariter purpurea erant.* Vidimus deinde Matthæum Vvestmonasterienſem, cùm de insignibus Legatorum loqui vellet, rubras vestes dixisse. Denique Bzovius adnotat Dominicanis suis in Polonia gerentibus legationem apostolicæ sedis indultum fuisse ab Innocentio IV. ut rubeo galero, rubeis sandaliis, ocreis & chirothecis rubeis caput & manus ac pedes tegerent, ut his purpureis ornamentis significarent, inquit, mortibus devota gestare capita igné-que ardentissimo exæstuare ad præparationem evangelij pacis. Innocentius ille qui primus Cardinalium ornamenta invenit, primùm eos galero rubeo uti concessit, ut ea nota distinguerentur à ceteris ecclesiastici ordinis viris. Qui secuti sunt Pontifices, sua & illi decora addiderunt, donec ad eam quæ hodie visitur gloriam perventum est. Nam Bonifacius octavus, ut vulgò existimant, Cardinalibus purpurei coloris vestimenta dedit. Paulus verò secundus, ut in ejus vita narrat Platina, primo pontificatus sui anno eis pannum ejusdem coloris dono dedit, quo equos vel mulas sternerent dum equitant. *Voluit præterea,* subdit statim Platina, *in decretum referre ut galeri Cardinalium ex serico coccineo fierent. Sed id quò minùs decerneretur vetuere illi qui bene sentientes diminuendam esse Ecclesiæ pompam, non augendam cum detrimento Christianæ religionis, prædicabant.* His ita enarratis de Legatorum insigniis, persequamur instituti nostri rationem.

Otto Frising. lib. 6. cap. 33.

Apud Baron. ad an. 1073. §. 20.

Apud Baron. ad an. 1111. §. 12.

Leo Ostiens. lib. 3. cap. 65.

Georg. Logoth. ex versione Iacobi Dondæi.

Bzov. ad an. 1251. §. 5.

CAPVT LIII.

Synopsis.

I. Mala fama Legatorum hauddubiè Romanos

Pontifices agrè habebat. Romana Ecclesia non solet neque vult decretis suis patenter obviare. Bona fama valde necessaria est Ecclesiæ Romanæ. Eadem, licèt aliqua interdum toleret, nunquam à concordia canonicæ traditionis discedit. Ob res tamen à Legatis perperam gestas pœnituit aliquando Summos Pontifices quòd amplissimam potestatem concessissent Legatis.

II. Cùm Giraldus Ostiensis Episcopus nonnulla præter fas jusque præsumpsisset in Gallia, commovit ea res Gregorij VII. animum, qui omnino ita hanc causam exaggerat ut planè appareat pœnituisse illum quòd ista à Legato acta fuissent.

III. Richardus Abbas Massilienſis, qui legatione Hispanica abusus insolenter erat, tandem revocandus fuit. Contigit istud sub Vrbano secundo.

IV. Hiacynthus Bobo cùm auctoritate legationis translationem cujusdam Episcopi peregisset, castigatus est ab Alexandro III. ut docet Innocentius III.

V. Et hunc quoque Innocentium pœnituisse dubium non est quòd Cencium Legatum in Siciliam misisset. Colligitur istud ex epistola ab eo scripta ad Legatum.

VI. Conradus Marpurgicus Legatus in Germania constitutus adversùs novos quosdam hæreticos, ferro flammáque grassatus, multos nimis præcipiti sententia damnavit, ut scribit Godefridus.

VII. Istud ipsum probatur ex epistola Archiepiscopi Moguntini & fratris Bernardi. Docet autem Albericus Gregorium, his auditis, pœnituisse quòd tantam potestatem Conrado permiserit unde talis confusio emersit.

VIII. Eidem Gregorio necessarium fuit revocare ex Anglia Ottonem Legatum, ob motus occasione Legati exortos in ea regione.

I. INFELICES illi eventus quos in superioribus capitibus enarravimus, & mala fama Legatorum, quæ sedem apostolicam onerabat, hauddubiè in animis Pontificum Romanorum ægrè accipiebantur. Verùm quia ea est Romanæ Ecclesiæ consuetudo, quemadmodum observat Ivo Carnotensis Episcopus, ut neque soleat neque velit decretis suis patenter obviare, toleranda aliqua fuerunt; ne si statim quorumlibet Legatorum facta in quæstionem adducerentur, bona Romanæ Ecclesiæ fama periclitaretur, quam sedi illi valde necessariam esse ait idem Ivo. At cùm Legatorum crimina adeo erant manifesta ut nulla arte, nulla dissimulatione tegi possent, adeóque tolerari non deberent, tum Romana Ecclesia sequebatur regulam à Gregorio VII. constitutam, qui sic scribit ad Sancium Regem Aragonum: *Solet enim sancta & apostolica sedes pleraque considerata ratione tolerare, sed nunquam in suis decretis & constitutionibus à concordia canonicæ traditionis discedere.* Itaque cùm Legati, gradus & ordinis sui immemores, potestatem quam acceperant in apertam licentiam vertebant, tum verò fremere & indignari Romani Pontifices, & si decens fuisset, facta Legatorum mittere in irritum. Verùm quia periculum erat ne infamis apostolicæ sedis inconstantia notaretur, Romani Pontifices non palam quidem rescindebant quæ acta à Legatis in provinciis essent; sed tamen interdum eos pœnituit quòd amplissimam potestatem Legatis concessissent.

Ivo epist. 260.

Idem epist. 291.

Gregor. VII. lib. 2. epist. 50.

II. Initium faciamus à Gregorio septimo. Pontificatu ejus, Giraldus Ostiensis Episcopus & sedis apostolicæ in Aquitania Legatus nonnulla præter jus fásque, ut Baronius ait, præsumpserat. Nimirum quosdam Episcopos injustè excommunicaverat, quosdam inordinatè depositerat, alios immeritò interdixerat. Certum erat Gregorio acta Legatorum non esse abroganda. Et tamen cùm nollet infamiam pravi judicij ad se usque pertingere, ut ejus verbis utamur, in Giraldum nonnihil commotus, asperioribus eum verbis perstrinxit, simul modum præscribens quem tenere oporteat ut justæ provincialium querelæ sopiantur. Et omnino ita hanc causam exaggerat ut planè appareat nihil aliud eum per ea tempora maluisse quàm ne Giraldus auctoritate Legati instructus fuisset, ob honorem scilicet apostolicæ sedis. Extant Gregorij literæ ad Giraldum, quas lector consulere potest.

III. Idem Gregorius Legatum in Hispaniam misit Richardum Abbatem Massilienſem. *Multa is* (ut Mariana ait) *insolenter facere videbatur, & concessa ad salutem potestate maxima & amplissima ad quæstum & tyrannidem abuti: respublica sursum deorsum agebatur. Romani Pontificis nomen & majestas importunis Legati actionibus fugillabatur.* Vivente Gregorio, mansere quæ constituta gestáque à Richardo fuerant, nullo obsistere ausō. Immo tanta ejus auctoritas erat, tanta dignatio, ut licèt eum Victor III. Gregorij successor excommunicasset in synodo Beneventana, semper tamen apostolicæ sedis vices ageret in Hispania. Sed cùm ille multa, uti diximus, ageret insolenter, Bernardus Toletanus Archiepiscopus, cujus dignitas tum surgebat, ad subvertendum Legatum Romam profectus, eò pervenit sub initia pontificatus Vrbani secundi, à quo obtinuit uti Legatus Richardus revocaretur; ut docet Rodericus Archiepiscopus Toletanus his verbis: *Verùm quia Richardus Legatus se gerebat in aliquibus minùs cautè, religione & auctoritate compescuit attentata, adeo quòd ille Richardus legatione privatus, fuit ab Vrbano Summo Pontifice revocatus.*

IV. Hiacynthum Bobonem Tituli sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconum Cardinalem, qui postea fuit Romanus Pontifex dictus Celestinus tertius, Hispania, ut Marianæ verbis utamur, Legatum priorum Pontificum diù habuit, præcipuè verò tempo-

ribus Alexandri tertij, sub quo plures in Hispania synodos ab Hiacyntho celebratas fuisse reperio. Suetus potestati & imperio animus multa tentavit quæ varias querelas excitarunt, ut alibi observabimus. Nunc satis sit admonere castigatum fuisse illum ab Alexandro, quia præsumpserat peragere translationem Episcopi ab una sede in aliam. Testatur istud Innocentius III. ad Cencium Cardinalem scribens, qui, ut statim dicetur, Trojanum Episcopum transtulerat ad Ecclesiam Messanensem. Nam cùm factum illius culpasset, demum addit: *Non ergo in ejus odium vel ad injuriam tui reputes esse factum, sed ut privilegium Petri maneat inconcussum; cùm etiam felicis memoriæ Alexander Papa prædecessor noster quasi simile fecerit, obviando præsumptioni Legati quem in Hispaniam destinarat, volenti simile attentare.*

Cap. Quòd translati. De offi. Leg. in Tertia Collect.

V. Innocentium quoque tertium non dubito quin pœnituerit quòd amplissimam potestatem tribuisset Cencio Presbytero Cardinali Tituli sancti Laurentij in Lucina, quem, uti dictum est suprà, Legatum constituerat in regno Siciliæ. Is propria auctoritate, inconsulto Pontifice, qui translationes Episcoporum ad solum Pontificem Romanum pertinere declaraverat, Galterum Trojanum Episcopum ad Panormitanam Ecclesiam transtulerat. Graviter & iniquo animo id tulit Innocentius, ut patet ex epistola ab eo scripta ad Legatum, ex qua colligere possumus pœnituisse illum quòd Cencium Siciliæ Legatum creasset. *Nisi specialis illa dilectio*, inquit, *quam ad personam tuam habuimus & habemus, justum immo justissimum motum nostri animi temperaret, pœna docente cognosceres quantum in personam* * *tuam excesseris, quantum in Romanam Ecclesiam deliqueris matrem tuam; quæ cùm te nutriverit & exaltaverit, tu eam penitùs sprevisse videris. Tu autem spretis canonicis sanctionibus & consuetudine generali, motu proprio præsumpsisti, quod nec factum fuit nec auditum, venerabilem fratrem nostrum Trojanum Episcopum regni Siciliæ Cancellarium præter speciale mandatum nostrum de Trojana Ecclesia ad Panormitanam de facto, quia de jure non potuisti, transferre.* Sed altiùs penetravit dolor Innocentij, cùm temperamentum à se allatum in hac causa contemptum vidit à Gualtero per summam audaciam. Tum puto Innocentium ex intimo cordis sensu pœnituisse concessæ Cencio legationis, cùm obsisti sibi videret in re magni momenti.

Vide supra cap. 46. 3. 7.

Cap. Inter corporalia. De translat. Episc. & in Regestis Innoc. III. lib. 1. epist. 552.

Cap. Nisi specialis. De offi. Leg. in Tertia Collect.

* nostram

VI. Anno MCCXXXIII. cùm quædam fœdissima hæresis suborta esset in Germania, Gregorius IX. ei abolendæ intentus, Episcopis quibusdam illarum partium, tum etiam Magistro Conrado Marpurgico, viro eloquentiæ sacræ laude insigni, qui sanctæ Elizabeth Hungarorum Reginæ à confessionibus fuerat, injunxit uti teterrimam illam luem conscriptis quamprimùm crucesignatis præfocarent. Hæc tantùm Gregorius. At Conradus, ut erat homo hauddubiè fervidus, ferro flammáque grassandum putavit. Quos enim semel suspicatus erat hæresi illa imbutos esse, tametsi innocentes essent, séque hæreticos non esse palam & apertè contestarentur, flammis addici jubebat, nisi faterentur se reos esse. *Nam & propter veras hæreses*, inquit Godefridus monachus sancti Pantaleonis ad Coloniam, *& propter fictas, multi nobiles & ignobiles, Clerici, monachi, inclusæ, burgenses, rustici, à quodam fratre Conrado ignis supplicio per diversa Teutoniæ loca (si fas est dici) nimis præcipiti sententia sunt addicti. Nam eodem die quo quis accusatus est, seu justè seu injustè, nullius appellationis, nullius defensionis refugio proficiente est damnatus & flammis crudeliter injectus.*

Vide Odor. Raynald. ad an. 1200. §. 3.

VII. Extat in Chronico Alberici monachi Trium fontium epistola Archiepiscopi Moguntini & fratris Bernardi Dominicani, qui fuerat olim Pœnitentiarius Papæ, ad Gregorium IX. in qua describuntur quæ per eundem Conradum sævè ac crudeliter gesta tum in Germania fuere. Inter cetera verò ista dicunt, quæ optimè congruunt cum narratione Godefridi: *Et horum accusatio paulatim cæpit ascendere à rusticis ad burgenses honorabiles & eorum uxores, inde ad castellanos & nobiles, in fine ad Comites propè & longè positos. Et Magister nulli quantumvis altæ personæ locum dedit legitimæ defensionis, nec etiam confiteri proprio sacerdoti; sed accusatum oportuit confiteri se hæreticum esse, buffonem, cattum, pallidum virum, & hujusmodi monstra diffidentiæ pacis in osculo salutasse. Taliter quidam catholici abjudicati maluerunt innocenter cremari & salvari quàm mentiri de crimine turpissimo, cujus non erant conscij, & supplicium promereri. Quibus ipse Magister martyrium promittebat. Alij infirmi potiùs elegerunt mentiri quàm comburi.* Et infrà: *Et facta est confusio à seculis inaudita. Ego Archiepiscopus Magistrum Conradum primò solus, postea cum duobus Archiepiscopis Colonienſi & Trevirensi, monui ut moderatiùs & discretiùs in tanto negotio se gereret. Qui non acquievit; sed tandem contra nostram monitionem crucem publicè prædicavit Moguntiæ. Quo viso, quidam ex illis interfecerunt eum prope Marburch.* Addit post ista Albericus: *Quid ad hæc Dominus Papa rescripserit, nondum scimus; nisi quòd pœnitet eum satis quòd tantam dicto Magistro Conrado potestatem permiserit unde talis confusio emersit.*

Chronicon Albericis MS. in Bibliotheca regia.

VIII. Misit idem Gregorius in Angliam Legatum Ottonem Diaconum Cardinalem Tituli sancti Nicolai in carcere Tulliano anno millesimo ducentesimo trigesimo septimo. Cùm verò is multa insolenter ageret & Anglorum animos fiducia legationis exulcerasset, Gregorius, qui jam tum intelligebat quantum invidiæ Romanæ sedi ex his pessimis Legati facinoribus creabatur, facti pœnitens, eum revocavit. Narrat ista Matthæus Parisius his verbis: *Eodem tempore Dominus Papa & tota Curia Romana audiens tot tumultus in Anglia fuisse subortos pro alienigenarum multitudine quam Rex inconsultè vocaverat, & pro adventu Legati in Angliam, quem similiter in depauperationem suorum in Angliam attraxerat, multòsque contra ipsum commoveri, sub magna eundem Legatum festinatione revocando, rigorem ejus temperavit.*

Matth. Paris pag. 405. edit. Tigur.

CAPVT LIV.

Synopsis.

I. Romani pontifices interdum, ut caris suis gratificarentur, occasionèmque darent opum brevi compendio parandarum, legatione illos sua ornabant. Probatur ex Ivone Carnotensi.

II. Probatur etiam ex epistola Leodiensium adversùs Paschalem II. qui scribunt Legatos à latere Romani Pontificis exeuntes ad ditanda marsupia discurrere.

III. Apertiùs adversùs corruptelam illam declamat sanctus Bernardus, qui salutem populi Legatis viluisse scribit præ auro Hispaniæ. Adnotat Baronius ista scripta esse à sancto Bernardo adversùs frequentiam legationum.

IV. Si quid mali suspicari liceret de moribus Innocentij III. prorsum esset affirmare non ob aliud eum misisse in Angliam Ioannem Ferentinum quàm ut ei daret occasionem ditescendi. Quippe is Angliam perlustravit tantùm, ac statim abiit cum magna pecuniæ summa quam vi & auctoritate legationis corrogaverat.

V. Conradus Episcopus Portuensis in Galliam missus ab Honorio III. necesse habuit pignori in sumptus legationis tradere ornamenta sua. Verùm spes erat illum ex legatione reportaturum unde solvendo esset illis quibus oppignerata res erant.

VI. Nebulo quidam Legatum apostolicæ sedis agens in Dania ad divitias ex scelere atque ementita dignitate comparandas, in carcerem conjicitur ab Archiepiscopo Lundensi.

I. APERTA semel janua divitiarum comparandarum per legationes, Romani Pontifices, ut caris suis gratificarentur, legatione illos sua ornabant, sícque instructos ad provincias mittebant opulentas & ad obsequium inclinatas. Quo fiebat ut qui pauperes & inopes accedebant ad provincias, repentè divites facti, eas statim deponerent; adeo ut non ob aliud venisse viderentur, ut innuit Ivo Carnotensis, quàm ut provinciam raptarent sub umbra legationis. Hæc sunt ejus verba ad Paschalem secundum Summum Pontificem: *Cùm enim à latere vestro mittitis ad nos Cardinales vestros tanquam filios uterinos, quia in transitu apud nos sunt, non tantùm non possunt curanda curare, sed nec curanda prospicere. Inde est quòd multi præpositorum facta gladio linguæ ferire cupientes, dicunt sedem apostolicam non subditorum quærere sanitatem, sed suam aut lateralium suorum quærere commoditatem.* Ivo epist. 111.

II. Vulgatissimam per ea tempora fuisse querelam illam colligitur ex epistola Leodiensium adversùs Paschalem secundum, à quo fuerant excommunicati. Scribentes ergo apologiam, reddentésque fidei suæ rationem, ita de Legatis scribunt: *Illos verò Legatos à latere Romani Episcopi exeuntes, & ad ditanda marsupia discurrentes, omnino refutamus, sicut temporibus Zozimi, Celestini, Bonifacij, Concilia Africana probaverunt.*

III. Apertiùs adversùs illam corruptelam declamat sanctus Bernardus ad Eugenium III. scribens, satis innuens Legatos apostolicæ sedis ad ditanda tantùm marsupia discurrere, neque ullo in loco diù consistere nisi quanto tempore opus est ad colligendas pecunias. *Vestri*, inquit, *qui terram austri tam sæpe visitant, ecce hi sciunt, & possunt dicere tibi. Eunt & redeunt per medium illorum, aut transeunt secus. Sed quid boni adhuc cum illis egerint, necdum audivimus. Et forsitan audissemus, nisi præ auro Hispaniæ salus populi viluisset.* Rectè autem adnotat illustrissimus Cardinalis Baronius sanctum Bernardum heic deplorare frequentes legationes, quæ sine fructu erant, & lucri tantummodo causa susceptæ. S. Bernard. de consid. lib. 4. Bar. ann. 1155. §. 4.

IV. Scio Innocentium III. nihil pro sua prudentia egisse unde colligi posset apertus bonæ disciplinæ contemptus, cunctáque quæ ab eo acta sunt ordinata fuisse, saltem in speciem, secundùm regulas antiqui juris. Deinde magnitudo animi istius Pontificis non sinit ut quicquam sordidum ab illo patrari potuisse suspicemur. Quòd nisi notæ essent ingentes hominis virtutes, facile cuivis esset suspicari non ob aliud eum misisse in Angliam Ioannem Ferentinum quàm ut occasionem ei daret opum brevi compendio parandarum. Nam ille non aliter provinciam lustravit quàm solent prædones & raptores, nihil omittens ut brevi ad maximas opes venire posset, dein citò abiit cum ampliissima præda, parum aut nihil sollicitus de statu Ecclesiarum Britannicarum. Quippe Angliam tantùm perlustravit, ut ait Matthæus Parisius, non visitavit, non correxit, non emendavit; sed, quod erat præcipuum in ea legatione, *magnam pecuniæ summam con-* Vide supra cap. 53.

gessit, & sarcinulis cum magna cautela dispositis & prudenter commendatis, festinus viator ad mare perveniens, Angliam à tergo salutavit.

V. Anno MCCXX. Honorius III. Legatum in Galliam adversùs Albigenses misit Conradum Episcopum Portuensem, qui Cisterciensis Abbas fuerat, virum certè sanctissimum, sed pauperem, & cui ea auctoritas oneri esse poterat ob eam causam. Sed Pontifex putabat hauddubiè se satis illi divitiarum dedisse cum auctoritate Legati. industriam suam exercret. Itaque ingressus provinciam Narbonensem, necesse habuit pecuniam mutuari in sumptus legationis, adeóque ornamenta varia in pignus tradere. Testatur illud ipse Conradus in epistolis tum scriptis ad Capitulum Narbonense, quas heic nunc primùm edimus ex archivo ejusdem Ecclesiæ.

Conradus miseratione divina Portuensis & sanctæ Ruffinæ Episcopus, apostolicæ sedis Legatus, universitati & singulis Capituli Narbonensis dilectissimis sibi in Christo, salutem in Christo Iesu. Fatemur quia ad multa vobis tenemur anteriora, & eò specialiùs quò veri crucifixi imitatores adhæsistis fixiùs crucifixo. Tenemur etiam vobis in centum quinquaginta libris Melgorienſibus; pro quibus volumus & mandamus vobis quatinus coronæ & aliis apud vos à nobis depositis tanquam pignori incumbatis, donec satisfecerimus vobis de pecunia memorata, honori autem & utilitati vestrum omnium & singulorum secundùm Deum nos inveneritis paratos. Datum Trecis XVIII. Kal. Septembris.

Conradus miseratione divina Portuensis & sanctæ Ruffinæ Episcopus, apostolicæ sedis Legatus, venerabilibus viris & dilectis sibi in Christo Capitulo Narbonensi salutem in Christo Iesu. Mandamus vobis quatenus pro tribus millibus solidorum Melgoriensium, in quibus vobis tenemur, in pignore teneatis coronam auream & cruces & alium thesaurum quem nos vobis meminimus commisisse, donec vobis ad plenum satisfecerimus de eisdem. Datum Cabilone anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo, tertio Kal. Septembris.

VI. Claudamus caput istud magno exemplo, falso quidem, sed ex quo colligi potest maximam animis mortalium infixam fuisse tum reverentiam erga Legatos apostolicæ sedis, persuasos autem fuisse ævi illius homines pecunias maximas iis deberi qui legatione Romana ornati erant, quicunque tandem illi essent, licere porrò Pontificibus Legatos mittere absque causa, tantùm ut magnam auri argentique vim congererent. Alioqui non toleràssent hominem inutilem, & qui sanguinem humanum crudeliter exsugeret. Rem gestam narrat Odericus Raynaldus his omnino verbis: *Projecta adeo cujusdam impostoris fuerat audacia ut Episcopi ac Legati apostolici personam indueret ad divitias ex scelere atque ementita dignitate comparandas; cùmque vinculis mancipatus fuisset, Lundensis Archiepiscopus, qui apostolicæ legationis munere fungebatur, ea de re Pontificem consuluit; qui omnia pseudoepiscopi gesta rescindi decrevit, illúmque perpetuæ custodiæ traditum doloris pane, ut ait, & angustiæ aqua sustentari jussit.* Odor. Raynal. ad ann. 1213. §. 10.

Extat illa Innocentij III. epistola in libro XVI. Regestorum ejus, epist. x. Consuevisse interdum nonnullos se pro Legatis Romani Pontificis gerere, hauddubiè ut pecuniam raperent, patet etiam ex Petro Cellensi lib. IV. epist. IV.

CAPVT LV.

Synopsis.

I. Ex his quæ huc usque dicta sunt de avaritia ac turpitudine quorundam Legatorum præjudicandum non est adversùs omne Legatorum genus. Non enim adeo steriles fuerunt ætates quin plurima bona exempla protulerint.

II. Legatorum sanè animi patebant utplurimùm muneribus. Itaque statim ac adveniebant in provinciam, muneribus honestabantur à provincialibus. Effusio Anglorum in Ottonem Legatum. Sed is tamen munera sibi oblata magna ex parte respuit contra consuetudinem Romanorum.

III. Nimirum hic est lapis scandali in quem impingere solebant Legati. Episcopi Gallicani in palatio Vernensi congregati, ac si Legatorum à latere nomen fatale esset, Karolum Calvum orant ut Legatis quos à latere suo mitteret in provincias prohiberet ne munerum acceptores essent. Gladius conditur ubi aurum suscipitur, ex Cassiodoro.

IV. Itaque magnam hauddubiè laudem merebantur Legati qui munera repellebant. Fuere viri ea fortitudine præditi. Arsenius Episcopus Hortensis excussit manus suas ab omni munere, ut tradit Adventius Episcopus Metensis.

V. Petrus Damiani Mediolanum missu à Nicolao II. indignationem cleri in se concitavit quia primum locum in synodo tenuit super Archiepiscopum Mediolanensem & Episcopum Lucensem. Per eas tempestates Ecclesia Mediolanensis contendebat se esse liberam, adeóque non debere Romanis legibus subjacere.

VI. Is exemplo suo docuit Legatos non debere accipere munera. Ministrorum Romanæ Ecclesiæ mos tum erat nihil prorsùs accipere ab his quorum negotium pendebat, non tamen omnium, sed illorum duntaxat qui meliusculè se ab aviditate custodiebant.

VII. Cono Prænestinus Episcopus ab Hildeberto laudatur quòd integer esset inter munera. Admonet deinde illum ut in proposito perseveret, neque se muneribus præstet obnoxium.

VIII. Sanctus Bernardus summis laudibus effert Gaufridum Episcopum Carnotensem, qui omne munus cum summa animi fortitudine respuens, legationem Aquitaniæ propriis sumptibus strenuè administravit per plures annos. Poculenta tamen & esculenta susceptisse, sed hoc cum summa frugalitate, docet Ioannes Saresberiensis.

IX. Martinus Cardinalis contra morem à legatione Daniæ rediens pauper, equum, quo valde indigebat, ab Episcopo quodam sibi in itinere donatum statim ad eum remisit ex quo intellexit illum causam habere in Curia Romana. Testis Ioannes Saresberiensis. Testis etiam sanctus Bernardus.

X. Exclamat sanctus Bernardus in felicitatem istius exempli, aperte insinuans tanto magis æstimandum Martinum quanto minùs frequentia erant exempla istiusmodi. Deplorat deinde statum Curiæ Romanæ illius temporis.

XI. Idem sanctus Bernardus valde laudat Ioannem Papavonem Legatum Hyberniæ.

XII. Hubaldus Episcopus Ostiensis laudatur ab Hugone Falcando quòd nullis precibus adduci potuerit ut causam quandam judicaret cum collega sua muneribus corrupto.

XIII. Admirabilem abstinentiam in Cardinale ejusdem nominis commendat sanctus Thomas Cantuariensis. Ex hac Romanæ Ecclesiæ sive Curiæ mala consuetudine accipiendi aurum & argentum ait idem Thomas factum esse ut flagella Dei gravia & toti mundo vix portabilia veniant super eam.

XIV. Henricus Abbas Clarevallensis commendat abstinentiam Petri Cardinalis Tituli sancti Chrysogoni, quòd quingentas marchas argenti strenuè refutasset in una electione, ne sub obtentu muneris à tramite diverteret veritatis.

XV. Hubertus Archiepiscopus Cantuariensis & apostolicæ sedis Legatus nihil à quoquam exegit, nemini fuit onerosus occasione legationis. Hinc illi rara gloriandi fiducia.

I. HACTENUS probra atque dedecora Legatorum vidimus, hactenus avaritiam & libidinem eorum executi sumus. Quòd si quis illa legat, scio illum prima fronte ex his præjudicaturum omnes Legatos fuisse malos, avaros, ac pecuniarum avidos. Sed is istam opinionem deponat necesse est. Non adeo quippe generalis fuit ea pestilentia quin aliqui evaserint, neque adeo virtutum steriles ætates ut non & plurima bona exempla protulerint. Sanctis igitur & castis Legatis caput istud destinabitur; in quibus tanto major laus, quanto in malis plus culpæ est.

II. Principio fatendum est Legatorum animos patuisse utplurimùm muneribus; adeo ut si qui interdum reperirentur paulò modestiores, licèt munera respuerent, quædam tamen acciperent. Itaque quum primò Legati in provinciam veniebant, muneribus honestabantur à provincialibus. Vsurpatum id sæpe, sed magno apparatu ab Anglis anno MCCXXXVII. erga Ottonem Tituli sancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconum Cardinalem. Hæc sunt verba Matthæi Parisij: *Occurrerunt ei Episcopi & Clerici famosi usque ad littus, & aliqui in naviculis navigando obviarunt ei, applaudentes & munera impreciabilia offerentes. imò etiam Parisiis in obviam ei obtulerunt telas escarleti & vasa pretiosa nuntij diversorum Episcoporum.* Quòd si quis Legatus reperiebatur qui munera nollet accipere, is tum valde laudabatur, quòd contra consuetudinem Romanorum ea respueret; ut observat idem Parisius de eodem Ottone loquens: *Dominus autem Otto Legatus*, inquit, *de quo superius mentio facta est, prudenter ac modestè se gerens, munera pretiosissima sibi oblata in magna parte respuens contra consuetudinem Romanorum, indignationem in toto regno conceptam tam à clero quàm militia citra opinionem multorum per gestum suum ordinatum temperavit.*

III. Nimirum hic est lapis scandali in quem impingere solebant Legati. Vnde factum ut Episcopi Gallicani in palatio Vernensi congregati anno octingentesimo quadragesimo quarto, ac si Legatorum à latere nomen fatale esset, Karolum Calvum Regem oraverint ut Legatos à latere suo mitteret in provincias, qui delicta Episcoporum coërcerent, canonésque juberent observari, & ut Legatis istis præciperetur ut in obeundo munere suo, *absque respectu personarum & excœcatione munerum*, castos se videlicet atque abstinentes & integros præstarent. Sciebant enim sapientissimi viri verissimam esse illam Theodorici Regis Italiæ sententiam, gladium condi ubi aurum suscipitur. Nam Theodoricus eum cui dignitatem Comitivæ provinciæ tribuebat, quæ dignitas proximè accedit ad potestatem & auctoritatem Legatorum, monet ne muneribus se præstet obnoxium. *Nemo redemptionibus tuum velle deflectat. Gladius conditur ubi aurum suscipitur. Tu te inermem reddis, si à virili animo cupiditate recesseris.*

IV. Cùm itaque malum illud fato quodam commune fuerit in Legatis, uti suprà observavimus ex Ioanne Saresberiensi, magnam hauddubiè laudem merebantur qui eo veneno non inficiebantur, seu qui ea magnitudine animi præditi erant, ea fortitudine, & ea constantia, ut munera omnino repellerent. Rarum illud fuit, fateor. Fuere tamen qui munera respuerent, & in explicanda auctoritate sua solum Deum haberent præ oculis. Iam enim superiùs mentio facta est Arsenij Episcopi Hortensis, viri certè qui sedis apostolicæ potestatem sibi mandatam non neglexit, sed qui tamen *excussit manus suas ab omni munere*, si vera sunt quæ de illo scripsit ad Nicolaum Papam Adventius Episcopus Metensis.

V. Nicolai secundi pontificatu, cùm graves motus exorti fuissent in Ecclesia Mediolanensi, ad eósque componendos missus Legatus fuisset Petrus Damiani Episcopus Ostiensis, passus est contradictionem à Clericis,

Apud Baron. ad an. 1059. §. 43. Vide etiam Ioannem monachum in vita Petri Damiani cap. 16.

ricis, qui ajebant *non debere Ambrosianam Ecclesiam Romanis legibus subjacere, nullámque judicandi vel disponendi vim Romano Pontifici in illa sede competere*, nimis indignum esse ut quæ sub progenitoribus eorum semper extiterat libera, ad confusionis eorum opprobrium nunc alteri foret Ecclesiæ subjecta. Auxit hanc indignationem ordo consessus in synodo servatus; cui præfuit Petrus Legatus, ad dexteram habens Anselmum Episcopum Lucensem, ad sinistram verò Guidonem Archiepiscopum Mediolanensem. Et tamen ista tentabantur ab homine sanctissimo & modestissimo, & qui ista agere ausus non esset, nisi ea fuisset seculi illius disciplina.

Pet. Damiani epist. 31. cap. 4.

VI. Ista præmittenda erant ut veniremus ad narrationem magni exempli ab eo tum editi. Ea est auctoritas cui contradici non possit. Rem quippe ad se pertinentem scripsit ipse Petrus Damiani in epistola ad Dominicum Loricatum eiúsque fratres: *Dico vobis quid mihi nuper acciderit. Mediolanensem urbem Domini Nicolai Papæ legatione functus adivi. Ibi dum essem, Abbas sancti Simpliciani vasculum mihi argenteum loco muneris misit. Quod dum oblatum repentè vidissem, primò quidem aspernatus abhorrui, & cur ille mihi manus offerret subtiliter inquisivi. Suspicatus quippe sum quòd negotium fortassis haberet, atque ideo anticipando præveniens, muneribus occuparet. Mos quippe est apud nos, ministros videlicet apostolicæ sedis, ab his quorum negotium pendet nihil prorsùs accipere, ab his autem qui omnino quieti sunt, si dare voluerint, non abjicere. Et hæc regula non omnium nostrum, sed illorum duntaxat est qui meliusculè se ab aviditate custodiunt. Quid plura? Convenitur ad commune colloquium, cur donum sit largitus inquiritur, utrum causam habeat scisitatur.* Addit deinde Petrus manifestè patuisse hoc munus ab Abbate datum esse amicitiæ tantùm causa, multas porrò contradictiones passum esse se in conscientia sua propter munus acceptum, denique temperamentum excogitasse quo, cùm alter recipere nollet datum, munus retineret, & cupiditatis suæ turpitudinem, ut loquitur vir sanctus, palliaret. Verùm cùm nec sic conquiesceret mens ejus, ex eremo, quò se receperat, rixam mentis suæ ultrà non perferens, Abbati illi munus suum remittere studuit, certus se contra sordes munerum jam cautiùs vigilaturum.

VII. Sequens seculum plurima bona exempla protulit. Initium autem faciendum est à Gonone Episcopo Prænestino, quem legatione apostolicæ sedis in Gallia ornatum fuisse ævo Callisti secundi constat. Laudat illum Hildebertus Archiepiscopus Turonensis ob ceteras quidem virtutes ejus, sed ob eam in primis causam quòd integer esset inter munera, id est, quòd flecti se non sineret muneribus. Hæc sunt ejus verba ex epistola XLV. ad hunc Legatum data: *Zelum legis habes; quem tamen tibi cathedra non contulit, sed apud te invenit. Id ostendunt commissa tibi Ecclesiæ negotia, quæ pariter & inter minas intrepidus & integer inter munera sub capitis discrimine peregisti.* Admonet deinde illum ut in proposito perseveret, néve se muneribus præstet obnoxium: *Perseveres oro*, inquit, *nec aliquando patiaris ut illud purissimum bonæ conscientiæ tuæ argentum cujuslibet muneris scoria decoloret. Venturus est Sathanas ad te, qui tentet te, qui dicat: Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me. Sed, si bene novi te, sic respondsurus es tentanti: Vade retro Sathana.* Hæc Hildebertus, satis innuens raram fuisse abstinentiam illam in Legato sedis apostolicæ, existimans insuper ejus momenti ejúsque periculi rem esse ut non immeritò admonendus esset Legatus ne se munerum oblatione frangi sineret.

S. Bernard. lib. 4 de consider. c. 5.

VIII. *Sed ô mihi locum suavem*, inquit sanctus Bernardus, *ubi incidit occasio memorandi & nominandi suavissimi odoris virum, Episcopum loquor Carnotensem Gaufridum, qui legationem in partibus Aquitaniæ propriis sumptibus strenuè administravit, idque annos plures. Rem loquor quam vidi ipse. Eram cum eo in terra illa, cùm à quodam Presbytero præsentatus illi est piscis quem vulgò vocant sturgionem. Percunctatus Legatus quanti venierit, Non accipio, inquit, nisi receperis pretium. & resignavit solidos quinque invito & verecundo. Item cùm essemus in quodam oppido, domina illius oppidi obtulit ei pro devotione cum manutergio duas vel tres paropsides pulchras, ligneas tamen: quas aliquandiu intuens homo scrupulosæ conscientiæ, laudavit eas, sed non acquievit accipere. Quando argenteas recepisset qui ligneas refutavit?* Perstringit ista Ioannes Saresberiensis, auctore usus sancto Bernardo, his verbis: *Taceo quòd venerabilis pater Gaufridus Carnotensis, Legatus Aquitaniæ, provincialium munera non recepit, nisi in causa esculenti & poculenti, & hoc cum summa frugalitate, sed omnia quæ in xeniorum ratione offerebantur, ut stercora contemnebat. Testatur sanctus Clarevallensis quòd piscem quem vulgò sturjonem dicunt, à devoto quodam legationis suæ Clerico gratis accipere noluit, nec antè acquievit offerentis improbitati quàm ei pro admisso pretium numeraret.* Fuit autem Gaufridus Legatus in Aquitania sub Innocentio II. ut suprà vidimus.

Ioan. Saresb. lib. 5. policrat. c. 15.

Vide suprà cap. 44. §. 12.

IX. Ejusdem Innocentij ætas protulit alium virum memorabilem dignúmque habitum cui idem sanctus Bernardus elogium poneret. Fuis is Martinus Presbyter Cardi-

nalis, apostolicæ sedis legatione functus in Dania primis Innocentij pontificatus annis; unde reversus est in Italiam anno MCXXXIV. quo tempore Pisanum Concilium celebrabatur. Meminit istius viri Ioannes Saresberiensis in loco paulò antè laudato, his verbis: *Quid referam Martinum, qui contra morem à legatione rediens pauper, cùm ab Episcopo Florentino equum socio necessarium magna compulsus instantia accepisset, eundem restituit donatori, ex quo cum ab initio dati muneris causam in Romana Curia ventilandam habuisse cognovit.* Sed audiamus sanctum Bernardum. *Dignum nunc*, inquit, *ad medium venire factum dulcis memoriæ Martini nostri. Nosti hoc; sed an memineris ignoro. Is Cardinalis Presbyter, functus aliquando legatione in Dacia, tam pauper remeavit ut penè expensis & equis deficientibus, vix perveniret Florentiam. Ibi Episcopus loci donavit ei equum, quo Pisas usque, ubi eramus tunc, pervectus est. Postridie credo secutus Episcopus, (erat enim illi causa cum adversario, & agendi aderat dies) cæpit requirere suffragia amicorum. Cùmque per singulos solicitarentur, ventum est ad Martinum. Fiducia erat major in illo, qui non posset immemor esse recentis beneficij. Tum Martinus, Decepisti me, inquit. nesciebam tibi imminere negotium. Tolle equum tuum; ecce in stabulo est. Et hora eadem resignavit illi.*

Baron. ad an. 1134. §. 11.

X. Exclamat hoc loco sanctus Bernardus in felicitatem istius exempli, Eugenio tertio, ad quem ista scribuntur, apertè insinuans tanto magis æstimandum Martinum quanto minùs frequentia erant exempla istiusmodi. *Quid dicis, mi Eugeni? Nonne alterius seculi res est rediisse Legatum de terra auri sine auro, transiisse per terram argenti & argentum nescisse, donum insuper quod poterat esse suspectum illico rejecisse?* Et paulò pòst, cùm retulisset historiam sturgionis repudiati à Gaufrido Episcopo Carnotensi, rursum exclamat: *O si talium daretur virorum copia quales perstrinximus nunc? Quid te felicius, quid illo jucundius seculo? Nonne secunda ab æternitate illorum tibi temporum beatitudo videretur, cùm te quaquaversum procedens stipatum videres tam inclyto agmine beatorum?* Deplorat deinde statum Curiæ Romanæ illius temporis. *Et nunc*, inquit, *reduc oculos, mi Eugeni, ad eum qui nunc est Curiæ sive Ecclesiæ statum & studia Prælatorum, eorum præsertim qui sunt in circuitu tuo.*

XI. Idem sanctus Bernardus alibi impensè laudat alium virum sanctissimum, Ioannem videlicet Paparonem, quem Eugenius III. Legatum in Hyberniam misit anno MCLI. ut in eam insulam quatuor deferret Pallia, quorum usus illic hactenus non fuerat, adeóque Malachias Archiepiscopus illius insulæ non habuerat plenitudinem potestatis. Non est hujus loci disserere de his quæ gesta ab eo sunt in illa legatione. Sufficit ostendisse mores ejus fuisse inculpatos longèque diversos à Iordano Legato, quem idem Eugenius in Germaniam miserat. Quippe sanctus Bernardus, cùm enarrasset fœda & horrenda facinora ac sacrilegia Iordani, de quibus suprà dictum est, flectit deinde ad Ioannem Paparonem, quem laudat ob dissimilitudinem morum. *Non sic Dominus Ioannes Paparons*, inquit, *non sic, cujus laus est in Ecclesia, quippe honorificantis ubique ministerium suum.*

Baron. ad an. 1151. §. 6. Vide Ioannem Hagustald. in continuat. hist. Simeonis Dunelm. pag. 279.

Vide supra num. 40. §. 4.

S. Bernard. epist. 250.

XII. Inter hæc temporum mala nonnulli reperiebantur, ut vides, viri sancti, qui ministerium suum honorificabant, ut loquitur sanctus Bernardus, & neque muneribus neque gratia sinebant mores suos corrumpi. Iam antea locuti sumus de Ioanne Neapolitano Cardinale, quem unà cum Episcopo Ostiensi Alexander III. in Sicilia Lgatum constituit. Et is quidem amore pecuniæ fecit quicquid ab eo petebatur, nullam occasionem prætermittens congerendarum divitiarum, adeo ut causam injustissimam in se susceperit lucri causa. *Episcopus autem Hostiensis*, inquit Hugo Falcandus, *vir non honestatis non indubiæ, cùm socium suum vidisset muneribus & gratia esse corruptum, eóque ipso rectè judicandi libertatem sublatam, nullis precibus adduci potuit ut eorum vellet judiciis interesse.* Erat is Humbaldus Episcopus Ostiensis.

Vide supra num. 40. §. 7.

Hugo Falcand. in hist. Sicil. pag. 297.

XIII. Admirabilem abstinentiam in Cardinale ejusdem nominis valde laudat sanctus Thomas Cantuariensis. Miserat Henricus secundus Anglorum Rex ad Curiam Romanam *nonnullas auri libras*, ut Baronius ait, *erogandas in Cardinales*, ut eos sibi propitios habere posset adversùs sanctum Thomam. Victa est Curia Romana. Fuere tamen aliqui, & inter hos Humbaldus, qui Regis aurum contemnerent. Laudat illum, ut dixi, ob eam ipsam causam idem sanctus Thomas ad eum scribens his verbis: *Non abiistis post aurum, quo nuper ad læsionem nostram & apostolicæ sedis confusionem capti sunt quidam; quorum patrocinio receptis literis apostolicis, quas lectitari facit in utriusque regni compitis Rex Anglorum, se de Romana Ecclesia gloriatus est triumphasse.* Ex hac Romanæ Ecclesiæ sive Curiæ mala consuetudine factum ait idem Thomas ut flagella Dei gravia & toti mundo vix portabilia veniant super eam.

Baron. ad an. 1167. §. 10.

Apud Baron. ibi. §. 54.

Ibid. ad an. §. 12. Vide Ioann. Sarisb. epist. 131.

XIV. Anno MCLXXVIII. missus in Gallias est Petrus Presbyter Cardinalis Tituli sancti Chrysogoni. Occasio mittendi Legati fuit recens oborta hæresis in pago Tolosano. Laudat illius abstinentiam Henricus Abbas Clarevallensis in epistola nondum

Vide Baron. ad an. 1178. §. 12.

edita ad Alexandrum III. Summum Pontificem, ei gratulans quòd talem virum assumpsisset in partem sollicitudinis apostolicæ. *Habetis in partibus Gallicanis*, inquit, *virum, sicut experti sumus, justitiæ & veritatis amicum, Dominum P. Tituli sancti Grisogoni Cardinalem, qui in una sola electione me teste quingentas marchas argenti strenuè refutavit, ne sub obtentu muneris à tramite diverteret veritatis. In eo plurimæ consolationis hausto remedio, Deum glorificamus, & patrem in eo magnificamus & vos, videntes quòd illustrium dignitatum gratia, quæ de vestræ plenitudinis fonte procedit, in tales confluit ex apostolica discretione personas quæ per vitæ meritum fastigia illustrare comprobentur honorum. Hinc vobis materia gaudij, hinc Ecclesiæ Dei solatij fomes exoritur, quòd tales assumitis in partem sollicitudinis qui honorent in vobis plenitudinem potestatis. Probat iste quem diximus vestrum in se non errasse judicium.*

Vide epistolam Alexandri III. Tom. IV. Duchesnij pag. 563.

XV. Anno denique MCXCVI. omnes Ecclesiæ conventuales in Eboracensi provincia constitutæ, ad Celestinum III. Pontificem Romanum scribentes, hoc testimonium perhibuerunt Huberto Archiepiscopo Cantuariensi & apostolicæ sedis Legato: *Cùm apud nos visitationem suam exerceret, vices apostolicas diligenter executus fuit, agrum dominicum fructuosum in messis abundantiam excoluit, nihil nobis molestè intulit, nihil à nobis exegit; sed in omnibus verbis & operibus modestè se habuit, in nullo onerosus nobis existens.* Ista scribi ad Summum Pontificem optaverat Hubertus, ut probaret bene se usum auctoritate Legati, & provincialibus gravem non fuisse. Sic enim scripserat ad Capitulum Eboracense & ad reliqua Capitula, Abbates, & Priores: *Cum his etiam volumus Romanæ sedi certiùs à singulis designari quantum nobis in causa procurationis impenderint, vel quatenus eis occasione legationis fuerimus onerosi. Quod ideo sub hac forma fieri mandamus, quia sicut de securitate nostra confidentes rei hujus fidele testimonium formidare non possumus, sic nec poteritis quæ vobis super articulis memoratis constiterint salva honestatis conscientia subticere.*

Apud Radulfum de Diceto pag. 674.

CAPVT LVI.

Synopsis.

I. Iuvit Legatorum fortunam timor ex potestate eorum. Cuncta terrore complebant, ut colligitur ex Arnulpho Lexovien si. Reges & Principes illis loco cedebant, eisque assurgebant. Cuncta negotia in se trahebant. Sed ex malis eorum facinoribus paulatim factum est ut eorum nomen & auctoritas vilucrit apud Francos, & Romana Ecclesia vilis deinceps & contemptui habita sit. Hinc legationes in fastidium versæ.

II. Legati antiquitus nullam muneris sui partem attingere in Gallia poterant absque petitione aut expresso consensu Regis. Quod jus adeo competit Regibus, ut non solum nostri, sed etiam Angli & Scoti, illud summa cura retinuerint. Pro Regibus nostris illustris est locus Alexandri III. qui destinaverat legationem Galliæ tribuere Thomæ Archiepiscopo Cantuariensi, si consensus Regis & Episcoporum Galliæ accederet.

III. Ius illud evincitur etiam ex decretali Super gentes, *quæ docetur esse Bonifacij VIII. cùm tamen in vulgatis editionibus tribuatur tantum Ioanni XXII.*

IV. Referuntur verba illius constitutionis; quæ manifestè ostendunt illam à Bonifacio conditam fuisse adversùs Philippum Pulcrum.

V. Vvalterus Episcopus Albanensis in Angliam missus ab Vrbano II. cum Rege Vvillelmo conventionem fecit ne Legatus Romanus ad Angliam mitteretur nisi quem Rex præciperet. Ita visum expedire, ne qua vis inferretur consuetudinibus regni. Sub Paschali II. Anselmus Abbas Legatus in Angliam missus, nec Angliam intrare nec ullo Legati officio fungi permissus à Rege est, ne antiquis Ecclesiæ Anglicanæ consuetudinibus præjudicium inferretur.

VI. Idem jus regium acriter retinuit Henricus primus Rex Anglorum, ut patet ex Eadmero, illud etiam à Calliſto extorquens, ut Legatus in Angliam nullus à Pontifice mitteretur, nisi quæpiam causa ita gravis incideret quæ ab Episcopis regni definiri non posset.

VII. Idem Petrum Leonis prohibuit exequi officium Legati in Anglia, obtendens patrias consuetudines, quia regnum Angliæ liberum erat ab omni Legati ditione. Legati auctoritas, ut explicari posset, indigebat consensu Episcoporum, Abbatum, & procerum, ac totius regni.

VIII. Adnotanda est hoc loco prudentia Henricii qui, ne Legatus auctoritatem suam explicaret in Anglia, prohibuit ne ad Ecclesias aut monasteria regni accederet, néve aliunde victus ei suppeditaretur quàm ex publico. Quod factum specie honoris, Legati tamen potestatem infregit.

IX. Pavem repulsam passus in Anglia fuerat Calliſtus secundus, cùm adhuc esset Archiepiscopus Viennensis. Sic enim ei contradictum est ut nullum Legati officium exercuerit. Itaque sicut venit, ita reversus est, ut Eadmerus ait.

X. Hugutio in Angliam missus ab Alexandro III. susceptus quidem est ut Legatus, sed quia eum mitti postulaverat Henricus II. Rex.

XI. Cùm Vvivianus ab eodem Alexandro missus esset in Scotiam, quò pergere destinaverat per Angliam, non antè permissus est progredi quàm juraſset quòd nihil præsumeret de potestate Legati contra voluntatem Regis Angliæ. Et sic data est ei licentia transeundi usque in Scotiam.

XII. Anno 1245. inter gravamina nomine totius regni Angliæ proposita in Concilio Lugdunensi, etiam illud additum est, Legatum in Angliam venisse sine Domini Regis licentia. quod erat contra privilegium Regis. Innocentius IV. postulata Anglorum eluſit rariſſima moderatione.

I. IVVIT Legatorum fortunam timor ex potestate eorum: quia cùm in provincias venirent cum summa & ampliſſima auctoritate, quæ, ut suprà diximus, major erat quàm ut obsisti ei posset, cuncta terrore complebant. Testatur istud Arnulphus Episco-

pus Lexovienſis in epiſtola XXIII. ad Cardinales Romanæ Eccleſiæ: in qua laudans Legatos quoſdam, ait in eis tantam refulgere apoſtolicæ ſanctitatis & doctrinæ perfectionem, *ut eis plus gratiæ merita contrahant quàm terroris reverentia diſciplinæ.* Quis enim, quantumvis ſui ſecurus, non timeret, cùm intelligeret omnia provinciarum negotia in arbitrio Legati poſita eſſe, eam porrò eſſe dignitatem ejus ut ei Reges & Principes loco cederent, ei aſſurgerent? Quis Epiſcoporum, etiam de ſanctitate morum ſuorum præſumens, ea ſecuritate inſtructus eſſe poterat ut non timeret hominem qui fiducia legationis eos propria auctoritate ſuſpenſurus erat, ſi id animo collubitum eſſet ſuo, à miniſterio & officio eorum, tum etiam à gradu epiſcopali dejiceret, ſi res ita ferret? Præterea, electiones Epiſcoporum pendebant ab auctoritate Legatorum. Quod quantum conferret ad conciliandam illis populorum reverentiam nemo eſt, opinor, qui non intelligat. Iſta cùm ſint notiſſima, & maxima ex parte jam explicata ſint in ſuperioribus capitibus, neceſſe non eſt ea perſequi. Satis erit obſervaſſe, tot Legatorum peſſimis facinoribus quæ huc uſque narrata ſunt factum eſſe ut paulatim eorum nomen & auctoritas viluerit apud Francos, ut obſervat Ioannes Sareſberienſis, & Romana Eccleſia vilis deinceps & contemptui habita ſit, ut ad Alexandrum III. ſcribit P. Decanus ſancti Aniani Aurelianenſis. Hinc legationes in faſtidium verſæ, ut adnotabit infrà illuſtriſſimus Archiepiſcopus, deſuetudine poſtea pauciores extiterunt, Legatique ultimis temporibus miſſi non ſunt niſi rarò & propter cauſas magni momenti. Reliquum eſt ut heic agamus de conſenſu Principum neceſſario Legatis ut mitti poſſint, & ut exequi valeant ea quæ mandata illis ſunt à Summis Pontificibus. Ampla ſanè & illuſtris materia, cui antiquitas ſuffragatur, & cui poſteriorum temporum exempla multam lucem afferunt.

Ioa. Sareſb. epiſt. 232.

Apud Duchesn. to. IV. pag. 576.

Vide infrà lib. 6. cap. 30. §. 11. & ſeq.

II. Primùm omnium ſatis conſtat Legatos nullam muneris ſui functionem attingere antiquitus in Gallia potuiſſe abſque petitione aut expreſſo conſenſu Regis; ut patet ex epiſtolis ſancti Gregorij & aliis multis teſtimoniis. Atque id jus adeo competit Regibus, ut non ſolùm noſtri, ſed etiam Angli & Scoti, illud ſumma cura retinuerint. De noſtris, cùm res ſit manifeſta, & cùm præterea illuſtriſſimus Archiepiſcopus bene multa de hoc argumento dixerit, nunc opus non eſt multa dicere. Sufficiet unicum Alexandri III teſtimonium: qui cùm legationem Gallicanæ Eccleſiæ committere cogitaret Thomæ Archiepiſcopo Cantuarienſi, ut tali ratione ſolaretur exulem ac peregrinum, ac fortaſſis etiam ut eo pacto paupertatem ejus ſublevaret, priùs exploravit animum Ludovici Regis, non antè ei vices ſuas delegare auſus quàm certus eſſet de conſenſu Regis & Epiſcoporum Galliæ. Extat ea de re Alexandri epiſtola à Baronio edita; in qua hortans Regem Ludovicum ut revocandæ inter Henricum Anglorum Regem & Thomam concordiæ ſtudeat, demum illum admonet deſtinaſſe ſe, ſi pax inter illos conſtitui non poſſit, legationem Gallicanam ei tribuere, modò conſenſus accedat regiæ majeſtatis, & modò iſtud fieri poſſit abſque gravi ſcandalo perſonarum regni Gallici, id eſt, ut interpretatur Baronius, ſi id placeret Gallicanis Epiſcopis. Hæc ſunt verba Alexandri: *Si autem, quod Deus avertat, convenire non poſſint, dummodo regiæ voluntati ſederet & beneplacito tuo, nobis per omnem modum complaceret & gratum valde exiſteret & acceptum, quòd ſi abſque gravi ſcandalo perſonarum regni tui fieri poſſet, ut nos prænominatum Archiepiſcopum ſpecialis honoris prærogativa inter ceteros donaremus, & ſibi vices noſtras committeremus in illis partibus exequendas. Vnde ſerenitatem tuam quanta poſſumus prece rogamus, ut ſi pacem ſalva honeſtate ſua & Eccleſiæ, quod omnimodis optaremus, habere non poſſit, nobis ſuper his voluntatem tuam ſub omni celeritate ſtudeas intimare.* Conſenſerintne Ludovicus & Epiſcopi Gallicani non liquet. Sed hinc colligi poteſt non conſenſiſſe, quòd non reperiamus ſanctum Thomam aliqua Legati auctoritate uſum eſſe in Gallia.

Vide Probat. Libertat. Eccleſ. Gallic. cap. 23.

Vide ſupra pag. 415. c. Apud Baron. ad an. 1168. §. 2.

III. Rurſum jus illud Regum noſtrorum, ut etiam iſta addamus, evincitur ex decretali *Super gentes*, quam Bonifacius VIII. edidit adversùs Philippum quartum Francorum Regem. Scio eam in vulgatis Extravagantium communium editionibus tribui Ioanni XXII. cui etiam tribuitur in veteri codice MS. Bibliothecæ regiæ. Verùm, præterquam quòd eadem in illo ipſo codice regio deſcripta eſt etiam ſub nomine Bonifacij antè quàm ponatur ſub nomine Ioannis, à Bonifacio primùm editam fuiſſe ex eo manifeſtè probatur, quòd in mandatis quæ ab illo data ſunt Ioanni Preſbytero Cardinali Tituli ſanctorum Marcellini & Petri, quæ edita ſunt ab Odorico Raynaldo & à Petro Puteano in probationibus diſſidij quod fuit inter Bonifacium & Philippum IV. Francorum Regem, in mandatis inquam illis jubetur Legatus denuntiare & declarare eidem Regi *quòd Romanus Pontifex Legatos de latere & non de latere ac Nuntios liberè mittere poteſt ad quævis imperia, regna, vel loca, prout vult, abſque petitione cu-*

Odor. Raynald. an. 1302. §. 12.

Hubert. de Offreval in Benifac. pag. 72.

juſlibet vel conſenſu, uſu vel conſuetudine contrariis nequaquam obſtantibus.

IV. Hic locus evincit conſtitutionem illam editam à Bonifacio fuiſſe, ut Philippum conſiliis & poteſtati ſuæ reſiſtentem opprimeret iſta auctoritate. Nam in conſtitutione illa ſic prorsùs legitur: *Verùm cùm aliqui hujuſmodi officium & poteſtatem ipſius Romani Pontificis, quam non ab homine ſed à Deo recepit, ſub ſuo arbitrio redigere molientes, Legatos ipſos, niſi ab eis petiti fuerint, vel de beneplacito eorum tranſmiſſi, ſubjectas ſibi terras, dicentes hoc eis de conſuetudine competere, ingredi non permittunt, nos hujuſmodi conſuetudinem non tam irrationabilem quàm iniquam, animarum ſaluti contrariam, detrahentémque apoſtolicæ poteſtati, auctoritate apoſtolica penitùs reprobantes, Legatos ipſos ab omnibus, cujuſcumque præeminentiæ, conditionis, aut ſtatus fuerint, debere admitti decernimus, nec eos prætextu cujuſvis conſuetudinis impediri poſſe à quoquam Chriſtiano nomine gloriante quò minùs regna, provincias, & terras quaſlibet, ad quæ ipſos deſtinari contigerit, ingrediantur liberè, ac commiſſæ ſibi legationis officium exerceant in eiſdem.* Excommunicat deinde eos qui præſumerent impedire Legatos, eorúmque regna & terras eccleſiaſtico ſupponit interdicto *quandiu in hujuſmodi contumacia duxerint perſiſtendum.* Revocat autem omnia privilegia quibus iidem uti vellent ad aſſerendum hoc ſuum jus, ſeu ex conſuetudine deſcenderet, ſeu aliunde. Hæc verò à Pontifice iracundo ſcripta eſſe adversùs. Philippum Francorum Regem ſatis, ut reor, manifeſtum eſt.

V. Primum exemplum in iſta cauſa datum apud Anglos fuit ævo Vrbani ſecundi. Miſſus tum in Angliam Vvalterus Epiſcopus Albanenſis, Vvillelmum Regem adiit, cuncta facturus per quæ Regis animum ſibi conciliare poſſet, etiam cum periculo propriæ famæ. Cum eo itaque, ut narrat Hugo Abbas Flaviniacenſis, *conventionem fecit ne Legatus Romanus ad Angliam mitteretur niſi quem Rex præciperet.* Verba ſunt manifeſta, neque ullis ambagibus involuta. Et hauldubiè illud à Legato exegerat Vvillelmus ne antiqua conſuetudo violaretur, qua receptum erat ne quis alius in Anglia Legatus apoſtolicæ ſedis eſſet præter Archiepiſcopum Cantuarienſem. Extremis deinde Paſchalis ſecundi temporibus, cùm Anſelmus Abbas à Romano Pontifice accepiſſet legationem Angliæ, trajiceréque propterea vellet à Normannia in Angliam, *Rex Henricus*, inquit Eadmerus, *antiquis Eccleſiæ conſuetudinibus præjudicium inferri non ſuſtinens, illum ab ingreſſu Angliæ detinebat, & ei, utpote Nuntio beati Petri, largiter & officiosè miniſtrari faciebat.* Narrat deinde Eadmerus illum nec Angliam intrare nec aliquo Legati officio fungi dignum habitum eſſe, ſicque inglorium abiiſſe.

Eadmer. lib. 2. pag. 32.

Hugo Flavin. pag. 143.

Eadmerus pag. 115. lin. 118.

VI. Idem jus regium acriter retinuit Henricus iſtius nominis primus Anglorum Rex, qui Vvillelmo fratri proximè ſucceſſit. Cùm enim anno MCXIX. idem Rex & Calliſtus II. conveniſſent apud Giſorcium in Normannia, conceſſit Regi Pontifex ut antiquæ regni ejus conſuetudines manerent, ac nominatim ne quis Legatus in Angliam mitteretur niſi quem Princeps peteret, nimirum ſi quæpiam cauſa major incideret quæ ab Epiſcopis Anglicanis pro ſui magnitudine terminari non poſſet, adeóque opus eſſet majori auctoritate. Hæc ſunt verba ejuſdem Eadmeri in libro quinto Hiſtoriæ Novorum: *Itaque poſt hæc Calixtus Giſortium venit; & Rex Henricus illic ei locuturus acceſſit. Acta igitur ſunt multa inter eos quorum gratia par erat tantas perſonas conveniſſe. Inter quæ Rex à Papa impetravit ut omnes conſuetudines quas pater ſuus in Anglia habuerat & in Normannia, ſibi concederet, & maximè ut neminem aliquando Legati officio in Anglia fungi permitteret, ſi non ipſe, aliqua præcipua querela exigente, & quæ ab Archiepiſcopo Cantuariorum ceteriſque Epiſcopis regni terminari non poſſet, hoc fieri à Papa poſtularet.* *Vide infrà lib. 6. cap. 31. §. 3.*

Vide Simeonem Dunelm. pag. 241. & Joan. Bromton pag. 1008.

VII. Adeo autem diligenter & ſtudiosè prærogativam illam ſervavit idem Henricus, ut cùm aliquot pòſt annis Papa Calliſtus ſponte Legatum in Angliam miſiſſet Petrum Leonis monachum Cluniacenſem, tametſi eum magnificè receperit Henricus pro reverentia ſedis apoſtolicæ, Legati tamen officium exequi prohibuerit, obtendens *patrias conſuetudines ab apoſtolica ſede conceſſas; in quibus hæc & de maximis una erat, quæ regnum Angliæ liberum ab omni Legati ditione conſtituerat.* Itaque Legatus ille regno egredi coactus eſt, cùm nullam prorsùs muneris ſui functionem attigiſſet. Rem narrat idem Eadmerus inquiens inter alia Regem pronuntiaſſe *legationis illius ſtabilem auctoritatem nonniſi per conniventiam Epiſcoporum, Abbatum, & procerum, ac totius regni conventum roborari poſſe.*

Vide ſuprà cap. 52. §. 6.

Eadmer. lib. 6. pag. 138.

VIII. Sed adnotanda eſt hoc loco prudentia Henrici: qui, ne Legatus auctoritatem ſuam explicaret in Anglia, prohibuit ne ad Eccleſias aut monaſteria regni accederet, donec ad ipſum perveniſſet, néve aliunde victus ei ſuppeditaretur quàm ex fiſco. Quod factum ſpecie honoris, magni tamen momenti erat. Sic quippe providebatur ne vel minima Legati poteſtate uteretur. Sumptus

enim Legatis præstare tenebantur Episcopi earum regionum ad quas illi mittebantur, ut suprà diximus. Vnde argumentum trahere potuisset Petrus susceptam fuisse ab Episcopis & Abbatibus Anglicanis legationem suam, si diversatus apud Ecclesias aut monasteria, procuratus ab illis fuisset. Sapienter itaque Rex Henricus ad excipiendum Legatum mittens nonnullos, eis, *prudenti usus consilio*, inquit Eadmerus, *injunxit quatenus iter ejus ita disponerent ut post ingressum Angliæ nec Ecclesias nec monasteria quælibet, ad se tendens, hospitandi gratia ingrederetur, nec aliunde quàm de suis victus necessaria ei ministrarentur.*

IX. Parem repulsam passus in Anglia fuerat ipse Callistus sub Paschali secundo; à quo cùm in regnum illud missus fuisset cum auctoritate Legati, ei auctoritati sic contradictum est ut nullum Legati officium exercuerit. Hæc sunt verba Eadmeri: *Eodem anno venit in Angliam Guido Archiepiscopus Viennensis* functus, ut dicebat, legatione totius Britanniæ ex præcepto & auctoritate apostolicæ sedis. Quod per Angliam auditum, in admirationem omnibus venit; inauditum scilicet in Britannia cunctis scientes quemlibet hominum super se vices apostolicas gerere nisi solum Archiepiscopum Cantuariæ. Quapropter sicut venit, ita reversus est, à nemine pro Legato susceptus, nec in aliquo Legati officio functus.* Eadmer. lib. 3. pag. 38.

* functatus

X. Anno MCLXXV. missus quidem in Angliam est Legatus Hugo sive Hugutio Tituli sancti Michaëlis Cardinalis, & susceptus ut Legatus. Sed adnotandum est illum à Rege Henrico secundo petitum fuisse. Rogerius de Hoveden: *Eodem anno, paulò ante festum omnium sanctorum, applicuit in Anglia quidem Cardinalis nomine Hugezun, apostolicæ sedis Legatus, pro quo Dominus Rex Romam miserat. Et invenit Dominum Regem apud Vvintoniam; & Dominus Rex venit ei obviam, & Henricus filius ejus cum eo, & eum cum debito honore susceperunt.* Narrat deinde Hovedenus illum convocasse Concilium apud Vvestmonasterium, cujus celebratio impedita fuit ob contentionem de præsessione inter Archiepiscopos Cantuariensem & Eboracensem; qui sanè primum locum cedebant Legato, sed uterque à dextra ejus sedere volebat.

XI. Anno sequenti editum est in Anglia magnum exemplum auctoritatis Principum, quod apprime congruit cum moribus nostris. Miserat Alexander III. Legatum in Scotiam Vivianum. Is verò ut in Scotiam proficisci commodiùs posset, per Angliam sibi putavit esse pergendum. Quod cùm Regi nuntiatum fuisset, statim ad illum misit qui ab eo peterent qua auctoritate factum erat ut in Angliam intrasset absque ipsius permissu; ac non antè permissus est ultra progredi quàm jurasset quòd nihil præsumeret de potestate Legati contra voluntatem Regis. Docet nos ista idem Hovedenus his verbis: *Eodem anno Alexander Papa misit Vivianum Presbyterum Cardinalem apostolicæ sedis Legatum in Scotia & in insulis circumjacentibus, & in Hybernia, & in Norevveia, ad causas ecclesiasticas audiendas & determinandas secundùm quod Deus ei administraret. Qui cùm in Angliam veniret, Dominus Rex misit ad eum Richardum Vvintonienſem & Gaudefridum Elienſem Episcopos, ut interrogarent eum cujus auctoritate ausus erat intrare in regnum suum sine licentia ipsius. His igitur interrogationibus prædictus Cardinalis plurimùm territus, de satisfactione juravit Regi quòd ipse nihil ageret in legatione sua contra voluntatem ipsius. Et sic data est ei licentia transfundi usque in Scotiam.*

XII. Anno MCCXLV. inter varia gravamina quæ in Concilio Lugdunensi proposita sunt nomine totius regni Angliæ, etiam illud additum est, Martinum, cujus superiùs fecimus mentionem, in Angliam venisse *sine Domini Regis licentia.* Deinde procuratores universitatis Angliæ, de eodem Martino loquentes, aiunt istud factum esse *privilegio Regis admodum derogando, per quod ei à sede apostolica specialiter indulgetur ne quis in Anglia legationis fungatur officio, nisi à Domino Rege specialiter postulatus.* Perculsus improvisa interrogatione Innocentius IV. nihil respondit; sed postulata Anglorum elusit rarissima moderatione, rem esse dictitans quæ morosa deliberatione indigeret, indistanter tamen se responsa daturum pollicendo.

CAPVT LVII.

Synopsis.

I. Scotia tum iisdem penè moribus vivebat quibus Anglia. Cùm Scoti frequentia Legatorum urgerentur, istud tandem pervicerunt à Clemente III. Pontifice Romano, ut nulli qui Scotus non esset liceret officium legationis exercere in Scotia, nisi fortè ei quem de corpore suo sedes apostolica specialiter destinavit.

II. Hoc privilegium à sequentibus Pontificibus confirmatum est.

III. Verùm cùm nec sit quieta aut secura esset Scotia à rapacitate & tyrannide Legatorum, restò deducta est ut non ita multò post Scoti liberrima Episcopi cujusdam oratione commoti Legatum quendam, qui recenter advenerat, repulerint.

IV. Factum id bono exemplo & in posterum profuturo. Nam sub Clemente IV. Legatus ab eo missus, extra fines Scotiæ subsistere jussus est ac per literas mandata exponere, denique in regnum admissus non est.

V. Quare existimandum est Ottonem, cui Gregorius IX. commisit legationem Scotiæ, aut admissum

non fuiſſe in regno, aut certè priùs mandata ſua per literas expoſuiſſe quàm admitteretur. Conjectura eſt timuiſſe Gregorium ne Legatus uti prohiberetur auctoritate ſua in Scotia.

VI. Scoti contendebant Scotiam non comprehendi ſub legatione Anglica, ut docet Bonifacius VIII.

VII. Ratio autem cur Scoti nollent comprehendi ſub generali legatione Angliæ, hæc erat, quia regnum eorum diviſum erat ab Anglia, & quia ex quo Chriſtianam fidem Scoti ſuſceperant, Scotia libera fuerat, & nulli extra ſuam regionem ſubjecta præterquam uni Romano Pontifici.

I. TRANSEAMUS ab Anglia in Scotiam, tum quidem diviſam à corpore Britanniarum, ſed tamen iiſdem penè moribus viventem. Mittebant interdum Romani Pontifices in Scotiam Legatos, non rogati & in nullum rei publicæ uſum, tantùm ut provincialium opibus ditarentur. Diſplicebant hauddubiè iſta Regibus Scotorum. Itaque iſtud tandem pervicerunt anno MCLXXXVIII. *ut nulli de cetero, qui de regno Scotiæ non fuerit, niſi quem apoſtolica ſedes propter hoc de corpore ſuo ſpecialiter deſtinaverit, licitum ſit in eo legationis officium exercere.* Hæc ſunt verba Clementis III. ex epiſtola ad Vvillelmum Scotorum Regem, quam recitat Rogerius de Hoveden, & ex eo Baronius. Iſta autem ea hauddubiè de cauſa poſtulaverant Scoti, ad exemplum Francorum, quòd frequentia & avaritia Legatorum premerentur; cùm verò viderent ſtabilitam eſſe neceſſitatem Legatorum in provinciis, malebant ut ea auctoritas cuipiam Scoto tribueretur quàm exteris hominibus.

Vide infrà lib. 6. cap. 30. §. 10.

II. Hoc privilegium Scotorum confirmavit deinde Celeſtinus III. anno MCXCII. ad eundem Vvillelmum Scotorum Regem ſcribens. Refert illius litteras idem Rogerius de Hoveden, in quibus hæc verba leguntur: *Adjicimus, ut nulli de cetero qui de regno Scotiæ non fuerit, niſi quem apoſtolica ſedes propter hoc de corpore ſuo ſpecialiter deſtinaverit, licitum ſit in eo legationis officium exercere.* Iſtud ipſum iiſdem verbis confirmatum eſt ab Honorio III. in epiſtola ad Alexandrum Regem Scotorum, ut teſtatur Odoricus Raynaldus.

Odor. Rayn. ad an. 1218. §. 62.

III. Verùm cùm nec ſic quieta aut ſecura eſſet Scotia à rapacitate & tyrannide Legatorum, cùm videlicet Pontifices frequenter mitterent Legatos de corpore Romanæ Eccleſiæ, nimirum Cardinales, qui Scotiam raptabant ſub umbra legationis, res eò deducta eſt anno MCCXXI. ut cùm illuc miſſus eſſet ab Honorio Papa Legatus, Alexander Rex conſulendos ſuos ratus Concilium convocaverit. Ibi Præſul quidam multa præfatus de avaritia & pravis moribus Legatorum, demum huc flexit ut cenſeret *non modò hunc non admittendum reclamante populo ac regno exhauſto, ſed ne in poſterum quidem alium.* Addit autem Hector Boëtius ea liberrima Præſulis illius oratione permotos qui in conventu aderant, Legatum cenſuiſſe in regnum admittendum non eſſe. *Quæ quum ſummo Regis*, inquit, *& aſſidentium aſſenſu probata eſſent, Legatus in regnum admiſſus non eſt.*

Hector Boet. Hiſt. Scot. lib. 15. ſol. 273.

IV. Iſta quidem fortiter ac viriliter acta ſunt, bono ſanè exemplo, ac in poſterum profuturo. Nam ævo Clementis quarti, cùm Pontifex Legatum in Scotiam miſiſſet *ad conquirendam ad expeditionem in Saracenos pecuniæ ſummam grandem*, ille ſtatim admiſſus non eſt, ſed extra fines Scotiæ ſubſiſtere juſſus, *ac per literas mandata exponere.* Ita Legatus in regnum admiſſus non eſt. Miſit inde Scotorum Rex Alexander mille marcas argenti Pontifici Maximo Clementi quarto in ſubſidium profectionis.

Hector Boet. ibid. fol. 289.

V. Quare cùm videmus, apud Odoricum Raynaldum, Gregorium IX. legationis apoſtolicæ munus commiſiſſe per Scotiam Ottoni Tituli ſancti Nicolai in carcere Tulliano Diacono Cardinali, ita interpretari debemus, aut admiſſum non fuiſſe illum in regno recentibus adhuc odiis adversùs Legatos, aut non antè admiſſum quàm per literas mandata ſua expoſuiſſet. Nam præterea colligipoſſe videtur ex verbis Gregorij illum valde timuiſſe ne Legatus prohiberetur uti auctoritate ſua in Scotia. Scotos quippe demulcet, & variis argumentationibus utitur aptis, ut illi videbatur, ad commovendos eorum animos. Referenda ſunt ejus verba: *Nos conſultiùs attendentes quòd cùm circa regnum Scotiæ eò majorem curam gerere teneamur quò fortiùs Eccleſia Scoticana Romanam Eccleſiam ſolam matrem & metropolitanam nullo medio recognoſcit, indignum exiſteret, niſi quæ nos ſingularem patrem in ſpiritualibus obtinet, ſpecialem à nobis reciperet conſolationis affectum, eidem Cardinali in dicto regno Scotiæ legationis officium motu proprio duximus committendum: quia relinquere conſcientia ſalva nequivimus quin eidem Scoticanæ Eccleſiæ per dictum Legatum apoſtolicæ viſitationis ſolatium mitteremus; ne à nobis affectione materna ſpoliari ſe crederet, ſi nobis Eccleſiam viſitantibus Anglicanam, regnum Scotiæ ſic in vicino poſitum, expers viſitationis apoſtolicæ remaneret.*

Apud Odor. Raynald. ad an. 1237. §. 40.

Vide Baron. ad an. 1188. §. 27. & 1192. §. 4. & Hectorem Boet. lib. 13. fol. 273.

VI. Speciales huic Legato literas pro Scotia dederat Gregorius, quia ſub legatione Anglica non comprehendi Scotiam contendebant Scoti, ut ad Eduardum Anglorum Regem ſcribit Bonifacius VIII. his verbis: *Ceterùm nobis nullatenus venit in dubium, quin potiùs certi ſumus, quòd cùm apo-*

Apud Odor. Raynald. ad an. 1299. §. 17.

ſtolicæ ſedis præcellens auctoritas per ſuas literas in Angliæ ac Scotiæ regnis ſimul alicui legationis committit officium exequendum, vel pro quavis cauſa, quam rationabilem reputat, decimæ ſolutionem indicit, hujuſmodi apoſtolicæ literæ ad præfatum Scotiæ regnum ſe aliquatenus non extendunt, ſpeciali prædictæ ſedis privilegio Scotis indulto penitus obſiſtente; prout tempore felicis recordationis Adriani Papæ prædeceſſoris noſtri, tunc Adriani Diaconi Cardinalis, & per ipſius ſedis literas ſimul in regnis ipſis Legati, cum quo familiariter tunc eramus, contigit evidenter. Nam Legatus ipſe ad præfatum regnum Scotiæ admiſſus non extitit donec per literas apoſtolicas ſpeciales ſibi legationis fuit commiſſum officium in eodem.

Vide Raynald. ad an. 1265. §. 61.

VII. Ratio autem cur Scoti nollent comprehendi ſub generali Angliæ legatione, hæc erat, quia regnum eorum diviſum erat ab Anglia, & quia ex quo fidem Chriſtianam Scoti ſuſcepiſſent, (ut in conventu apud Northamtoniam diſſeruit Gilbertus, qui dein Epiſcopus fuit Cathenenſis, anno MCLXXVI.) Scotia libera fuerat, & nulli extra ſuam regionem, præterquam uni Romano Pontifici velut Chriſti Vicario, ſubjecta. Vnde & Clemens III. & Celeſtinus III. aliique deinceps Pontifices decernunt *ut Scoticana Eccleſia apoſtolicæ ſedi, cujus filia ſpecialis exiſtit, nullo mediante debeat ſubjacere.* Hinc Gregorius IX. eò ſe circa regnum Scotiæ majorem curam gerere teneri ait quò fortiùs Eccleſia Scoticana Romanam Eccleſiam ſolam matrem & metropolitanam nullo medio recognoſcit.

Apud Hector. Boet. lib. 13. fol. 87.

CAPVT LVIII.

Synopſis.

I. Legatus in Galliam mitti non poteſt niſi ad poſtulationem Regis, vel cum conſenſu ejus. Non poteſt exercere facultates ſuas niſi quatenus Regi placuerit. Intactas præſtare debet libertates regni. Facultates ejus examinantur in ſupremâ Parlamenti curiâ; ubi modificantur, ſi res ita poſcat. Tum demum illis utitur, ſi Rex permittat.

II. Hæc conſuetudo fuit obſervata antiquitus. Oſtendendum eſt illud ipſum exemplis poſteriorum ſeculorum.

III. Cùm anno 1456. Calliſtus III. Legatum deſtinaſſet in Galliam, Rex Karolus VII. jura regia obtendens noluit ei concedere ut Legati auctoritate uteretur. Inſignibus tamen Legati permiſſus eſt uti. Iſta verò ita ſuſcepta à Legato ſunt.

IV. Eundem legationis ſuæ exitum habuit Iulianus Cardinalis, quem Sixtus IV. miſerat ad Ludovicum XI. Magnificè tamen habitus eſt pro more Legatorum.

V. Nicolaus Epiſcopus Mutinenſis cum ampliſſima poteſtate Legati veniens in Franciam, Regi Ludovico XI. in primis ſignificare curavit nolle ſe uti auctoritate ſua abſque conſenſu ejus, neque aliquid agere adversùs jura regni aut libertates & privilegia Eccleſiæ Gallicanæ. Quod literis manu ſua ſubſcripsit confirmavit. Ita permiſſus eſt Legatus uti facultatibus ſuis modificatis & inflexis.

VI. Sixtus mittens iterum Julianum in Galliam, primùm Ludovici Regis conſenſum elicere ſtuduit. Propter iſtum conſenſum, quem Rex præſtitit, Legatus permiſſus eſt uti inſignibus Legati, non tamen in præſentia Regis. Factum id ſalvis juribus & libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ. Qua de re literas ſuas dare juſſus eſt Legatus.

VII. Literæ illæ non extant. Attamen in indiculo Petri Doriolæ Cancellarij refertur Legatum Regi dediſſe literas manu ſuâ ac duorum Secretariorum ſubſcriptas, quibus declarabat gratiam ſibi à Rege factam trahi non poſſe in conſequentiam, neque ex ea ullum præjudicium afferri juribus & privilegiis Regis aut regni.

VIII. Cùm deinde Balua Cardinalis injuſſu & abſque conſenſu Regis præſumeret uti auctoritate Legati in Gallia, multâque inſolenter ageret adversùs ſanctorum canonum reverentiam & mores in Gallia receptos, interceſſit Nanterra, emiſſa appellatione. Tandem tamen Balua uti permiſſus eſt facultatibus ſuis.

IX. Miſſus eſt ad reſtaurandam diſciplinam eccleſiaſticam. Quod cùm aggredi tentaret, onere illo levatus eſt ab Epiſcopis Gallicanis, qui curam illam in ſe ſuſceperunt. Quod indignum viſum eſt Sixto IV. & ſacris canonibus bonæque conſuetudini repugnans. Itaque adversùs eos ſcripſit ad Ducem Borbonij.

X. Inutile eſſet omnia perſequi quæ poſterioribus temporibus acta apud nos erga Legatos ſunt. Reliquum igitur eſt ut nonnulla dicamus de moribus Hiſpanorum. Facultates Legatorum ac Nuntiorum apoſtolicæ ſedis illic examinantur à ſupremo Regis Conſilio, ne quid fiat in rei publicæ diſpendium. Quod probatur auctoritate Didaci Covarruviæ & aliorum auctorum.

XI. Æquum prima fronte videtur ut is qui in provinciam venit cum poteſtate extraordinaria, fidem faciat auctoritatis ſuæ. Legatus ergo non eſt tanquam Legatus recipiendus, niſi primò viſis legationis ſuæ literis. Et ita ſervatur in regno Franciæ, ut obſervat Boërius.

XII. Epilogus eorum quæ dicta hactenus ſunt de Legatis.

I. INTER axiomata libertatum Eccleſiæ Gallicanæ, illud conſtantiſſimum eſt, non poſſe Summum Pontificem mittere in Galliam Legatos à latere, cum facultatibus ampliſſimis, niſi ad poſtulationem Regis, vel cum conſenſu ejus, Legatum porrò uti non poſſe facultatibus ſuis donec ſcripto jurejurandóque pollicitus Regi fuerit non uſurum ſe illis niſi quandiu majeſtati ejus placuerit, deſiturum porrò ſtatim ac certior factus fuerit Regem nolle ut illis ampliùs utatur. Debent etiam Legati jurare nihil ſe facturos adverſus ſancta Decreta, canones Conciliorum generalium, neque adversùs Libertates & Privilegia Eccleſiæ Gallicanæ aut

aut Vniversitatum & Academiarum publicarum istius florentissimi regni. Ea de causa, & quia multa interdum continentur in facultatibus Legatorum quæ moribus nostris & juri recepto adversantur, primùm Summus Pontifex Regem admonet destinasse se in Galliam Legatum, exempli causa, Ioannem, ut consensum ejus eliciat. Dein, cùm Legatus attigit fines Galliæ, nuntium mittit ad Regem cum facultatibus suis, ut videre possit an aliquid in illis contineatur contrarium Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ aut juribus regiis. Quia verò Princeps aliis negotiis occupatus, ista per se examinare non potest, facultates illas mittit ad Parlamentum Parisiense, simul mandans uti eas verificent & actis curiæ inscribant. Parlamenti verò officium est eas diligenter examinare, adnotare si quid deprehenderint illic insertum adversùs vetustos mores & publicam regni disciplinam; si nihil istiusmodi animadverterint, in acta referre; si verò nonnulla repererint emendatione digna, his decernere non teneri Gallos, adeóque modum peregrinis decretis imponere. quod vulgò dicimus modificare facultates Legati. Tum demum, si Rex permittat, Legatus utitur facultatibus suis sic modificatis & inflexis.

II. Hanc consuetudinem fuisse observatam antiquitus jam ostendimus, allatis etiam Bonifacij VIII. verbis, qui nobis istam prærogativam auferre conatus est. Ostendamus nunc illud ipsum exemplis posteriorum seculorum, quibus omnino firmatum est illud caput nostrarum libertatum & regiæ dignitatis.

III. Anno MCCCCLVI. Callistus III. delendo Turcarum imperio intentus Legatum in Gallias misit Alanum Coëtivum Tituli sanctæ Praxedis Presbyterum Cardinalem *ad conquirenda pro tuitione Christianæ fidei opportuna præsidia & classem adversùs immanissimum Turcum ejúsque complices præparandum, publicandum quoque literas apostolicas cruciatæ, & alia magna & ardua negotia.* Cùm ea legatio decreta fuisset inscio Karolo VII. Francorum Rege, ille pro munere suo cavens ne quid res publica detrimenti caperet, literas de legatione Alani publicari in Galliis vetuit, ut Odoricus Raynaldus ait. In literis tamen Callisti ad eum hoc anno datis VII. Kal. Novembr. illud solum continetur, eum *in concedenda publicatione literarum cruciatæ & indulgentiarum difficilem se præbere.* Orat deinde Karolum Pontifex obtestatúrque per viscera misericordiæ Dei nostri ut patiatur prædicari subditis & in regnis ac dominiis suis sanctam Domini crucem literásque super hoc editas solemniter publicari. Quid ad hæc Princeps? Misso Avenionem Ioanne Bastardo Cantore Ecclesiæ Parisiensis, hæc Legato dicenda mandavit. Regiæ majestati jus esse repellendi Legatos apostolicæ sedis, nullum porrò Cardinalem vel alium quempiam Legatum à latere ad se venire posse cum insignibus & auctoritate Legati, neque uti posse potestate & auctoritate Legati, in istius juris possessione semper fuisse Karolum & ejus prædecessores Reges Francorum. Nolle se ut Alanus utatur auctoritate Legati in regno ejus. Attamen se id certis quibusdam de causis Alano tribuere, ut ad se accedat, crucémque ante se deferri faciat in regno, séque Legatum à latere nominet. Ista susscepit Alanus, usurum se illis pollicitus absque præjudicio jurium Regis & regni ac successorum ejus aut Pragmaticæ Sanctionis, infecta decernens quæ forsitan contrà facta ab eo forent. Literas ea de re Cantori dedit Alanus apud Avenionem die prima Ianuarij anni sequentis.

IV. Eundem legationis suæ exitum habuisse Iulianum Roboreum Tituli sancti Petri ad vincula Presbyterum Cardinalem, quem anno MCCCCLXXVI. adversùs Turcas miserat Sixtus IV. ejus patruus, colligi potest ex verbis Odorici Raynaldi; qui ait illum, præter in Galliis acceptos honores, nullum eorum ob quæ missus fuerat ad votum perduxisse. Scilicet obstitit Ludovicus XI. Rex Francorum; ne Legatus amplissima potestate instructus quippiam ageret adversùm jura regni & libertates Ecclesiæ Gallicanæ. Satis porrò dignitati ejus prospectum putavit, si magnificè haberetur pro more Legatorum.

V. Eodem anno Sixtus in Galliam misit Nicolaum Sandonninum Episcopum Mutinensem cum amplissima potestate Legati à latere. Iste verò gnarus jurium majestatis & sacrosancta ea esse, Regi Ludovico XI. significare curavit nolle se uti auctoritate sua absque consensu ejus, neque aliquid agere adversùs jura regni aut libertates & privilegia Ecclesiæ Gallicanæ, petere propterea ab eo uti se sineret uti potestate & facultatibus sibi à Summo Pontifice concessis. Præterea, idem Nicolaus literas sua manu subscriptas Regi dedit, quibus pollicebatur non usurum se in regno facultatibus suis adversùs jura & libertatem regni, nisi quatenus facultates suæ modificatæ erant & restrictæ per auctoritatem regiam. quas modificationes & restrictiones idem Legatus suscepit. His ita gestis, Ludovicus literis datis apud Turones die quarta Ianuarij anni sequentis potestatem Nicolao

Probat. Libert. Eccles. Gall. cap. 23. §. 3.

Odor. Raynal. ad an. 1476. §. 3.

Probat. libert. Eccles. Gallic. cap. 23. §. 4.

Callistus 3. apud Odor. Raynald. ad an. 1456. §. 2.

Ibid. §. 3.

fecit, pro hac vice tantùm, utendi facultatibus suis secundùm modificationes ab eo approbatas; ea tamen adhibita cautione, ut hic regius consensus trahi non posset in consequentiam, neque ex eo quæri aliquod jus posset aut possessio adversùs Regum Francorum majestatem aut jura, sive adversùs libertates & privilegia Ecclesiæ Gallicanæ. Literas porrò Legati, quibus approbaverat modificationes in literis legationis appositas, misit Rex ad Parlamentum Parisiense, hauddubiè ut in acta Curiæ referrentur.

Odor. Raynald. ad an. 1480 §. 33. & seq.

VI. Anno dein MCCCCLXXX. IV. Kal. Maij Sixtus Legatum cum amplissimis facultatibus in Galliam misit Iulianum Presbyterum Cardinalem Tituli sancti Petri ad vincula, cujus suprà meminimus, ut pacem & concordiam revocaret inter Ludovicum Regem Francorum & Maximilianum Ducem Austriæ. Sed antè quàm Legatus iste mitteretur, Sixtus in primis effecerat ut ei mittendo accederet consensus Ludovici, absque quo vanam & inutilem fore legationem pluribus jam experimentis compertum habebat. Itaque Rex, præfatus Legatum apostolicæ sedis in Galliam mitti non posse neque facultatibus suis uti absque consensu Regis, ac considerans istius legationem decretam fuisse cum consensu suo, edicit uti recipiatur velut Legatus à latere, & ut antelatione crucis & ceteris Legatorum insignibus uti ubique possit intra regnum præterquam in præsentia Regis, *fors en nostre presence*. Salvis tamen juribus & libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ & regni. Datum porrò Legatum literas suas patentes & authenticas, quibus declarabit salvas esse nihilo minùs libertates Ecclesiæ Gallicanæ & jura regni.

Probat. Libert. cap. 23. §. 5.

VII. Non extant illæ Legati literæ. In veteri tamen codice MS. Bibliothecæ regiæ extat indiculus manu Petri Doriolæ Cancellarij scriptus, in quo enumerantur acta quæ ipse in Cameram Compotorum detulit die XV. Septembris ejusdem anni de legatione ejusdem Cardinalis. In hoc ergo indiculo, post literas Regis de quibus mox dicebamus, & post instrumentum protestationis factæ à Commissariis Regis, quæ edita est inter Probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, tertio loco compendio describuntur literæ ejusdem Legati datæ in loco sancti Symphoriani Auzonis die secunda Augusti, subscriptæ verò manu ejus & à Sigismundo Secretario Summi Pontificis itémque à Magistro Matthæo Vaillant Secretario Legati. In his ergo literis declarat Legatus permissionem sibi à Rege concessam ut legatione sua uti possit in Gallia trahi non posse in consequentiam, neque ex ea ullum præjudicium afferri juribus & privilegiis Regis aut regni.

VIII. Anno MCCCCLXXXIII. idem Sixtus Legatum in Galliam destinavit Ioannem Baluam Episcopum Albanensem, ut collapsam disciplinam ecclesiasticam restauraret. Quia verò ille, ut erat homo audax, *regnum Franciæ ingressus est licentia vel consensu Domini nostri Regis minimè petita seu habita, ejúsque legatione minimè recepta, nisus est officium suæ legationis exercere, & quæcumque ad jurisdictionem ordinariam Archiepiscoporum &c. spectant & pertinent exercere*, pluráque insolenter agere adversùs sanctorum canonum reverentiam & mores in Gallia receptos, Ioannes Nanterra nomine Regis, qui tum erat Karolus octavus, ab his gravaminibus appellavit *ad sanctissimum Dominum Nostrum Papam Sixtum minùs debitè consultum ad ipsum melius consulendum, ac ad illum vel illos ad quem seu quos de jure provocare & appellare mihi licet.* Acta hæc anno Domini MCCCCLXXXIV. die XX. Augusti. Attamen eo tempore, cùm maximè agitata fuisset hæc causa in sacro Consistorio & in Curia Parlamenti, permissus est Balua uti insignibus Legati, *dempta facultate utendi *** & aliis facultatibus*, uti decretum fuerat circa Cardinalem sancti Petri ad vincula vivente Ludovico Rege.

Odor. Raynald. ad an. 1483. §. 9. seqq.

Probat. Libert. cap. 23. §. 6.

Ibidem §. 5.

IX. Ea tempestate Balua, qui ad revocandam disciplinam ecclesiasticam missus à Sixto erat, gravem in Galliis contradictionem passus est in hoc capite. Episcopi enim alicubi congregati eam curam ad se revocarunt, insuperhabita Legati potestate. Is verò cum querelam ea de re suam ad Pontificem detulisset, licèt in hoc Gallicanorum Episcoporum facinore *pietatis aliqua affulgeret species*, ut ait Odoricus Raynaldus, *altius tamen rem penetranti Pontifici indignum visum est* ista ab Episcopis tentari, absurdúmque illud esse & sacris canonibus bonæque consuetudini repugnans. Itaque dolorem suum propter istam Episcoporum Gallicanorum audentiam perscripsit ad Ducem Borbonij, hortatus eum ut huic rei & incœpto maximè improbando obsisteret. Præstat autem integram epistolam referre, plenam videlicet antiqui moris. Sic ergo illa habet apud Odoricum Raynaldum.

Odor. Raynald. an. 1483. §. 10.

Intelligimus electos esse nonnullos Prælatos in defensores & reformatores Ecclesiæ Gallicanæ. Quod cùm sit absurdum, & sacris canonibus bonaque consuetudini repugnans, possítque ea res motus & perturbationes excitare & pessimo exemplo esse, hortamur nobilitatem tuam ut suam in

hoc pietatem, quemadmodum in aliis fecit & factura esse videtur, erga hanc sedem ostendere velit & huic rei & incæpto maximè improbando obviare, ne locum habeat. Ad nos enim spectat, si quid Ecclesiæ Gallicanæ deest, providere, qui & possemus & volumus, opportunè procurare & agere quæ necessaria ad illius defensionem essent &c. Datum Romæ die XXIV. *Decembris* MCCCCLXXXIII. *pontificatus nostri anno* XIII.

X. Inutile esset omnia persequi quæ posterioribus temporibus acta apud nos erga Legatos sunt. Quippe ista diligenter collecta à clarissimo viro Petro Puteano, in omnium manibus versantur. Præterea, illustrissimus Archiepiscopus ista, breviter quidem, sed tamen satis accuratè executus est in libro sequenti, ut necesse non sit ea heic repetere. Reliquum igitur est ut nonnulla dicamus de moribus Hispanorum, qui vicini nobis sunt, & qui licèt à nobis in plerisque dissentiant, in hoc tamen consentiunt quòd Legatorum & Nunciorum facultates apud eos examinantur in Consilio Regis. Auctor enim est Didacus Covarruvias apud Hispanos potestatem seu facultatem Legatorum seu Nuntiorum apostolicæ sedis examinari, *ut admoneri possint à summo Regis prætorio*, inquit, *quibus uti conveniat dispensationibus & commissionibus, ne quid fiat in Reipublicæ dispendium, cùm plerunque Nuntij apostolici exteri sint, nec satis noverint quæ sint præcavenda, nefalsis precibus & suggestionibus decipiantur.* Addit Franciscus Salgadus ex Enrique, quòd quando Nuntius aut Legatus à latere mittitur in Hispaniam à Summo Pontifice, in more habet Senatus Regis petere ut ostendat facultates commissas à Pontifice, non animo examinandi idoneitatem personæ missæ, sed ut hunc jubeat quem literis patentibus constat esse Nuntium aut Legatum Papæ, & ut adhibeatur ei fides in iis quæ pertinent ad munus suum.

Fide infrà lib. 6. cap. 11. §. 8.

Covarruvias cap. 31. practicar. quæst. §. 4.

Fr. Salgad. in Tractatu de supplicat. fol. 27 §. 52.

XI. Sanè æquum prima fronte videtur ut is qui in provinciam venit cum potestate extraordinaria, fidem faciat auctoritatis suæ per literas ejus à quo mittitur. Legatus ergo, ut rectè adnotat Nicolaus Boërij, priùs non est tanquam Legatus recipiendus, nisi primò visis suæ legationis literis. Cùm enim nunquam apostolicæ sedis moris fuerit absque apicibus undecunque legationem suscipere, nec alij etiam sine literis suos recipere coguntur; ut adnotat idem Boërius. Deinde addit: *Et ita servatur hic in regno Franciæ: quia antequam intret regnum, & suo utatur legationis officio, jurat servare jura regni intacta & ordinationes regias. Et ejus potestas solet in suprema Parlamenti Parisiensis curia registrari.*

Nic. Boër. in Tractatu de pot. Leg.

à latere. §. 28. Vide etiam Thomam à Turri in Tract. de auctor. Legator. lib. 1. §. 3.

Ibid. §. 31.

XII. Hactenus ergo egimus de dignitate & auctoritate Legatorum sedis apostolicæ, quomodo ab exiguis primùm initiis profecta, magnis subinde incrementis aucta, deinde paulatim viluerit apud Francos & alias Christiani nominis nationes. Vidimus ingentes Pontificum Romanorum ac Legatorum conatus uno seculo frustra fuisse, alio valuisse. Deploravimus insatiabilem & inverecundam quorundam cupidinem & avaritiam, qui abjecta omni modestia & reverentia religionis, nihil reliquum fecerunt ut ad magnas opes pervenire possent, quocunque tandem modo per fas seu nefas pararentur. Laudavimus deinde sanctas illas beatorum hominum mentes, qui manus suas abstinentes à muneribus & donis, castè & incorruptè provincias cum summa auctoritate administrarunt. Descendimus postea ad consensum Regum, quatenus Legatis necessarius est in explicatione potestatis eorum, & ad morem in regno Franciæ & alibi usurpatum circa eorum facultates. Hæc autem omnia executi sumus amore veritatis, non odio privato, neque ea mente ut in quemquam simus contumelioſi. Nobis semel destinatum est nemini injuriam aut contumeliam inferre. Quòd si ista feliciter & utiliter scripta sunt, Deo, à quo est omne bonum datum optimum, gratiæ agendæ sunt. Sin verò res bono consilio suscepta, malo exitu finita est, meminerit lector hominem me esse, multáque mihi deesse quæ necessaria sunt ei qui res tam arduas tractare in animo habeat. Hos tamen conatus meos publicæ utilitatis causa susceptos æqui bonique consulat.

ADDENDA.

CAPITE LI. §. XIV. *linea* XXIII. *ante illa verba*, Hinc factum, *adde*. Immo mittens anno MCCCI. in Hungariam Nicolaum Episcopum Ostiensem, ei concessit potestatem *compellendi* Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, & ceteros ecclesiastici ordinis viros, etiam monachos exemptos & non exemptos, *per censuram ecclesiasticam ad contribuendum in procurationibus tibi debitis, nonobstantibus quibuslibet pri-*

vilegiis & indulgentiis. Et ad illos quos nominavimus de ea re ſcribens, ſeriò monet ut procurationes hujuſmodi exhibeant Legato. *Alioquin*, inquit, *ſententiam quam idem propter hoc rite tulerit in rebelles, ad quod ei plenam concedimus auctoritate præſentium poteſtatem, ratam habebimus & faciemus auctore Domino uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Nonobſtantibus ſi aliquibus eſt ab eadem ſede indultum quòd Legatis vel Nuntiis ſedis ipſius aliquam procurationem exhibere, vel in ipſa contribuere, niſi ad eos declinaverint, minimè teneantur.* Hinc factum ut ſequenti tempore &c.

Capite LII. §. XVIII. *in fine, ante illa verba*, His ita enarratis, *adde quæ ſequuntur.*

XIX. Itaque ut colligamus quæ hactenus de hoc argumento dicta à nobis ſunt, illud certum eſſe videtur, veſtes Romanorum Pontificum fuiſſe olim purpureas, illas verò communicatas fuiſſe cum Legatis ad augendam eorum dignitatem & reverentiam. Verùm ut res iſta apertior evadat, addendum eſt teſtimonium ex ſeculo Bonifacij octavi. Miſit ille Legatum in Hungariam Nicolaum Epiſcopum Oſtienſem anno trecenteſimo primo ſupra milleſimum. Vt autem negotia ob quæ mittebatur exequi poſſet cum majori auctoritate, ei conceſſit uti inſigniis quæ concedi ſolebant Legatis qui miſſi de latere mare tranſibant, id eſt, purpureis talaribus & veſtimentis & reliquis gloriæ ac faſtus inſignibus. Hæc ſunt ejus verba: *Et ut circa legationis officium, quod in eodem regno Vngariæ tibi duximus committendum, eò poſſis proſperare facilius quò ſolitis Legatorum qui miſſi de latere mare tranſeunt adornatus inſignis perſonam noſtram quodammodo præſentabis, de ſpeciali gratia apoſtolica tibi auctoritate concedimus ut eiſdem inſigniis infra prædictum Vngariæ regnum duntaxat uti liberè valeas.* Primùm, hinc colligitur ei Legato dari facultatem utendi apoſtolicis paramentis atque inſigniis, quòd ait Bonifacius illum, his utendo, perſonam ſuam quodammodo repræſentaturum. Sed præterea in lemmate quod epiſtolæ illi appoſitum eſt in vetuſtiſſimo codice M S. Bibliothecæ regiæ, in quo continentur Bullæ iſtius legationis, iſta leguntur, quæ omnino evincunt inſignia Legatorum nihil aliud fuiſſe quàm imitationem veſtium & ornamentorum quibus indui ſolebat Romanus Pontifex in ſede majeſtatis, id eſt, inſignia Papalia. Nam his verbis conceptum eſt, uti diximus, lemma illius epiſtolæ in codice regio: *Littera legationis, & quòd poſſit uti inſigniis Papalibus. Et dirigitur ipſi Legato.* His ita enarratis &c.

HVC VSQVE BALVZIVS.

LIBER SEXTVS.

CAPVT PRIMVM.

Synopsis.

I. Agitur in hoc libro de auctoritate Conciliorum provincialium & nationalium. Dissertatio isthæc bifariam dividitur. Primùm ergo agetur de ordinationibus Episcoporum. Tum de administrationibus.

II. In Ecclesia unicus est episcopatus; cujus portio unicuique Episcopo commissa est. Genuinus Cypriani sensus indicatus.

III. Portionum distributio fluxit à jure apostolico. Probatur ex Actis Apostolorum. Præscripta ab iis forma regiminis, sub unius præsidentia. Retenta nimirum civili Imperij dispositione in distribuendis provinciis.

IV. Probatur auctoritate sanctorum Petri & Pauli. Iudæi, Hellenistæ & Græcanici dicti. Eorum Patriarcha Babylone degebat. Inde scripta prima epistola canonica B. Petri; cujus auctoritate probatur Ecclesiæ in provincias facta distributio ab Apostolis. Quod etiam probatur ex variis locis D. Pauli.

V. Exponitur consilium Apostolorum in constituendis Episcopis metropoleon. Ad eos pertinet ordinatio Episcoporum provinciæ. Probatur ex Paulo, Hieronymo, & Chrysostomo.

VI. Asiæ proconsularis metropolis, Ephesus. Provincia ecclesiastica fuit ipsis Apostolorum temporibus; ex Apocalypsi Ioannis, ex D. Paulo, ac etiam ex Actis Apostolorum.

VII. Nobile argumentum metropolitici juris exstat in epistola ad Corinthios. Achaia jam ætate Pauli provincia ecclesiastica erat, metropolis Corinthus. Ecclesiæ apostolicæ, magnæ apud veteres auctoritatis. Præclara Augustini regula.

VIII. Investigatur ratio quæ Apostolos impulit ad sequendum exemplum Imperij in instituendis Metropolitanis. Ea petitur ex Concilio Antiocheno. Hierosolyma subjecta Episcopo Cæsareæ Palæstinæ. De patriarchatu Hierosolymitano.

IX. Veteres tamen hanc provinciarum divisionem vetustæ consuetudini tribuerunt. De jure metropolitico trium præcipuarum metropoleon, Romanæ, Alexandrinæ, & Antiochenæ.

X. Objicitur, divisionem quæ deprehenditur in subscriptionibus veterum Conciliorum, ei similem esse quæ ab Imperatore Constantino peracta est.

XI. Respondetur, innovationem quidem circa provincias evenisse post Apostolorum tempora, sed quæ tamen illam metropoleon institutionem non abolevit. Sectis videlicet provinciis in plures provincias.

XII. Nova provinciarum divisio introducta à Constantino, sub nomine Diœceseon.

I. VT statum politiæ ecclesiasticæ istius regni intelligamus, necessarium est ut agamus de auctoritate Conciliorum provincialium & nationalium, in quibus causas tractari mos fuit. Quia verò res quæ in his synodis agitabantur, aut ordinationes respiciebant, aut administrationem, ut Concilij Constantiensis verbo utamur, id est, aut episcopatuum, monasteriorum, aliorúmque Beneficiorum provisionem, aut jurisdictionem contentiosam, & decreta canonica, dissertationem istam in duas partes distribuam: quarum prima aget de ordinationibus, secunda autem de administrationibus. Atenim quoniam ad plenam hujus materiæ cognitionem perveniri non potest, nisi priùs perspecta fuerit origo divisionis provinciarum, quid mihi in mentem venerit, exponam, velut in argumento difficili & obscuro, cuique multum inest curiosæ eruditionis.

II. Sicut Ecclesiæ corpus unum est, divisum in plurima membra per universum orbem, ita unicus est in ea episcopatus, qui ubique diffusus est in concordia plurium Episcoporum; qui si tanquam corpus aliquod considerentur, episcopatum integrum tenent in solidum. Portio tamen quædam gregis unicuique Episcopo tributa est, ut eam ducat & gubernet singulariter, secundùm caritatem nihilominus & communionem quæ universo corpori debetur: ne si unitas relinquatur, Episcopus ille qui abscess-

Cyprian. lib. 3. ep. 13. lib. 4. ep. 2. & 3. & libro de unitate Ecclesiæ.

ſerit à corpore areſcat velut rivus qui ab origine ſua deflexerit, & in modum rami à trunco & radice reciſi marceſcat. Ea eſt doctrina quam D. Cyprianus in diverſis epiſtolarum ſuarum locis docet; cujus genuinum ſenſum expoſui, quem alij in diverſum traxerunt prout varij fuerunt affectus eorum qui loca illa protulerunt.

III. Hæc portionum diſtributio, quæ diverſis Epiſcopis commiſſæ ſunt, fluxit à jure apoſtolico. Etenim quando Apoſtoli fundabant Eccleſias, tametſi Epiſcopo ordinato conferrent cum impoſitione manuum omnem poteſtatem ordinis & juriſdictionis, tamen ei locum aſſignabant ubi munus ſuum impleret. Satis manifeſtè id ſcriptum eſt cap. xx. Actorum, ubi legimus Spiritum ſanctum conſtituiſſe Preſbyteros, ſive Epiſcopos, ad regendam gregis certam portionem: *In quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Sed quoniam Eccleſia regenda eſt juxta unitatem, neceſſarium fuit inſtitui ab Apoſtolis modum quendam communionis inter Epiſcopos, ſecundùm exemplum à Chriſto datum in inſtitutione collegij apoſtolici, quod univerſum Eccleſiæ corpus repræſentabat; ideóque præſcribenda fuit ab iis forma regiminis, ariſtocratici nimirum, ita ut unus præſideret. Præclara ſunt in hanc rem verba Leonis Papæ I. ex epiſtola ejus LXXXVIII. *Inter beatiſſimos Apoſtolos in ſimilitudine honoris fuit quædam diſcretio poteſtatis; & cùm omnium par eſſet electio, uni tamen datum eſt ut ceteris præmineret. De qua forma Epiſcoporum etiam orta eſt diſtinctio; & magna diſpoſitione proviſum eſt ne omnes ſibi omnia vendicarent, ſed eſſent in ſingulis provinciis ſinguli quorum inter fratres haberetur prima ſententia, & rurſus quidam in majoribus urbibus conſtituti ſolicitudinem ſuſciperent ampliorem, per quos ad beatam Petri ſedem univerſalis Eccleſiæ cura confluëret.* Obſervatum id ab Apoſtolis in infantia Eccleſiæ: qui ſapienter in Eccleſia retinuerunt civilem Imperij Romani diſpoſitionem, in quo Dei religio faciliùs ſuſcepta eſt quàm apud gentes barbaras; adeo ut cùm Imperij corpus in provincias tributum eſſet, orbem quoque & ipſi eccleſiaſticum in provincias partiti ſint. Rurſum cùm in Imperio provinciæ contributæ eſſent cuidam civitati primariæ, quæ metropolis dicebatur, apud quam magiſtratus ſubjectorum cauſas judicabant, & quò propterea populi frequentiùs conveniebant, quòd ſingulari quodam jure ceteræ civitates à matrice penderent, Apoſtoli itidem Epiſcopos in civitatibus conſtituerunt, eo videlicet ordine, ut penderent ab Epiſcopo in metropoli ſive urbe primaria conlocato. Hæc eſt mea ſententia circa conſtitutionem metropoleon; quam cùm aliqui Petro & Eccleſiæ Romanæ acceptam referri debere cenſeant, alij ex jure divino deſcendiſſe, quidam tamen ad veteſtam Eccleſiæ conſuetudinem referunt. Temperamenti loco eſſe poteſt vera ſententia, nimirum, conſilium illud generale diſtribuendi epiſcopatus in provincias & metropoles ex traditione apoſtolica eſſe, cujus clara documenta extent in ſacra ſcriptura, ſed executionem, & in tot provincias ſectionem, ex conſuetudine eccleſiaſtica fluxiſſe.

IV. Igitur duo quædam docui, deſumpta ex ipſis ſacræ ſcripturæ verbis. Ac primùm quidem ſcripſi, Apoſtolos orbem eccleſiaſticum in provincias diſtribuiſſe, ad exemplum diſpoſitionis civilis quæ per illas tempeſtates vigebat in Imperio. Sententiam illam luculenter probamus auctoritate ſanctorum Petri & Pauli: quorum primus, cùm deſtinatus fuiſſet ad erudiendos Iudæos, jámque in Iudæa evangelium prædicaſſet, curam ſuam convertit ad Iudæos, tum primæ diſperſionis, tum ſecundæ, quos Helleniſtas aut Græcanicos ideo vocari mos erat quòd diſperſi eſſent in provinciis Græcorum ſive gentilium. Abiit itaque Alexandriam, quæ Ægypti metropolis erat, & in qua habitabant Iudæi ſecundæ diſperſionis; inſtitutóque illic Epiſcopo Marco Evangeliſta, Antiochiam profectus eſt, atque hinc Babylonem, ubi degebat hereditarius Patriarcha Iudæorum primæ diſperſionis. Ea in urbe conſtitutus ſcripſit epiſtolam primam canonicam; ut patet ex ſubſcriptione, quæ ſic habet: *Salutat vos Eccleſia quæ eſt Babylone.* Tametſi enim veteres exiſtimaverint D. Petrum vocabulo Babylonis ſignificaſſe urbem Romam, probabilis eſt Scaligeri conjectura, qui ex ipſa Babylone ſcriptam à Petro putat epiſtolam hanc ad Iudæos diſperſos qui habitabant in provinciis quarum ſynagogæ pendebant à Patriarcha Babylonico. Vtcunque ſe res habeat, conſtat eam eſſe datam ad novos Chriſtianos diſperſionis provinciarum Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Bithyniæ, & Aſiæ, id eſt, Chriſtianis totidem provinciarum Imperij Romani. Patet igitur principem Apoſtolorum Chriſtianos per provincias compellaſſe; atque id eò magis placet, quòd diſtributio illa in his regionibus perſeveraverit primis Eccleſiæ ſeculis. Quippe ſemper habuimus provinciam Bithyniam, in qua Nicomedia metropolis, provinciam Cappadociam, cujus metropolis erat Cæſarea, provinciam Ponti, & metropolim ejus Amaſeam, provinciam denique Aſiæ proconſularis, cujus metropolis

fuit Ephesus. Nam quod ad Galatiam attinet, quæ provincia Romana erat, cujus metropolis Ancyra, sanctus Paulus in universum scribit ad Ecclesias Galatiæ. Hinc itaque factum ut ob epistolam illam ad Galatas & per consequentiam ad cives metropolitanæ civitatis Ancyræ à Paulo scriptam, urbis illius Ecclesia apostolica dicatur à veteribus; quemadmodum legimus in epistola Papæ Iulij ad Orientales, quæ extat apud Athanasium. In diversis quinetiam locis epistolarum D. Pauli deprehenditur distributio Ecclesiarum in provincias, veluti Ecclesiarum Macedoniæ, & Ecclesiarum Asiæ; & quod magis notandum est, in epistola ad Romanos, provinciarum Macedoniæ & Achaïæ nomine comprehenduntur Ecclesiæ illarum provinciarum.

Paulus ep. ad Gal. c. 1. & 1. Cor. c. 16. meminit collectarum quæ fiunt in Ecclesiis Galatiæ.

1 Cor. c. 8. 1. Cor. c. 16. Rom. c. 15. Probaverunt Macedonia & Achaia collationem aliquam facere in subsidia sanctorum qui sunt in Ierusalem.

V. Superest nunc ut probemus aliam observationem, nimirum Apostolos, quum Ecclesias distribuerent in provincias, in animo habuisse ut in iis corpus Episcoporum statueretur sub præsidentia Episcopi metropoleos. Evidens ejus rei argumentum extat in epistola Pauli ad Titum; ubi scribit se illum reliquisse Cretæ, ut constitueret Presbyteros per civitates. Ecce Metropolitani institutionem. Atque is quidem habet auctoritatem ordinandi Presbyteros, id est, Episcopos, juxta interpretationem ipsiusmet Pauli in versiculo sequente, sancti Hieronymi, sancti Ioannis Chrysostomi, & aliorum veterum; ita tamen ut eos ordinet in unaquaque urbe, κατὰ πόλιν. Ecce integrum consilium politiæ ecclesiasticæ. Episcopi in urbibus provinciæ; qui ab uno quodam Episcopo ordinantur, quamvis cum consortio suorum collegarum, *per impositionem manuum presbyterij*. Vniversi quidem Episcopi manus imponunt Episcopo; sed uni tantùm competit jus tribuendi vim ordinationi, veluti Tito apud Cretam, & ad exemplum illius, unicuique Metropolitano in sua provincia. Creta porrò provincia erat Imperij Romani; cujus metropolis erat Gortyna, quæ prærogativam illam semper in Ecclesia servavit.

Epist. ad Tit. c. 1. Reliqui te Creta, ut constitues per civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi.

VI. Asia proconsularis, quæ vigesima tantùm pars erat ejus quam Strabo & Geographi nuncupant Asiam minorem, provincia item Imperij erat; cujus metropolis erat Ephesus, ut habetur apud Vlpianum. Illic Apostoli constituerant corpus Episcoporum in modum provinciæ; quemadmodum colligitur ex capite primo Apocalypseos, ubi literæ scriptæ sunt septem Angelis vel septem Episcopis Asiæ, quorum unus erat Ephesinus. Haud absimili instituto Paulus instruens Asianos, epistolam suam scribit ad Ephesios, quæ Asiæ metropolis est; ut adnotat sanctus Ioannes Chrysostomus in suis ad epistolam illam commentariis. Sed & in Actis legimus Apostolum Ephesi commoratum esse per biennium, atque illic erudiisse in fide Iudæos & Gentiles Asiæ; adeo ut Demetrius aurifex, instituta adversùs illum accusatione, asseveraverit eum innumeram hominum multitudinem in errorem traxisse, non solùm ex civibus Ephesi, sed ex Asia universa. Rectè itaque Paulus apud Miletum consistens, convocatis Presbyteris Ephesi, dixit: *Vos scitis quia à prima die qua ingressus sum in Asiam*, & cetera quæ sequuntur.

L. 6. ff. de offic. Proconf.

Apocal. c. 1. Mitto septem Ecclesiis quæ sunt in Asia: Ephesi, & Smyrnæ, & Pergami, & Thyatiræ, & Sardis, & Philadelphiæ, & Laodiciæ.

Actor. c. 19. & 20.

VII. Nobile argumentum metropolitici juris à Paulo observati colligitur ex epistola ejus ad Corinthios. Vrbs illa metropolis erat Achaïæ, ut Florus adnotavit. Ideo igitur Paulus epistolam suam ad Corinthios scribit, non solùm pro illis, sed etiam pro fratribus qui sunt in Achaïa. Typus heic est provinciæ ecclesiasticæ sub sua metropoli constitutæ, ad exemplum Imperij: ísque ordo in Achaïa viguit, Corinthúsque semper habita est metropolis ecclesiastica Achaïæ, quandiu Christi nomen illic in honore fuit. Neque dubito quin vel unicum illud exemplum sufficiat ad ostendendum divisionem provinciarum ex institutione apostolica esse. Sed tamen præterea epistola ejusdem Pauli ad Thessalonicenses scripta est pro illis & pro fratribus qui sunt in Macedonia, quòd urbs illa esset metropolis civilis Macedoniæ. Affirmare igitur licet, sic Christianorum curam gessisse Apostolum, tanquam jam in corpus provinciæ distributorum, sub metropoli Thessalonicensi, quæ dignitatem suam retinuit in laterculo Ecclesiæ. Non me latet, Ecclesias illas, de quibus sermonem instituí, magnæ apud priscos auctoritatis fuisse, ob hoc quòd essent apostolicæ, hoc est, ab Apostolis fundatæ; apud quas existimaverunt veræ fidei traditionem fuisse conservatam. Sed aliud mihi nunc onus incumbit; neque aliud in præsentiarum ostendere cupio quàm id fuisse Apostolorum consilium, ut Ecclesias in provincias secarent. Consilium illud non latuit Tertullianum; qui in libro de Præscriptionibus hæreticos ad traditionem apostolicarum Ecclesiarum vocans, hæc ait: *Proxima est tibi Achaïa? habes Corinthum. Si non longè es à Macedonia; habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere; habes Ephesum. Si autem Italiæ adjaces; habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præsto est.* Episcopum Carthaginis fuisse caput provinciarum Africæ & Numidiæ, & Galliarum Hispa-

Florus lib. 2. c. 16. 2. Cor. c. 1. Ecclesia Dei quæ est Corinthi, cum omnibus sanctis qui sunt in universa Achaïa.

Ep. 1. ad Thessalon. c. 4.

Videinfrà lib. 7. cap. 4. §. 7. 8. & cap. 16. §. 6. & seqq.

niarúmque Episcopos in provincias fuisse distributos, legimus apud Cyprianum. Quare secundùm propositam ab Augustino regulam affirmare oportet id ex traditione apostolica esse quod ab initio Ecclesiæ observatum, à nullo tamen generali Concilio præscriptum fuit.

VIII. Quæ ratio Apostolos impulerit ad imitandum in sua illa provinciarum institutione exemplum Imperij, præclarè admodum explicavit Synodus Antiochena: quæ Metropolitanos ait institutos esse in civitate quæ provinciæ caput erat, quoniam in illam omnes confluunt pro negotiorum suorum utilitatibus: *Propter quod ad metropolim omnes undique, qui negotia videntur habere, concurrunt.* Opportunitas itaque & commoditas populorum effecit ut in Ecclesia ratio haberetur dignitatis quam civitas illa obtinebat in Imperio. Atque in ea parte adeo religiosi fuere veteres ut tametsi magna esset eorum reverentia erga urbem Hierosolymorum, (quæ metropolis fidei erat, ut cum Cyrillo loquar; & ubi sanctus Iacobus Apostolus episcopatus munia exercuerat; quam ob rem eorum Episcopus eo in honore erat, ut primum post Episcopos Romæ, Alexandriæ, & Antiochiæ locum teneret) nihilominus, quantum ad jurisdictionem, subjectus erat Episcopo civitatis Cæsareæ Palæstinæ, ut constat ex canone septimo Synodi Nicænæ. Neque obscura hujus institutionis ratio est. Nam Cæsarea provinciæ illius caput & metropolis erat, jam inde à temporibus Vespasiani: qui post excisa Hierosolyma proconsulatum Iudææ transtulerat Cæsaream, ut in Constitutione Novella CIII. Imp. Iustiniani adnotatum est. Nam si translatio illa facta non fuit statim post relegationem Archelai Regis Iudæorum, in cujus contumeliam regnum illud publicatum, fisco Imperij addictum est, quî fieri potuit ut Proconsul, spretis Hierosolymis, apud Cæsaream urbem maritimam moraretur? quod ex actis Apostolorum liquet. Episcopus sanè Hierosolymitanus semper subjectus fuit Episcopo Cæsareæ, donec Hierosolymorum episcopatus in patriarchatum erectus est auctoritate rescriptorum Imp. Theodosij; tributis videlicet huic novo patriarchatui provinciis Phœniciæ, Arabiæ, & Palæstinæ, à patriarchatu Antiocheno resectis. Sed cùm huic institutioni intercessissent Patriarchæ Antiocheni, certamini illi finem fecere conventiones inter Iuvenalem Episcopum Hierosolymorum & Maximum Antiochenum initæ; quibus placuit ut Phœniciæ duæ & Arabia Maximo redderentur, tres verò Palæstinæ ad Diœcesim Episcopi Hierosolymitani pertinerent. Conventiones illas approbavit Synodus Calcedonensis, & Iudices item imperiales.

Concil. Antioch. c. 9.

Tacit. lib. 11. Histor. ait Cæsaream esse Iudææ caput.

Concil. Calcedon. Act. VII.

Hoc Metropolitanorum in primariis provinciarum urbibus constituendorum consilium secutus est Isidorus Mercator in sua Collectione. in quam etiam sententiam iverunt Ioannes VIII. Leo IX. & Gregorius VII. Pontifices Romani, & Gratianus in Decreto Dist. LXXX. & XCIX.

Ioan. VIII. ep. 11. Leo. IX. ep. 4. Gregor. VII. lib. 1. ep. 15. & lib. 2. ep. 1.

IX. Enimvero licèt, ut ego quidem existimo, formam distribuendarum provinciarum & Metropolitanorum instituendorum Apostoli tradiderint; quia tamen id nullibi in sacris Scripturis præceptum est, & præterea executio & singularis institutio processu dein temporis facta est Episcoporum curâ, qui Ecclesiis apostolicis præsidebant fundatis ab Apostolis, duo quædam notatu valde digna contigere. Primùm enim inde factum est ut veteres hanc provinciarum divisionem, non ipsis Apostolis, sed patribus & vetustæ consuetudini tribuerint. Vnde pariter factum ut Episcopi magnarum urbium, cùm Episcopos ad novas provincias fundandas mitterent, eximium quoddam jus in ceteras Ecclesias sibi reservaverint; quod ei privilegio respondebat quo ratione originis potiuntur erga colonias à se deductas eæ urbes quæ inde *Matres* appellantur à veteribus. Ius autem illud situm erat in quodam veluti obsequio & reverentia; quæ validiora erant vel remissiora inter Ecclesias juxta uniuscujusque possessionem, quam servari præcipit Concilium Nicænum canone sexto.

Vide lib. 1. cap. 8.

Episcopi trium magnarum urbium Imperij Romani, Romæ videlicet, Alexandriæ, & Antiochiæ, jure illo singulari potiebantur in pleraſque provincias, ut ceteris præminerent. Episcopus enim Romanus Episcopos instituit in Italia, Galliis, Hispaniis, Africa, & Insulis. Quam ob rem, provinciarum illarum Episcopi suum caput esse Romanum fatebantur, ut scribit Innocentius primus in epistola ad Decentium Eugubinum. Ob eandem causam Ægyptus Episcopum Alexandriæ velut Patriarcham suum agnoscebat; & provinciæ Diœceseos orientalis Antiochenum. Præterea ceteræ Ecclesiæ apostolicæ, tametsi ab eorum Episcoporum patriarchatu non penderent, magnos illis honores habebant, contemplatione dignitatis urbium in quibus illi erant instituti, & ob reverentiam Petri episcopatus eorum institutoris. Nam Roma erat orbis domina; Alexandria, secunda Romani Imperij civitas, eò quòd Ægyptiaci regni caput esset; Antiochia

chia verò, tertia, quòd Regina Orientis esset, in eáque Reges Seleucidarum sedes fixissent; ut testantur Strabo, Herodianus, aliíque veteres.

X. Attamen dissimulanda non est insignis difficultas quæ nostram hanc opinionem de distributione provinciarum ab Apostolis facta impugnare videtur, eo videlicet argumento, quòd divisio quæ deprehenditur in subscriptionibus Concilij Nicæni, Ephesini, & Chalcedonensis, omnino similis est ei quæ ab Imperatore Constantino peracta est in Imperio, ita ut & provinciæ & Diœceses ecclesiasticæ, id est, magna illa provinciarum inter se conjunctarum corpora, similes sint iis quas Constantinus in Imperio instituit, quando creavit Præfectos prætorio & eorum Vicarios. Vnde factum ut Concilium Constantinopolitanum Trium Diœceseon, *Asianæ, Ponticæ, & Thracicæ*, mentionem faciat, præter Diœceses Orientis & Ægypti. Occidens insuper duas in Italia Diœceses habebat, unam in Galliis, aliam in Hispania, aliam item in Africa, ac demum in Illyrico unam.

XI. Adversùs hæc argumenta excipi potest, post Apostolorum tempora innovationem quandam circa provincias evenisse: quæ tamen veterem illam metropoleon institutionem non abolevit, sed auxit, eámque illustriorem fecit. Primùm enim provinciæ quæ immensùm patebant, in duas vel tres in laterculo Ecclesiæ sectæ sunt post Apostolorum tempora, cùm id in Imperio factum fuisset ab Imperatoribus pro utilitate Reipublicæ. Exempli causa; Africa, quæ ab uno tantùm Metropolitano regebatur, id est, Episcopo Carthaginis, divisa est in sex provincias ecclesiasticas. Galatia, quæ vivente Paulo una tantùm provincia fuit, in primam dein & secundam secta est in Imperio & in Ecclesia. quod evenit etiam Cappadociæ & Ponto. Idem quoque factitatum in Gallia; quæ cùm ab Augusto divisa esset in partes quatuor, in plures dein ab Hadriano secta est, diù tamen antè quàm Dei religio per omnem Galliam suscepta esset.

XII. Excipi dein potest, novum diversarum provinciarum simul conjunctarum corpus à Constantino introductum esse sub nomine Diœceseon, eíque formulæ se addixisse patres Constantinopolitanos in administranda Ecclesia; ut patet ex canone secundo Concilij Constantinopolitani, & ex Socrate, qui ait Imperatorem approbasse hanc provinciarum ecclesiasticarum unionem; extátque ejus de ea re lex in Codice Theodosiano. Quin & Theodoretus hanc divisionem Diœceseon Concilio Constantinopolitano tribuit in epistola ad Flavianum. Ea tamen cautio adhibita est in illa provinciarum unione quæ Diœcesim conficiebant, ne quid decideret de juribus provinciarum à Concilio Nicæno confirmatis; iis tantùm exceptis quæ infrà explicabo.

Socrates lib. 5. c. 8.

l. 1. Cod. Theodos. de fide cathol.

CAPVT II.

Synopsis.

I. Concilia quædam provincialia fortuitò congregabantur, videlicet pro peragendis electionibus & ordinationibus Episcoporum. Alia verò certa erant, & canonum decretis statuta: in quibus causæ ecclesiasticæ definiebantur.

II. Primum illud conventuum genus, Concilium est. Ex Hincmaro, & Concilio Antiocheno. In Conciliis hujusmodi, electiones discutiebantur, non peragebantur.

III. Quod in Oriente obtinuit, & in Occidente. Aliter tamen visum quibusdam viris eruditis: quorum sententia refellitur.

IV. Episcopi, ante Concilium Nicænum, clerò ac plebis suffragio eligebantur; ex Cypriano, Concilio Nicæno, Constantino Imperatore, & aliis.

V. Confirmatio electionis pertinebat ad Metropolitanum & ad Episcopos comprovinciales. Suffragium fraternitatis, & judicium Episcoporum, *apud Cyprianum, explicantur. Vsus ille ascendit* de traditione divina & apostolica observatione, *ex Cypriano.*

VI. Eadem consuetudo vigebat etiam post Concilium Nicænum. Probatur ex Concilio Chalcedonensi, & ex Justiniano. Genuinus sensus canonis XIII. Laodiceni explicatus.

VII. Græcis tandem placitum ut Episcoporum electiones à solis provinciæ Episcopis fierent. Ita visum patribus secundæ Synodi Nicænæ. Detegitur hallucinatio Zonaræ, Balsamonis, & Matthæi Blastaris. Vox χειροτονίας apud auctores ecclesiasticos significat semper ordinationem.

VIII. Robustius laïcos ab electionibus Episcoporum removit Octava Synodus, cujus ea de re canon extat in versione Anastasij.

IX. In Occidente, serò laïci excluſi sunt ab electionibus Episcoporum. Ius illud translatum ad Canonicos Ecclesiarum cathedralium sub finem seculi duodecimi. Reges tamen Francorum fruebantur quibusdam privilegiis, quæ explicantur.

X. Ex iis quæ dicta sunt deprehenditur verus sensus Concilij Nicæni primi. Dionysius Exiguus χειροτονίαν vertit ordinationem.

XI. Electio Episcopi approbari debet ab Episcopis provinciæ. Ordinatio autem à tribus saltem Episcopis est peragenda. Confirmatio, sive τὸ κυρος, pertinet ad Metropolitanum. In dissidio obtinere debet sententia plurimorum.

XII. Decretum electionis scripto fiebat. Judicium, & dein ordinatio, ad Metropolitanum & Episcopos comprovinciales pertinent. Probatur multis auctoritatibus.

XIII. Divisis eligentium votis, arbitrium discordiæ referendum est ad Metropolitanum; cujus ju-

dicio is præferri debet qui majoribus & ſtudiis juvatur & meritis, ut inquit Leo primus.

XIV. Forma electionum præſcripta à Iuſtiniano. Non licebat appellare à confirmatione electionis. Solum adversùs confirmationem datam remedium erat ordinati depoſitio.

I. POST explicatam Metropolitarum inſtitutionem, ſupereſt ut eorum auctoritatem conſideremus, ac præterea eam quæ provincialibus ſynodis competebat. Ac primò quidem adnotandum eſt duo fuiſſe genera Conciliorum. Nam quædam fortuitò congregabantur, nullo temporis ordine ſervato, ſed prout occaſio ferret, videlicet pro peragendis electionibus & ordinationibus Epiſcoporum. Alia certa erant, & Canonum decretis ſtatuta bis in anno, aut ſaltem ſemel; & in iis cauſæ eccleſiaſticæ litéſque civiles & criminales cleri judicabantur, & provinciæ politia ordinabatur.

II. Primum illud conventuum genus quin Concilium vocari debeat, nullus dubitat, Hincmarum ſequens; cùm præſertim Antiochenum Concilium in XIX. canone ſynodum appellet cœtum Epiſcoporum ad ordinationem congregatorum: *Epiſcopus præter ſynodum & præſentiam Metropolitani nullatenus ordinetur.* Ea non erat præcipua iſtius Concilij cura ut Epiſcopum eligeret in ſede vacante, ſed ut examinaret an electio canonica eſſet, an electus canonicis impedimentis prohiberetur accedere ad epiſcopatum, ob bigamiam videlicet, ætatis defectum, aut ignorantiam, & utrum accuſatio aliqua adversùs eum inſtituta eſſet. Et ſi nihil horum obſiſteret, ordinatio peragebatur.

III. Synodus ergo illa, ut dixi, non ob id præcipuè cogebatur, neque in Occidente, neque in Oriente, ut electionem celebraret. Verùm huic meæ ſcriptioni refragantur eruditorum virorum ſententiæ, quibus perſuaſum eſt eam fuiſſe Eccleſiarum orientalium conſuetudinem, ut nullum electionis Epiſcoporum genus apud eas viguerit quàm ejus quæ fiebat ab Epiſcopis; excluſa prorsùs electione cleri & populi, quæ in ſolo Occidente uſurpabatur. Ea eſt opinio Cl. V. Iacobi Sirmondi & aliorum quorundam; qui eam ſe colligere exiſtimant ex canone IV. Synodi Nicænæ, XIII. Laodiceno, & ex commentariis Zonaræ & Balſamonis, qui canones illos ita interpretantur. Attamen ab ea ſententia diſcedere cogor, quòd videam Orientales uſurpaſſe electiones à clero & à populo factas ante & poſt habita illa Concilia; quæ & Conciliorum Nicæni & Chalcedonenſis auctoritate & Principium legibus firmatæ ſunt.

IV. Haud ſanè deſtinatum mihi eſt agere hoc loco de electionibus; nihilque aliud in præſentiarum promere placet quàm novam rationem, neceſſariam tamen, ad interpretandos canones Nicænum & Loadicenum, cùm ij fundamentum & baſis eſſe debeant earum rerum quæ dicturi ſumus de auctoritate Metropolitani & Epiſcoporum comprovincialium in peragendis ordinationibus. Auctoritas illa in eo verſatur, non ut electio ab illis celebretur, ſed ut eam approbent, aut repudient, prout conſentanea fuerit aut contraria Canonibus, (quod à Canonici Iuris interpretibus vocatur jus confirmandi electionem) utque dein electi ordinationem aut conſecrationem peragant. Certum itaque eſt Epiſcopos ante Concilium Nicænum electos fuiſſe *cleri ac plebis ſuffragio*, ut loquitur Cyprianus. Idipſum verbis minimè ambiguis docet Nicæna Synodus, quæ ſibi ipſi repugnare non poteſt, in epiſtola ad Epiſcopos Ægypti ſcripta, quæ extat apud Theodoretum; cui conſentiunt Conſtantinus Imperator ad populum Antiochenum ſcribens, & Athanaſij Apologia variis in locis.

V. At confirmatio electionis ad Metropolitanum præcipuè ſpectabat, & ad Epiſcopos comprovinciales, qui ob eam rem congregati erant, ſive quum electio celebrabatur, vel poſtquàm eâ factâ, decretum ejus ad Metropolitanum fuerat delatum. Clerum ac populum ſuffragia ſua conferre conſueviſſe, Epiſcopóſque eodem tempore judicium ſuum tuliſſe, teſtis eſt Cyprianus, de Sabino Epiſcopo ſcribens: *Vt de univerſæ fraternitatis ſuffragio, & de Epiſcoporum qui in præſentia convenerant judicio, epiſcopatus ei deferretur.* Quo in loco Cypriani id accuratè conſiderandum eſt, eum diſtinguere jus ſuffragij quod fraternitati competit, id eſt, clero & populo, à judicio quod Epiſcopis tribuit, id eſt, examine electionis, & confirmatione. Vſum autem illum *de traditione divina & apoſtolica obſervatione* deſcendiſſe pronuntiat. Quare antiquus auctor conſtitutionum apoſtolicarum præcipit vt is qui electus fuerit à populo, Epiſcopis præſententur, & ut is qui primus eſt inter eos, diligenter inquirat de omnibus iis quæ neceſſaria ſunt ut ei manus imponantur.

VI. Poſt Concilium Nicænum clerus & populus intererant electionibus. Clariſſima hujus ſententiæ argumenta extant in Concilio Chalcedonenſi; quod electionis Metropolitanorum, in quibus præcipuo quodam & eximio jure intereſſe poſſunt Epiſcopi, formulam præſcribens, decernit ut fiant decreto Clericorum metropoleos, poſſeſſo-

rum, & clarissimorum virorum, & Episcoporum provinciæ; quibus jus præcipuum competebat, quòd ageretur de electione Metropolitani. *Decreto facto à Clericis uniuscujusque metropolis, & possessoribus, atque clarissimis viris, super hæc & à reverendissimis Episcopis provinciæ.* In Actione XI. ejusdem Concilij, Stephanus Episcopus Ephesinus probare volens se canonicè vocatum esse ad metropolim Ephesinam, ait se à quadraginta Episcopis Asiæ ordinatum fuisse cum decreto & consensu præcipuorum & clarissimorum civium urbis totiúsque cleri. *Me quadraginta Episcopi Asiani, suffragio clarissimorum & primatum, & totius reverendissimi cleri, & omnis civitatis, ordinaverunt.* Clerum & populum interfuisse electionibus Episcoporum, post tempora Concilij Nicæni, probatur etiam ex Iustiniano; qui disertis verbis præcipit ut Episcopus eligatur *per Clericos & primates* πρώτους τῆ πόλεως *cujus futurus est Episcopus*, & ut decretum ad Metropolitanum perferatur, ab eo examinandum. Ex hac lege colligitur genuinus sensus canonis XIII. Synodi Laodicenæ: *Quòd non sit permittendum turbis electiones eorum facere qui sunt ad sacerdotium promovendi.* Lex enim conservans, secundùm Canones, jus suffragij civibus honoratis, sive primatibus civitatis, ut illa loquitur, planè ostendit ab eo jure, vi canonis, excludi plebeculam. Prohibitio enim hæc non extenditur ad *honoratos* & *ordinem*, ut Latini vocant, vel, ut cum Græcis loquamur, ad λαμπροπάτους, λογάδας, πρώτους; sed propter eos tantùm lata est quos canon ille τοὺς ὄχλους nuncupat, quos verò Dionysius vertit *turbas*.

Concil. Chalcedon. Act. 16.

Concil. Chalcedon. Act. 11.

Novella 123. c. 1. & Nov. 137. c. 2. & l. 42. c. de Epis. & Cleric.

Vide lib. 8. c. 6. §. 2. & seqq.

VII. Fatendum tamen est Græcis tandem placitum ut & ipsi magistratus à jure eligendorum Episcoporum arcerentur, quos à solis provinciæ Episcopis eligi satius esse existimarunt. Ita visum patribus Nicænæ Synodi secundæ: qui tamen ne hujus novæ institutionis auctores esse viderentur, ejus originem prorsùs importunè arcessunt à canone quarto Synodi Nicænæ I. prætextu quorundam verborum hujus canonis, quæ ambigua esse videntur. Decretum hoc prompta reverentia suscepere universæ Orientis Ecclesiæ. Hinc orta est hallucinatio Zonaræ, Balsamonis, & Matthæi Blastaris; qui seculi sui morem præ oculis habentes, secuti auctoritatem septimæ Synodi, crediderunt eadem ratione explicandum esse canonem Concilij primi Nicæni. Atque id eò faciliùs sibi persuaserunt, quòd existimaverint vocem χειροτονία, quæ in canone quarto Nicæno habetur, accipi posse, quasi significet electionem, cùm eo sensu reperiatur apud Demosthenem & alios auctores prophanos. Apud auctores tamen ecclesiasticos vox illa semper significat ordinationem; quemadmodum à Frontone Ducæo adnotatum est in Notis ad opera Chrysostomi.

Concil. Nic. 2. c. 3.

VIII. Laïcos ab electionibus Episcoporum robustiùs removit Octava Synodus, secuta exemplum Septimæ: cujus canon habetur in versione Anastasij Bibliothecarij, tametsi inter Græcos canones non reperiatur. *Promotiones atque consecrationes Episcoporum, concordans prioribus Conciliis, electione ac decreto Episcoporum collegij fieri sancta hæc & universalis synodus definit & statuit; atque jure promulgat neminem laïcorum Principum vel potentum semet inserere electioni vel promotioni Patriarchæ, vel Metropolitæ, aut cujuslibet Episcopi; ne videlicet inordinata hinc & incongrua fiat confusio, vel contentio; præsertim cùm nullam in talibus potestatem quemquam potestativorum vel ceterorum laïcorum habere conveniat, sed potiùs silere, ac attendere sibi, usquequò regulariter à collegio ecclesiastico suscipiat finem electio futuri Pontificis.* Synod. Octava can. 22.

IX. Quod attinet ad Ecclesias Occidentis, diutiùs illæ jus electionum permisere clero & laïcis, atque ipsi etiam plebeculæ, & ipsis etiam Gregorij VII. temporibus, id est, seculo undecimo; ut patet ex ejus epistolis. Sed fine seculi duodecimi, clerus & populus paulatim jus electionum transmiserunt ad Canonicos Ecclesiarum cathedralium; quos in eo jure confirmarunt Pontificum Romanorum variæ & multiplices constitutiones, quæ habentur editæ in libris Decretalium, in Clementinis, & inter Extravagantes. Reges nihilominus Francorum privilegiis quibusdam fruebantur, sive integræ nominationis, sive necessitatis obtinendi eorum consensum in personam electi. Populus enim diutiùs jus suum in Gallia retinuit quàm alibi. Certè ævo D. Bernardi, hoc est, duodecimo seculo, electiones Episcoporum Cabilonensis & Gebennensis factæ sunt cum consensu populi; tametsi apud Senones, & in aliis quibusdam Ecclesiis, eas clerus perageret cum consensu monachorum diœceseos. Gregor. VII. lib. 1. ep. 35. 36. lib. 2. ep. 30. lib. 5. ep. 3. 5. 8. 11. lib. 6. ep. 21. lib. 8. ep. 1. 3. 18. 19. 20. lib. 9. ep. 18. S. Bern. ep. 13. 273. Idem ep. 102. 175. 282. 329. & lib. 3. de Consid. c. 2.

X. Ex iis quæ suprà dicta sunt discimus canonem quartum Concilij Nicæni primi non tribuere Episcopis jus electionis, sed consensus tantùm aut confirmationis, & auctoritatem ordinationis.

Interpretationi huic meæ favet versio Dionysij Exigui, qui χειροτονίαν heic vertit *ordinationem*, non autem *electionem*, quam Concilium jam antea factam esse volebat juxta usum perpetuum Ecclesiæ: *Episcopum*

convenit maximè quidem ab omnibus qui sunt in provincia Episcopis ordinari. Si autem hoc difficile fuerit, aut propter instantem necessitatem, aut propter itineris longitudinem, tribus tamen omnimodis in idipsum convenientibus, & absentibus quoque pari modo decernentibus, & per scripta consentientibus, tunc ordinatio celebretur. Firmitas autém eorum quæ geruntur per unamquamque provinciam Metropolitano tribuatur Episcopo. Canonem hunc sequuntur & interpretantur Concilium Africanum can. XIII. & Antiochenum can. XIX. quod addit Metropolitanum ea de causa coëpiscopos suos convocare.

XI. Itaque tres ex iis canonibus regulæ colliguntur. Prima est, debere Episcopos provinciæ illius in qua ordinandus est Episcopus, ejus electionem approbare, eique consensus suos adhibere; viva scilicet voce, si præsentes fuerint; aut per literas, si eos abesse contingat. Secunda, ordinationem à tribus saltem Episcopis esse peragendam. Tertia, firmitatem eorum omnium, id est, confirmationem, sive τὸ κῦρος, ut loquitur Concilium, pertinere ad Metropolitanum. Regula prima & tertia explicantur in canone sexto Nicæno, ubi statuitur eum pro Episcopo habendum non esse qui absque consensu Metropolitani fuerit ordinatus. Vnde patet magni momenti visam esse veteribus auctoritatem Metropolitani. Attamen si ille, aut alius quispiam Episcopus, pertinacia potiùs quàm ratione pugnaret adversùs communem sententiam collegarum suorum, ita tamen ut repugnantium numerus duos vel tres non excedat, statuit Concilium obtinere debere sententiam plurimorum. *Obtineat*, inquit, *sententia plurimorum.*

XII. Decretum electionis scripto fiebat; ut constat ex epistolis Papæ Leonis I. in Actione XVI. Concilij Chalcedonensis descriptis & ex pluribus aliis auctoritatibus. Examen, discussio, judicium, & dein ordinatio, ad Metropolitanum & ad Episcopos comprovinciales pertinent secundùm antiquos canones. *Iudicium* id, aut *confirmatio electionis*, dicitur in canone XXVII. Concilij Antiocheni: *Servetur autem jus ecclesiasticum, id continens, oportere non aliter fieri, nisi cum synodo & judicio Episcoporum, qui post obitum quiescentis potestatem habent eum qui dignus extiterit promovere.* Quod autem hoc loco nominatur *Iudicium Episcoporum*, in canone XIX. ejusdem Concilij dicitur *decretum ordinarium*; ubi etiam admonetur necessariam esse auctoritatem Metropolitani. Disciplina eadem deprehenditur in canone XII. Laodiceni Concilij, quod etiam judicij vocem in eadem causa usurpat: *Vt Episcopi judicio Metropolitanorum, & eorum Episcoporum qui circumcirca sunt, provehantur ad ecclesiasticam potestatem.* Magnam orientalibus illis Conciliis lucem adferunt Canones Occidentis, qui judicium difficultatum in electionibus contingentium Episcopis permittunt. Canon XL. Concilij III. Carthaginensis, qui est quinquagesimus in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ, statuit ut si qua contradictio fuerit oborta adversùs personam electi, ab Episcopis qui ordinationem peracturi sunt judicetur. quem locum, ut & plerosque alios canones ad hanc materiam spectantes, in Decretum suum retulit Gratianus *Dist.* XXIII. c. *Illud statuendum est &c.*

XIII. Quòd si in plures personas divisa fuerint eligentium vota, censuit Leo arbitrium discordiæ hujus referendum esse ad Metropolitanum; cujus judicio is præferri debebit in quem major eligentium pars consenserit, habita ratione meritorum ejus. *Cùm ergo*, inquit, *de summi sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præferatur quem cleri plebisque consensus concorditer postularit; ita ut si aliam fortè personam partium se vota diviserint, Metropolitani judicio is alteri præferatur qui majoribus & studiis juvatur & meritis.*

XIV. Iustinianus Imp. cùm formam electionum in Novellis Constitutionibus præscripsisset, ea videlicet ratione ut Clerici & cives honorati trium personarum electionem scripto facere teneantur, edicit ut decretum electionis istiusmodi ad Metropolitanum & ad ejus synodum deferatur, ut unus è tribus deligatur. Quòd si accusatio quæpiam adversùs electum instituta fuerit, eam Metropolitanus intra trium mensium spatium judicare debet, ut deinceps ordinatio peragi possit; hoc tamen addito, ut tota culpa in Metropolitanum rejicienda sit, si ea facta fuerit contra Canones. Non licebat igitur appellare à confirmatione electionis; nullâque alia ratio suppetebat ad infringendum confirmationis decretum quàm ut Episcopus recens ordinatus depositionis pœna plecteretur, si justa aliqua causa subesset.

CAPVT III.

Synopsis.

I. In Gallia, judicium electionis & ordinationis pertinebat ad Metropolitanum & ad Episcopos provinciæ, ex Leone I.

II. Et ex Concilio Arelatensi secundo. Regis consensum necessarium esse decernit Concilium Aurelianense V.

III. Eadem forma observata est sub secunda Regum nostrorum dynastia. Ævo Karoli Magni, omnes Metropolitani vocabantur Apostolici. Abstinuit sequens ætas ab illa simplicitate. Prisci eligendorum Episcoporum mores approbati in Capitularibus.

IV. Sede vacante, clerus à Rege postulabat licentiam eligendi. Scribebat etiam ad Metropolitanum, qui secundùm Regis voluntatem Episcopum visitatorem delegabat in Ecclesia vacante. Qui cleri vocabulo comprehendantur. Quæ fuerint Visitatoris partes. Electionum ritus.

V. Si electores scienter elegissent indignum, electio devolvebatur ad Metropolitanum & ad Episcopos provinciæ.

VI. Hincmarus explicatus. Forma examinis electionis.

VII. Vicarij Episcoporum absentium exhibebant vicem eorum cum literis tractoriis. Variæ tractoriarum species.

VIII. Si nihil canonicum obstabat, Metropolitanus ordinabat electum; ac dein illi literas tribuebat, quibus fidem faceret ordinationis. In earum locum successere Bullæ pontificiæ.

IX. Sub tertia Regum nostrorum dynastia, vetus electionum forma servata est; ut patet ex Ivone Carnotensi. Ejus ætate introduci in Ecclesiam cœpere appellationes à confirmatione electionum.

X. In Gallia, consecratio Episcoporum fiebat à Metropolitano & Episcopis comprovincialibus, absque auctoritate Summi Pontificis; nisi Metropolitanus electum ordinare recusaret. Quo casu, appellabatur ad Summum Pontificem. Suspensis Metropolitanis, Legati sedis apostolicæ ad se trahere conabantur consecrationes Episcoporum. Ivo tamen negat id justum esse.

XI. Viguit eadem regula in universo Occidente, etiam sub Gregorio VII.

XII. Duodecimo seculo introducta appellatio ad apostolicam sedem. Consecratio tamen Metropolitano & duobus Episcopis comprovincialibus relicta. Gregorius VII. recusat consecrare quendam Episcopum, donec constiterit eum à jurisdictione Metropolitani sui esse exemptum. Nihil huic Metropolitanorum juri adversum reperitur in Decreto aut Decretalibus.

XIII. Episcopi ordinati scripto tradebant professionem fidei, sed nullam Episcopis obedientiam promittebant. Ea nova est, & ævo Leonis I. inventa. Inquiritur in originem subsequentium sponsionum. Discrimen professionis quæ Regi præstatur & Metropolitano.

XIV. Magnam fuisse professionis vim quæ Metropolitano fiebat, ostendit Ivo. Quid mediæ ætatis Pontifices circa hæc decreverint.

ADDITIO. *Ad se tandem traxerunt confirmationes & consecrationes Episcoporum, à quibus juramentum fidelitatis exigebant. Unde factum ut illud Metropolitanis præstare recusarent suffraganei. Quorum temeritatem repressit Clemens VI.*

I. PRAXIS illa quæ per universam Ecclesiam vigebat, qua judicium electionis & ordinationis permittitur Metropolitano & coëpiscopis ejus, prorsùs obtinebat in Galliis: adeóque certa res est, ac tam claris argumentis constans, ut à congerendis hoc loci innumeris testimoniis abstinendum censeam, paucis contentus. Totam hanc materiam paucis verbis complexus est Leo I. in epistola ad Rusticum Episcopum Narbonensem: *Nulla ratio sinit ut inter Episcopos habeantur qui nec à Clericis sunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à provincialibus Episcopis cum judicio Metropolitani consecrati.* Vbi vides Leonem, æquè ac canones suprà laudatos, *judicij* vocabulum usurpare, ut electionis confirmationem significet.

II. Concilia Gallicana vim disciplinæ hujus constantissimè retinuerunt. Omnium antiquissimè de ea re sancivit Concilium Arelatense secundum habitum anno quadragesimo quinquagesimo secundo; in cujus canone quinto hæc leguntur: *Episcopum sine Metropolitano, vel epistola Metropolitani, vel tribus comprovincialibus, non liceat ordinare; ita ut alij comprovinciales admoneantur, ut se suo responso consensisse significent. Quòd si inter partes aliqua nata fuerit dubitatio, majori numero Metropolitanus in electione consentiat.* Morem illum suis decretis confirmarunt Concilia Arvernense & Aurelianense quintum, quod Regis consensum electioni cleri & plebis connectit ut necessarium, potestatémque Metropolitano facit vices suas uni ex coëpiscopis suis delegandi ad consecrationem impertiendam: *Cum voluntate Regis, juxta electionem cleri ac plebis, sicut in antiquis canonibus tenetur scriptum, à Metropolitano, vel quem in vice sua præmiserit, cum comprovincialibus Pontifex consecretur.* Extant præterea quamplures aliæ synodi, quæ docent electiones olim, sub prima Regum nostrorum dynastia, fuisse confirmatas à Metropolitano & comprovincialibus Episcopis, quorum etiam ministerio manus imponebantur Episcopis.

Concil. Arvern. an. 535. c. 2.

Concil. Aurelian. V. an. 549. c. 10.

III. Sub Karolo dein Magno, & Ludovico Pio, forma eadem observata est. Quippe tum post electionem cleri & populi, ut docet Alcuinus, decretum electionis ad Metropolitanum deferebatur, ut electum consecraret. *Cùm Episcopus civitatis*, inquit Alcuinus, *fuerit defunctus, eligitur alius à clero seu populo; fitque decretum ab illis; & veniunt ad* APOSTOLICVM *cum suo electo deferente secum suggestionem, hoc est, rogatorias literas, ut eis consecret Episcopum.* Cetera heic observandus est modus loquendi illarum tempestatum, quibus licebat Metropolitano tribuere titulum Apostolici: cujus moris initia referenda sunt ad tempora Gregorij Turonensis. Sequens ætas abstinuit ab illa simplicitate; & deinceps Apostolici titulus soli Romano Pontifici tributus est ab auctoribus.

Alcuinus de divinis offic. cap. 36.

Vide Notas ad Agobardum pag. 116.

Canon XII. Concilij Laodiceni, quem suprà adduximus, vim legis in Gallia obtinuit postquam in Regum nostrorum Capitulis descriptum est. Idem dicendum est de canone Carthaginensi, qui præscribit modum examinandæ contradictionis obortæ advesùs personam electi. Supremum autem harum rerum judicium illic tribuitur Archiepiscopo, ut eadem Capitula regia loquuntur, & Episcopis comprovincialibus.

Perspicua est in hoc negotio Synodi Tullensis apud Saponarias congregatæ sententia: quæ ad Britonum Episcopos scribens, ait consecrationem Episcopi ab iis peragi canonicè non posse absque præsentia aut consensu Herardi Turonorum Archiepiscopi: *Ita ut præter ejus præsentiam aut consensum nullus canonicè possit ordinari Episcopus.*

Sed inutile foret diutiùs immorari in recensendis testimoniis quibus hæc opinio fulciatur, cùm extent formulæ quæ tum in usu erant, editæ cum operibus Hincmari, & in calce tomi secundi Conciliorum Galliæ. Formulæ porrò illæ meliùs docent priscum morem quàm nuda & simplex canonum lectio. Vsus enim præsens faciliùs eis genuinum eorum sensum indicabat quàm facere possit nostro seculo improba lectio usu destituta.

IV. Sede igitur vacante, clerus civitatis Regem admonebat eam vacare, quò libertatem eligendi ab eo impetraret. Literæ præterea scribebantur ad Metropolitanum, pro eadem causa: qui precibus itidem suis Regem adibat, simùlque poscebat uti Rex patefaceret quémnam Episcopum delegari cuperet Visitatorem in Ecclesia vacante. Origo hujus instituti, nimirum ut Episcopus quidam ad Ecclesiam vacantem dirigatur, qui electionem quantocyus fieri procuret, petenda est à Concilio Africano, ubi Episcopi illi vocantur *Intercessores*, quos verò sanctus Gregorius *Visitatores* nominat. Datâ eligendi licentiâ, clerus & populus illius Ecclesiæ conveniebant ad celebrandam electionem. Cleri autem vocabulo comprehenduntur, non solùm Clerici civitatis, id est, Canonici Ecclesiæ cathedralis, & Rectores parœciarum civitatis, sed etiam Clerici monasteriorum, & Presbyteri rusticanarùm parœciarum, qui Vicarios suos mittebant cum literis quæ consensus suos testarentur, ac illorum qui in eorum parœciis habitabant, cives quoque & nobiles laïci civitatis in hoc cœtu præsentes esse debebant. Vnde eruitur interpretatio horum vocabulorum, alioqui obscurorum, quæ leguntur in decretis Celestini & Leonis Pontificum Romanorum; qui ad hoc ut electio legitima censeri possit, volunt ut in eam consentiant *vota civium, desideria populorum, honoratorum arbitrium, electio Clericorum, ordinis consensus*, id est, consensus cleri & populi totius diœceseos, qui heic describitur secundùm varias hominum conditiones. Visitator à Metropolitano delegatus orationem ad eos habebat, & coram legi jubebat canones & decreta Pontificum Romanorum, in quibus forma electionum continetur, & cujusmodi homo debeat esse is qui eligendus est. Post factam electionem præsente Visitatore, decretum ejus scripto tradebatur, & ab omnibus electoribus subscribebatur; ac deinde, die à Metropolitano indicta, ad eum deferebatur à certo electorum numero, qui fidem facerent eorum quæ acta erant; & Metropolitani præsentiæ sistere se debebat electus, pro examine. Interim apud Regem id agebatur ut ipse consensum suum præstaret in gratiam electi. Metropolitanus datis ad comprovinciales Episcopos, ad electum, & vicarios electorum literis, utrosque ad diem quam edicebat & ad certum locum evocabat ad examinandum decretum & virtutes electi. Quòd si in varias personas se vota partium divisissent, Metropolitanus eum præferebat *qui majoribus studiis juvabatur & meritis*, id est, eum quem major pars elegerat, & qui capax in primis videbatur. Dein electum examinabat, ut intelligeret an aliquo impedimento canonico prohiberetur ejus electio, utrum ea doctrina præditus esset quæ Episcopo necessaria est, & utrum in professione fidei catholicè crederet. Si quod in eo impedimentum reperiretur, electio repudiabatur, & electores jubebantur novam electionem celebrare; ut patet ex formula secunda.

V. At si electores scienter & de industria virum elegissent qui secundùm Canones aliquo impedimento teneretur, eis pœna imponebatur ob contemptum Canonum; & Metropolitanus eo casu electionem celebrabat cum Episcopis comprovincialibus. Iudicium autem illud circa vitium electi fiebat à Metropolitano & Episcopis, ut patet ex Hincmaro in formula quarta: *Si personam à sacris canonibus deviam scienter nobis adduxeritis, non solùm ex ea Pontificem non habebitis, verùm etiam pro illicita electione, ut contemptores Canonum, judicium incurretis; sed & nostro ac coëpiscoporum judicio refutata rationabiliter electione vestra incongrua, talem secundùm Laodicenses canones studebimus eligere qui vestris vitiosis voluntatibus non valeat consentire.*

VI. Cavendum igitur est ab eodem Hincmaro adversùs Hincmarum Laudu-

Cod. Canon. Eccl. Afric. c. 74.

Hincmar. in form. 11. *Quæ electio non tantùm à civibus et clericis erit agenda, verùm & de omnibus monasteriis ipsius parochiæ, & de rusticanarum parochiarum Presbyteris occurrant Vicarij, commorantium secum concordia vota ferentes. Sed & laïci nobiles ac cives adesse debebunt. Quoniam ab omnibus debet eligi qui debet ab omnibus obedire.*

nensem Episcopum scribente ; qui describens specialia Metropolitani jura circa electiones, ait : *In Remensi provincia si fuerit defunctus Episcopus, ego, & non tu, Visitatorem ipsi viduatæ designabo Ecclesiæ, & electionem cum decreto canonico præcipiam fieri. Etsi in partes se eligentium vota diviserint, meum & non tuum erit eligere qui majoribus ad ordinandum studiis juvetur & meritis.* Vera quidem hæc citra omnem controversiam. Sed id quod postea sequitur, explicatione indiget : *Et meum est*, inquit, *ordinandum examinare, non tuum.* Significat, solius Metropolitani esse electum interrogare, neque id licere Episcopis comprovincialibus ullo modo. Examen nihilominus illud fit à Metropolitano coram Episcopis comprovincialibus ; ut videre est in examine Episcopi Catalaunensis, quod in formula XI. descriptum est. *Anno ab Incarnatione Domini* DCCCLXVIII. *convenientibus apud Carisiacum in Ecclesia pro examinatione Vvilleberti Presbyteri, qui futurus erat Catalaunensis Episcopus, Hincmaro diœcesis Remensium Archiepiscopo, item Hincmaro Laudunensium Episcopo, Hodone Belgivacorum Episcopo, cum Legatis Hrotadi, Erpoini, Hilmeradi, Raginelmi, & Ioannis, ejusdem diœcesis coëpiscoporum, vicem eorundem patrum suorum cum tractoriis, sicut regulæ præcipiunt, exhibentibus, & quamplurimis Abbatibus, Canonicis, Monachis, Presbyteris, Diaconibus, atque Subdiaconibus.*

VII. Legati sive Vicarij Episcoporum absentium exhibebant vicem eorum cum literis tractoriis. Sic illa ætas vocabat literas quibus Episcopi committebant suas vices iis quos ad synodos mittebant ; ut patet ex hoc loco & ex formula XIV. quæ continet tractoriam quam Prudentius Tricassium Episcopus per Vicarium suum mittit ad celebrandam electionem Episcopi Parisiensis. In Collectione tamen canonum Africanorum can. LXXVI. *tractoriæ* sive *tractatoriæ* dicuntur literæ quibus Metropolitanus Episcopos comprovinciales invitat ad synodum.

VIII. Itaque si nihil canonicum obstaret, Metropolitanus cum coëpiscopis suis ordinabat electum ; ac dein illi literas tribuebat, quibus fidem faceret ordinationis, aliásque insuper ad clerum & populum Ecclesiæ cui ordinatus erat Episcopus, juxta canones Africanos, qui ordinatos ab Episcopis jubent accipere literas ab ordinatoribus suis : *Deinde placuit ut quicunque deinceps ab Episcopis ordinantur per provincias Africanas, literas accipiant ab ordinatoribus suis, manu eorum subscriptas, continentes Consulem & diem, ut nulla altercatio de posterioribus vel anterioribus oriatur.* Harum literarum formulæ extant in formulis XV. & XVI. in quarum locum substitutæ sunt Bullæ Summorum Pontificum.

Cod. Can. Eccl. Afric. c. 89.

IX. Sub tertia Regum nostrorum dynastia vetus confirmationis electionum institutum perseveravit in Gallia : ubi electiones fiebant à clero & populo, & à Metropolitano confirmabantur ; vel, si fortè contradictio quædam oborta esset, examinabantur à Metropolitano cum consilio Episcoporum comprovincialium, qui dein consecrationis munus electo impertiebant. Hunc seculi sui morem fuisse docet Ivo Carnotensis Episcopus in epistola CXXXVIII. *Electioni Domni Fulconis vel alterius assensum non dabimus, nisi quem aut cleri plebisque consensus elegerit, aut Metropolitani judicium cum conniventia suffraganeorum, habita legitima discussione, probaverit.* Vides itaque heic electionem Episcopi Parisiensis à clero & populo esse peractam, & discussionem oppositionum reservatam Metropolitano & Episcopis comprovincialibus. Idem Ivo evocatus ab Archiepiscopo Senonensi ad judicium hujus causæ, respondit se fortassis iturum ad eum ; sed si id fieri non possit, tótque præterea Episcopi absint ut ea legitimè definiri non valeat, suadet ut aut eam in aliud tempus differat, aut ad sedem apostolicam contendentes remittat ; quò Fulco ire decreverat, sive rata sive irrita censeretur ejus electio. *Si autem aliqua prepediente ratione venire non potero, neque tot de collegis convenerint qui ad tanti negotij definitionem sufficiant, aut in aliud tempus rem differte, aut ad sedem apostolicam utramque partem remittite ; ad quam iturus est Domnus Fulco, sive rata sive irrita fiat ejus electio.* Locus porrò hic docet, jam tum, scilicet à sexcentis ferme annis, cœpisse in Ecclesiam invehi appellationes à confirmatione electionum. Seculo duodecimo judicium controversiarum quæ in hujuscemodi electionibus suboriebantur pertinebat ad Metropolitanum & comprovinciales Episcopos ; ut ad Remensem Archiepiscopum scribit Innocentius III. lib. I. ep. 152.

Ivo ep. 139.

X. Consecratio autem Episcoporum fiebat in Gallia à Metropolitanis & comprovincialibus Episcopis ; nec quicquam in eas juris competebat Episcopo Romano aut ejus Legatis. Attamen si Metropolitanus electum ordinare recusabat, electores appellabant Pontificem Romanum ; ut factum est à Carnotensibus, qui ab Vrbano II. postularunt ut Ivonem, qui in locum Gofridi ab episcopatu depositi electus erat, consecrare dignaretur : qui cùm Senonensis Archiepiscopi contradictionem injustam esse agnouisset, Ivonem manibus propriis con-

Vrbani II. ep. ad Richer. Senon. Archiep. ep. 2. inter epistolas Ivonis.

secravit. Legati quin etiam Romanæ sedis contendebant consecrationem Episcopi ad se pertinere, quoties Metropolitano provinciæ interdictum erat ne quid episcopalis operis ageret. quod vulgò suspensionem ab episcopalibus functionibus vocant. Ivo tamen negat id justum esse; tametsi in eo casu Legatis concedat confirmationem electionis; ceterùm consecrationem, etiam in eo casu, ad Episcopos provinciæ pertinere. Sanè ipse cum collegis suis Sancionem Episcopum Aurelianensem consecravit, quòd Archiepiscopo Senonensi interdictum esset ne Metropolitani munia exerceret.

Ivo ep. 61. Idem ep. 54.

XI. Ea tamen non erat Ecclesiæ Gallicanæ privata consuetudo, cùm ejus usus in universo Occidente tum temporis obtineret. Quippe seculo undecimo Concilium Romanum sub Gregorio VII. habitum anno MLXXX. statuit ut defuncto pastore alicujus Ecclesiæ, Visitator Episcopus ad eam dirigatur, sive à Papa in sua provincia, seu à Metropolitanis in suis quoque provinciis; cujus instantiâ clerus & populus celebrent canonicè electionem alterius Episcopi, quam deinde confirmari oporteat à Metropolitano. Quòd si is fortean eligeretur qui idoneus non esset, Concilium electores, qui ad pravam electionem declinaverint, eligendi potestate privat pro hac vice. Quod ab Hincmaro adnotatum suprà vidimus; & repetitum est in Concilio Lateranensi cap. *Quia propter*. De elect.

XII. Duodecimum seculum conservavit Metropolitanis auctoritatem examinandi electiones, eas confirmandi, & controversias circa hæc obortas judicandi; ut patet ex variis Decretalium locis, quæ laudantur in ora hujus paginæ. Appellatio tamen ad sedem apostolicam introducta est. In quo magna vis illata est vetustis canonibus. Consecratio tamen Metropolitano & duobus Episcopis comprovincialibus, modò consensu absentium non destituerentur, relicta est à Leone IX. & Gregorio VII. qui Episcopos qui pertinent ad consecrationem Papæ distinguit ab iis qui pertinent ad consecrationem aliorum Metropolitanorum. in qua re adeo religiosum se præbuit ut Episcopum quendam consecrare recusaverit, donec sibi constaret eum à jurisdictione Metropolitani sui esse exemptum. Constantissimum est hoc Metropolitanorum jus; neque aliquid in Decreto Gratiani aut in Decretalibus invenitur ei adversum, nisi ob negligentiam Metropolitani, aut si canonicis censuris teneatur.

Cap. *Quia diligentia*. cap. *Innotuit*. cap. *Cùm dilectus*. De elect. c. *Cùm olim*. De translat. Episc.

Leo IX. ep. 3. 4. Lib. 6. post ep. 50. Lib. 9. ep. 24.

XIII. Episcopi autem, postquam consecrati fuerant, scripto tradebant professionem fidei; sed nullam Episcopis obedientiam promittebant, nisi verbis generalibus conceptam, scilicet observaturos se quæ Canonibus præscripta essent. Praxim enim illam, quæ reverentiam quandam & obedientiam Metropolitano præstandam esse edicit, novam esse colligitur ex epistola Leonis I. ad Anastasium Thessalonicensem: in qua eum objurgat quòd ab Episcopo Attico *chartulam de obedientiæ sponsione* exegerat conscribi. *Legebatur*, inquit Leo, *in literis tuis, quòd frater Atticus chartulam de obedientiæ sponsione conscripserat. in qua signum prodebatur injuriæ*. Locus hic relatus est in libris Decretalium; ubi glossa laborat in conciliatione ejus cum quibusdam aliis capitibus, sponsionem illam scripto tradi præcipientibus. qua difficultate ut se expediat, Atticum ait Clericum fuisse cui animarum cura non erat commissa. Vera tamen solutio hæc est; anno nimirum quadringentesimo quinquagesimo, id est, sub tempora Leonis primi, sponsiones illas, sive *juramenta fidelitatis*, ut sequens ætas vocavit, nondum fuisse receptas in usum. Invaluere postea; adeo ut in professione fidei quam Episcopi in consecratione emittebant, mentio in primis fieret Metropolitani, cui pollicebantur se ei obedientiam & reverentiam in canonibus & decretis sedis apostolicæ contentam conservaturos, & insuper privilegia quæ secundùm eosdem canones & decreta Metropolitanis debebantur, nulla prorsùs mentione facta sedis apostolicæ. Origo hujus consuetudinis extat in libello quorundam Episcoporum Aquileiensium, oblato Imperatori Mauricio circa annum quingentesimum nonagesimum; qui aiunt se, tempore ordinationis suæ, cautionem scriptis emittere, qua sponderent se studiosè servaturos fidem ordinatoris sui & fidem integram Reipublicæ. Itaque hæc illorum professio fidei continebat secuturos se exemplum & auctoritatem Metropolitani in damnandis hæresibus & pro canonum executione, ac præterea servaturos integram fidem quæ Reipublicæ, id est, Imperatoribus, debetur. *Suggerimus, pie Dominator, quia tempore ordinationis nostræ unusquisque Sacerdos in sancta sede Aquilegiensi cautionem scriptis emittimus studiosè de fide ordinatoris nostri, & nos fidem integram sanctæ Reipublicæ servaturos.*

Ap. Bar. ad ann. 591. n. 6.

Formula professionis fidei Adalberti Morinensis Episcopi, quam ante consecrationem Hincmaro Metropolitano suo tradidit, docet illum promisisse se observaturum canones usu receptos & privilegium Metropolitani: *Privilegio etiam metropolis Re-*

Formula ap. Morinorum

App. Tomi 11. Conciliorum Gallix & in Opuscul. Blanchard.

morum Ecclesiæ ac ejus Præsulis secundùm sacros sanctos Conciliorum canones & decreta sedis apostolicæ ex sacris canonibus & legibus promulgata pro scire & posse absque dolo & simulatione vel indebita & pertinaci contradictione me obediturum profiteor.

Professio Hincmari Laudunensis Episcopi continet juramentum fidelitatis ab eo Regi præstitum; cui se obediturum promittit *sicut homo seniori suo.* Deinde promittit se privilegio Hincmari Metropolitani Ecclesiæ Remensis obediturum secundùm Canones. Sed heic adnotandum est discrimen quod intercedit inter utramque professionem; cùm prima contineat fidem quæ domino debetur à vassallo, altera verò obedientiam canonicam.

Ap. Aimoinum.

XIV. Quæ porrò esset professionis illius vis ostendit Ivo Carnotensis, Archiepiscopi Senonensis suffraganeus. Hugo Lugdunensis Archiepiscopus & Ecclesiæ Romanæ Legatus eum evocaverat ad ordinationem Episcopi Nivernensis; quam Hugo peragere destinaverat omisso Archiepiscopo Senonensi, ad cujus metropolim pertinet Ecclesia Nivernensis. Respondit Ivo timere se ne, si ad eam consecrationem accederet, reus fieret violatæ sponsionis quam sedi metropolitanæ fecerat, id est, sponsionis à se factæ eo tempore quo fuerat ordinatus: *Timentes rei fieri sponsionis quam metropolitanæ sedi fecimus.* Quem morem ea tempestate ubique obtinuisse scribit idem Ivo in epist. LXXIII. *Reliqui Pontifices ante consecrationem examinantur, omnem veterum morum honestatem & debitam obedientiam se exhibituros suis ordinatoribus pollicentur.*

Ivo ep. 61.

At Gregorius IX. Pontifex Romanus decrevit ut Metropolitani à suffraganeis suis idem juramentum fidelitatis & obedientiæ canonicæ exigant quod Pontifici Romano præstatur ab iis Episcopis qui immediatè pertinent ad ejus consecrationem; neque ipse aut alij Pontifices contendebant ut Episcopi inferioris ordinis ullam sedi apostolicæ professionem fidei facerent.

ADDITIO
STEPHANI BALUZII.

IN eo tamen mirè lasciviit sequens ætas ob Reservationes Ecclesiarum cathedralium à Summis Pontificibus introductas, de quibus agitur in capite IX. hujus libri. Hinc factum ut cùm Episcopi auctoritate Summi Pontificis inscio Metropolitano consecrarentur, juramentum fidelitatis exhibere Metropolitanis recusarent, eo prætextu, *quòd ipsi Episcopi non fuerant per eorum Capitula electi, nec per Archiepiscopum suum Metropolitanum confirmati, seu etiam consecrati; sed solùm per sanctam sedem apostolicam promoti, ac de ejus mandato in Curia Romana, vel extra, munus consecrationis receperant; cui sanctæ sedi apostolicæ juramentum præstiterant;* ut scribit Petrus de Iudicia Archiepiscopus Narbonensis. Ægrè ferebat hanc contumeliam sibi ac suæ sedi illatam idem Petrus. Itaque de ea re conquestus apud Clementem VI. avunculum suum, ad quem Episcopi illi rebelles appellaverant, injuriam illam ultus est. *Tandem, Deo disponente,* inquit ille, *proposito negotio in Consistorio, sententiam reportavi, & declarationem seu determinationem ad perpetuam rei memoriam pro me & aliis omnibus subditos habentibus obtinui: quam hic inserui, ut omnibus clarius pateat, & nullus amodo dubitare habeat in prædictis.*

DECLARATIO.

CLEMENS Episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex obtinens super universas orbis Ecclesias divina institutione primatum, circa ipsarum jurium conservationem more benevoli patris libenter intendit, sic eis, cùm expedit, præficiendo Prælatos, ut per hoc juri alterius nullatenus derogetur. Cùm itaque, sicut multorum insinuatio ad apostolatus nostri deduxit auditum, nonnulli revocare conentur in dubium, utrum Episcopi, seu alij Prælati sedi apostolicæ non immediatè subjecti, qui per sedem eandem ad cathedralium Ecclesiarum vel quarumcunque dignitatum regimina pro tempore promoventur, munúsque consecrationis seu benedictionis à nobis seu de mandato nostro in Romana Curia seu extra suscipiunt, ac fidelitatis debita nobis & eidem sedi præstant solitum juramentum, suis Metropolitanis teneantur, seu Prælatis aliis, quibus immediatè subsunt, aliud consuetum juramentum præstare, Nos volentes cujuslibet hæsitationis scrupulum in præmissis auferre, Episcopos & Prælatos alios supradictos per sedem eandem ad hujusmodi regimina jam promotos, & quos in posterum promoveri continget, auctoritate præsentium declaramus ad omnia illa suis Metropolitanis seu Prælatis aliis immediatè superioribus omnino teneri ad quæ tenerentur si non per dictam sedem vel de mandato ipsius sedis ad hujusmodi regimina promoti, nec juramentum hujusmodi per eos nobis vel eidem sedi præstitum extitisset. Nulli ergo &c. nostræ declarationis & constitutionis infringere &c. Datum Avinioni Kalendis Octobris, pontificatus nostri anno octavo.

Addit Petrus Archiepiscopus: *Qua declaratione facta & bullata, ut est moris, Episcopi qui prius contradixerant, statim venerunt ad prædictam nostram sanctam Narbonensem Ecclesiam pro dicto juramento præstando: à quibus ipsum juramentum recepi secundùm solemnitatem præcedentem, nihil de contingentibus omittendo.* Ceterùm ea Petri Narbonensis Archiepiscopi narratio extat integra in veteri codice MS. Ecclesiæ Narbonensis.

CAPUT IV.

Synopsis.

1. Metropolitanorum electio pertinebat ad Episcopos comprovinciales, cum consensu cleri & populi.

II. Ita electi Stephanus Episcopus Ephesinus, Flavianus Antiochenus, & Nectarius Constantinopolitanus.

III. Eadem forma præscripta est in Conciliis Gallicanis. Aliud tamen obtinuit ævo Hincmari.

IV. Ordinationes Metropolitanorum pertinebant ad Patriarchas. Quod probatur ex Concilio Chalcedonensi & Innocentio primo.

V. Metropolitani tamen Constantiæ Cypri ordinatio relicta est synodo provinciæ, & vetita Patriarchæ Antiocheno, decreto Concilij Ephesini.

VI. Quæritur an ordinationes omnium Metropolitanorum pertineant ad Summum Pontificem tanquam Patriarcham Occidentis. Concluditur ad eum pertinere ordinationem Metropolitanorum qui Diœceseos Vrbicariæ finibus continentur. Discrimen Episcopi Romani cum ceteris Patriarchis.

VII. Metropolitanorum Italiæ ordinationes fiebant absque auctoritate Summi Pontificis. Ordinatio Metropolitæ Aquileiensis pertinebat ad Episcopum Mediolanensem, Primatis verò Mediolanensis ordinatio ad Episcopum Aquileiensem. Ævo tamen D. Gregorij necessarius erat Summi Pontificis consensus pro ordinatione Episcopi Mediolanensis, & Salonitani.

VIII. Provinciæ quæ extra Italiam erant, Metropolitanos suos ordinabant absque auctoritate aut consensu Episcopi Romani. Exemplum in Africa, in Hispania, Dardania, cæterisque provinciis Illyrico vicinis.

IX. Ecclesia Gallicana eodem jure usa, quæ Metropolitanos suos non alibi ordinari permisit quàm in synodo provinciæ: nisi si apud quasdam provincias aliud obtineret. Notatus interpres Græcus canonis VI. Sardicensis. Remensis & Trevirensis Ecclesiæ, sorores dictæ ab Hincmaro.

X. Sub secunda Regum nostrorum dynastia, vetus consuetudo valuit. Probatur ex Hincmaro, qui hinc concludit Metropolitanos Galliarum esse Primates. Duo Primatum genera. Pallij genium.

XI. Acriter eum morem retinere contendit Ivo Carnotensis. Decretalium libri conservaverunt Episcopis comprovincialibus ordinationem Metropolitani. Quæ paulo pòst eis adempta est.

ADDITIO. *Ævo Gulielmi de Montelauduno, Archiepiscopi consecrabantur sola summi Pontificis auctoritate. Recensentur lucubrationes hujus viri.*

I. MAJORIS hauddubiè momenti erant Metropolitanorum electiones & ordinationes quàm ceterorum Episcoporum; ideóque majorem curam desiderabant. In electionibus sanè, Episcopi integro suffragij jure fruebantur, & ea quidem auctoritate quam in ceterorum collegarum suorum electionibus non usurpabant; ob id videlicet, quòd cùm à Metropolitano pendere deberent, ipsorum valde intererat cujusmodi homo ad eam dignitatem vocaretur. Præclarè itaque Leo: *Metropolitano defuncto, cùm in locum ejus alius fuerit subrogandus, provinciales Episcopi ad civitatem metropolitanam convenire debebunt; ut omnium Clericorum atque omnium civium voluntate discussa, ex Presbyteris ejusdem Ecclesiæ, vel ex Diaconibus, optimus eligatur.* Hunc Leonis locum imitatus est Isidorus Mercator in supposititia epistola Aniceti, quæ à Gratiano relata est.

Leo I. ep. 88. Dist. 63. c. 19.

Dist. 64. c. 6.

II. Secundùm rationem à Leone prolatam rectè in Actione XI. Concilij Chalcedonensis pronuntiavit Anatolius Patriarcha CP. electionem Metropolitani Ephesini ab iis omnibus celebrandam esse qui ab eo regendi erant: *Dabitur autem Ephesiorum metropoli Episcopus ab omnibus qui pascendi sunt eligendus.* Quare Stephanus civitatis illius Episcopus aiebat se electum fuisse ab Episcopis Asiæ, & à clero & civibus honoratis Ephesi. Patres quinetiam secundæ Synodi Oecumenicæ, quæ Constantinopoli habita est, rectè adnotant in epistola synodica Flavianum Episcopum Antiochenum electum fuisse suffragiis Episcoporum comprovincialium & totius Diœceseos Orientalis, & concordibus etiam suffragiis Ecclesiæ Antiochenæ, id est, cum consensu cleri & populi specialis diœceseos Antiochenæ. In eadem synodica epistola habetur Nectarium Episcopum CP. electum fuisse ab Episcopis illius synodi, cum suffragiis Clericorum & civium, præsente Imperatore.

Vide Can. 2. Concil. Constantinop. 1. c. 3. Can.

III. Ob eam causam Concilia Gallicana jubent ut Metropolitanus eligatur ab Episcopis provinciæ & à clero ac populo civitatis in qua ordinandus est Metropolitanus. *In ordinandis Metropolitanis Episcopis* (inquit Concilium Aurelianense II. anno DXXXIII. habitum) *antiquam institutionis formulam renovamus, quam per incuriam omnimodis videmus amissam. Itaque Metropolitanus Episcopus à comprovincialibus Episcopis, Clericis, vel populis electus, congregatis in unum omnibus comprovincialibus Episcopis ordinetur.*

Conc. Aurel. III. can. 5.

Disertior est sententia Concilij Aurelianensis III. habiti anno DXXXVIII. ubi indicatur discrimen quod intercedebat inter electiones Episcoporum & Metropolitanorum. Præcipit namque ut Metropolitanum Episcopi comprovinciales eligant, cum consensu cleri & civium. Comprovincialium autem Episcoporum electionem à clero & populo fieri jubet, cum consensu Metropolitani. Quod discrimen cùm aliqui non satis expendissent, irrito labore conati sunt conciliare canones quorum sententiæ videbantur esse diversæ in materia electionum. *Metropolitanus à comprovincialibus Episcopis, sicut decreta sedis apostolicæ continent, cum consensu cleri vel civium eligatur: quia æquum est, sicut ipsa sedes apostolica dixit, ut qui præponendus est omnibus, ab omnibus eligatur. De comprovincialibus verò ordinandis, cum consensu Metropolitani, cleri & civium, juxta prio-*

Concil. Arelat. III. can. 5.

rum canonum ſtatuta, electio & voluntas requiratur. Apud Hincmarum tamen, & in antiquis formulis, legimus electiones Metropolitanorum factas eſſe à clero tantùm & populo civitatis, abſque Epiſcoporum ſuffragio.

IV. Ordinationes autem ſive conſecrationes Metropolitarum pertinebant ad Patriarchas; ut patet ex Actione XVI. Chalcedonenſis Synodi, quæ ſedem Conſtantinopolitanam evehens ad honorem patriarchatus, & Diœceſim ejus ſynodúmque patriarchalem componens ex provinciis Pontica, Aſiana, & Thracica, novo quidem Patriarchæ concedit ordinationes Metropolitanorum harum Diœceſeon, non tamen Epiſcoporum, quos à ſuis Metropolitanis ordinari debere cenſet. Sed ordinationem celebrare debet Epiſcopus CP. poſtquam decretum electionis ad eum fuerit delatum; ejúſque arbitrio relinquitur perſonam electam evocare Conſtantinopolim, illic ordinandam, aut conſenſum ſuum dare ut ibi ordinetur ubi electio celebrata eſt, κατ' ὑπο-τροπὴν αὐτῶν. Id ipſum probatur ex epiſtola Innocentij I. ad Alexandrum Epiſcopum Antiochenum, in qua ſic ſcriptum eſt: *Metropolitanos auctoritate ordinas ſingulari.* Patriarcha verò Ægypti non ſolùm Metropolitanos Ægyptiacæ Diœceſeos ordinabat, ſed etiam omnes Epiſcopos à ſuo patriarchatu pendentes; ut conſtat ex epiſtola ſynodica Concilij Nicæni, quæ extat apud Theodoretum lib. 1. cap. IX. & ex epiſtolis Syneſij ad Theophilum Epiſcopum Alexandrinum. Idem jus ſedi ſuæ aſſerere tentavit Alexander Epiſcopus Antiochenus, id eſt, jus ordinandi non ſolùm Metropolitanos, ſed etiam reliquos Epiſcopos ſedi ſuæ ſubjectos. Deſiderium ejus approbavit Innocentius I. ad ejus conſulta reſpondens; eo tamen adhibito temperamento quoad ordinationem Epiſcoporum ſecundi gradus, ut vicinos quidem ad ſe accerſat, longè tamen poſitos in provinciis conſentiat ordinari: *Ceteros non ſine permiſſu conſcientiáque tua ſinas Epiſcopos procreari. In quibus hunc modum rectè ſervabis, ut longè poſitos, literis datis, ordinari cenſeas ab iis qui nunc eos ſuo tantùm ordinant arbitratu; vicinos autem, ſi æſtimas, ad manus impoſitionem tuæ gratiæ ſtatuas pervenire.*

Innoc. I. ep. ad Alex. Antioch.

V. In Concilio tamen Epheſino conquerentibus Epiſcopis Cypriis, metropolis illius inſulæ, tametſi intra patriarchatus Antiocheni limites contineretur, retinuit priſcum morem, ſecundùm apoſtolicos canones & Nicænos; id eſt, ordinatio Epiſcopi Conſtantiæ, qui Cypri Metropolitanus erat, relicta eſt ſynodo illius provinciæ, & vetita Patriarchæ Antiocheno. Conſtitutio illa manavit in omnes provincias Eccleſiæ, quibus ſua libertas conſervata eſt ſecundùm Canones; addito, ne Epiſcopi quicquam audeant in provinciis quæ ab eis ex veteri conſuetudine non pendebant: *Ne patrum canones prætereantur, néve ſub ſacerdotij prætextu, mundanæ poteſtatis faſtus irrepat; ne clam paulatim libertas amittatur, quam nobis donavit ſanguine ſuo Dominus noſter Ieſus Chriſtus, omnium hominum liberator.*

VI. Poſſet tentari ex iis quæ ſuprà dicta ſunt ordinationem omnium Metropolitanorum Occidentis pertinere ad Romanum Pontificem, qui Patriarcha eſt Occidentis; cùm præſertim Epiſcoporum Alexandriæ & Antiochiæ auctoritatem Nicæna Synodus conſtituat ad exemplum Epiſcopi urbis Romæ. Equidem id neceſſariò conſequitur ex iis quæ dicta ſunt; ſed ita tamen ut auctoritas illa ordinandorum Metropolitarum coërceatur intra limites ſynodi patriarchalis ordinariæ Epiſcopi Romani, id eſt, de Metropolitanis tantùm accipiatur qui Diœceſeos Vrbicariæ finibus continentur. Quapropter Iuſtinianus formam præſcribens ſynodorum quæ à Patriarchis convocari debent, ait diſertis verbis ad illas convenire debere Epiſcopos qui pertinent ad eorum ordinationem. Vnde ſequitur idem prosùs ſignificari, ſi quis dicatur ad ſynodum Patriarchæ cujuſpiam aut ad ejus ordinationem pertinere. In quibuſdam porrò ceteri Patriarchæ cum Romano componi poſſunt, in quibuſdam diſcrepant. Alexandrinus enim & Antiochenus unicam tantùm Diœceſim eccleſiaſticam obtinebant ex decem Metropolitanis conflatam. quanquam poſtea Conſtantinopolitano tributæ ſunt tres Diœceſes, in quibus XXVII. Metropolitani numerabantur. At Epiſcopi Romani cura, præter patriarchatum ordinarium, qui ſaltem ex Diœceſi Vrbicaria decémque Metropolitanis conſtabat, porrigebatur in reliquas omnes Occidentis metropoles, quæ ſexagenarium numerum egrediebantur. Majoris itaque Italiæ partis Metropolitani à Summo Pontifice ordinabantur in ipſa Vrbe; aut poſtquam Epiſcoporum comprovincialium conſenſus electionem firmaverat, ij permiſſu ejus ordinationem Metropolitani celebrabant. Sed in Diœceſi Vrbicaria receptum erat ut Epiſcopi aliis Metropolitanis ſubjecti, ab eo conſecrarentur. In quo ſimilis eſt Epiſcopo Alexandriæ, juxta Concilium Nicænum. Ceterùm id à nemine ante me obſervatum fuerat.

Nov. 123. & 137.

Vide supra lib. 1. c. 7. §. 3.

VII. Ambrosij sanè Mediolanensis Episcopi electio & ordinatio, quæ facta est à Synodo totius Italiæ decreto Imperatoris Valentiniani coacta, evincit nihil juris per illas tempestates Romano Pontifici competivisse in ordinatione Metropolitani Mediolanensis; à qua manus abstinuit per multum ævi, serò usurpata ejus ordinatione. Colligi id abundè potest ex epistola Pelagij I. anno DLV. in sede Petri præsidentis: qui docens Episcopos Aquileiensem & Mediolanensem consuevisse invicem sibi manus imponere quando alterutra harum sedium pastore proprio viduata erat, insinuare tamen nititur hanc consuetudinem introductam esse vitandis sumptibus qui electo incumberent, si Romam pro ordinatione accedere cogeretur; cùm vera hujus instituti ratio in eo consistat, quòd cùm Mediolanum esset caput Diœceseos Italicæ, ut constat ex Concilio Aquileiensi, ordinatio Metropolitæ Aquileiensis ad Episcopum Mediolanensem optimo jure pertinebat; Primatis verò Mediolanensis ordinatio ad Aquileiensem Episcopum, quòd primus esset inter Metropolitanos synodi generalis Diœceseos Italicæ. Ex epistola tamen quadam Gregorij I. colligitur jam ævo ejus, id est, LVIII. annis post Pelagium, invaluisse ut necessarius esset Summi Pontificis consensus ad hoc ut Episcopis provinciæ Mediolanensis libera esset ordinatio Metropolitani. Verba ejus minimè ambigua sunt ad Exarchum Italiæ scribentis de electione Episcopi Mediolanensis. Ait enim se, ut consuetudinem servet, missurum esse ministrum Ecclesiæ Romanæ, qui electum ab Episcopis comprovincialibus, sicut vetus mos exigit, cum assensu quoque Pontificis Romani, faciat consecrari. Distinguit autem illic accuratè jus canonicum Episcoporum comprovincialium, quod veteri mori adscribit, ab Ecclesiæ Romanæ possessione, quam simpliciter consuetudinem appellat, absque ullo epitheto. quæ consuetudo hauddubiè introducta erat post schisma Ecclesiarum Mediolanensis & Aquileiensis. *Necesse fuit pro servanda consuetudine*, inquit Gregorius, *militem Ecclesiæ nostræ dirigere, qui cum in quo omnium voluntates atque consensum concorditer convenire cognoverit, à suis Episcopis, sicut vetus mos exigit, cum nostro tamen assensu, faciat consecrari.* Idem ad Ioannem Subdiaconum, cui harum rerum executionem commisit, scribens, ita loquitur: *Tunc eum à propriis Episcopis, sicut antiquitatis mos exigit, cum nostræ auctoritatis assensu facias consecrari: quatenus hujusmodi servata consuetudine, & apostolica sedes proprium vigorem retineat, & à se concessa aliis jura non minuat.* Idem jus in Ecclesia Salonitana, quæ Dalmatiæ metropolis erat, usurpabat Gregorius; ut refertur apud Gratianum in c. *Salonitanæ.* dist. 63.

Vide supra lib. 5. cap. 53. §. 3.

Apud Gratian. dist. 63. c. 10.

VIII. At provinciæ quæ extra Italiam erant, Metropolitanos hauddubiè suos ordinabant absque auctoritate Episcopi Romani, & absque consensu ejus. In Africa quippe unaquæque provincia ordinationes suas celebrabat; ut videre est in canonibus Conciliorum Africanorum, & apud Augustinum. Hic enim respondens Donatistis, qui Cæciliani Episcopi Carthaginensis ordinationem non esse legitimam affirmabant, eo prætextu, quòd cùm totius Africæ Primas esset, debuerat ordinari à Primate Numidiæ, aut ab alio quodam Primate, quod factum non fuerat, ait hanc esse consuetudinem Ecclesiæ, non ut Primatem Carthaginis ordinet aliquis Episcopus Metropolitanus, sed propinquiores Episcopi; sicut nec Ecclesiæ Romanæ antistitem ordinat aliquis Episcopus Metropolitanus, sed Episcopus Ostiensis: *Quòd non expectaverit Cæcilianus ut princeps à principe ordinaretur, cùm aliud habeat Ecclesiæ consuetudo, ut non Numidiæ, sed propinquiores Episcopi, Episcopum Ecclesiæ Carthaginis ordinent; sicut nec Ecclesiæ Romanæ ordinat aliquis Episcopus Metropolitanus, sed de proximo Ostiensis Episcopus.* Augustin. ad Bonif. Epist. 162.

Eodem jure utebantur Ecclesiæ Hispaniarum; ut discimus ex Concilio IV. Toletano, quod anno DCXXXIII. habitum est. *Episcopus*, inquit, *comprovincialis ibi consecrandus est ubi Metropolitanus elegerit. Metropolitanus autem nonnisi in civitate metropoli, comprovincialibus ibidem convenientibus.* Concil. Tolet. 4. c. 18.

Dardania quoque, & ceteræ provinciæ Illyrico contiguæ, jure eodem communi utebantur ætate Gelasij Pontificis Romani, ut ipse testatur ad eorum Episcopos scribens: *Caritatem vestram*, inquit, *duximus instruendam, ut vos omnes in commune fratres, sive per Dardaniam, sive per quamcunque contiguam provinciam constituti, qui vos sub Metropolitanis vestris esse meministis, & ab eisdem substitui decedentes, sicut vetus consuetudo deposcit, unanimiter statuatis antistites. Et vicissim si Metropolitanus humanæ conditionis sorte decesserit, à comprovincialibus Episcopis, sicut forma transmisit, sacrari modis omnibus censeatis. nec quemquam sibi quod vobis antiqua dispositione concessum est patiamini vendicare.* Gelas. epist. 13. Dardan. 3. apud Gratian. dist. 22. c. 4.

IX. Ecclesiæ etiam Gallicanæ libertas ea erat ut canonum præscriptis inhæreret, Metropolitanósque suos non alibi sineret ordinari quàm in synodo provinciæ; nisi si

apud quasdam Ecclesias hic mos inoleverat ut Episcopus Metropolitanus à propinquiori Metropolitano acciperet manus impositionem. Sed novam illam consuetudinem abolevit Synodus Aurelianensis secunda; quæ *antiquam constitutionis formulam* renovavit, statuens ut Metropolitanus ab Episcopis comprovincialibus ordinetur. cujus synodi verba suprà relata sunt in §. 111. hujus capitis. At Concilium Aurelianense 111. quinquennio pòst celebratum, id est, anno quingentesimo trigesimo octavo, repudiato canone illo prioris synodi, novam consuetudinem revocavit, qua receptum erat Metropolitanos à Metropolitanis ordinari: *De Metropolitanorum verò ordinationibus id placuit, ut Metropolitani à Metropolitanis, omnibus, si fieri potest, præsentibus comprovincialibus, ordinentur; ita ut ipsi Metropolitano ordinandi privilegium maneat quem ordinationis consuetudo requirit.* Quæ institutio aliqua in re similis est versioni Græcæ canonis sexti Sardicensis, quo sancitum est ut Episcopi vicinæ provinciæ invitentur ad ordinationem Metropolitani alienæ provinciæ: Χρὴ δὲ ἐ μεταλείῳθαι ἐ τὺς ἀπὸ τῆς κλησιοχόρυ ἐπαρχίας ἐπισκόπυς πρὸς τὴν κατάςασιν τῦ τῆς μητροπόλεως ἐπισκόπυ. Attamen fatendum est interpretem Græcum non cepisse sententiam hujus canonis, qui in contextu Latino nullam hujus rei mentionem facit. Hincmarus in synodo Metensi, quæ propter Karoli Calvi in regno Lotharij coronationem coacta est, adnotavit Remensem & Trevirensem Ecclesias *commissis sibi Ecclesiis* velut *sorores & comprovinciales* haberi, sive in ordinationibus peragendis, sive pro judiciis causarum ecclesiasticarum, sicut antiqua demonstrat consuetudo.

Synodus illa edita est inter Capitula Karoli Calvi, & To. 1. oper. Hincmari.

X. Sub secunda Regum nostrorum dynastia, vetus consuetudo valuit, nempe ut Metropolitani ab Episcopis comprovincialibus ordinarentur. Hunc seculi sui usum fuisse docet Hincmarus; qui præterea probat Galliarum Metropolitanis jus illud competivisse secundùm canones Nicænos, Antiochenos, & Africanos, & ob idipsum Primates esse. Nam duo Primatum genera agnoscit; quorum quidam iidem sunt cum Patriarchis, alij verò, Metropolitani. quod discrimen hausit ex versione Concilij Chalcedonensis à Dionysio Exiguo confecta, & ex canonibus item Africanis. De Primatibus autem secundi generis sic loquitur Hincmarus: *Sed & quidam Archiepiscopi vel Metropolitani Primates provinciarum multoties in sacris canonibus inveniuntur, illi videlicet qui in loco defunctorum ab Episcopis uniuscujusque provinciæ sine interrogatione alterius Primatis prævalent ordinari, & ex antiquæ consuetudinis lege à sede apostolica Pallij solent genio insigniri, & in loco decedentium Episcoporum, sine consensu vel licentia Primatis alterius, in sua provincia quique possunt Episcopos ordinare.* Hanc loquendi formam, id est, *Pallij genium*, mutuatus est Hincmarus ex epistolis sancti Gregorij: qui de Siagrio Augustodunensi Episcopo loquens, ait ipsum petiisse Pallium, *pro genio & honore suæ Ecclesiæ.*

Vide Marcam in libro de Primatibus. §. 24.

Hincm. in Opusc. c. 17. & in epist. c. 15.

Gregor. lib. 7. ep. 131. Videetiam epistolam Synodicam Concilij Duziac. 1. ad Hadrianum II.

XI. Ætate Ivonis Carnotensis, Hugo Lugdunensis Archiepiscopus sibi, tanquam Primati, deberi professionem obedientiæ contendebat ab electo Senonensi antè quàm consecraretur; suúmque hoc consilium fulcire nitebatur auctoritate sedis apostolicæ, qua fungebatur. Rescripsit Ivo consecrationem Metropolitani Senonensis pertinere ad Episcopos comprovinciales, neque expectandum esse ut electus faciat priùs professionem canonicam Primati Lugdunensi, cùm id canonibus sit contrarium. Deinde addit: *Cùm ergo tam ista quàm alia generalia instituta tam absolutè consecrationem Metropolitanorum contineant, miramur cur privatis legibus & novis traditionibus veteres traditiones & consuetudines removere contenditis, præcipiendo ut Senonensis electus ante consecrationem suam vobis præsentetur, & jure primatus vestri subjectionem & obedientiam profiteatur.* Tum ait se nihil prorsùs heic remissurum esse ex jure Ecclesiarum suæ provinciæ; & si contra tetenderit Hugo, comminatur se ab ejus communione discessurum: *De tantillo jure quod habent Ecclesiæ nostræ nec volumus nec debemus cedere.* Infrà: *Si autem petitionibus nostris non adquieveritis, & aliquod schisma inde fuerit exortum; securè dicam, neque iniquitas mea, neque peccatum meum; neque vos poteritis dicere vobis non fuisse prædictum.*

Ivo ep. 60.

Ordinationem porrò Archiepiscopi comprovincialibus Episcopis conservaverunt libri Decretalium, ut videre est in responsis Lucij III. in cap. *Si Archiepiscopus.* De tempore ordinandorum.

ADDITIO

Stephani Baluzii.

Attamen immutato paulò pòst hoc jure, Archiepiscoporum consecratio paulatim adempta est Episcopis comprovincialibus, & Summo Pontifici servata; ut omnibus est notissimum. Sed tamen prætermitti non debet insignis locus viri illa ætate celeberrimi, Gulielmi de Montelauduno Iuris Canonici Professoris in Academia Tolosana, qui vivebat anno millesimo trecentesimo quadragesimo sexto. Is ergo in libro sacramentali, *Rubrica de ordine episcopali* Tit. x. sic ait: *Quis consecrat Episcopum? Dic quòd Archiepiscopus cum suis suffraganeis de te. or. nec*

Episcopi. Sed quis Archiepiscopum, vel superiores? Dic quòd de jure communi omnes Episcopi debent consentire, & tres illorum consecrare, supra eod. tit. Si Archiepiscopus. 63. dist. per ambitionem. Papa tamen jam præscripsit contrarium, cujus auctoritate tantùm hodie consecrantur, ut 24. q. 2. pudenda. & 51. dist. cap. fin. Liber ille sacramentalis Gulielmi de Montelauduno extat MS. in Bibliotheca Ecclesiæ Helenensis, unde locum hunc à me describi Marca jussit anno MDCLX. quum apud Ruscinones degeret pro figendis regnorum limitibus in Pyrenæo. Ejusdem libri duo manuscripta exemplaria extant in Bibliotheca monasterij Rivipullensis apud Catalanos, aliud in archivo Ecclesiæ Narbonensis, itémque aliud in Bibliotheca Regis Christianissimi. Cetertùm Gulielmi hujus lucubrationes frequenter laudant Richardus Archiepiscopus Armachanus in Tractatu MS. *De audientia confessionum*, itémque Franciscanus quidam qui ea tempestate adversùs huncce Richardi Tractatum scripsit, Bernardus Lauretus Præses Tolosanus in Tractatu de potestate seculari in Ecclesiasticos, Arnulphus Ruzæus in Tractatu juris Regaliæ, Philippus Probus in Tractatu item juris Regaliæ, Glossator libri Sexti Decretalium, aliique. Quoniam verò nullus hactenus, quod sciam, ejus viri opera recensuit, utar hac occasione ut ea promam quæ mihi comperta sunt. Scripsit itaque Gulielmus de Montelauduno, præter librum Sacramentalem, Lecturam in Librum Sextum Decretalium, quam laudant Ruzæus & Probus; ad quam Apostillas seu Additiones scripsit Blasius Aurioli Doctor Tolosanus. Scripsit præterea Apparatum Constitutionum Clementis V. qui frequenter item laudatur à Ruzæo & Aufrerio in Repetitionibus ad Clement. Hujus autem Apparatus tria manuscripta exemplaria extant in Bibliotheca monasterij sancti Sergij Andegavensis, itémque aliud in Bibliotheca monasterij sancti Albini Andegavensis. In eodem codice sancti Albini extat Apparatus ejusdem Gulielmi *super Extravagantes Domini Iohannis Papæ XXII.* qui laudatur etiam à Ruzæo & Probo. Scripsit etiam Gulielmus iste Tractatum de Cardinalibus, qui laudatur ab Ægidio le Maistre in Tractatu de Regalibus cap. VII. Quædam porrò ejus Lecturæ in aliquot juris Canonici posterioris capita editæ sunt in voluminibus Repetitionum Iuris Canonici.

CAPVT V.

Synopsis.

I. Quæritur an Metropolitani qui Summi Pontificis auctoritate consecrati non erant, ejus confirmationem obtinere tenerentur post consecrationem. Quæstio hæc proposita est à Glossatore Decreti; cui hæret aqua. Episcopi specialis Diœceseos Ecclesiæ Romanæ confirmabantur à Summo Pontifice. Diversum prorsùs obtinebat quoad alios.

II. Objicitur Patriarchas antiquitus ea necessitate obstrictos fuisse ut tenerentur ad obtinendam confirmationem suam à Summo Pontifice. Potiori jure id observandum esse quoad Metropolitanos.

III. Opponitur deinde exemplum Ecclesiæ Thessalonicensis, ad cujus Episcopum relationem de ordinatione sua mittere tenebantur Metropolitani Illyrici orientalis. Hoc ex eo profectum, quòd Episcopus Thessalonicensis jus patriarchicum obtineret in Illyrico.

IV. Tum adducitur exemplum Episcoporum Gallicanorum, qui Hincmari Remensis ordinationem confirmari petunt à Sergio. Sed id trahi non potest in consequentiam, cùm ob grævem causam ita fieri oportuerit, ad infringendos nimirum conatus Ebbonis.

I. HEIC sese offert quæstio magni momenti, habita ratione argumentorum quæ inde deduci possunt; nimirum, an Metropolitani qui neque à Summo Pontifice neque ex mandato ejus consecrati erant, ejus confirmationem obtinere tenerentur post consecrationem. Difficultatem hanc proponit Glossa in cap. *Quia igitur*. dist. 63. Verùm cùm decisio hujus quæstionis molestum haberet auctorem hujus Glossæ, eò confugit, ut diceret plures esse Archiepiscopos qui à Summo Pontifice non confirmantur, sed tantùm recipiunt Pallium. Erudita quidem & vera est hæc opinio: attamen explicatione indiget, & testimoniis scriptorum quibus fulciri possit. Episcopi namque specialis Diœceseos Ecclesiæ Romanæ distinguendi sunt à reliquis Episcopis Occidentis, qui ad eam Diœcesim non pertinebant. Illi à Summo Pontifice confirmabantur, cujus consensus accedebat ante vel post consecrationem. At ceteri neque ab eo confirmabantur, neque consecrabantur; fruebantúrque privilegiis quæ Nicæna synodus decrevit Metropolitanis esse servanda, & ea libertate quam eis Ephesinum Concilium præcipit conservari.

II. Ac mihi quidem in hanc quæstionem accuratè inquirenti visum est tria potissimùm adversùs hanc regulam posse opponi; meáque esse partes duxi ut palam promerem quæ mihi in mentem circa hæc venerunt, quibus difficultates illas complanari posse existimo. Primùm ergo dici potest (id quod illustrissimus Cardinalis Baronius, iique qui de fidei controversiis tractant, persuadere conantur) Patriarchas antiquitus ea necessitate obstrictos fuisse ut tenerentur ad obtinendam confirmationem suam à Summo Pontifice. Quod se probare existimant auctoritate Leonis I. qui rogante Theodosio Imperatore confirmavit electionem Anatolij Constantinopolitani. Adducunt etiam auctoritatem Papæ Simplicij, qui confirmationem Patriarchæ Alexandrini recusavit, & alia his similia argumenta. Cùm itaque eo jure erga Patriarchas uteretur Episcopus Romanus, dubitari non potest quin potiore jure Metropolitani teneantur ad obtinendam ejus confirmationem.

Quod ad Patriarchas attinet; responderi potest confirmationem illam non esse signum jurisdictionis, sed tantùm susceptionis in communionem, & testimonium quo con-

stabat Summum Pontificem consentire consecrationi jam peractæ. quod Cyprianus, de episcopatu Papæ Cornelij loquens, his verbis explicat, ut dicat ejus electionem consensione Cypriani & reliquorum Episcoporum esse firmatam. Quippe usu receptum erat per illas tempestates ut Patriarchæ, & ipse etiam Romanus Pontifex recens electus, literas de sua ordinatione mitterent; quibus addebatur professio fidei, in synodicis eorum epistolis conscripta. Cùm itaque Papæ Vrbis redditæ essent relationes quæ harum ordinationum gesta continerent, is literas communicatorias scribebat ad Patriarchas, nisi admonitus fuisset extare aliquod impedimentum canonicum in persona electi. Quo casu, communionem ei suam ad tempus denegabat; ut factum est à Simplicio in causa Patriarchæ Alexandrini recens electi.

Cyprian. ep. 52.

Vide supra lib. 5. cap. 31. §. 13.

III. Adduci deinde potest adversùs regulam à nobis propositam exemplum Ecclesiæ Thessalonicensis, quæ eo jure fruebatur, ut Metropolitani Illyrici orientalis tenerentur ad Episcopum Thessalonicensem mittere relationem de sua ordinatione. Quippe temporibus Hormisdæ Summi Pontificis, Dorotheus Episcopus Thessalonicensis acriter ultus est injuriam sedi suæ factam ab Episcopo Metropolitano Nicopoleos in Epiro, qui officium illud omiserat post consecrationem suam. Dorothei facinus illud improbavit Hormisda, eo prætextu, quòd cùm Episcopus Thessalonicensis se abstinuisset ab Ecclesiæ Romanæ communione, Nicopolitanus omiserat veterem consuetudinem, ut sedis apostolicæ communionem promereretur, non autem ut consuetudinem violaret. *Obtulit nobis*, inquit Hormisda, *epistolam Ioannis Episcopi sui, & aliam synodi subjacentis Ecclesiæ Nicopolitanæ, qua queruntur ab Episcopo Thessalonicensi excitatas adversùs se tam principales quàm judicarias potestates, concussionibus & dispendiis se vehementer affligi, propter hoc quia de ordinatione sua ad Episcopum relationem secundùm prisca exemplà non miserit.* Item in epistola XXII. *Non igitur consuetudo est neglecta, sed vitata cantagia.* Telum hoc repelli potest nullo negotio, si privatam Episcopi Thessalonicensis consuetudinem spectemus, qui jus exarchicum sive patriarchicum obtinebat in Diœcesim Illyricianam. Antiquitus itaque jus illud ei competebat ut Metropolitani suæ Diœceseos ab eo ordinarentur, aut, de consensu ejus, ab Episcopis comprovincialibus. Ita enim ad Anastasium Thessalonicensem rescripsit Leo primus: *De cujus nomine ad tuam notitiam provinciales referant sacerdotes, impleturi vota poscentium, cùm quod ipsis placuit, tibi placuisse cognoverint.* Ius autem illud ad Episcopum Thessalonicensem spectabat secundùm veterem Ecclesiæ suæ consuetudinem, non verò ratione vicariatus sibi à Summis Pontificibus concessi in his regionibus. Vicariatu enim illo non tam nova auctoritas tribuebatur Ecclesiæ Thessalonicensi quàm cumulatio juris; quemadmodum alibi accuratè explico. Ius illud nihilominus aliquantulùm infregerat consuetudo contraria à temporibus Hormisdæ, id est, octuaginta annis post Leonem. Moris quippe in posterum non fuit ut ab Episcopo Thessalonicensi peteretur libertas ordinandi Metropolitanum; cui satis esse putabant, si de ordinatione ad eum referretur. Illud tamen trahi non debet in consequentiam quoad Metropolitanos qui tali consuetudini non erant subjecti.

Vide epistolam Xisti Papæ ad Synodum Thessalonicensem, inter Acta Synodi Rom. sub Bonifacio II.

Vide supra lib. 5. cap. 25. §. 7. & seq.

Hormisda ep. 17.

IV. Tertiò opponi posset Concilium Suessionense habitum anno DCCCLIII. in quo Hincmarus Remensis Archiepiscopus, ut probaret electionem & ordinationem suam canonicè celebratam esse, ostendit epistolam ab Episcopis Gallicanis ad Sergium Papam scriptam pro confirmatione ordinationis Hincmari: *Porrexit etiam epistolam totius Galliæ Episcoporum subterscriptam ad apostolicam sedem pro confirmatione ipsius ordinationis.* Sed non inde sequitur jus illud ordinarium fuisse in Gallia ut necessaria esset Summi Pontificis confirmatio pro ordinatione Metropolitani. At in causa Hincmari necessarium fuit hoc obsequij & reverentiæ genus. Ebbo Remensis Archiepiscopus, in cujus cathedra sedebat Hincmarus, adhuc vivebat; & licèt ab episcopatu dejectus fuisset, semper tamen sperabat eam Ecclesiam sibi restitutum iri, adeo ut post depositionem ei reddita fuerit auctoritate Lotharij Imperatoris. Nihilominus eam postea dereliquit; neque intercessit ordinationi duorum Archiepiscoporum qui post abdicationem ejus eam per XXVII. menses obtinuerunt, nec aliquid turbarum adversùs illos excitavit. Quam ob rem synodus nationalis Belvacensis sancivit ut Episcopus in Ecclesia Remensi ordinaretur. Hincmarus igitur cleri ac populi civitatis suffragiis electus, in synodo ordinatus est ab Episcopis comprovincialibus, quam ordinationem regio diplomate confirmavit Karolus Calvus. Episcopi verò Gallicani literas ad Sergium Papam scripsere ut judicium eorum & ordinationem dein peractam à sede apostolica approbari peterent. Quod ea de causa factum est ut omnis Ebboni via præcluderetur quò minùs Summi Pontificis auctoritate causa ejus retractaretur. id enim ab eo tentari intelligebant. quod & aliquot pòst annis obtinuit,

Concil. Suession. II. Act. 3. To. 3. Concilior. Galliæ.

Concil. Belvac. ann. 845.

sed prorsùs inutiliter. Approbatio igitur illa quam à Sergio Papa postulabant Episcopi, necessaria erat pro ordinatione Hincmari, & ad infringendos conatus Ebbonis, non autem ad hoc tantùm ut Metropolitani ordinatio confirmaretur à sede apostolica. Sanè ordinationem illam Leoni IV. placuisse, & ab eo approbatam esse, docet Hincmarus in scedula à se porrecta Concilio Suessionensi III. anno DCCCLXVI. ubi etiam scribit Pallij usum sibi à Leone concessum.

CAPVT VI.

Synopsis.

I. De Pallio dato Metropolitanis. Ejus concessio paulatim infregit eorum libertatem & synodorum provincialium auctoritatem. Origo ejus satis vetusta. Ea tamen quæ hodie usurpantur, antiquitati prorsùs ignota fuere. Discrimen antiqui & novi juris.

II. Pallium olim longè aliud erat quàm illud quo hodie utimur. Erat autem genus quoddam imperatorij indumenti. Ante Zachariæ Pontificis tempora non tribuebatur universis Galliarum Metropolitanis.

III. Descriptio Pallij hodierni & antiqui. Vetus à Latinis constanter appellatum est Pallium; à Græcis verò ὠμοφόριον & φαινόλιον. Omophorij vox ambigua. Quippe interdum significat vestem laneam quam Episcopi deferebant extra sacrificij tempora.

IV. Aliàs Omophorion accipitur pro indumento Patriarcharum. Ejus descriptio. Augusta erat hæc vestis. Ex Pelagio I. & Gregorio Magno.

V. Pallium illud erat verè pallium, non autem exigua fascia; ut patet ex Liberato & Ioanne Diacono.

VI. Pallij usus Patriarchis permissus ab Imperatoribus. Id Ecclesia Romana fatetur. De donatione Constantini.

VII. Explicantur verba donationis. Card. Baronius notatus. Phrygium est ornamentum capitis, quod mitram vocamus. Lorum non est Pallium. Lora, id est, fascia. Tunicæ dilores & trilores apud Fl. Vopiscum.

VIII. Chlamys, id est, Pallium imperiale. Cujusmodi illud fuerit. Pelagius I. & sanctus Gregorius illustrati.

IX. De Sacco, Stichario, & Phenolio. Saccum omnium optimè referebat Pallium Latinorum. Forma ejus describitur, ex Balsamone, & Gregorio Chomateno.

X. Pallium esse beneficium Imperatorum probatur etiam ex Liberato. Pallium Arelatensibus Episcopis tributum, cum consensu Imperatorum. Gregorio tamen primo sufficere visus est consensus Regis Childeberti. Necessitas illa consensus Imperatoris honorificentissima est pro Summo Pontifice.

XI. Baronius notatus, qui Pallium ait esse indumentum ecclesiasticum. Ætate Theodosij Pallium non erat in usu apud Ecclesiam. Anastasius Bibliothecarius notatus.

I. POST explicatam superiori capite priorem Glossæ observationem, superest ut ad secundam veniamus. Cùm itaque ibi scriptum sit nonnullos esse Metropolitanos qui non confirmantur à Papa, sed tamen ab eo Pallium accipiunt, observationes & ipse meas circa hanc materiam proponam; quæ magni est momenti, ob argumenta quæ inde peti possunt.

Optabant sanè olim Summi Pontifices ut omnes Metropolitani qui ad eorum patriarchatum pertinebant aliquod confirmationis genus à sede apostolica acciperent. Verùm quia ubique receptum erat consecrationes fieri posse extra Italiam absque eorum consensu, vim ei legi palam adferre noluerunt; sed Metropolitanos rei cujusdam novæ miraculo velut obstupefecerunt; quæ in initio magnifica, paulatim tamen antiquam eorum libertatem per cuniculos infregit, & synodorum provincialium auctoritatem pessumdedit. De Pallij usu loquor: cujus origo cùm sit satis vetusta, effectus tamen ejus, & cetera quæ nunc usurpantur, antiquitati prorsùs ignota fuere. Quippe Galliarum Metropolitani statim post ordinationem suam exercebant functiones sui muneris, juxta canones antiquos. At jus novum eos prohibet quicquam pontificalis officij attingere donec à sede apostolica missum ad eos fuerit Pallium, de corpore beati Petri sumptum.

II. Cùm materia isthæc digna sit eruditorum hominum curiositate, dicam primùm quid ipse sentiam de origine Pallij; tum aperiam quo primùm tempore necessitas ejus introducta sit. At mihi quidem tria præcipuè notatu digna observasse videor. Primùm, initio Pallium alia prorsùs forma compositum fuisse quàm illud quod hodie in usu habetur. Secundùm, (quod nonnulli viri eruditi subodorati sunt, neque tamen satis probavere) Pallium antiquitus fuisse genus quoddam imperatorij indumenti, cujus usum Imperatores permisere Patriarchis, à quibus dein communicatum est cum Metropolitanis. Tertiùm, illud non fuisse tributum universis Galliarum Metropolitanis ante tempora Zachariæ Pontificis Romani, id est, ante annum circiter septingentesimum quadragesimum quartum.

III. Igitur in antecessum statuere debemus Pallium hodiernum nihil aliud esse quàm fasciam laneam candidam, in modum circuli contextam, quæ super humeros imponitur: ex quo circulo impendet pectori fascia similis, & alia ex adverso inter humeros demittitur; utraque habens crucem rubeam, præter eas quæ in ipso circulo extant super humeros. Pallium autem illud alligatur ope trium acicularum aurearum sive spinularum

spinularum. Ita enim Pallium describunt Honorius Augustodunensis, Hugo à sancto Victore, & Innocentius tertius, qui acicu-
Innoc. III. lib. 11 de myster. Missæ cap. 63. las illas vocant *Spinulas*. Priscum verò Pallium, indumentum erat præclarissimum, & fulgens, quod ad terram demittebatur. Quod me faciliùs probaturum esse confido, si priùs explicavero varia nomina indumenti hujus apud veteres. Apud Latinos quidem Pallium constanter appellatum est; apud Græcos verò ὠμοφόριον, hoc est, *superhumerale*, φενόλιον. Omophorij tamen vox ambigua est. Quippe interdum significat vestem quandam laneam, quam Episcopi ut plurimùm humeris suis imponebant extra sacrificij tempora, saltem apud Orien-
* Gallicè Camail. Italicè Mozzetta. tales, aliquo modo similem ei * Palliolo quo hodie utuntur Episcopi nostrates. Omophorij hujus mentionem facit Isidorus Pelusiota: qui adnotat, ideo laneum illud esse, ut
Isidor. Pelus. lib. 4. ep. 136. ostendatur quantam gregis sibi commissi curam gerere debeant Episcopi. Effigiem ejus exhibet vetus numisma Imperatoris Theodosij, apud Fulvium Vrsinum: in quo beati Apostoli Philippus & Ioannes habitu Episcoporum repræsentantur, capite raso, & cum Palliolo illo crucibus ornato, & ad pectus usque pertingente; posito volumine quodam in manu dextra, & cruce in sinistra.

IV. Aliàs Omophorion accipitur pro indumento Patriarcharum, quod Latini Pallium appellant. Hoc autem indumentum usque ad talos demittebatur. Descriptionis hujus probatio sumitur ex Zonara: qui in vita Constantini Copronymi ait Anastasium insistentem vestigiis Germani Patriarchæ, Omophorion ejus calcasse, ut eum admoneret ne festinaret. Sanè vox ipsa Pallij evincit illud fuisse indumentum integrum, non autem fasciolas aliquot laneas; ut probatur ex Pelagio & Gregorio I. Pontificibus Romanis, qui docent illud fuisse vestem augustam, quæ haud vulgari more ornaret eum qui ea utebatur. Pelagij enim primi verba hæc sunt ad Sapaudum Arelatensem Episcopum scribentis: *Pallium dirigentes; ut in tanti loci fastigio constitutus, præclaro quoque habitu decoreris.* Gregorius verò Pallium esse dicit *habitus exterioris clariorem cultum, indumenti munificentiam*, ad Syagrium Augustodunensem scribens; quem statim admonet necesse esse *ut cultui vestium, actionis quoque ornamenta conveniant.* Et lib. IV. epist. LIV. scribens ad Marinanum Ravennatensem Episcopum, eadem eum meminisse monet, his verbis: *Sic eris alterno invicem decore conspicuus, si ad hujusmodi corporis habitum, mentis quoque bona conveniant.* Quæ loca manifestè probant Pallium fuisse indumentum præclarissimum, non verò fasciolas solùm laneas.

V. Sed præterea Pallium illud fuisse verè pallium, hoc est, aliud quàm exiguam fasciam, colligi potest ex iis quæ refert Liberatus in capite XVIII. Breviarij, scilicet, sententiam damnationis à Felice Papa latam adversùs Acacium Patriarcham Constantinopolitanum, quam is recipere noluerat, Pallio ejus alligatam fuisse à quodam monacho, cùm Acacius ad celebranda sacra ingrederetur: *Ita ut cogerentur*, inquit, *qui eas*, (id est, Felicis literas adversùs Acacium) *detulerunt, per quendam monachum Achimetensem ipsam chartam damnationis, dum ingrederetur ad celebranda sacra, suspendere in ejus Pallio, & discedere.* Quibus addi potest locus Ioannis Diaconi ex vita sancti Gregorij; cujus auctoritas efficiet ne temerarius esse videar in hac sententia proferenda; simúlque ostendet jam ejus ævo discrimen ingens fuisse inter Pallium veterum & illud quod ejus tempore in usu erat. Affirmat enim beatum Gregorium in veteribus picturis videri indutum Pallio ex byssò candente contexto, & nullis acubus perforato, quod in morem vestis humeros ejus operiebat. *Pallium ejus*, inquit, *byssò candente contextum, nullis acubus perforatum, sic ipsum circa scapulas devolutum fuisse, non autem confixum, sicut vetustissimis musivis vel picturis ostenditur.*
Ioannes Diac. in vita S. Gregor. lib. 4. c. 80.

VI. Alterum quod mihi observasse videor notatu dignum, nempe Pallium esse genus quoddam imperatorij indumenti, cujus usum Imperatores permisêre Patriarchis, videri prima fronte posset audaciæ plenum, nisi fidejussores optimos darem. Ecclesia namque Romana ita esse fatetur; quæ Constantini donationem, ubi scriptum est Pallium Romano Pontifici tributum beneficio istius Imperatoris, Decreto Gratiani insertam suscepit. Assentior sanè viris eruditis, qui donationem illam falsi arguunt, eo in primis argumento, quòd à Constantino facta esse dicatur. Fatendum est nihilominus vetus esse monumentum illud, & antecedere tempora Caroli Calvi, contrà quàm visum est iis qui antiquitatem ei maximam tribuere se existimant, cùm jam in rerum natura fuerit ævo Hadriani I. & Caroli Magni, ut ostendi suprà lib. III. cap. XII. Sufficit in præsentiarum quòd donatio illa, cujus auctoritas semper viguit in Ecclesia Romana donec techna isthæc detecta est, originem Pallij tribuit Imperatoribus. Id enim probat eam octingentos per annos invaluisse opinionem, & ob hoc ipsum non posse argui novitatis.

Vide suprà lib. 5. cap. 36. §. 4.

Greg. lib. 7. ep. 113.

VII. Arte tamen quadam & industria opus est ut Pallium in hac donatione deprehendi possit. Silvestro enim Pontifici omnium indumentorum imperialium usum permittit his verbis: *Deinde diadema, videlicet coronam capitis nostri, simúlque Phrygium, necnon superhumerale, videlicet lorum quod imperiale circumdare assolet collum, verùm etiam & chlamydem purpuream, atque tunicam coccineam.* Illustrissimus Cardinalis Baronius existimat heic *Phrygium* accipi debere pro Pallio. in quo eum sua decepit industria. Phrygium enim nihil aliud est quàm illud capitis ornamentum quod mitram vocamus, superiore sui parte clausum, in parte verò inferiore circulum habens aureum in modum coronæ. Mitram illam Bonifacius VIII. altero circulo aureo auxit, & Vrbanus V. tertio, eodem prorsùs modo dispositis quo hodie videmus in Tiara Summi Pontificis. Phrygium esse illud mitræ genus docent ipsa donationis verba, quæ sic habent: *Phrygium, candido nitore splendidum, ejus sacratissimo vertici nostris manibus imposuimus*; tum etiam Glossæ Isidori, & vetus interpres Vaticanus, qui Phrygium aiunt esse mitram. Quibus addi debet locus Sugerij in vita Ludovici Grossi; ubi ait capiti Innocentij secundi impositum fuisse Phrygium, quod Sugerius vocat *imperiale ornamentum.* Innocentius quoque III. in sermone de sancto Silvestro, eandem explicationem adhibet, dicens Papam loco regij diadematis uti Phygio, alludens haud dubiè ad donationem illam Constantini, in qua hæc leguntur: *Pro diademate regio utitur auriphrygio circulari.* Balsamo etsi lorum confudit cum Phrygio, utrumque tamen pro tegumento capitis usurpat.

Glossæ Isid. *Phrygium mitra.* Vatic. Interpres: *Phrygium μιτρην, καλυπτραν.*

Vide etiam Chronicon. Mauriniac. pag. 379. Anacletum 2. apud Baron ad an. 1130. §. 37. & Saxeiber. lib. 8. Policr. c. 23.

Balsamo ad Tit. 8. Novoc. c. 1. & Meditatione 1.

Superhumerale verò, sive *Lorum*, quod deinde in ea donatione legitur, existimant vulgò accipi debere pro Pallio. Igitur quia hæc opinio potest decipere incautos, dicam liberè quid mihi in mentem venerit; hoc uno in antecessum monito, sententiam meam inniti auctoritate scriptorum historiæ augustæ, apud quos vera lori significatio extat. Lora ergo fascias aureas rectè dixerimus, aut purpureas, sive prætextas tunicæ cuidam aut Pallio alligatas & connexas. Vnde apud Flavium Vopiscum legimus *Tunicas purpureas rectas dilores & trilores*, id est, tunicas purpureas quibus duo vel tria lora prætexta erant alligata.

Flavius Vopiscus in D. Aureliano.

VIII. Donatio igitur illa duo quædam docet; Constantinum videlicet dedisse *lorum* sive fascias quibus indumentum ejus ornabatur, & *chlamydem*, id est, Pallium imperiale. Vnde colligi non absurdè potest Pallij vocabulum olim fuisse complexum & Pallium ipsum regium integrum & fascias sive lora quibus illud erat ornatum. Quapropter mirum videri non debet si Pelagius primus & sanctus Gregorius tantopere commendant pulchritudinem & splendorem hujus Pallij, quod ad humum usque demittebatur, ut ostendi superiùs: quia non solùm ex loris constabat, sed etiam ex Pallio regio, ut notavit Balsamo Meditatione prima: *Vnde fit*, inquit, *ut sanctissimi Patriarchæ, qui sanctarum Ecclesiarum Dei capitis vicem implent, saccos induant, tunicásque fluviis ac triangulis, & penulas multis crucibus depictas.* In responsione ad XXXVII. interrogationem Marci Patriarchæ Alexandrini ait indumentum cui *Sacco* & *Polystaurio* nomen est, in quo depictæ sunt cruces, indumentum esse quo Patriarchæ ornantur ad differentiam reliquorum Episcoporum: *Eos enim hisce decorari placuit.*

Chlamydem esse Pallium patet ex his quæ supra dicta sunt lib. 3. cap. 12. §. 16.

IX. Igitur tria hæc, *Saccus*, *Sticharium*, & *Phenolium*, non erant ejusdem coloris, & ad varios usus porrigebantur. Quippe Sticharium & Phenolium interdum purpurea erant, non undis non crucibus onusta; & nullo alio in usu erant quàm in officiis, jejuniis, & funeribus. Aliquando autem candida erant, undis quoque & crucibus onusta; eorúmque usus usurpabatur cum Sacco. Saccus porrò necessariò candidus esse debuit; cui hæc insuper necessitas adstricta erat, ut eo uti Metropolitani non possent nisi in tribus diebus solennium festorum, id est, Paschæ, Pentecostes, & Natalis Domini; ut observavit Demetrius Chomatenus Bulgariæ Archiepiscopus in responsione ad secundam interrogationem Cabasilæ. Vnde colligi videtur Saccum omnium optimè referre Pallium Latinorum, cùm in solennibus tantùm festis diebus usurpari potuerit à Metropolitanis, velut Pallium. Ceterùm quod attinet ad molem & formam Sacci, eam colligere possumus ex verbis Balsamonis, qui Meditatione prima ait Saccum significare vestem opprobrij quæ Christo imposita est. Cùm autem Demetrius Chomatenus nos docuerit eum fuisse coloris albi, patet ejus descriptionem congruere cum ea quam Ioannes Diaconus exhibet in vita sancti Gregorij, cùm ait Gregorij Pallium ex byssо candente contextum fuisse in veteribus picturis.

X. Sed præter illam Ecclesiæ Romanæ confessionem, quæ octingentis abhinc annis agnovit Pallium, quo Romani Pontifices utuntur, Imperatorum esse beneficium, suppetunt etiam gravissima hujus rei argumenta, quibus contradici non posse existimo. Legimus enim apud Liberatum Diaconum, in cap. XXI. Breviarij, Anthimum Patriar-

cham Constantinopolitanum à sede sua dejectum, Pallium Imperatori Iustiniano reddidisse. *Anthimus*, inquit, *videns se sede pulsum, Pallium quod habuit Imperatoribus reddidit*, id est, Iustiniano, conjugique ejus Theodoræ. Nihil dici potuit apertius. Reddere enim ad eum refertur à quo res quæpiam accepta est. Sed ne quis hujus argumenti vim eludere se posse putet, eo prætextu, quòd cùm Anthimus Iustiniani & Theodoræ suffragatione ad hanc sedem promotus esset, Pallium ob hoc eis reddere voluerit, addam & argumentum aliud ex eadem antiquitate petitum. Episcopus Arelatensis nova quadam & peculiari dignitatis prærogativa auctus erat beneficio Zozimi Summi Pontificis anno quadringentesimo decimo septimo. Eam deinde auxit & Symmachus anno DXIV. sedis apostolicæ vicariatu per Gallias & Hispanias eidem Episcopo concesso. Auxanius ad hanc cathedram evectus anno quingentesimo quadragesimo tertio, præter vicariatum Papæ Vigilij, Pallio etiam insigniri cupiit. quod Pontifex distulit, donec ab Imperatore Iustiniano probatum foret. Hujus autem dilationis hanc reddit rationem: *Vt & vobis gratior præstitorum causa reddatur, dum quæ postulatis, cum consensu Christianissimi Principis referuntur, & nos honorem fidei ejus servasse cum competenti reverentia judicemur*, id est, fidem servasse Imperatori cum reverentia debita. Et biennio pòst, cùm Episcopo illi morem gessisset secundùm desiderium Childeberti Regis, eum hortatur ut preces ad Deum fundat pro Iustiniano & Theodora, qui, annitente Belisario, consenserant ut Auxanio vicariatus ille tribueretur, útque Pallium ad eum mitteretur: *qui pro his vestræ caritati mandandis præbuere consensum*, inquit Vigilius Papa in epistola secunda ad Auxanium. Auxanio verò defuncto, successòrem ejus Aurelianum eodem honore prosecutus est Vigilius, ut Regis Childeberti votis obsequeretur; sed epistola ad Aurelianum scripta, jussit ut Belisario grates ageret, qui & laborem & sumptus itineris, quod Aureliani tabellarius ad Iustinianum instituerat, sua cura abstulerat, & consensum Principis obtinuerat pro hoc beneficio. Gregorius tamen primus & vicariatum & Pallij usum continuavit anno DXCV. Virgilio Arelatensi Episcopo, non expectato consensu Imperatoris Orientis, sufficere videlicet ratus consensum Childeberti Regis Franciæ, quòd usu jam receptum esset ut Pallium tribueretur Episcopis Arelatensibus. At sequenti anno, cùm Regina Brunechildis optasset ut Syagrius Episcopus Augustodunensis Pallio honestaretur, non refragatus est Pontifex, sed tamen non antè concessit quàm consultus Imperator per Gregorij Diaconum in CP. urbe commorantem respondit sibi placere ut ita fiat: *Syagrio*, inquit, *Pallium dirigere secundùm postulationem vestram voluimus. Propter quod & serenissimi Domni Imperatoris, quantum nobis Diaconus noster, qui apud eum responsa Ecclesiæ faciebat, innotuit, prona voluntas est, & concedi hoc omnino desiderat.* Heic nunc interrogo, quæ tandem ratio excogitari possit, qua ostendatur necessitas consensus Imperatoris ut Syagrio Pallium absque vicariatu concedi possit, & Auxanio Aurelianóque cum vicariatu conjunctum? Sanè nullam aliam reperiri posse arbitror quàm jus illud quod sibi Imperatores retinuerant in concessione horum indumentorum: quæ cùm imperialia essent, & Summo Pontifici ceteríque Patriarchis concessa ab Imperatoribus, vulgari non poterant absque eorum consensu; multò minùs absque eodem consensu tribui poterant Episcopis Gallicanis; qui cùm Regis Francorum imperio subjecti essent, auctoritatem Imperatoris non agnoscebant. Indumenta quidem imperialia cum Rege Lazorum communicata sunt, sed à Iustiniano, ut Procopius scribit. Leges verò læsam majestatem pronuntiant si quis utatur vestibus imperialibus. Par igitur erat ut Summus Pontifex Imperatorum consensu non destitueretur, quum Episcopis Gallicanis honorem illum recenter tribuebat. Ceterùm necessitas illa consensus Imperatoris, ex dignitate Pallij petita, honorificentior haud dubiè est pro sede apostolica quàm si quis eam arcessat ab insita quibusdam opinione, non licere videlicet Summo Pontifici gratificari cuipiam Episcopo absque consensu Imperatoris. Extat in hanc sententiam locus singularis apud sanctum Gregorium, qui Imperatorem rogat ut Anastasius Patriarcha Antiochenus, qui sede sua pulsus erat, apud sedem apostolicam commorari possit, ac dignitatem suam retinere, *concesso usu Pallij*. Cur autem beneficium hoc ab Imperatore postulet Gregorius, nulla alia ratio esse potest quàm quòd Patriarcha ille Pallium ab Imperatoris munificentia habebat.

XI. Hieronymus Rubeus in historia Ravennatum edidit rescriptum quoddam sub nomine Imp. Theodosij; quo Princeps ille anno CDXXXII. plurimas civitates subjicit metropoli Ravennatensi, Palliíque usum Episcopo ejus concedit. Verùm rescriptum illud omnino suppositítium est, & egregiè confutatum ab illustrissimo Cardinale Ba-

Vide supra lib. 5. cap. 30. §. 3.

Symmach. ep. 21. Vide supra lib. 5. cap. 13. §. 9.

Vide supra lib. 5. cap. 36.

Vigil. ep. 2. ad Auxan.

Vigil. ep. 5.

Gregor. lib. 4. ep. 53.

Gregor. l. lib. 7. ep. 5.

Gregor. lib. 8. ep. 27.

ronio, ipsa Latini sermonis spurcitie omnem ejus auctoritatem elevante apud eruditos. In eo tamen cogor à Baronio dissentiri, quòd enixè contendat Pallium Episcopo tribui non posse ab Imperatore, eò quòd indumentum sit ecclesiasticum. Nam præterea suspicor Pallium ætate Theodosij non fuisse in usu apud Ecclesiam. Neque mihi admodum placet quod scribit Anastasius, Marcum Papam Episcopo Ostiensi concessisse ut Pallio uti possit in consecratione Summi Pontificis.

CAPVT VII.

Synopsis.

I. Ante annum sexcentesimum Pallium nemini antistitum Gallicanorum tributum est præter Arelatensem, qui Vicarius erat sedis apostolicæ.

II. In Concilio Matisconensi statutum est ne Archiepiscopi Missam celebrent absque Pallio. Quod intelligendum est de Pallio Gallicano, non autem de Romano. id quod pluribus argumentis probatur.

III. Ævo divi Gregorij, Pallio ornabantur præcipui Metropolitæ qui ad Romani Episcopi consecrationem pertinebant, vel Vicarij sedis apostolicæ. An Gregorius confirmaverit ordinationem Leandri Hispalensis.

IV. Primus omnium Bonifacius Moguntinus induxit necessitatem Pallij Romani. Quonam consilio id factum. Eò traxit Episcopos, specie honoris. Cujusmodi fuerit Pallium per illas tempestates. Pallium est discretio inter Archiepiscopum & ejus Suffraganeos, *ex Alcuino. Datur* propter apostolicam vicem, *ex Rabano. Quo unico astu infracta est auctoritas Metropolitanorum. Verba Hincmari Remensis referuntur, notatu digna.*

V. Necessitas obtinendi Pallij decreta in Octava Synodo. Patriarchæ Orientis Pallium ad Metropolitanos mittebant, sicut Summus Pontifex in Occidente. Balsamo illustratus. An Metropolitani Orientis deponerent Pallium ante consecrationem corporis Christi.

VI. Cum Pallio novæ conditiones à Summis Pontificibus impositæ Metropolitanis, nimirum ut subjectionem & obedientiam apostolicæ sedi pollicerentur. Novi hujusce juris repertor Bonifacius Moguntinus. Quæ antea esset Metropolitanorum professio. Veteres professionum formulæ.

VII. Sub Gregorio VII. professio illa versa est in juramentum fidelitatis.

VIII. Ea postrema formula vim juris communis obtinuit; quæ Principum jura atrociter violavit. Ita visum Hungaris anno millesimo centesimo secundo.

IX. Metropolitanis vetitæ consecrationes Episcoporum, & synodorum celebrationes, donec Pallium acceperint. Primus ita pronuntiavit Nicolaus I. cujus sententia vim legis obtinuit apud posteros. Ius illud confirmaverunt quamplurimæ Decretales.

I. NVNC examinanda est tertia observatio nostra, quam capite superiori protulimus, nimirum, an omnibus Galliarum Metropolitanis antiquitus positum in usu fuerit ut Pallium à Romana sede acciperent. Ac primùm quidem quæstio hæc inutilis esse videbitur ei qui Vigilij Papæ literas legerit; cùm in eis scriptum sit Pallium Episcopo Arelatensi Auxanio concessum esse ob vicariatum sedis apostolicæ, atque adeo ad illum non pertinuisse jure proprio, eò quòd Metropolitanus esset. Quibus addi potest, necessarium fuisse ut de eo ad Principem referretur, ut consensus ejus haberi posset. Vnde patet manifestè, datum id extra ordinem, & ex privilegio, neque tribui potuisse quin eodem tempore vicariatus tribueretur. *Et quia*, inquit Vigilius in epistola prima ad Auxanium, *digna credimus ratione compleri ut agenti vices nostras Pallij non desit ornatus.* Idipsum probatur ex epistola Pelagij primi ad Sapaudum Episcopum Arelatensem scripta anno DLVII. quo eum instituit Vicarium: *Pariter etiam Pallium dirigentes; ut in tanti loci fastigio constitutus, præclaro quoque habitu decoreris.* Itaque institutum illud Pontificum Romanorum, ut ad neminem Episcoporum Gallicanorum mitterent Pallium, præterquàm ad Arelatensem, ut ea arte vicariam ejus dignitatem in sublime eveherent, eúmque ab omnibus aliis Episcopis distinguerent, duravit usque ad tempora beati Gregorij Papæ, id est, usque ad annum sexcentesimum.

II. Non levis tamen difficultas adversùs hæc insurgit, ex Concilio Matisconensi primo petita; in quo sancitum est ut nullus Archiepiscopus præsumat Missam celebrare absque Pallio. Sed animadvertendum est Pallium istud non esse Romanum, non solùm ob eam rationem quam statim proposui, illud eo tempore nulli alij Episcopo communicatum fuisse præter Arelatensem, sed etiam quòd Romani usus non erat licitus præterquàm in festis solennibus, ut constat ex Gregorio, qui hunc etiam fuisse morem Metropolitanorum Orientis docet. At in canone isto Matisconensi statuitur ut Archiepiscopi Pallio utantur quoties sacrum Missæ sacrificium celebrabunt. Indefinita enim hæc locutio eam vim habet ut vicem suppleat universalis propositionis: *Vt Archiepiscopus sine Pallio Missas dicere non præsumat.* Pallium itaque Archiepiscoporum Galliæ diversum erat à Romano, quantum ad ornamentum & fastum; ac fortassis loro carebat, id est, iis fasciis quæ in indumentis imperialibus ornandi causa insuebantur, ut in donatione Constantini legitur: *Lorum, quod imperiale circumdare assolet collum.* Inde haud dubiè factum est, ut ego quidem existimo, ut sequentis ætatis Pontifices, cùm Pallio

Metropolitanos ornare destinassent, Pallium integrum non miserint, sed tantùm fascias illas quæ nunc usurpantur, & illis quidem deinceps habitum honorem, sed Pallium ipsum eviluisse paulatim, atque ob hoc ipsum apud omnes fuisse vulgatum. Forma porrò ejus, ut indicare videntur veterum Pontificum imagines, prorsùs referebat indumenta illa quæ nunc Cappas aut Pluvialia vocamus.

Vide suprà lib. 5. ep. 52. §. 17.

III. Ævo divi Gregorij invaluerat ut Romanus Pontifex Pallio ornaret præcipuos Metropolitanos qui ad ejus consecrationem pertinebant, aut eos quibus vices suas in provinciis committebat. Primi generis fuere Episcopi Ravennates in Italia, Syracusani in Sicilia, Calaritani in Sardinia, Salonitanus in Dalmatia, & Corinthius in Achaïa; secundi verò, Archiepiscopus Thessalonicensis, & Iustinianæ primæ sive Bulgariæ Metropolita; & in Galliis, Arelatensis. Leandrum insuper Episcopum Hispalensem in Hispania Gregorius Pallio ornavit, rogante Recaredo Rege. Quod non ita accipi velim ut ea ratione Gregorius Leandri ordinationem confirmasse dicatur, cùm ea ante multos annos peracta fuerit, sed ut suam & sedis apostolicæ in eum benevolentiam illi ostenderet novo hoc honore tributo. Ob eandem verò causam eodem honore prosecutus est Syagrium Augustodunensem Episcopum, qui præcipua apud Reges Francorum gratia vigebat.

Gregor. lib. 2. ep. 54. lib. 4. ep. 14. lib. 5. ep. 8. lib. 7. ep. 125. & seq. lib. 4. ep. 35. & alibi.

IV. Mansere in eo statu Galliarum Episcopi, quoad Pallium, donec Bonifacius in Galliam Germaniámque à Zacharia Pontifice missus est. Hic enim anno DCCXLII. synodum coëgit, in qua decretum est ut omnes deinceps viverent in unitate & subjectione Ecclesiæ Romanæ & * Vicarij beati Petri, & ut Metropolitani à sede Romana Pallium quærerent, & per omnia canonicè obsequerentur præceptis sancti Petri. *Decrevimus*, inquit Bonifacius in epist. 105. ad Cudbertum, *in nostro synodali conventu & confessi sumus fidem catholicam & unitatem & subjectionem Romanæ Ecclesiæ fine tenus servare, sancto Petro & Vicario ejus velle subjici, Metropolitanis Pallia ab illa sede quærere, & per omnia, præcepta sancti Petri canonicè sequi.* Huc usque enim Metropolitani Galliarum Pallio tantùm Gallicano usi fuerant. At Bonifacius eos coëgit illud à Romana sede quærere, ut ea ratione illos magis obnoxios esse faceret ei sedi, ac præcipuo quodam jure Episcopo Romano subjiceret. At illi, quibus unicus metus erat ne novitate illa adigerentur ad insolitam quandam reverentiam in sedem apostolicam, ac ne insuper

* id est, Romani Pontificis, qui vulgò vocatur Vicarius beati Petri.

exciderent ab ea auctoritate quam Canones tribuunt Metropolitanis, in ambiguo fuere an promissis stare deberent. Certè licèt Bonifacius, cúmque eo Princeps Carolomannus, tria Pallia à Pontifice Zacharia postulassent pro Archiepiscopis Ecclesiarum Rothomagensis, Remensis, & Senonensis, ab ea petitione cessavit paulò pòst. qua de re apud ipsum conquestus est Zacharias anno septingentesimo quadragesimo quarto. Bonifacius verò ad eum rescripsit, Francos in hoc esse ut propediem promissorum fidem violent: *De eo quod jam præterito tempore de Archiepiscopis, & de Palliis à Romana Ecclesia petendis juxta promissa Francorum, sanctitati vestræ notum feci, indulgentiam apostolicæ sedis flagito: quia quod promiserunt, tardantes non impleverunt; & ventilatur, & quid inde perficere velint ignoratur.* Verùm cùm illis ostensum fuisset Pallium non ob aliud Archiepiscopis tribui quàm ut hoc exteriori signo à suffraganeis suis distinguantur, & ut eo admoneantur teneri se ad vitam severiorem & sanctiorem, & continendos in officio subjectos, amplexi sunt honorem oblatum; ut constat ex Capitularibus Caroli Magni: *Dignum est ut Metropolitanus, qui est Pallio sublimatus, honoretur.* Pallium autem per illas tempestates ejus formæ erat cujusmodi nostra tempestate videmus; ut constat ex Alcuino, hujus ævi scriptore, qui illud confert cum Rationali quod Pontifex Iudæorum in pectore gestabat; aítque insuper illud à sede apostolica dari Metropolitanis ut distinguantur à ceteris Episcopis: *Pro Rationali*, inquit, *nunc Summi Pontifices, quos Archiepiscopos dicimus, Pallio utuntur, quod à summa sede apostolica dante accipiunt.* Infrà: *Pallium nihil est aliud nisi discretio inter Archiepiscopum & ejus suffraganeos.* Brevem ejus descriptionem inivit Rabanus Maurus, quæ Pallio ævi nostri congruit; ideóque ab Archiepiscopis deferri scribit, ut ostendant se Vicarios esse apostolicæ sedis. *Super hæc omnia*, inquit Rabanus in libro de ordine Antiphonarij, *Summo Pontifici, propter apostolicam vicem, Pallij honor decernitur. quod genus indumenti crucis signaculum purpureo colore exprimit, ut ipso indutus Pontifex à tergo & pectore crucem habeat.* Ceterùm hæc Rabani verba sunt notatu valde digna, cùm ex eis disci possit cur tanta Summorum Pontificum cura fuerit in mittendis Palliis ad Archiepiscopos Gallicanos, nimirum ut jus metropoliticum, quod ad illos pertinebat secundùm Canones, arcessi crederetur à vicariatu sedis apostolicæ: *Propter apostolicam vicem Pallij honor decernitur.* Sapienter itaque Hincmarus Remensis Archiepiscopus, ar-

Zachar. ep. 51

Capitul. lib. 6. tit. 79.

Al. ultimus in libro de divin. Offic.

tium & temperamentorum Romanæ Curiæ callentissimus, cùm ei Nicolaus primus exprobrasset privilegia à Benedicto Papa concessa, inter quæ illud in primis eminebat ut Pallium deferre posset *ad quotidianum usum*, respondit privilegia illa nihil sibi novi juris tribuere præter id quod prisci Canones tribuunt Metropolitanis, attamen se nova hæc decreta expetiisse, eò quòd cùm Ecclesia Remensis sita esset in confinio duorum regnorum, iis privilegiis indigebat ut terrorem injiceret quibusdam hominibus carnalibus & animalibus, apud quos veteres constitutiones canonicæ eviluerant. *Privilegia autem sedis apostolicæ non ideo petij ut mihi non sufficeret quod sacri canones & decreta sedis Romanæ Pontificum cuique metropoli sedi concedunt .... ut quia veteres constitutiones jam quasi pro vili apud quosdam habentur, his novis decretis carnales & animales homines territi, quiddam reverentius agerent contra Ecclesiam mihi commissam.*

Hincmar. epist. 56. ad Nicol. Vide suprà lib. 3. c. 1. §. & lib. 5. c. 39. §. 5.

V. Necessitas tamen obtinendi Pallij decreta est in Octava Synodo Oecumenica, quæ Constantinopoli celebrata est anno octingentesimo septuagesimo secundo, sub Hadriano secundo: in qua statutum est debere Metropolitanos confirmationem à Patriarcha suo recipere, sive per impositionem manuum, sive per concessionem Pallij. *Ita ut earum* (id est, sedium patriarchalium) *Præsules universorum Metropolitanorum qui ab ipsis promoventur, & sive per manus impositionem, sive per Pallij dationem, episcopalis dignitatis firmitatem accipiunt &c.* Canon ille non extat in editione Græca hujus Concilij, sed tantùm in versione Anastasij. Ex ea autem id colligitur, consuevisse Patriarchas Orientis Pallium ad Metropolitanos mittere, quemadmodum à Summo Pontifice fiebat in Occidente. Quare non frustra observatum est superiùs, auctoritate sancti Gregorij, Metropolitanos Orientis usum Pallij habuisse. quod confirmatur ex responsione Demetrij Chomateni, qui eo uti licitum non esse ait nisi in festis Paschatis, Pentecostes, & Natalis Domini. Ceterùm hæc Demetrij observatio lucem afferet Balsamoni scribenti Saccum, Stichārium, & Phenolium indumenta esse quibus uti licet solis Patriarchis. Quod intelligendum est de usu ordinario & quotidiano; cùm aliàs Metropolitanis non concedatur nisi ex privilegio, & pro certis tantùm anni diebus. In Concilij namque Octavi canone XXVII. prohibetur Metropolitanis ne quotidie Pallio utantur in sacrificiis vel in ceteris functionibus ecclesiasticis: *Omni tempore divini officij*, inquit canon, *vel aliùs ecclesiastici ministerij*. Ex eo tamen colligi non potest non licere Metropolitanis uti Pallio omni tempore divini sacrificij, aut vi horum canonum adigi ad ejus depositionem ante consecrationem. quod tamen eruditissimo viro hac nostra ætate placuisse video. Illa quidem sententia locum habet quoad Omophorion ordinarium, quod Episcopi ferebant ut ceteras vestes vulgatas ævo Isidori Pelusiotæ, qui docet Episcopos illud deponere consuevisse post recitatum Evangelium. Consuetudo autem illa rationi prorsùs consentanea erat: quia cùm Liturgia post Evangelium inchoaretur, sumenda erant indumenta propria ad celebrandum sacrificium.

Isid. Pelus. lib. 1. ep. 156.

Vide Habert. part. 2. ordinat. 5. ad Pontifical. Græc.

VI. Post devoratam ab Europæ Metropolitanis Pallij accipiendi necessitatem, quæ à Concilio Octavo firmata est canone, novas dein conditiones sibi à Summis Pontificibus impositas coacti sunt amplecti. Primùm enim eò res devenit ut coacti sint scripto polliceri subjectionem & obedientiam apostolicæ sedi, & per omnia, præcepta ejus canonicè sequi. Novi hujus juris repertor fuit Bonifacius Moguntinus in synodo ab eo celebrata anno septingentesimo quadragesimo secundo, ut discimus ex ejus epistola ad Cudbertum. Antea enim Metropolitani nulla alia lege tenebantur quàm ut fidei suæ professionem emitterent, & observationem Canonum comprovincialibus Episcopis pollicerentur in sua consecratione. Nullam porrò obedientiæ sponsionem faciebant: quam adeo alienam à prisco more censebat Leo primus, ut ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum scribens in causa Attici Episcopi, à quo Anastasius similem sponsionem exegerat, dixerit in ea signum injuriæ contineri. At post Bonifacium nova clausula huic professioni addita est, qua videlicet subjectionem & obedientiam Romano Episcopo promitti invaluit; ut videre est in veteri formula quæ Caroli Calvi ætate in usu erat: *Beato verò Petro & Vicario ejus debitam subjectionem & obedientiam, Suffraganeis verò nostris adjutorium me exhibiturum profiteor.* Illa nihilominus obedientia ad observationem canonum coërcetur; id est, promittunt Metropolitani se Summo Pontifici obedituros juxta Canones, hoc est, quoties jussa ejus canonum statutis innitentur: *Per omnia, præcepta Petri canonicè sequi.* Hanc enim esse horum verborum vim docet ipse Zacharias Papa ad Bonifacium scribens: *Nec enim*, inquit, *ab hac apostolica sede illa diriguntur quæ contraria esse Patrum sive canonum statutis inveniantur.* Bonifacius verò, qui sponsionis hujus vim intelligebat, eandem in propria causa adhi-

Form. VIII. Append. Tom. II. Concil. Gal.

Zachar. ep. 2. Bonifac.

buit clausulam, quum eam sponsionem Zachariæ faceret pro archiepiscopatu Moguntino: *Sicut prædecessorum vestrorum pro auctoritate sancti Petri servi devoti, & subditi obedientes, & subditi sub jure canonico;* inquit ille in epistola 132. ad Zachariam.

VII. Gregorius VII. formulam veterem auxit quibusdam clausulis, quæ illam obedientiæ sponsionem prorsùs convertunt in juramentum fidelitatis quod vassallus domino suo præstare tenetur. Hujus juramenti formula extat in eo quod Patriarcha Aquileiensis eidem Pontifici præstitit in Synodo Romana anni MLXXIX. in quo vetus quidem clausula obedientiæ canonicæ omissa non est, *canonicè obediam*, sed insuper fidelitatem his verbis pollicetur quibus eam vassallus domino suo polliceretur: *Non ero in consilio, neque in facto, ut vitam, aut membra, aut Papatum perdant, aut capti sint mala captione.* Præterea promittit se conservaturum *regulas sanctorum patrum*, ut habet vera lectio hujus loci.

In Registro Gregorij VII. lib. 6. post epistolam 17.

VIII. Ceterùm ea formula vim juris communis obtinuit, & in libris Decretalium descripta est. Adeo autem Principum jura violavit hæc formula ut cùm Gregorius summo jure usurpasset dominationem in omnes Metropolitanos, in alia deinde synodo prohibuerit ne quis Episcopus homagium Regibus præstaret. quod à successoribus ejus Vrbano II. & Paschali II. confirmatum est. Attamen cùm Gregorius VII. non ignoraret canones Octavæ Synodi, quibus utitur adversùs investituras Principum, potuit animadvertere canonem octavum ejusdem synodi prohibere ne Patriarchæ ab Episcopis aliam sponsionem exigerent quàm eam quæ fieri consueverat, nimirum illos veram fidem servaturos. Occasio hujus prohibitionis nata est ex eo quòd Patriarchæ CP. novam consuetudinem invexerant *ad propriam tutelam*, ut promissa scripto acciperent ab Episcopis quos ordinabant. *Quoniam legitimi Patriarchæ*, inquit canon VIII. Concilij Octavi, *à sacerdotali catalogo propriæ manus scripta facere ad propriam tutelam, favorémque suum, & quasi stabilitatem, exigunt & compellunt, visum est sanctæ huic & universali Synodo nequaquam id ex hoc à quopiam fieri; excepto eo quod secundùm formam & consuetudinem pro sincera fide nostra tempore consecrationis Episcoporum exigitur.* Formula professionis fidei Metropolitanorum Orientis, qua pollicentur se observaturos canones & pacem ecclesiasticam, & in omnibus sequi auctoritatem sui Patriarchæ, extat in libro sexto Iuris Græco-Romani. Sanè nova hæc juramenti præstatio visa est admodum dura Hungaris anno millesimo centesimo secundo; quam non esse consentaneam canonibus asserebant; adeo ut *Rex & regni magnates* prohibuerint ne Metropolitani juramentum illud præstarent, eo prætextu, quòd ad officium illud non adigerentur auctoritate Conciliorum. Ad quæ Paschalis II. reposuit Ecclesiam Romanam non subjici decretis Conciliorum, quibus ipsa addit auctoritatem. At Secretarius ejus, mirabilis technæ artifex fuit, ut tenebras offunderet oculis Hungarorum, nimirum, Quatuor Concilia harum rerum formam præscripsisse: *Quibus tamen*, inquit, *Quatuor Conciliorum decretis dandi Pallij modus præfixus est, & professionis vel obedientiæ ordo sancitus est.* Epistolam illam edidit illustrissimus Cardinalis Baronius tomo XII. annalium ecclesiasticorum.

Vide supra lib. 5. cap. 48 §. 5.

Baron. in Not. unde sumptum sit cap. 4. de Elect.

IX. In ea porrò epistola deprehenditur aliud jus novum, à consuetudine introductum, non licere nimirum Metropolitanis Episcopos consecrare, aut synodos celebrare, antequam Pallium acceperint: *Iuxta sedis apostolicæ & totius Ecclesiæ consuetudinem, ante acceptum Pallium Metropolitanis minimè licet aut Episcopos consecrare, aut synodum celebrare.* Primus, mea quidem sententia, effatum illud pronuntiavit Nicolaus primus: qui respondens ad Consulta Bulgarorum, permittit Episcopis comprovincialibus ut Metropolitanum instituere possint: *Sanè interim in throno non sedentem, & præter corpus Christi non consecrantem, priusquàm Pallium à sede Romana recipiat; sicut Galliarum omnes, & Germaniæ, & aliarum regionum Archiepiscopi agere comprobantur.* Et ille quidem nullo decreto vetuit Metropolitanos attingere functiones suas donec Pallium recepissent; mens tamen ejus locum legis habuit apud ejus successores, qui hoc pacto vim auctoritatis Episcoporum comprovincialium infregerunt, ut eos arctiori vinculo cogerent ad conservandam cum capite suo communionem. Decretales dein plurimæ jus illud confirmarunt; quod hauddubiè per consequentiam necessariam firmari potest auctoritate canonis XVII. Concilij octavi Oecumenici: in quo scriptum est necesse esse, ad hoc ut Metropolitanus esse possit in possessione integra juris metropolitici, ut aut à Patriarcha sit consecratus, aut Pallium ab eo acceperit.

Nicol. I. ad Const. Balg. cap. 73.

Cap. 28. & 44. de elect. & cap. 1. de consecr. Eccles.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CAPVT VIII.

Synopsis.

I. Soli Episcopo Romano competere jus separandi conjugium Episcopi & Ecclesiæ pronuntiavit Innocentius III.

II. Migrationes à civitate in civitatem vetitæ antiquitus. Eam ob causam Eusebius Cæsariensis recusat episcopatum Antiochenum.

III. Eæ prohibitiones locum habent quando Episcopi, avaritia aut ambitione inflammati, aliam invadunt. At si Ecclesiæ utilitas id fieri postulet, tum verò vetitæ non sunt. Ad synodum provinciæ pertinet cognitio hujus utilitatis. Probatur ex Concilio IV. Carthaginensi.

IV. Pelagius II. rectè explicat casus in quibus vetitæ aut licitæ sunt translationes. ad eas autem peragendas necessarium non esse consensum sedis Apostolicæ, sed tantùm auctoritatem Metropolitani.

V. Varia hujus rei vocabula apud Græcos. Translatio autem & migratio apud eos permittuntur, ex auctoritate tamen synodi provinciæ. Invasio verò prohibetur.

VI. Cessiones episcopatuum olim vetitæ erant. Probatur ex Cyrillo Alexandrino. Emergunt tamen interdum occasiones in quibus discedendum est à summo illo jure. Probatur ex Synodo Pamphyliæ, & ex Concilio Ephesino, & ex Constantinopolitano sub Photio. Item ex Pelagio, Gregorio magno, & aliis.

VII. Renuntiationes admittere poterant Metropolitani. Innocentius III. id jus reservavit apostolicæ sedi. Hilgodus Suessionensis renuntiavit episcopatui, & in monasterium secessit, inscio prorsus Pontifice.

VIII. Per eas tempestates resignationes non poterant fieri in favorem. Quippe vetitum erat ne Episcopi sibi deligerent successores. Augustinus tamen Valerio Hipponensi datus est coëpiscopus. Cur Augustinus dicat violatos in hoc facto fuisse canones Nicænos. Ipse verò successorem sibi constituit Eradium.

IX. Consuetudo hæc viam aperiebat ad successiones hereditarias in Ecclesiis. Quod improbat Hilarus Papa.

X. Quandonam substitutiones illæ tolerandæ sint, aut legitimæ.

XI. An soli Pontifici Romano liceat Coadjutores dare cum futura successione. Ius illud competere synodo provinciæ probatur exemplo Augustini & auctoritate Concilij Meldensis.

XII. Abbates, etiam exempti, ordinabantur à suis Episcopis. Probatur ex privilegio quod monasterio Corbeiensi concessit Episcopus Ambianensis.

XIII. Idem usus vigebat ætate Ivonis Carnotensis. Sed Episcopis professionem obedientiæ non faciebant Abbates exempti, aut sedi apostolicæ immediatè subjecti. Iure novo, exempti à Summo Pontifice confirmari debent.

I. NVNC quoniam accuratè expendimus ordinem consecrationis Episcoporum, tria notatu digna esse arbitror, quæ contingere possunt in his occasionibus, nimirum cessiones sive renuntiationes, quas nos episcopatuum resignationes vocamus, translationes, & Coadjutorum institutiones cum futuræ successionis reservatione.

Innocentius III. in decretali epistola pronuntiavit soli Pontifici Romano ex jure divino competere auctoritatem separandi conjugium spirituale quod ab Episcopo cum sua Ecclesia contractum est; sive illud fiat per viam cessionis, translationis, aut depositionis. Quia verò in libro septimo, in quo agitur de depositione Episcoporum, ostensurus sum hanc Innocentij propositionem, saltem quoad depositionem, antiquis canonibus & decretis Summorum Pontificum esse contrariam, satis erit hoc loco si eandem curam adhibeam quoad cessiones & translationes.

II. Primùm omnium satis constat migrationes ab Ecclesiis sive sedibus ad alias gravibus pœnis intentatis prohibitas esse à canonibus, cùm in canone Nicæno XV. ita legatur: *De civitate in civitatem non Episcopus, non Presbyter, non Diaconus transferatur.* quod in Conciliis quoque Antiocheno & Sardicensi confirmatum est. Iulius verò Episcopus Romanus in epistola ad Orientales, quæ extat apud Athanasium, Eusebianis exprobrat quòd Ecclesias suas desererent, ut ad alias commodiores migrarent. Eusebius Cæsareæ Episcopus Ecclesiæ Antiochenæ cathedram recusavit, quæ ei à clero illius civitatis offerebatur; quoniam id Canonibus contrarium extitisset, si Cæsareensem Ecclesiam pro Antiochena dimisisset. Quin & Romana Synodus sub Damaso celebrata eos communione privat qui ab una Ecclesia in aliam migraverint, donec ad primam redierint. Concilium Carthagin. can. 48. damnat in universum translationes; quas in synodo quoque generali Capuensi damnatas pronuntiat. *quod etiam*, inquit, *in Capuensi plenaria synodo videtur statutum.* Ceterùm hoc disciplinæ caput suo etiam suffragio comprobant Leo I. in epistola ad Anastasium Thessalonicensem, Hilarus in epistola ad Ascanium cap. XXV, & Synodus Meldensis canone trigesimo.

III. Igitur eæ prohibitiones locum habent quando Episcopi avaritia aut ambitione inflammati, Ecclesias suas absque superiorum suorum auctoritate dimittunt, & aliam sedem invadunt. At si Ecclesiæ utilitas postulet ut translationes fiant ab uno episcopatu in alium, tum verò vetitæ non sunt. Quinimò sæpissime sic usurpatum est in Ecclesia; ut ex diversis translationum exemplis à Socrate allatis colligitur, & ex Theodoreto.

Ad Metropolitani autem & Episcoporum comprovincialium cognitionem spectat an ex

ex translatione hujusmodi emersura sit utilitas Ecclesiæ ; & eo casu translationem Episcoporum decernere possunt. Diserta prorsùs in eam rem sunt verba Concilij Carthag. IV. can. XXVII. *Episcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non transeat, nec quisquam inferioris ordinis Clericus. Sanè si utilitas Ecclesiæ fiendum poposcerit, decreto pro ea Clericorum & laicorum Episcopos porrecto, in præsentia synodi transferatur, nihilominus alio in locum ejus subrogato.* Qui locus à Gratiano relatus est 7. q. 1. c. *Episcopus.*

IV. Consuluerat Pelagium secundum Benignus Archiepiscopus an secundùm canones licitæ forent Episcoporum translationes, & utrum peragi possent auctoritate Metropolitanorum, an verò necessarium esset apostolicæ sedis potestatem implorare. *Exigit ergo dilectio tua*, inquit Pelagius ad Benignum scribens, *consulta sedis apostolicæ si licitum foret Episcopum transire de civitate in civitatem, dum quidam canones, ut tibi videtur, hoc fieri prohibeant.* Infrà : *Quidam dicant hoc fieri licere, nisi consensum apostolicæ sedis habuisses.* Primæ ergo inquisitioni apertè & dilucidè respondet Pelagius, canones interpretando. *Quod in canonibus legitur*, inquit, *non debere Episcopum de civitate ad civitatem transire vel transferri, non de his dicitur qui aut vi expulsi, aut necessitate coacti, aut auctoritate majorum hoc agunt, sed de iis qui avaritiæ ardore inflammati, sponte sua prosiliunt, & potiùs ambitioni quàm utilitati Ecclesiæ servire, & qui ut dominationem agant insistere cupiunt.* Hanc autem interpretationem probat exemplis veterum & variis argumentis. Secundæ verò inquisitioni, an videlicet consensus sedis apostolicæ necessarius sit ut translationes fieri possint, respondet ingenuè, dicens Metropolitanum, qui jus habet ordinandi Episcopos, eisque titulos & Ecclesias assignandi, posse etiam, si necessitas cogat aut utilitas, eos mutare ac transferre : *Quia sicut potestatem habes Episcopos & Sacerdotes regulariter titulare & ordinare, ita, ut prædictum est, causa necessitatis aut utilitatis habes & mutare, ac de titulo ad titulum translatare, licèt de minori ad majorem urbem mutandus sit.*

V. Iuris Canonici interpretes Græci eandem distinctionem adhibent, & eam his vocabulis exprimunt, μετάθεσις, μετάβασις, ἀποδόσια, id est, *translatio, migratio* & *invasio.* Harum primam permittit canon XIV. apostolicus, eò quòd pro Ecclesiæ utilitate fiat, non Episcopi translati motu, sed plurimorum Episcoporum judicio : ὃν ἀφ' ἑαυτοῦ ἀλλὰ κελεύσει πολλῶν ἐπισκόπων. Secundam quoque permittit canon XVI. Antiochenus ; cùm Episcopus sede sua pulsus, quæ ab ethnicis aut hæreticis occupatur, in Ecclesia vacante functiones Episcopi exercet : sed tamen migrationem illam fieri debere in synodo provinciæ præcipit isdem canon Antiochenus : μὴ διαγνώσεως τελείας συνόδου. At invasio prorsùs vetita est. Invasio autem dicitur, cùm Episcopus sponte sua ab una Ecclesia in aliam migrat, vel ad eam transfertur absque ulla Ecclesiæ utilitate. Apud Leunclavium in libro quarto Iuris Græco-Romani extat Tractatus περὶ μεταθέσεων, in quo referuntur quamplurima exempla variarum translationum ; unde concludit auctor : *Migratio prohibita est, non translatio :* μετάβασις κεκώλυται, οὐ μία ἡ μετάθεσις.

VI. Cessiones verò episcopatuum olim vetitæ erant ; ut disertis verbis docet Cyrillus Alexandrinus in epistola ad Domnum. Ratio inde petitur, quòd si Episcopus suo episcopatu dignus est, in eo permanere debet ; sin verò dignus non est, illum quidem deserere tenetur, non tamen per renuntiationem, sed cum causæ cognitione, & post sententiam adversùs eum pronuntiatam. Negari tamen non potest quin interdum emergant occasiones in quibus discedendum est à summo illo jure, videlicet si Episcopus ægrotet, si dura & pertinax plebs in contumacia perseveret, au si ea sit Episcopi infirmitas ut negotiorum in dies emergentium nimia frequentia opprimatur, neque omnia exequi possit. Vltima hæc exceptio impulit synodum Pamphyliæ ut Eustathij. Metropolitani sui resignationem admitteret ; in cujus locum suffectus est Theodorus. Verùm Eustathius apud Synodum Ephesinam conquestus est de hac dejectione sua ; non quòd cessionem suam in irritum mitti vellet ; sed ut benignitatem synodi huc flecteret ut & nomen & dignitatem Episcopi retinere posset, id est, honorē & reditus necessarios ad vitam. quod ei concessum quidem est, sed ea lege, ut nullam episcopalis muneris partem attingeret absque consensu Theodori. Præjudicio Synodi Ephesinæ, quæ renuntiationem episcopatus fieri permittit, fretæ Ecclesiæ Orientis & Occidentis, Episcoporum resignationes recepere, modò æquitate quadam niterentur. Et Græcorum quidem usus confirmatus est in Concilio CP. sub Photio can. XVI. Occidentis verò praxim suis literis firmarunt Pelagius, Gregorius primus, & alij, quorum auctoritates adducuntur in Decreto Gratiani 7. q. 1. Innocentius autem III. in quadam Decretali recensēt causas ob quas resignationes episcopatuum admitti possunt.

Epistola Synodi Ephes. ad Sylla Pamphyl.

c. to. decretal.

VII. Constat igitur translationes olim

fieri consuevisse auctoritate Metropolitanorum : qui ob eandem rationem admittere etiam poterant renuntiationes, donec novo jure eas Innocentius III. apostolicæ sedi reservavit. Sanè apud Ivonem Carnotensem in epist. LXXXVIII. legimus Hilgodum Sueſſionensem Episcopum renuntiasse suo episcopatui, & in monasterium secessisse, inscio prorsùs Summo Pontifice. Quippe Paschali II. ignotas fuisse causas hujus renuntiationis, tametsi diù antè peracta fuisset, probatur ex hac epistola : in qua Ivo (ob aliam tamen causam, neque enim de hoc agebatur) causas hujus renuntiationis & secessionis ab Hilgodo factæ aperit eidem Paschali.

Secessiſſe Hilgodum apud Majus monasterium Turonense, abdicato episcopatu, illicque monachum fuisse quam Synodus Claromontana celebrata est ab Urbano II. scribitur in veteri codice MS. Bibliothecæ Seguerianæ.

VIII. Ceterùm resignationes puræ esse debebant, non autem in favorem alicujus certæ personæ ; quòd secundùm Canones vetitum esset ne Episcopi sibi deligerent successores, ut patet ex canone XXIII. Concilij Antiocheni : *Episcopo non licere pro se alterum successorem sibi constituere, licèt ad exitum vitæ perveniat. Quòd si tale aliquid factum fuerit, irritum esse hujuscemodi est constitutum.* Ad hunc canonem alludit Theodoretus, dum invehitur in Paulinum Episcopum Antiochenum, qui successorem sibi constituerat Evagrium. Extant tamen exempla in contrarium. Nam Valerius Hipponensis Episcopus Augustinum in Ecclesia sua ordinari Episcopum fecit, ut Coadjutor & Coëpiscopus esset ; *ita ut novo more*, inquit Paulinus, *non tam succederet quàm accederet.* Ceterùm ordinationem illam probavit cleri & populi consensus & Episcoporum comprovincialium. Canones nihilominus Nicænos in ea violatos esse fatetur Augustinus ; non quia ipse successor Valerio destinatus esset, sed quia Episcopus unà cum illo fuit. Quippe Concilium illud vetuerat ne duo Episcopi essent in una Ecclesia. Nam quod spectat ad electionem successoris, nihil in ea reprehendebat, modò fieret cum consensu cleri & plebis, id est, eorum ad quos jus eligendi pertinebat. Certè ipsemet Augustinus successorem sibi constituit Eradium in plenario Ecclesiæ suæ cœtu : cui electioni ut accederet cleri & populi Hipponensis consensus effecit, & Acta consensus eorum per Notarios excipi jussit. Sed extant præterea quamplurima exempla hujus praxis.

Theodor. lib. 5. c. 23.

Augusſt. epiſt. 34.

Idem ep. 110.

IX. Fatendum tamen est plenam periculi fuisse hanc consuetudinem, viámque aperuisse ad successiones hereditarias in Ecclesiis, excluſa prorsùs contemplatione virtutum ac meritorum. quo nihil politiæ ecclesiasticæ perniciosius contingere poterat. Sapienter itaque Hilarus Papa, qui hæc deinceps in Ecclesiis Hispaniarum fieri prohibuit, his verbis : *Episcopatum, qui nonnisi meritis præcedentibus datur, non divinum munus, sed hereditarium putant esse compendium ; & credunt sicut res caducas atque mortales, ita sacerdotium velut legatario aut testamentario jure posse dimitti.*

Synod. Rom. ſub Hilaro.

X. Substitutiones illæ cum futura successione possunt tolerari si consensus accedat superioris & eorum quibus jus eligendi competit. Sed prorsùs legitimæ sunt si tanta fuerit Episcopi ægritudo ut functiones suas exercere non possit, ita ut Coadjutore indigeat. Huic enim Coadjutori concedi posse futuram successionem, ut hoc stimulo excitetur ad exequenda Coadjutoris munia, decrevit Gregorius I. ad Reginam Brunichildem scribens : *Si verò nullo tempore ad mentis sanæ redit officium, quæri persona debet vita & moribus decorata, quæ & animarum curam gerere & ejusdem Ecclesiæ causas utilitatésque salubri valeat ordinatione disponere ; talísque, si superstes fuerit, ejus possit loco succedere.*

Conſt. lib. 1. ep. 8.

XI. Quòd si quis objiciat nemini licere Coadjutores dare cum futura successione præterquam Summo Pontifici, opponi poterit exemplum Augustini ; ex quo trahi potest argumentum jus illud Episcopis quoque comprovincialibus competere, si quis Episcopus Coadjutorem postulet, & eorum consensus accedat ad quos electio pertinet. Verùm ne negotium illud ab ea antiquitate repetamus, canones quoque Gallicani probant usum illum esse legitimum, & synodum provinciæ posse decernere hoc jus futuræ successionis in gratiam eximij cujusdam viri, sive de episcopatu agatur, sive de archiepiscopatu. Legatur canon XLVII. Meldensis Concilij, quod anno DCCCXLV. convenit. *Sed si Episcopus ministerium ecclesiasticum propter infirmitatem corpoream exhibere non potuerit, in Archiepiscopi hoc, cum voluntate Episcopi ejusdem Ecclesiæ, maneat ordinatione qualiter debitum officium non remancat. Obsequium verò ad Remp. pertinens qualiter exequatur per tales ex subditis & ecclesiasticis ministris, cum consensu Archiepiscopi, propter pacis caritatísque custodiam, Episcopus ordinet ac disponat, quos succedendi in episcopatu appetitus indebitus non elevet neque vexet ; nisi ita moratus extiterit, ut secundùm institutа beati Gregorij in libro epistolarum & humiliter in subditione præsit, & pòst viriliter conveniens sanctis regulis præsit : quia ob hoc in multis Ecclesiis scandalum magnum conspeximus. Si autem in Archiepiscopo talis necessitas acciderit, similiter ipse consilio coëpiscoporum suorum hujuscemodi ordinationem exhibeat.*

XII. Abbates autem, cùm antiquitus

in Episcoporum potestate consisterent, ab iis quoque ordinabantur post electionem à monachis celebratam. Quod locum habebat etiam quoad monasteria exempta; ut patet ex privilegio immunitatis & libertatis quod Episcopus Ambianensis cum consilio suorum collegarum concessit monasterio Corbeiensi anno DCXLIV in gratiam Regis Chlotarij fundatoris ejusdem monasterij. Quippe universa monasterij bona eximens ab Episcoporum potestate, monachorúmque correctionem Abbati permittens, sibi tamen ac successoribus suis reservat ordinationem Abbatis: *Cùm Abbas fuerit de seculo isto evocatus, quem unanimiter congregatio ipsius monasterij ex semetipsis bonum & dignum elegerint, data auctoritate à præfato Principe vel ejus successoribus, à nobis vel successoribus nostris absque ullo commodo secundùm sanctos canones ordinetur.*

Edictum est to. 1. Concil. Galliæ.

XIII. Ætate Ivonis Carnotensis, Abbates Gallicani confirmabantur & benedicebantur à suis Episcopis, quibus omnem subjectionem & obedientam promittebant. At si Abbates forent exempti, & sedi apostolicæ immediatè subjecti, benedictionem quidem ab Episcopo suo recipere debebant, non tamen ei professionem obedientiæ facere. Nam professio quam idem Ivo exegerat à Goffrido Abbate Vindocinensi inter ordinationis ejus solennia, cassata est ab Vrbano secundo, ut scribit ipse Goffridus lib. II. epist. XXVII. Ius autem istud prorsùs immutatum est quoad exemptos, qui, ut jure novo præscribitur, à Summo Pontifice confirmari debent.

Ivo ep. 73. & 88.

V. Gloss. Pragm. Sanct. Tit. De Elect. verbo Petitur.

CAPVT IX.

Synopsis.

I. Proponitur synopsis eorum quæ superioribus capitibus explicata sunt.

II. Libri Decretalium invexere jus novum. Recensentur varia innovationum capita.

III. Iura sedis apostolicæ, quoad hæc, immensùm aucta sunt ope Reservationum.

IV. Ecclesia Gallicana invehitur in Reservationes & Gratias expectativas. Ac remedium adhibet.

V. Joannes XXIII. ea de causa misit in Gallias Cardinalem Pisanum, qui omnia turbavit. Hinc factum ut renovata sint decreta Ecclesiæ Gallicanæ. Quæ Legatos mittit ad Concilium Constantiense; quibus mandatum est ut ab eo peterent confirmationem deliberationum Ecclesiæ Gallicanæ. Sed eorum petitionem elusere Concilium & Martinus quintus.

VI. Edictum anni 1418. est magni momenti. Quippe latum post electionem Martini V. Eo abolentur Reservationes & Gratiæ expectativæ; jusque commune revocatur.

VII. Idipsum statuit Carolus VII. Et Concilium Basileense. Appellationes tamen reservantur sedi apostolicæ.

VIII. Ecclesia Gallicana amplexa est decreta Concilij Basileensis. Pragmatica Sanctio ob id edita Avarici Biturigum an. 1438.

IX. Quid in Decretis Basileensibus immutatum ab Ecclesia Gallicana, quæ existimavit licere Principibus preces adhibere in electionibus Episcoporum.

X. Pragmatica Sanctio abolita diplomate Ludovici XI. Sed revocata, ob intercessionem Parlamenti Parisiensis. Abolita rursum auctoritate Concordatorum. Discrimen inter Pragmaticam & Concordata. Eorum publicationi intercedunt Clerus & Parlamentum.

XI. Major regno utilitas emergit ex Concordatis quàm ex Pragmatica Sanctione.

XII. Jus commune antiquum in edicto Caroli VI. intelligendum de jure Decreti & Decretalium. Idem dicendum de Pragmatica Sanctione B. Ludovici.

XIII. Rursum de discrimine quod intercedit inter Pragmaticam & Concordata.

I. EX iis quæ suprà dicta sunt colligere quivis potest synodos provinciarum, quæ propter ordinationes Episcoporum conveniebant, auctoritate Metropolitanorum fuisse congregatas, tum eis competivisse examen decreti electionis factæ ab electoribus, sive à clero & populo facta fuerat secundùm canonicas sanctiones, sive à Rege, sive tandem à solis Capitulis, confirmationem præterea Episcoporum pertinuisse ad Metropolitanum, Metropolitani verò ad Episcopos comprovinciales. Sed & illud adnotatum est, contradictiones quæ oriebantur in electionibus, judicari solitas suprema Metropolitani cum suis coëpiscopis auctoritate, & synodos consuevisse admittere resignationes, translationes, & coadjutorias cum futura successione.

II. Libri Decretalium jus novum nobis invexere. Primùm enim electiones ad triturę forenses leges revocatæ sunt. Nam cùm adversùs veterem disciplinam decretum fuisset electionem jus quoddam acquirere electo, quod *jus ad rem* vocari invaluit, hinc factum ut quoties vota eligentium in duas partes se diviserant, aut varietas opinionum sive nullitas quæpiam incidisset, litis istius judicium ad Metropolitanum pertineret, qui tamen eam definire non posset nisi post contestationem; tum appellationes ad sedem apostolicam introductæ sunt, ingentium sumptuum & incredibilium morarum materia. Secundò, si electores essent negligentes, aut si scienter aliquam personam incapacem elegerant, vel aliquid eorum omisissent quæ necessaria sunt ad hoc ut

Vide lib. 3. c. 6. §. 4.

C. Quanquam. de elect. in VI & cap. Quia propter. eod. tit.

electio rite celebrata dici possit, tum verò jure eligendi privabantur, & integra episcopatus collatio ad Summum Pontificem devolvebatur. Et hæc est una ex Reservationibus quæ sunt in Corpore Iuris. Tertiò, Metropolitanis interdictum est universis functionibus episcopalibus donec Pallium receperint; præter juramentum fidelitatis ei simile quod vassallus domino suo præstare tenetur, quod unà cum formula introductum est. Quartò, sedi apostolicæ reservatum est jus admittendi cessiones episcopatuum, decernendíque translationes & coadjutorias cum futura successione.

C. Si eo tempore. De elect. in sexto.

III. Sed jura illa immensùm auxit Bonifacius VIII. qui sedi apostolicæ reservavit provisionem Ecclesiarum quæ in Curia Romana vacarent, sive illæ cathedrales essent, sive abbatiales, aut alius generis. Sequentes autem Pontifices fuere paulò audaciores; cùm eidem sedi specialibus primùm rescriptis, tum in Regulis Cancellariæ, reservarunt provisionem omnium Ecclesiarum cathedralium & aliorum Beneficiorum quibus provideri consueverat per electionem, per universum orbem Christianum. Vnde factum ut provisio Papæ in Bullis ejus contenta vim obtineat electionis & confirmationis. Nam quoad consecrationem, eam committit tribus Episcopis in partibus, nulla facta mentione Metropolitani.

IV. Tantum veteris consuetudinis contemptum ferre non potuit Ecclesia Gallicana, libertatis suæ conservandæ avidissima. Nam licèt Benedicto XIII. in schismate adhæreret, noluit tamen committere ut in ejus gratiam ruere pateretur causam publicam religionis. Atque ut malo illi canonicè remedium adhiberi posset, Carolus VI. conventum Ecclesiæ Gallicanæ coëgit Parisiis anno MCCCCVI. exeunte; in quo Advocatus Regius repræsentavit confusionem ab aliquot annis introductam à Summis Pontificibus circa provisionem Prælatorum & aliorum Beneficiorum, ob Reservationes & Gratias expectativas; quæ electiones adimebant Capitulis, & collationes Ordinariis, in contemptum decretorum Conciliorum generalium: unde sequebantur immensa damna, & pernicies irreparabilis, quorum capita singillatim recensuit. Itaque in eo Concilio nationali decretum est ut deinceps obtineret forma in statutis Conciliorum generalium & decretis sanctorum patrum præscripta, tam in provisionibus Ecclesiarum cathedralium & collegialium quàm aliorum Beneficiorum secularium & regularium quibus per electionem consueverat provideri, nimirum ut electionum jura ubique obtinerent. Quoad alia verò Beneficia, statuerunt ut iis provideretur per collationem, præsentationem, & institutionem, ab iis quibus jus illud competebat ex jure communi, privilegio, aut consuetudine. Reservationes autem à Summo Pontifice aut ejus auctoritate factas, Gratias item expectativas, in universum sustulerunt, donec aliter statueretur in Concilio generali legitimè celebrando, cujus ordinationi se Gallicana Ecclesia submisit. Statim verò Regem adeunt; orántque ut deliberationem hanc gratam ratámque habere velit, & ut eos, quantum in ipso erat, priscæ libertati juríque communis dispositioni restitueret quoad capita illa, eósque in ea libertate conservaret, amotis prorsùs omnibus impedimentis. Rex verò, ex sententia Consilij sui, deliberationem illam, utpote decretis Conciliorum generalium consentaneam, ratam habens, decrevit, quantum in ipso erat, ut Ecclesiæ & personæ ecclesiasticæ regni hujus restituerentur, quoad hoc, & conservarentur in sua antiqua libertate & in dispositione juris communis. Mandat Curiæ Parlamenti, Ballivis, Senescallis, & aliis Officiariis, ut secundùm formam superiùs præscriptam personas ecclesiasticas frui faciant jure electionis, collationis, & præsentationis, & ut contradictiones omnes amoveant, & contravenientes puniant, cujuscunque qualitatis & conditionis existant.

Tit. 22. Libert. Eccl. Gallic. num. 9.

V. Sed persuasio quæ in Gallia invaluerat, futurum ut Pontifex, audita hac deliberatione, sponte sua his malis mederetur, edicti hujus publicationem differri suasit per biennium, id est, à die XVIII. Februarij anni millesimi quadringentesimi sexti, usque ad decimam quintam Maij anni millesimi quadringentesimi octavi. Eo enim die Princeps Parlamenti Curiam ingressus, edictum illud se præsente publicari jussit: cujus tamen executio dilata fuit, ob spem quam præceperant fore ut brevi Concilium generale celebraretur. Interim Papa Ioannes XXIII. ad summum pontificatum evectus, missa ad eum amplissima legatione sollicitatus est ut tot malis remedium adhiberet. Ipse verò se ea de causa missurum esse Cardinalem Pisanum pollicitus est: qui cùm in Gallias perveniisset, edictorum executionem impedire potiùs conatus est quàm mederi malis quibus Ecclesia Gallicana miserè opprimebatur. Quod Regem impulit ut literas ad Parlamentum scriberet anno MCDXIII. quibus consilium ejus exquirebat circa ea quæ fieri conveniebat in hoc negotio. Parlamentum verò respondit, edi-

Tit. 22. Libert. Eccl. Gallic. num. 19.

ctum anni MCDVI. executioni mandandum esse. quam sententiam Princeps amplexus est. Ejus tamen executio retardata est arte quorundam è Consilio regio, ob privatam suam utilitatem. Interim Constantiense Concilium generale convocatum est: quò Clerus Gallicanus Parisiis jussu regio congregatus anno MCDXIV. legatos sive deputatos misit, quibus inter cetera mandatum est ut à Concilio peterent confirmationem deliberationum Ecclesiæ Gallicanæ circa provisiones Beneficiorum. Sed quantumvis id urgerent deputati, nihil obtinere potuerunt à Concilio; quod negotij hujus discussionem decrevit non attingere, nisi post electionem Papæ, ut constat ex Sessione quadragesima. Martinus verò V. in Concilio electus silentio transmisit negotium Ecclesiæ Gallicanæ. Igitur anno MCCCCXVII. mense Novembri congregati jussu regio Episcopi, Gentes Consilij Regis, & Curia Parlamenti, decreverunt ut edictum anni millesimi quadringentesimi sexti circa provisionem Beneficiorum, executioni mandaretur.

VI. Deliberationem hanc secutum est aliud edictum regium publicatum die XIII. Aprilis MCDXVIII. quod magni momenti est. Decretum quippe non est pendente schismate quo Ecclesia laborabat, sed post depositionem trium contendentium de pontificatu, & post electionem Martini quinti. Præterea nihil illic decernitur per provisionem, ut vocant, id est, donec Concilium generale celebretur; sed lex regia fertur quæ prorsùs observari debeat, lata postquam Concilium Constantiense & Summus Pontifex jus reddere recusarunt Ecclesiæ Gallicanæ. Nam in diplomate regio continetur, Regem frequentibus omnium ordinum regni conquestionibus coactum esse ut susciperet curam conservandarum Libertatum Ecclesiæ, atque ob hanc causam, imperandi executionem eorum quæ decreta fuerant anno millesimo quadringentesimo sexto, quam retardaverat ob spem quam conceperat futurum ut Concilia Pisanum & Constantiense finem tandem aliquem adferrent tot ingentibus malis; præsertim cùm nonnulli Archiepiscopi & Episcopi facilè adduci non possent ut electiones confirmarent quæ consequenter post edicta illa celebrarentur. Itaque jubet ut Ecclesiæ & personæ ecclesiasticæ hujus regni restituantur in perpetuum suis antiquis franchisiis & libertatibus. Tum, ut Ecclesiis cathedralibus & collegialibus ac Beneficiis electivis secularibus & regularibus provideatur per electiones Capitulorum, Conventuum, & Collegiorum, sive per postulationes canonicè factas, cum confirmatione superiorum. Aliis verò Beneficiis, quibus per electionem provideri non consueverat, provideri mandat per præsentationes, collationes, & institutiones Ordinariorum, *secundùm antiqua jura communia Conciliáque generalia*; nonobstantibus quibuslibet Reservationibus, Gratiis expectativis, & contrariis quibuscunque. Hujus autem edicti executionem imperat Curiæ Parlamenti aliisque Officiariis.

VII. Edicta illa confirmavit Carolus VII. statim atque in solio regali sublimatus est, diplomate dato anno MCDXXII. quo jubet ut electiones & aliæ Beneficiorum provisiones fiant secundùm jus commune & antiquum. Interim Concilium Basileense celebratum est, in quo vetitæ sunt omnes Beneficiorum reservationes generales & speciales quæ deinceps à Summis Pontificibus fieri possent, electionésque restituuntur. Duobus id decretis sancitum: quorum unum factum est anno MCDXXXIII. die XIII. Iulij, aliud verò anno MCDXXXVI. mense Martio. His igitur decretis electiones restituuntur, & confirmationes ad jus commune revocantur; id est, statuitur ut Episcopus confirmet eos qui sibi subjecti sunt, Archiepiscopus Episcopos, & Summus Pontifex Archiepiscopum, sive per viam confirmationis, sive mittendo Pallium, & ut insuper Episcopi & Abbates exempti ab eo confirmentur. quod ita statuitur, ut nullum per hoc præjudicium generetur appellationibus ad apostolicam sedem à judiciis confirmationis per Ordinarios latis, quas Romæ agitari placuit. Iam cùm edictis regiis abolitæ sint reservationes, decreto quoque Concilij Basileensis abolentur; exceptis tamen iis *quæ sunt in corpore Iuris clausæ*, id est, cùm electores secundùm sententiam Summi Pontificis privantur jure suffragij, ob hoc quòd indignum elegerint, vel cùm Beneficia vacant in Curia Romana, aut quando agitur de translatione Episcopi. Præterea, in eo decreto excipiuntur terræ patrimonij Ecclesiæ, quarum provisionem Pontifex, si ita ei videbitur, sibi reservare poterit. Extat etiam aliud ejusdem Concilij decretum, quo Gratiæ expectativæ prohibentur quoad Beneficia non electiva, quò liberè & canonicè fiat collatio ab Ordinariis; servatis tantùm Summo Pontifici Mandatis apostolicis pro unico Beneficio, si Collatores habeant jus disponendi de decem Beneficiis; si verò triginta pertinerent ad eorum collationem, duo Papæ reservarentur.

Num. 17. d. tit.

Concil. Basil. sess. 21. & 25.

VIII. Ecclesia Gallicana Avarici Biturigum congregata jussu Caroli VII. anno

MCDXXXVIII. amplexa est decreta illius Concilij, & in primis hæc duo quæ Reservationes & Gratias expectativas abolent, libertatémque electionum & collationum reducunt. Quod Princeps edicto confirmavit, quod vulgò dicitur *Pragmatica Sanctio*; usitato Codicis vocabulo, ubi rescripta Imperatorum ad componendas provincias missa dicuntur *Pragmatica forma* aut *sanctio*) ejúsque executionem commisit Curiæ Parlamenti.

IX. At Ecclesia Gallicana his decretis modum adhibuit in duobus capitibus. Primùm enim decernit ut consecrandus ad suum superiorem immediatum remittatur à Summo Pontifice *pro munere consecrationis*, ut eum consecret *ipsius Papæ auctoritate*; nisi si confirmatus sit in comitatu Curiæ Papalis, & illic consecrari aut benedici cupiat. Nam in eo casu volunt ut personæ consecratæ, seu benedictæ, remittantur ad suum superiorem immediatum, ut obedientiæ juramentum ei præstent. Quoniam verò Ecclesia Gallicana leges dare non poterat Summo Pontifici, pœnas illi intentant qui cùm Romæ consecratus non fuerit, consecrari se vigore commissionis apostolicæ cupierit ab alio quàm à suo superiore immediato: cui sic conanti mulcta quadringentorum scutorum dicta est, cujus media pars Ordinario cederet, reliquum verò fabricæ Ecclesiæ. Tum illud quoque modificatum & inflexum, quod à Concilio decretum fuerat; nempe, quòd Concilium hortaretur Reges & Principes ne libertatem electionum turbarent precibus aut minis, electoribus sub pœna excommunicationis inhibendo ne harum precum aut minarum rationem habeant. Ecclesia itaque Gallicana existimat licere Regi ac Principibus preces adhibere, modò vis absit, in gratiam eorum quorum virtutes & merita in Remp. ornari cupient.

X. Pragmatica Sanctio aliquot per annos obtinuit, invita licèt ac contradicente Romana Curia: quæ sub Pio II. tam frequentes preces adhibuit apud Ludovicum XI. ut animum ejus eò flexerint ut diploma daret quo Pragmatica illa aboleretur. Intercessit tamen Curia Parlamenti Parisiensis: cujus oratio ad Principem (id vulgò nostrates vocant *Remonstrances*) ejus ponderis fuit anno MCCCCLXI. ut Pragmaticæ usus fuerit revocatus, & in consuetudinem abierit; transmissis prorsùs declarationibus Sixti IV. & deinceps Iulij II. in Concilio Lateranensi, ubi abrogata est hæc Sanctio. Verùm cùm Gallia contra niteretur, Rex Franciscus I. & Leo X. inivere *Concordata*; quæ Pragmaticam quidem abolent, sed leges tamen ad sananda hæc mala præscribunt quæ prorsùs similes sunt iis quæ in Pragmatica Sanctione continebantur; si electiones excipias, quæ mutantur in nominationem regiam quoad Beneficia quibus per electionem provideri solebat. At clerus, qui se jure electionis privatum esse ægrè ferebat, viriliter intercessit publicationi hujus Concordati, & ad futurum Concilium generale provocavit. quod ejus consilium approbavit Curia Parlamenti, quæ tam subitam mutationem, quæ magni momenti erat, concoquere statim non poterat.

XI. Ego verò contendo Concordata majorem utilitatem regno attulisse quàm Pragmatica sanctio adferret. Illa quidem conservabat antiquos Canones & Regum edicta pro restituendo jure electionum adversùs reservationes Summorum Pontificum; sed supremam auctoritatem pro confirmatione electionum non restituebat synodis provinciarum, aut Metropolitanis. Contrà, contendentium arbitrio relinquebat libertatem eundi Romam, ut illic proponerent nullitates & vitia electionum; & Summo Pontifici concedebat jus providendi Beneficiis quorum causa lis erat instituta, si persona electa reperiretur incapax. id quod sæpe eveniebat. Præterea, Metropolitanos compellebat ad recipiendam à Papa confirmationem vel Pallium; sine quo nullam functionum metropoliticarum partem attingere poterant, ex jure tunc recepto. Ecclesia ergo Gallicana miserè lacerabatur ob consecrationes, nisi Summus Pontifex his statutis consentiret, auctoritatémque adderet electionibus. Sanè quamplures Archiepiscopi recusabant consecrare Episcopos absque illa cautione, ut patet ex edicto anni millesimi quadringentesimi decimi octavi.

XII. Carolus VI. prima fronte videtur robustius aliquid & excelsius cogitasse quàm Concilium Basileense, cùm edicto suo restituerit Ecclesias regni sui in franchisias & libertates suas secundùm antiqua jura communia Conciliáque generalia. Affirmare tamen licet in edicto illo jus commune antiquum non aliud intelligi quàm jus quod in Decreto Gratiani & in Decretalibus continetur; ut opponatur videlicet novo, quod recenter introductum erat in gratiam reservationum. Quinetiam Conciliorum generalium auctoritas in edicto illo proponitur. Quod intelligendum est ex sententia doctorum hominum illius ævi. Hi enim Conciliorum generalium nomine comprehendebant ea quæ anno præterito recensita erant à Concilio Constantiensi in formula pro-

fessionis fidei quæ Summo Pontifici eligendo præscribebatur, Octo nimirum Oecumenica, & Concilia generalia Lateranense, Lugdunense, & Viennense. Vnde sequitur, hoc edictum, cùm fortiùs ac vehementiùs invehatur adversùs injustum jus Reservationum & Gratiarum expectativarum, ut necessitatem electionum & collationum probat, sic eò recidere ut necessariam esse agnoscat Romani Pontificis auctoritatem pro confirmatione Metropolitanorum. Eadem quoque fuit mens B. Ludovici, quum anno MCCLXVIII. in Pragmatica Constitutione sua juberet ut electiones ad prælaturas & collationes Beneficiorum fierent *secundùm dispositionem, ordinationem, & determinationem juris communis, sacrorum Ecclesiæ Dei canonum, atque institutorum antiquorum sanctorum patrum.* Difficillimum quippe erat ut Summo Pontifici jus adimeretur judicandi lites in electionibus obortas; nec facile erat præterea eum privare jure confirmandi Metropolitanos, sive per concessionem Pallij, aut alio modo; quandoquidem Concilium CP. octavum Oecumenicum, quod in Occidente receptum erat, jus illud patriarchicum confirmaverat.

XIII. Vnde constat Pragmaticam Sanctionem, quæ pravam Reservationum consuetudinem tollebat invitis iis quorum intererat, Gallos tamen in pari confusione reliquisse quoad statum hierarchicum Ecclesiæ; eò quòd Summi Pontifices recusarent confirmationem electionum Metropolitanorum, & in aliis præterea articulis acquiescere nollent. Quo fiebat ut cùm in speciem bono reformationis frueremur, schismatis malo laboraremus, licèt nulla nostra culpa esset. Animorum concordiam revocavere Concordata, quæ Reservationum abusum prorsùs sustulerunt. Electiones sanè Capitulorum, ambitu fiebant; eisque persæpe vim inferebant Regum preces à Pragmatica Sanctione approbatæ; adeo ut Gulielmus Benedicti, celeberrimus illa ætate Iurisconsultus, affirmet preces illas habuisse & habere debuisse vim imperij apud Canonicos electores. Concordata igitur abolent electiones; & in earum locum substituunt jus nominationis, quod Regi tribuunt; exemplo petito à Regibus primæ stirpis, qui jure illo utebantur cum consensu cleri. quod jus viam præcludit ambitioni & simoniæ quæ exercebatur ad emenda suffragia Canonicorum. Attamen nominationis jus sic conceditur Principi, ut ad Summum Pontificem pertineat confirmatio electionum, qua potiebatur absque ulla controversia ante Pragmaticam Sanctionem editam. Verùm incommodum hoc compensatur ingenti commodo, cùm hoc pacto finis impositus sit litibus quas in Romana Curia contestari receptum erat sumptibus immensis, ut electionum nullitas discuteretur. Quo fiebat ut partes contendentes ad inopiam redigerentur, regno incommoda importarentur, & Ecclesiæ ob id diù vacarent.

Tacitus: Preces erant, sed quibus cogendis non ipse. Ausonius: Et quod est parentissimum imperandi genus, rogabas qui jubere poterat.

Vide lib. 4. c. 19. §. 2.

CAPVT X.

Synopsis.

I. Inquirendum in origines Annatarum.

II. Earum origo, avaritia. In Concilio Chalcedonensi vetitum ne Episcopi aut Clerici pretio ordinarentur. Ordinatio ea tempestate comprehendebat impositionem manuum & Beneficij provisionem. Inventum dein ut pecunia daretur post ordinationem. Cui fraudi restitit Gennadius Episcopus CP. qui hanc ait esse mentem Concilij Chalcedonensis ut nec ante nec post ordinationem pecunia detur.

III. Ævo Iustiniani dabatur ab Episcopis quædam pecuniæ summa pro inthronizatione. Ea videtur dedisse originem taxationibus Cancellariæ. Dabatur autem Archipresbytero & Archidiacono ordinatoris.

IV. Quibusnam personis pecunia isthæc distribui debeat. Rejecta Gothofredi conjectura. Explicatur cui usui esset illa pecunia, ex ipsis Novellæ CXXIII. verbis. Enthronisticorum & Annatarum discrimen.

V. In iis præscribendis emicat Principis auctoritas. Inquiritur consilium Iustiniani, cùm hanc Novellam conderet. Laudata & approbata à Gregorio magno.

VI. Episcopi aliquam pecuniæ summam accipiebant ab Episcopis à se consecratis. Quod deinceps fieri prohibet eadem Novella. Permittit ut Clerici ordinati, & in Ecclesia intitulati, ministris ordinationis solvant salaria consueta, modò ea non excedant reditus unius anni. Ea salaria vocantur emphanistica *vel* insinuativa. *Novellæ* LVI. *explicatur.*

VII. Isaacius Comnenus Imperator præscribit jura quæ Episcopis competunt propter ordinationem Clericorum.

VIII. Gregorius magnus in Synodo Romana decernit ne quid unquam de ordinationibus accipiatur.

IX. Curat autem ut decretum illud per omnes provincias observetur. Ordinationes quæ pretio constant, hæresim simoniacam vocat.

X. In Oriente dein vetitum ne Episcopus ordinator jura enthronistica verteret in suos usus.

XI. Zacharias Papa censet veram simoniam committi si quis pecuniam accipiat ratione Pallij.

XII. Concilium Parisiense sub Ludovico Pio simoniæ crimen in Ecclesia Romana amputari postulat.

XIII. Nondum defierat ætate Ivonis Carnotensis.

XIV. Durandus Mimatensis graviter invehitur in morem recipiendi pecunias pro ordinatione Episcoporum, idque simoniacam hæresim vocat.

XV. Eas solutiones immoderatas olim fuisse patet ex Hovedeno. Reditus ut plurimum annuus ei rei destinabatur. Laudata auctoritas Ostiensis.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

I. EXCIPI potest adversùs nostram sententiam, Annatarum usum esse abrogatum auctoritatè Pragmaticæ Sanctionis, sed iterum introductum per Concordata. Vt intelligatur quanta sit vis hujus objectionis, materia isthæc accurratè tractanda est; præsertim cùm de ordinationibus agamus, ad quas Annatæ pertinent. Verùm ut materia hæc meliùs intelligi possit, inquirendum videtur in origines Annatarum, sed ita ut eodem tempore adnotemus quid turbarum variis seculis excitaverint ij qui eas aut similia jura introduxere.

II. Avaritiam hujus mali originem esse non ambigo; quod seculo quarto cœpit invalescere, sed damnationis sententia perculsum est in Concilio Chalcedonensi. Antoninus Episcopus Ephesi venundabat ordinationes Episcoporum, secundùm valorem annuum redituum Ecclesiæ, *pro modo redituum*, ut ait Palladius in vita Chrysostomi. Sanctus Ioannes Chrysostomus Concilium Ephesi coëgit: in quo abusus ille damnatus est, quòd contrarius esset expressis verbis sacræ Scripturæ. Episcopi verò sic ordinati depositionis pœnam subiere, tametsi dicerent se pecuniam dedisse secundùm consuetudinem. Pecuniam tamen suam repetere ab heredibus Antonini, qui lite pendente excesserat è vita, permissum illis fuit. Corruptio illa impulit Synodum Chalcedonensem ut depositionis pœnam eis intentaret qui pretio ordinarent Episcopos aliósve Clericos, aut ministros in Ecclesia constituerent; quòd avaritia sua eos impelleret ad vendendam gratiam, τὴν ἄωρατον χάριν, id est, id quod gratis debet dari. Ceterùm adnotandum est, ea tempestate ordinationes ita peragi solitas ut eodem tempore quo quis ordinabatur, certæ cuipiam Ecclesiæ assignaretur. quo fit ut ordinatio comprehenderet & manuum impositionem & beneficij provisionem. Paulò post hanc prohibitionem fraudibus & dolis agi cœptum est adversùs eam, data videlicet pecunia post ordinationem. Vivebat tum, id est, ad annum CDLXIX. sub Leone Imperatore, Gennadius Episcopus Constantinopolitanus, qui fortiter restitit huic fraudi, ac pœnas à Concilio Chalcedonensi decretas intendit, injecto anathemate. Decretum ejus, quod in Synodo patriarchali CP. repertum est, argumentum damnandi hunc abusum sumit ex verbis Christi; qui Apostolis suis præcepit ut quod gratis acceperant, gratis darent. Addit, mandatum illud ad Episcopos porrigi. Porrò oportere illud exequi simpliciter & ad litteram, non autem eludere sophisticis argutiis, ut fiebat, ne in opus plenum aleæ & periculi se darent præcipites. Verba enim, inquit, evidentissima sunt, nec diversas explicationes admittunt. Vnde concludit non licere pecuniam dare, neque ante ordinationem, nec postquam ea peracta est, eámque esse mentem Concilij Chalcedonensis: *Sed nec ante tempus ordinationis, nec pòst, dare concedit.* Abrogat autem contrariam consuetudinem, quæ paulatim recepta erat in provincia Galatiæ: διδὲ πρὸ τοῦ χειροῦ τῆ χειροτονίας, οὐδὲ τὸ χειρὸν αὐτὸν τῆ χειροτονίας ὑπὲρ τῆ χειροτονίας δίδοσθαι χρήματα συγχωρεῖ.

III. Ævo Iustiniani, & octuaginta annis post Gennadium, invaluerat consuetudo, quam princeps ille Novella constitutione firmavit; ex qua videntur traxisse originem taxationes Cancellariæ; nimirum ut Episcopi, postquam consecrari fuerant, pro inthronizatione sua certam pecuniæ summam darent, quæ in hac constitutione præscribitur. Pontifex Romanus, ceteríque Patriarchæ, ac Metropolitani, & Episcopi, consueverant eam pecuniæ summam tradere Archipresbytero & Archidiacono ordinatoris, ut eorum curâ distribueretur iis qui illam accipere debebant secundùm consuetudinem; ea tamen conditione adjecta, ut si quis aliquid ultra acciperet, in triplo componeret Ecclesiæ. Taxatio autem illa modum non excedit. Quippe ea quæ solvenda incumbit Episcopo Romano & ceteris Quatuor Patriarchis, quæ hauddubiè omnium major est, coërcetur ad viginti libras auri, id est, ad mille quadringenta scuta, nisi consuetudo obtineat ut minor ab eis summa exigatur. Aliæ infra mediocritatem consistunt; quarum nonnullæ ad duo vel trecenta scuta porriguntur, quædam ad quinquaginta.

IV. Quæri solet quibusnam personis pecunia isthæc distribui debeat. Gothofredus, in Notis ad hanc Novellam, suspicatur eam debuisse impendi in utilitatem Ecclesiæ & alimoniam pauperum; cùm mos ille obtineret ut traderetur Archipresbytero & Archidiacono, quibus ea cura incumbebat. Sed conjecturis opus non est ubi legis verba aperta sunt. Illa quippe docet partem ejus pecuniæ distribui solitam Episcopis qui in consecratione aderant, aliam verò Clericis & Notariis qui in ea ordinatione ministrabant, & diplomata conficiebant. Primum illud jus à Iustiniano vocatur *inthronisticum*, quod Iulianus Antecessor vertit *cathedraticum*. Aliud verò dicitur συνήθεια, vel *consuetudo*. Hæc vocabula indicant prætextum quo illi utebantur ut pecuniam illam reciperent.

Vide Cassiodor. lib. 5. Variar. epist. 15

Vide lib. 8. cap. 13. §. 5.

Vide Photium in Biblioth. cap. 96.

Concil. Chalced. cap. 2.

Lib. 5. Iuris Græco-Romani.

Nov. 131. c. 3.

perent. Nimirum ab Episcopis accipiebatur pro inthroniſtico & cathedratico, quod nos inſtallationem vocamus, non autem pro conſecratione; à Clericis verò pro miniſterio ſuo in conſecratione, & pro ſalario expeditionum. Nam ea pars pecuniæ quæ decidebat Epiſcopis, eo prætextu accipi potuit, quò ſumptibus itineris conſuleretur. Quippe ex diverſis provinciæ locis congregandi erant; & mora facienda erat pro examine electionum ac conſecratione. At iſtud congiarij genus, & modicum ſubſidium, quæ à Iuſtiniano probantur, multùm aberant ab Annatis, quæ ad immenſam pecuniæ vim porriguntur, & aliunde Officiariis Curiæ Romanæ donantur pro confirmatione electionis, cùm cathedratica illa à Iuſtiniano probata tribuerentur ad levandos ſumptus qui incumbebant Epiſcopis qui celebrabant ordinationem.

V. Sed in hoc negotio in primis obſervanda eſt Principis auctoritas, quæ in hac conſtitutione emicat; qui ſalariis & congiariis modum præſcribit ab Epiſcopis Eccleſiarum quæ in Imperio ſunt perſolvendis. In quo illud quoque animadvertendum eſt, eum duabus de cauſis, quæ pertinent ad juriſdictionem ſecularem, quæque duobus verbis in hac Novella explicantur, potuiſſe hanc legem condere pro taxatione illa. Prima ratio petitur ex eo quòd cavendum eſt ne reditus Eccleſiarum alieno ære prægraventur; quod contrahi neceſſum eſſet, ſi ſolutiones illæ modum excederent. Secunda verò, ne ſacerdotia fiant venalia; quòd Principis officium ſit punire crimina, exempli cauſa ſimoniam, & ejus effectus impedire: *Igitur jubemus hæc omnibus modis obſervari; ut non ex talibus occaſionibus Eccleſiæ debitis prægraventur, & ſacerdotia venalia fiant.* Ceterùm ea conſtitutio eò majoris momenti eſt, quòd Eccleſiam quoque Romanam ut ceteras complectitur; præſertim cùm à beato Gregorio laudetur & approbetur, quamvis aliam ob cauſam. Gregor. l. lib. 11. epiſt. 14.

VI. Aliam quoque pravam conſuetudinem invexerant Epiſcopi, nimirum ut aliquam pecuniæ ſummam acciperent ab Epiſcopis à ſe conſecratis. Id deinceps fieri prohibet eadem Novella conſtitutio Iuſtiniani, quæ tamen permittit ut Clerici ordinati & in Eccleſia intitulati ſolvant ſalaria conſueta iis qui in hujuſmodi ordinationibus miniſtrant; ea tamen lege, ne illa excedant reditum unius anni: *Unius anni diaria non excedentes pecunias præſtet*, ut interpretatur Iulianus. quod non excedebat centum aut centum quinquaginta libras Turonenſes. Quippe ea tempeſtate Clericis aſſignati non erant Nov. 123. c. 16.

certi reditus; ſed eis quædam reditus portio, velut pro ſalario, præbebatur è publico. Vnde ſequitur id trahi non poſſe in conſequentiam quoad Annatas epiſcopatuum aut monaſteriorum, quæ ad immenſam pecuniarum vim aſſurgunt. Sanè Iuſtinianus non conceſſit ut reditus unius anni perſolverentur pro magnis illis Beneficiis, ſed aliqua tantùm pecuniæ ſumma quæ infra mediocritatem ſubſiſtit, eſque modus impoſitus eſt in capite tertio hujus Novellæ; adeo ut epiſcopatus quorum annui reditus non excedunt duas libras auri, hoc eſt, centum quadraginta quatuor ſcuta, liberi omnino cenſeantur ab omni ſolutione. Salaria à Clericis perſolvenda vocantur *emphaniſtica*, vel *inſinuativa*; quaſi diceres, pecunia debita pro inſinuatione & deſcriptione Clerici in libris & matricula Eccleſiæ. Conſuetudinem illam in magna Eccleſia CP. tolerat Iuſtinianus, ſed in cetetis eam prohibet. Quod non ita intelligendum eſt ac ſi generalis eſſet illa prohibitio & ad omnes Eccleſias patriachatus porrigeretur. id enim contrarium eſſet rebus conſtitutis in Novella CXXIII. Intelligendum eſt igitur de privatis Eccleſiis urbis Conſtantinopolitanæ, id eſt, ut Iuliani verbis utar, de *oratoriis* aut ſacellis: *Si quis in Conſtantinopolitana civitate Clericus ſit, emphaniſtica præſtet quæ ex conſuetudine præſtari oportet. Sin autem alterius oratorij Clericus fuerit, nihil ab eo emphaniſticorum nomine exigatur.* Nov. 56. Iulian. Num. 131.

VII. Iſaacius Comnenus Imperator, qui anno MLVIII. imperabat in Oriente, præſcribit ſecundùm formam antiquam jura quæ Epiſcopis competunt propter ordinationem Clericorum; quæ non excedunt ſeptem aureos nummos pro univerſis ordinibus uſque ad preſbyteratum incluſivè. quod jus vocatur συνήθεια, id eſt, *conſuetudines*; non autem *canonicum*, quod in hac Novella ſignificat tributum quod unaquæque diœceſeos parœcia pendit Epiſcopo proprio, ſive illud ſit pecunia, ſive ſegetes. Tributum verò illud non erat in uſu ætate Balſamonis, ut notat ipſe Balſamo in reſponſione ſua ad LVII. interrogationem Marci Alexandrini; ubi ait Epiſcopos nihil aliud accipere conſueviſſe à populis quàm id quod vltro offerebatur: ἀρκούμεθα τῇ συνηθείᾳ ἑκουσίου τοῦ διδόντος. Lib. 2. Iuris Græco-Rom. & ap. Balſamonem Tit. 1. Nomocan. c. 34.

VIII. Tributa ergo illa Principis auctoritate & conſuetudine firmata: obtinuerant citra cujuſlibet calumniam, donec ſanctus Gregorius congregato Romæ Concilio anno DXCV. nihil unquam de ordinationibus dandum eſſe conſtituit *ex traditione chartarum*, id eſt, pro expeditione literarum ordi- Apud S. Greg. lib. 4. ep. 84.

nationis. Quippe interpretans Synodum Chalcedonensem, cujus verba eò tantùm tendere videntur ut prohibeant emptionem suffragiorum pro electione & ordinatione, significat ejus synodi canone in universum prohiberi ut ne quid unquam accipiatur juris aut emolumentorum, non pro expeditione literarum, aut concessione Pallij neque etiam ob eam causam quæ prætexi solet vocabulo *pastelli* seu convivij. Hujus autem constitutionis hanc rationem reddit, quia si Episcopus manum suam, quam super ordinati caput imponit, vendere non debet, ita nec Diaconus vocem suam, quam adhibet in lectione Evangelij, neque Notarius calamum, quo utitur ad scribendas literas confirmationis, venundare debet. Prohibet insuper ne ordinatus aliquid det pro ordinatione, Pallio, literis, aut convivio. Si tamen post ordinationem acceptásque literas & Pallium, proprio motu, & irrequisitus, aliquid, gratiæ tantummodo causa, clero dare voluerit, licitum id esse ait, modò id non fiat ex conventione quæ præcesserit. Decretum igitur illud prorsùs damnat Annatas. Refertur autem apud Gratianum in Decreto c. *Novit.* d. 100. & 1. q. 2. cap. *Sicut Episcopum.* Sic autem habet: *Antiquam patrum regulam sequens, nihil unquam de ordinationibus accipiendum esse constituo, neque ex datione Pallij, neque ex traditione chartarum, neque ex ea quam nova per ambitionem simulatio invenit appellatione pastelli. Quia enim ordinando Episcopo Pontifex manum imponit, evangelicam lectionem Minister legit, confirmationis autem ejus epistolam Notarius scribit, sicut Pontificem non decet manum quam imponit vendere, ita Minister vel Notarius non debet in ordinatione ejus vocem suam vel calamum venundare. Pro ordinatione verò, vel Pallio, seu chartis, atque pastello, eundem qui ordinandus vel ordinatus est, omnino aliquid dare prohibeo. Ex quibus prædictis rebus si quis hinc aliquid commodi appellatione exigere vel deferre fortè præsumpserit, in districto Dei omnipotentis examine reatui subjacebit. Is autem qui ordinatus fuerit, si non ex placito, neque exactus, neque petitus, post acceptas chartas & Pallium aliquid cuilibet ex clero, gratiæ tantummodo causa, dare voluerit, hoc accipi nullo modo prohibemus: quia ejus oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ ex accipientis ambitu non processit.*

IX. Post constitutionem illam in Concilio Romano factam sanctissimus hic Pontifex cupiit ut prava isthæc consuetudo, quæ in universo Occidente vigebat, prorsùs evelleretur. Hanc ob rem urgentissimas epistolas scripsit ad Regem Childebertum & ad Metropolitanum Arelatensem pro Episcopis Galliarum & Germaniarum, ad Reginam item Brunichildem, ad Reges Theodoricum & Theodebertum, & ad Episcopos Galliarum, ad Metropolitanum Corinthiacum, & ad Episcopos provinciæ Hellados sive Græciæ, ad Episcopos Epiri sive Albaniæ, ad Hesycium Patriarcham Hierosolymitanum, & ad Eulogium Patriarcham Alexandrinum. Hanc autem curam post Concilium celebratum suscepisse Gregorium patet ex notis annorum in calce epistolarum positis, tum etiam ex verbis epistolæ ad Ioannem Episcopum Corinthiacum scriptæ, ubi sanctus Gregorius ait abolitam fuisse in eo Concilio consuetudinem accipiendi aliquod lucrum pro Pallio. Vnde concludit non debere Metropolitanum illum ullum *commodum*, id est, aliquam utilitatem aut lucrum percipere ex ordinationibus.

Ceterùm idem Gregorius in his epistolis velut fundamentum istius prohibitionis laudat præceptum Iesu Christi, qui apud Matthæum ait in capite x1x. *Gratis accepistis, gratis date.* Item exemplum Domini nostri; quando ejecit è templo eos qui vendebant columbas, & sententiam à sancto Petro pronuntiatam adversùs Simonem magum, qui dona Spiritus sancti emere volebat. Quibus auctoritatibus fretus non dubitat dicere; *quia eum quem quis cum precio ordinat, provehendo agit ut hæreticus fiat*; & illas ornationes quæ pretio constant, hæresim simoniacam vocat.

X. Præjudicium illud à sancto Gregorio factum ejus momenti visum est in Oriente ut licèt Metropolitani non cessarent à recipiendis juribus enthronisticis, quæ Iustiniani auctoritate firmata erant, decretum tamen fuerit ne Episcopus ordinator ea verteret in suos usus, sed pauperibus Clericis distribueret pro eorum alimonia. Prohibitio autem illa descripta est in articulo x. Institutionum quas Patriarcha tempore ordinationis suæ dabat Metropolitanis: *Statuimus ut inthronismus, quem vocant, non ei qui ordinat Episcopum, (absit ut hoc fiat) sed pauperioribus Clericis vel alio quodam ecclesiastico munere fungentibus, ratione facultatum ecclesiasticarum habita, detur. Quippe si locuples sit Episcopus, nequaquam prohibemus quominus in eos qui ministerits ecclesiasticis inserviunt, & inopem vitam traducunt, velut ex beneficentia, munuscula quædam conferantur.*

XI. Laudabilis illa consuetudo, ut nihil accipi debeat neque pro Pallio, neque pro literis confirmationis, vigebat etiamnum

Gregorius lib. 4. ep. 51. 53. 55. 56. lib. 5. ep. 7. lib. 7. ep. 5. 113. 114.

Romæ anno DCCXLIV. ut patet ex responsione Papæ Zachariæ ad Bonifacium sedis apostolicæ Legatum, qui ad eum scripserat probra adversùs Ecclesiæ Romanæ Clericos palam ingeri, quòd precia ex iis rebus acciperent. Gravem ex hoc sibi contumeliam generari censet Zacharias, atque insuper fatetur veram simoniam committi si quis precium aliquod accipiat ratione Pallij: *Quasi nos corruptores simus Canonum*, inquit, *& patrum rescindere traditiones quæramus, ac per hoc, quod absit, cum nostris Clericis in simoniacam hæresim incidamus, accipientes, & compellentes ut hi quibus Pallia tribuimus, nobis præmia largiantur, expetentes ab illis pecunias.* Infrà: *Fastidiosum à nobis & injuriosum suscipitur, dum illud nobis ingeritur quod nos omnino detestamur. Absit enim à nobis & à nostris Clericis vt donum quod per Spiritus sancti gratiam suscepimus, pretio venundemus.*

Zachar. ep. V. ad Bonifac.

XII. Sed non semper Romanæ Curiæ Clerici manus suas abstinuerunt ab hoc turpi commercio. Nam non toto post Zachariam seculo revocarunt consuetudinem à Gregorio & Zacharia damnatam. Vnde ortæ querelæ Parisiensis Concilij jussu Imperatorum Ludovici Pij ejúsque filij Lotharij congregati anno DCCCXXIX. quod cùm abusus quamplurimos corrigere vellet in Ecclesiam Gallicanam invectos, & in primis simoniæ crimen, ait necessarium esse ut auctoritate imperiali, cum consensu Episcoporum, amputetur in Ecclesia Romana; quoniam ægro capite, membra vigorem suum obtinere non possunt. *Quæ etiam*, inquit, *Deo odibilis pestis, primùm necesse est ut imperiali auctoritate & potestate, cum consensu venerabilium Sacerdotum, & à Romana Ecclesia amputetur: quoniam si caput languerit, membra incassum vigeant necesse est.*

Concil. Paris. lib. 1. cap. 21.

ADDITIO
STEPHANI BALUZII.

TANTA priscis illis temporibus insederat Romanis Pontificibus cura pravam illam consuetudinem abolendi, qua receptum erat pecuniam dari pro ordinatione Episcoporum ac reliquorum è clero, ut etiam quadringentis ferme post Gregorium magnum annis Benedictus Papa Concilium Romæ celebraverit ea de causa, præsente Ottone Imperatore, verbisque sancti Gregorij usus sit ad prohibendum hoc malum. Tempus illius Concilij non est adnotatum in codice Cuxanensis monasterij, unde illud describi curaverat illustrissimus Archiepiscopus. Verùm cùm ejus publicandi cura delegetur Mironi Episcopo, Gerundensi nimirum, isque circa annum DCCCLXXIII. ad eam cathedram vocatus, ab Aymerico Narbonensi Archiepiscopo consecratus sit jussu Benedicti Papæ, par est existimare synodum illam esse revocandam ad annum DCCCLXXXIII. quo Romanum Concilium à Benedicto VII. celebratum est ad discutiendam causam Giseleri Episcopi Magdeburgensis, qui malis, ut aliqui aiebant, artibus ad eam sedem pervenerat. Quæ res dare potuit occasionem decernendi pœnas adversùs eos qui pecuniam pro ordinatione aut accipiunt aut tribuunt. Eo autem anno Ottonem II. extitisse Romæ, ac fine anni illic obiisse, satis constat. Vtcunque se res habeat, certum est eam synodum, si non eo anno, saltem per illas tempestates fuisse celebratam. Cùm autem nondum edita fuerit, visum est eam addere in calce hujus capitis. Ceterùm, ut hoc quoque dicamus, Miro Episcopus Gerundensis ex illustri genere ortus erat, filius nimirum Comitis Bisuldunensis. Vnde & ipse se frequenter in veteribus inscribit Comitem & Episcopum. Fuisse autem virum magnæ dignationis patet ex veteribus actis illius ævi.

XIII. Morbus hic in Romana Curia perseverabat ac vigebat anno MXC. ut docent epistolæ Ivonis Carnotensis: ex quibus discimus simoniam illam in eo stetisse, quòd Episcopi & Abbates cogebantur dare pecunias pro sua consecratione aut benedictione. Quippe respondens Richardo Legato apostolico, qui Ivoni exprobraverat eum connivere cuidam pravæ consuetudini Ecclesiæ Carnotensis, ubi Decanus & Canonici quandam pecuniæ summam recipiebant in receptione novorum Canonicorum, ait Capitulum Carnotense se tueri consuetudine Ecclesiæ Romanæ: *Romanæ Ecclesiæ consuetudine se defendunt, in qua dicunt Cubicularios & ministros sacri palatij multa exigere à consecratis Episcopis vel Abbatibus, quæ oblationis vel benedictionis nomine palliantur; cùm nec calamus nec charta gratis ibi, ut aiunt, habeatur.* Porrò posteritas ostendit veram esse prorsùs vaticinationem Ivonis: qui loquens alicubi de prava hac Curiæ Romanæ consuetudine, ait imperium cupiditatis extingui non posse, donec mundi deflagratio consequatur, & pacatum regnum caritas obtineat: *Nec in diebus malis regnare desinet cupiditas, donec finito mundi termino pacatum regnum accipiat caritas. Semper abundabit palea, donec ventiletur area.*

XIV. Sub Clemente deinde quinto vivebat magnus ille Iurisconsultus Gulielmus Durandus Episcopus Mimatensis, auctor libri qui *Speculum Iuris* inscribitur, unde *Speculatoris* nomen indeptus est. Huic ergo cùm à Clemente præceptum fuisset ut in aliquot capita conjiceret ea quæ reformatione digna esse judicaret, ut in Concilio generali quod ille Pontifex Viennæ in Gallia congregavit anno MCCCXI. proponerentur examinanda, ille ipse Gulielmus ea tempestate composuit librum *De modo generalis Concilij celebrandi*, in quo non omisit comme-

morare corruptelam malæ consuetudinis quæ in Romana Curia vigebat, nimirum ut pecunia ab iis acciperetur quibus consecrationis aut benedictionis munus conferebatur, quæ deinde dividebatur inter Papam & Cardinales. Id autem damnat ut simoniacum. Nec legitimam esse putat distinctionem quam Romani adhibebant ad exemplum Galatarum ævo Patriarchæ Gennadij, se nimirum pretium accipere post consecrationem, non autem ante, quasi Concilia nihil aliud prohibuissent quàm ne pecunia daretur ad emenda suffragia. Durandi autem verba sunt magni momenti. Nam post laudatum canonem secundum Concilij Chalcedonensis, post adducta aliquot loca ex Decreto Gratiani, & Titulum Decretalium in quo simonia damnatur, addit : *Cùm illa in quibus agitur de simonia, in novo & veteri testamento, in Conciliis à sanctis patribus & Romanis Pontificibus damnata, non serventur, & maximè in Curia Romana, in qua etiam cœtus Dominorum Cardinalium vult habere unà cùm Domino Papa certam portionem à Prælatis qui promoventur ibidem, videretur super hoc maximè providendum. Nam hæc hæresis maximè corrumpit Ecclesiam universalem & universos populos, & provisa remedia jam pro nihilo reputantur, cùm in Curia Romana publicè contrarium fiat, ac si non esset peccatum committere simoniam, vel si dare vel accipere pòst, non esset idem sicut dare vel accipere antè, 1. q. 1. Eos. c. si quis præbendas. &c. Si quis objecerit. & ead. caus. q. 3. c. Salvator.*

Durand. parte 1. de modo cel. Conc. gener. rubr. 50.

vel monasterio providere, & qualiter consuetum est quòd sic provisus serviat Curiæ de magna pecunia, aliquando septem, octo, vel decem millibus libris sub gravibus usuris perceptis ab illis qui publicè vocantur Papæ mercatores.

XV. Pecuniæ quæ Romanæ Curiæ solvebantur ab Episcopis pro consecratione summam satis magnam conficiebant. Legitur quippe apud Rogerium de Hoveden historiæ Anglicanæ scriptorem, Episcopum Cenomanensem circa annum MCXC. dedisse pro sua ordinatione septingentas marchas argenti. Durandus verò adnotat consuevisse sua ætate Papam & Cardinales accipere certam portionem ; quæ hauddubiè exigebatur secundùm valorem Beneficij, ut aliqua justitiæ species servaretur in hac perturbatione. Reditus utplurimum annuus ei rei destinabatur ; ut docet Ostiensis, Durandi magister, qui circa annum MCCLX. florebat. Is ergo scribit magnas tempore Alexandri IV. motas fuisse querelas adversùs Annatas : quæ videlicet Annatæ constituebant portionem quam Papa & Cardinales inter se partiebantur, quam verò Episcopus Romæ consecratus persolvere tenebatur. Hi tamen fructus primi anni modicè taxati fuerunt in libris Cancellariæ.

Ostiens. in 3. decretal. Instit. Quinot.

ADDITIO
STEPHANI BALUZII.

ALIUD testimonium ejusdem omnino temporis heic addere visum est, nimirum ex libello *de recuperatione Terræ sanctæ*, ut habet titulus in editione Bongarsij, tum oblato Regi Angliæ Eduardo à Patrono causarum ecclesiasticarum Ducatus Aquitaniæ. Is monita perscribens ad Eduardum, ut ea monstraret quæ Rex emendari procurare debebat in futuro Viennensi Concilio, hæc inter cetera ait in capite XVII. *Consideret etiam qualiter ubique terrarum Ecclesiæ Romanæ subjectarum clamatur cùm aliquis de simonia arguitur. Nonne videtis qualiter Dominus Papa & Cardinales munera recipiunt ab ipsis quibus beneficia conferuntur, præsertim ab illis quibus de prælationibus providetur ? Qualiter illis per suos mercatores sub gravibus usuris faciunt pecunias quas ab eis capiunt mutuari, præsertim ab exemptis ? Videtis quòd cùm duo electi, quorum etiam unus habet jus, venire solent ad Curiam, demum post factas ab ipsis magnas expensas & munera recepta, laboribus & periculis viarum ac Curiæ sustentis, inducitur uterque & aliquando compellitur alter renuntiare suo juri, totum in manibus Domini Papæ ponere, & qualiter Papa consuevit aliq de Ecclesia*

CONCILIVM ROMANVM
SVB BENEDICTO PAPA.

De tempore hujus Concilii, ubi hi duodecim ad 1. 2. 1. dispiciendi.

Ex codice MS. monasterij Cuxanensis in Comitatu Ruscinonensi.

BENEDICTVS Episcopus servus servorum Dei. *Notum esse volumus omnibus catholicis & orthodoxis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Regibus, & Principibus, Ducibusque, & Comitibus vel universis in toto orbe terrarum Christo famulantibus, qualiter synodum aggregatum est in Ecclesia beati Petri Apostolorum Principis, ante sacratissimum ejus corpus, unà cum Domno Ottone serenissimo Imperatore augusto spirituali filio nostro, cum nostris suffraganeis Archiepiscopis & Episcopis, Presbyteris, & Diaconibus, vel cunctо clero sancta catholica & apostolicæ Romanæ Ecclesiæ. Et ibidem perlecta sunt capitula de sacris canonibus, qualiter liceret Episcopo de * sacris ordinibus aliquod præmium accipere. Et auxiliante Deo, & annuente ipso Apostolorum principe beatissimo Petro, in eodem loco interdictum est primitus à nostro proprio ore, & postea à cunctis venerabilibus Archiepiscopis & Episcopis in eodem sacratissimo loco residentibus, quòd ab ista hora in antea ab Ostiario usque ad sacerdotium nullum pretium exinde accepturos esse, sicuti in decretis sanctorum patrum continetur.* Si quis per pecunias Episcopum, aut Presbyterum, aut Diaconum, vel quemlibet qui connumeratur in clero, aut promoverit per pecunias Dispensatorem, aut Defensorem, vel quemquam qui subjectus est regulæ, pro suo turpissimo

* Id est, ordinationis.

Conc. Chalcedon. can. 2.

lucro, proprij gradus periculo subjacebit. Et qui ordinatus est, nihil ex hac ordinatione vel promotione, quæ est pro negociatione facta, proficiat, sed sit alienus à dignitate vel sollicitudine quam pecuniis quæsivit. Si qui verò mediator tam turpibus & nefandis datis extiterit, siquidem Clericus fuerit, deponatur; si verò laïcus, aut monachus, anathematizetur. *Item in eisdem decretis* : Si quis per pecuniam hanc obtineat dignitatem, dejiciatur & ipse & ordinator ejus, & à communione modis omnibus abscindatur, sicut Simon magus à Petro. *Verùm etiam propter illam pessimam emptionem Hierosolyma capta est: quia ipsi Sacerdotes iniqui, qui debuerant esse observatores legis & prædicatores, ipsi primi facti fuerant prævaricatores. Denique invenerant sibi quoddam ingeniolum, ut persuaderent filiis Israël de longinquo venientibus ut victimas secum non deferrent, sed munera; offerentibúsque sibi non, sicut præceptum erat à Domino, immolabant, sed ad hoc sibi reservabant ut aliis atque aliis venderent, & ad hoc sibi precium muneris multiplicarent. Nam idem Dominus & Salvator noster Iesus Christus non per Prophetas, neque per Apostolos, aut per doctores aliquos, sed per seipsum flagellos de funiculis fecit, & ejecit omnes de templo, boves quoque, & oves, & nummulariorum effudit as, & mensas nummulariorum subvertit, & his qui columbas vendebant dixit : Auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei domum negotiationis. Domus autem à Salomone ita condita fuerat, ut domus Dei vocaretur esséque, sicut ipse sapientissimus Rex *. Sed domus negotiationis facta est, quando in ea boves & oves & columbæ vendebantur. Vnde nos, carissimi fratres & dilectissimi filij, sollicitè vigilare oportet, qui pastoralem curam in nostris ovibus exercendam suscepimus, ne eas lupinis dentibus lacerandas tradamus, & ad ultimum nosmetipsi, qui pastores vocamur, in die tremendi examinis apud pium & benignum judicem lupi rapaces inveniamur. Pro quibus vestram sanctam fraternitatem rogando, obsecrando, monendo, & arguendo mandamus ut omni occasione postposita, diligenti studio & maxima sollicitudine ea quæ vobis agenda transmisimus implere studeatis. Nam si quislibet Presbyterorum aut Diaconorum gratis donum Spiritus sancti ab * Archiepiscopo sive à Metropolitano suo accipere non potuerit, studeat venire ad sanctam matrem Romanam Ecclesiam catholicam atque apostolicam, & in eadem episcopalem benedictionem recipiat sine omni simoniaca hæresi. Is autem qui ordinatus fuerit sine explacito, neque exactus, aut petitus, post acceptas chartas & Pallium offerre aliquid cuilibet ex clero gratiæ tantummodo causa voluerit, hoc accipi nullo modo prohibemus : quia ejus oblatio nullam culpæ maculam ingerit quæ ex accipientis ambitu non processit. Quicunque de sanctis ordinibus hanc nostram viderit epistolam, & verba vel exempla sanctorum patrum non observaverit, sciat se non esse connumeratum inter discipulos Domini & Salvatoris nostri Iesu Christi, sed damnatus inter impios, & inter eos qui dixerunt Domino Deo : Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Hi verò qui legitimè illam custodierint, & pio intuitu observaverint, recipiant partem cum Abraham, Isaac, & Iacob, in regno cœlorum, una cum eodem Domino & Salvatore nostro Iesu Christo, qui nunc & semper vivit & regnat Deus in cuncta secula seculorum.*

Hanc itaque nostram epistolam jubemus atque præcipimus ut per manum carissimi confratris nostri Mironis Episcopi cunctis aliis Archiepiscopis & Episcopis deportetur, ut idem ipse per suum laborem & certamen dignam exinde mercedem recipiat & fructum afferat in pœnitentia.

* L. Episcopo

Et B. Gregorio lib. 4. ep. 44.

CAPVT XI.

Synopsis.

I. Annatæ igitur antiquiores sunt ævo Ioannis XXII. qui eas amplificavit, & modum earum immutavit.

II. Successores ejus legem Annatarum sanciverunt esse perpetuam. Porrecta autem ab iis est ad Beneficia electiva.

III. Discrimen inter Annatas Beneficiorum electivorum & non electivorum. Bonifacius VIII. edixit ne quis Episcoporum aut Abbatum ullam muneris sui partem attingeret, donec Bullas accepisset.

IV. Ecclesia Gallicana cœpit adversus has novitates mutire sub Carolo V. Rege, qui remedium adhibere edicto tentavit.

V. Validius tamen remedium adhibendum fuit sub Carolo VI. qui vetuit ne deinceps in regno fierent exactiones Annatarum & minutorum servitiorum.

VI. Ea controversia agitata à Deputatis Nationis Gallicanæ in Concilio Constantiensi, sed irrito conatu.

VII. Quo factum est ut in conventu habito in Parlamento Parisiensi an. 1417. recitatis his quæ Constantiæ acta fuerant, renovatæ sint superiores Regis constitutiones, earúmque executio imperata.

VIII. Quod confirmatum est à Carolo VII. adjectis pœnis adversùs rebelles.

IX. Tandem illi contentioni finis impositus est in Concilio Basileensi. Confirmationes electionum gratis concedendas decernit, & Annatas abolet.

X. Eugenium IV. rogat per Legatos ut his decretis consentiat. Ioannis de Bachenstein oratio plena dignitatis; quam Antonius, Rotæ Auditor, callidè elusit.

XI. Decretum Basileense adversùs Annatas amplexa est Ecclesia Gallicana. Tum edita Sanctio Pragmatica.

XII. Licèt autem in Concordatis per consequentiam necessariam rescissa sit prohibitio solvendi Annatas, earum solutioni Princeps non consensit conceptis verbis.

XIII. Titulus tamen XLI. Concordatorum favere videtur Annatarum exactioni. Attamen validum hinc telum peti potest adversùs Annatas.

I. HÆc est vera origo Annatarum, & quoad rem ipsam, & quoad nomen. Vnde patet eas antiquiores esse ætate Ioannis XXII. Equidem pontifex ille eas amplificavit, & sub alio nomine quàm consecrationum recepit. Nam priscæ Annatæ ab iis solummodo exigebantur qui consecrationis munus in urbe Roma accipiebant. Quod in Episcopis provinciarum procul dissitarum tunc tantùm eveniebat quando eorum electiones illic contestabantur. ob quod electus cogebatur eò proficisci ut jus

suum prosequeretur. quo fiebat ut ibidem consecraretur. Sanè si de Metropolitanis Italiæ agebatur, necessarium erat eos Romam ire, ubi confirmari debebant aut ordinari. At Ioannes XXII. novum tributi genus invenit, quod *Annata* vocatum est, exigendum ex omnibus Beneficiis non electivis, ad

Cap. *Cum nonnulla.* De præb. & dignit. in Extr. comm.

subveniendum necessitatibus Ecclesiæ Romanæ, atque ob eam causam reservavit usque ad triennium fructus omnium præbendarum, Ecclesiarum parochialium, & Capellarum, quæ intra illud temporis spatium vacarent, ut patet ex ejus constitutione extravaganti.

II. Successores ejus Annatarum legem conservarunt, perpetuámque esse sanciverunt; hoc addito, ut tributum illud exigeretur ab episcopatibus & monasteriis, non secus ac ab aliis Beneficiis. Vnde factum est ut Beneficia electiva, quibus jugum hoc Annatarum à Ioanne XXII. impositum non fuerat, quòd Taxatio Cancellariæ locum teneret valoris antiquarum Annatarum quæ ex Beneficiis illis percipiebantur, novo hoc tributo oppressa sint.

Vide Respons. Nationis Gallic. factam Constantiæ cap. 13. tit. 22. Libert. Eccles. Gallic.

III. Illud tamen discrimen intercedebat, quòd fructus aliorum Beneficiorum vacantium exigebantur per Collectores à sede apostolica deputatos, & servitia episcopatuum & monasteriorum Romæ in pecunia numerata solvebantur, aut sub obligatione & hypotheca omnium bonorum mobilium & immobilium Ecclesiæ quam provisi faciebant Camerariis Papæ, sub pœna excommunicationis *latæ sententiæ*. Ita enim eos agere necessitas præcipiebat, quòd eis literæ apostolicæ non antè tribuerentur quàm solutio facta esset, aut obligatio concessa. Magni porrò momenti erat hæc Bullarum retentio

Extrav. *Injunctæ.* de Elect.

ob Constitutionem Bonifacij VIII. qui edixit ne quis Episcoporum, tametsi consecratus, aut Abbatum, tametsi benedictus, ullam muneris sui partem attingeret, donec Bullas accepisset. Emolumenta porrò quæ ex his juribus proveniebant multùm aucta sunt ope reservatiouum generalium omnium Ecclesiarum cathedralium & monasteriorum, quarum provisio sedi apostolicæ reservata est,

IV. Clerus Nationis Gallicanæ, Germanicæ, Hispanicæ, & Anglicæ impatienter ferebat has novitates. Sed præ ceteris Galliam opprimebant hujusmodi exactiones, ob immensum Beneficiorum ejus numerum; quæ tandem, post devoratam multa patientia longam malorum seriem, movere cœpit lacertos sub Karolo V. Rege. Subsidio fuit caput quintum Pragmaticæ sanctionis beati Ludovici editæ anno

Tit. 22. Libert. Eccles. Gallic. c. 7.

MCCLXVIII. quo omnes Romanæ Curiæ exactiones ex reditibus Beneficiorum prohibentur, nisi Regis & Ecclesiæ Gallicanæ consensus accedat. Prima igitur libertatis adipiscendæ spes affulsit sub Karolo V. qui turbatis rebus mederi tentavit anno MCCCLXXXV. edicto publico. Procurator regius majestati ejus suggessit Collectores apostolicos recipere fructus & reditus primi anni omnium Beneficiorum Galliæ, sive per obitum vacarent, sive per resignationem, permutationem, aut alio quovis modo, neque rationem ab illis ullam haberi juris Regaliæ aut præsentationis ad Regem pertinentis, sive ad alium Patronum laïcum. Karolus igitur ex sententia Magni sui Consilij præcepit Præposito Parisiensi, Senescallis & Ballivis, ut provisos ad præsentationem Regis aut aliorum Patronorum laïcorum frui facerent fructibus suorum Beneficiorum, néve paterentur molestiam eis quovis prætextu exhiberi à Collectoribus.

V. Validius tamen remedium adhiberi necesse fuit anno MCCCCVI. die XVIII. Februarij. Clerus enim Gallicanus Parisiis auctoritate regia congregatus in modum Concilij, apud Regem disseruit de variis exactionibus quæ mandato Summi Pontificis fiebant; cujus auctoritas à Christo instituta fuerat ad ædificationem Ecclesiæ, non autem ad destructionem. Potestatem ejus his limitibus circumscriptam, ut jus suum cuique tribuere teneatur, ac justum judicium judicare. Vnde porrò illi auctoritas clero tributa imperandi, cui Dominus pascendum & erudiendum gregem commisit? Annon & terrenis lucris inhiare permisit? Inter has autem exactiones commemorant Annatas, sive redditus primi anni omnium Beneficiorum exigi; Annatas porrò magnarum dignitatum dividi inter Papam & collegium Cardinalium. Non sufficere tamen eam Annatam, sed aliam quoque taxationem institutam esse, quæ vulgò *minuta servitia* dicitur, pro familiaribus & domesticis Papæ. Adigi omnes Episcopos ad solutionem horum servitiorum, retentione Bullarum: sine quibus administrari episcopatus non poterat. Emptionem id Beneficij prorsùs videri. At Karolus perpendens regiam potestatem ad hoc esse institutam ut Ecclesiæ patrocinium suscipiat, regnum porrò cœleste attolli ope terrestris, quoties Ecclesiæ destructores prosternuntur auctoritate Principum, canones statuere ut auxilium Regis imploretur cùm sublimiores Ecclesiæ personæ peccant in commoda publica, sanctos præterea doctores docere Papæ obediendum non esse in iis quæ manifestè perturbant ordinem eccle-

siasticum, his de causis, ex sententia sui Consilij, decernit ne deinceps exactiones illæ obtineant in regno, præcipiendo Curiæ Parlamenti & aliis Officiariis suis ut constitutionis hujus executioni invigilent.

Nonnulla hujus constitutionis capita perviguere. Quo factum est ut anno MCDXII. Papa miserit in Galliam Archiepiscopum Pisanum, quò curaret prohibitiones illas in irritum mitti. Verùm intercedente Academia Parisiensi Concilium regium statuit ut constitutio Karoli prorsùs observaretur. Quòd si Legati pontificij quempiam ad solutionem censuris cogere tentarent, appellare se ad futurum Concilium; ut narrat Monstreletus lib. I. cap. LXVII.

Vide supra cap. 12. hujus libri.

Libellus defensionis Nationis Gallic. Tit. 12. Libert. Eccles. Gallic. c. 13.

VI. Tandem materia isthæc in Concilio Constantiensi proposita est à Deputatis Nationis Gallicanæ. Occasionem illi de ea re differendi sumpserunt è re nata. Quippe Cardinales Pisanus, Cameracensis, & Florentinus à Concilio delegati sunt unà cum Deputatis Quinque Nationum, ut in commune consulerent quid facto opus esset circa reformationem Ecclesiæ, tam in capite, quàm in membris. Cardinales verò delegati mentionem inter alia injecerunt Annatarum & minutorum servitiorum, eáque legitimo jure deberi probare conati sunt. Ac licèt major pars delegatorum existimaret Annatas & servitia illa debere aboleri, Cardinales tamen obstiterunt ne sententia concluderetur. Deputati itaque Nationis Gallicanæ seorsim ob hoc congregati decreverunt Annatas omnino tollendas esse. Ioannes de Scribanis Procurator fiscalis cameræ apostolicæ ab hac Gallorum deliberatione appellavit, non quidem ad Concilium, quod heic celebrabatur, sed ad futurum Summum Pontificem. cui appellationi nomine collegij Cardinalium adhæsit Ioannes Poncetus. Contentio autem illa effecit ne Concilium Constantiense definiret hanc quæstionem. Rationes autem quibus Galli nitebantur, hæ in primis fuere. Annatas hujusce modi, à Ioanne XXII. ad certum tempus introductas quoad Præbendas, Ecclesias parochiales, & Capellas, & ab ejus successoribus certis de causis continuatas, exigi potuisse quandiu eas clerus, Principes, & populus toleravere. At postquam causæ tolerandi desierant, veluti peregrinatio transmarina, quod *Passagium transmarinum* vocabant, aut alia quæpiam occasio pietatis, solutionem earum justè negari posse. Nam quomodo opponi posset præscriptio aut consuetudo, cùm & frequentes ob hoc querelæ fuerint & oppositiones. Præterea, superiorem non facilè præscribere adversùs inferiorem.

Quod attinet ad prælaturarum Annatas; aiunt eas in initio nihil aliud fuisse quàm gratuitam oblationem eorum secundùm quos pronuntiatum fuerat in Curia Romana, quíque electionis suæ confirmationem obtinuerant. Canonibus tamen vetitum esse ne pecunia detur ante vel post promotionem. Quo fit ut nullum sit statutum, privilegium, consuetudo, præscriptio, aliúsve titulus, qui vim addere possit huic praxi, cùm simoniaca sit. Nam episcopatuum Annatas non ob hoc exigi quòd Beneficia vacent, sed quia conferuntur. Adde quòd pecunia quam provisi solvunt aut promittunt, ab eis exigitur per violentiam & retentionem Bullarum. quo vel unico facinore præscriptio impeditur.

In universum autem loquentes de Annatis utriusque speciei, affirmant neque Papæ neque Romanæ Ecclesiæ datam esse licentiam imperandi tributa personis ecclesiasticis; idque eò magis obtinere debere, quòd Ecclesiæ ad inopiam hoc pacto redigantur, & Principes populíque se lædi existiment, cùm novitates illæ invehantur absque eorum consensu & in injuriam fundationum ab eis factarum. Adferunt auctoritatem constitutionis regiæ editæ ut deinceps via præcludatur hujusce modi corruptelis, simoniis, ac perniciei quam tributa hæc inferebant regno Gallico. Addunt insuper, Regem, cùm subtilitas Romanæ Curiæ artem extorquendi aurum invenisset in gravem hujus constitutionis injuriam, Legatos ad Ioannem XXIII. Papam misisse, qui suaderent ut ei malo remedium adhiberet. Ipsum nihilominus silentio transmisisse hanc petitionem. Itaque licèt Regi liberum foret statuta circa hanc materiam edere, maluisse tamen præcipere Deputatis ut negotium istud urgerent apud Concilium Constantiense.

VII. Et Concilium quidem nova tributa prohibuit quæ clero imperabantur per viam decimæ, Annatæ, aut quamlibet aliam. Annatæ tamen episcopatuum & monasteriorum duravere; quoniam earum solutionem facilem esse faciebat retentio Bullarum. Itaque Gallis satisfactum non est: qui, post celebratum Concilium, ad Parlamentum convenere anno MCDXII. mense Martio, ubi congregati fuere Prælati & gentes Magni Consilij Regis & Curiæ Parlamenti. In eo conventu narratum est, Deputatis Cleri Gallicani præceptum esse ut apud Concilium urgerent approbationem constitutionum quæ editæ fuerant pro abolitione Annatarum & Reservationum; sed neque Concilium, neque Papam recenter electum, id est, Martinum quintum, ullum his malis remedium adhibere voluisse, ne-

Tit. 12. Libert. Eccl. Gall. c. 14.

que ipsis providere. Quapropter decretum fuit ut constitutio diei XVIII. Februarij anni MCDVI. executioni mandaretur. Dein
Cap. 15. & 16. edicto Principis anni MCDXIII. renovantur prohibitiones in superiori constitutione comprehensæ adversùs exactiones Curiæ Romanæ; sive fierent prætextu vacationis Ecclesiarum, sive alio colore quæsito. Aliis præterea literis delegatur aliquot viris ministerium custodiendi clusas. Suæ tamen intentionis esse ait Princeps ut Summum Pontificem & Romanam Ecclesiam adjuvet in necessitatibus suis, prout occasio tulerit.

Cap. 17. 18. & 19. VIII. Statim verò atque Karolus VII. in regno patris est institutus, has ejus constitutiones confirmavit diplomate dato anno MCDXXII. quo præterea jussit ut ex lege ageretur adversùs eos qui contra venirent, nonobstantibus Bullis apostolicis aut excommunicationibus quæ harum Bullarum auctoritate ferri possent. Sed urgentissimis Martini V. precibus victus, diploma illud revocavit anno millesimo quadringentesimo vigesimo quarto. Verùm cùm revocatio illa facta esset absque deliberatione Consilij, ejus executionem supersederi placuit propter intercessionem Cousinoti regij in Curia Parlamenti Procuratoris.

IX. Tandem ingens illa contentio finita est anno MCDXXXV. in Concilio Basileensi, cujus ob eam rem extant decreta
Concil. Basil. sess. 12. duo. Horum unum pertinet ad jus electionum. Prohibet autem sub finem ne ij ad quos electionum confirmationes pertinent, aliquod commodum recipiant ab electis; sive illud nomine subventionis tribui soleat, vel subsidij, gratitudinis, aut alio quocunque colore; non obstantibus omnibus privilegiis & consuetudinibus contrariis. Additur in decreto, curaturos patres ut ante dissolutionem Concilij omnino debitè & congruenter provideatur sustentationi Cardinalium & necessariorum Officialium.

Sess. 12. Alterum decretum respicit Annatas. Prohibet autem ne deinceps in Romana Ecclesia aut alibi quidquam exigatur ratione Bullarum, sigilli, Annatarum, communium & minutorum servitiorum, aut alia quavis causa vel occasione, pro electionibus, confirmationibus, consecrationibus, investituris, installationibus, aliisque expeditionibus Ecclesiarum cathedralium & monasteriorum, aliorúmque Beneficiorum & officiorum ecclesiasticorum quorumcunque, sive pro Pallio, prætextu privilegij, consuetudinis, vel cujusvis statuti, sub intentatione pœnarum adversùs simoniacos inflictarum; *solùm scriptoribus, abbreviatoribúsque, registratoribus literarum seu minutarum, pro ipsorum labore competenti salario solvendo*, ut Concilium loquitur. *Et si (quod absit) Romanus Pontifex, qui præ ceteris universalium Conciliorum exequi & custodire canones debet, adversùs hanc sanctionem aliquid faciendo Ecclesiam scandalizet, generali Concilio deferatur. Ceteri verò per suos superiores digna ultione puniantur.*

X. Eugenium porrò quartum synodus orandum censuit, missis primùm duobus Cardinalibus, ut decreta adversùs Annatas & Reservationes edita observaret, deinde alia legatione missa, cujus pars erat Ioannes de Bachenstein Decretorum Doctor, qui omnium nomine Pontificem allocutus est. In sua igitur oratione exposuit perniciem quam adferebat exactio harum Annatarum, & magnum Ecclesiæ dedecus generari ob earum *sublevationem*, quæ Canonibus contraria erat; oravítque Pontificem *quatenus velit ipsum decretum in sua Curia servari, & alibi observari facere & custodire.* Aiens nihilominus *sacrum Concilium omnino dispositum esse & jam laborare per aliquem modum honestiorem Summo Pontifici & Cardinalibus talem facere provisionem de qua sanctitas ejus Dominique Cardinales meritò poterunt contentari.* Ad quæ Antonius, Rotæ Auditor, ab Eugenio missus ad Concilium, respondit, mirari se satis non posse *quòd in re tam grandi, irrequisitis & insciis sanctissimo Domino nostro atque sacro Collegio, tam citò concluſum fuerit* negotium Annatarum. Quòd si unquam in hac materia supersedendum fuit, hoc præcipuè tempore supersederi debuerat, *quo Romana Ecclesia innumerabilia damna passa erat. Si qui in his prætendebantur abusus, his providendum erat sine privatione substantia; aut saltem provisio debita simul facienda erat, ut sic justitia & pax obviarent sibi.* Tum recensitis præsentibus Cardinalium necessitatibus, quibus unica hæc vitæ sustentatio præstò erat, injecta quoque mentione ingentium sumptuum quos Summus Pontifex suppeditare tenebatur pro bono Ecclesiæ universalis, demum concludit supersedendum esse executione hujus decreti, *saltem donec aliter fieret sufficiens provisio; de qua provisione sufficienti sanctissimus Dominus noster vult esse bene contentus juxta desiderium hujus sacri Concilij, proviso quòd taliter fiat quòd stabilis & firma permaneat.*

XI. Sed cùm postea res eò deveniſſet ut in divortium inter Pontificem & Concilium desineret, Ecclesia Gallicana Avarici Biturigum congregata amplexa est decretum hoc Basileensis Concilij adversùs Annatas, quod Pragmatica Principis Sanctione confirmatum est. *Voluit tamen hac Congregatio*

gregatio pro instanti necessitate moderni Papæ & sacri Collegij Dominorum Cardinalium hodie notoriè ingruente quòd præfatus Summus Pontifex modernus habeat, ejus vita durante duntaxat, ex fructibus quarumcunque Ecclesiarum, monasteriorumque, quorumcunque beneficiorum, quæ per obitum vacare contingeret, *quintam illius taxæ* quæ superioribus annis facta fuerat pro Decimis.

XII. Octavo & septuagesimo post Pragmaticam editam inita fuere Concordata: Iis verò cum consensu Francisci I. Regis abolentur omnes deliberationes Ecclesiæ Gallicanæ, & per consequentiam necessariam abolita quoque est prohibitio solvendi Annatas pro Bullis episcopatuum & monasteriorum; sed tamen ei Annatarum solutioni Princeps non consensit verbis conceptis. Nullum enim decretum extat in Concordatis quo Annatarum pro episcopatibus exactio confirmetur. Itaque, quoad Annatas, Summus Pontifex & Reges nostri nullo jure adstricti sunt, & ad juris communis observationem redire possunt. Ecclesia ergo Gallicana contendere potest, id quod ab ea tentatum est in Concilio Constantiensi, Annatas solvi non posse absque simonia. Summus verò Pontifex reponere potest inesse sibi auctoritatem ad purgandam simoniam, ac præterea consuetudinem illam esse præscriptam ob tolerantiam Regum Christianissimorum.

XIII. Vnicus in Concordatis titulus XLI. materiam istam attingit. Statuerat Leo X. ut gratiæ & provisiones Beneficiorum, etiam cathedralium Ecclesiarum, nullæ essent ipso jure, si verus Beneficij vacantis valor in literis apostolicis expressus non fuisset. Sed isthoc titulo modificatus & inflexus est rigor illius statuti, quoad Galliam. Permittit quippe ut impetrantes Beneficia petere possint ut verus valor ipsorum Beneficiorum in eisdem literis corrigatur *infra annum à die datæ literarum earundem computandum*; statuítque ut pro hoc valoris augmento Annata solvatur cameræ apostolicæ. Verùm correctiones illæ pro expressione valoris necessariæ non sunt, nisi ut eatur obviam periculo secundæ impetrationis; quæ tamen, modò nihil aliud peccatum esset, non toleraretur in Gallia, cùm articulus ille non sit receptus in regno, ut testatur Rebuffus in commentario ad dictum Titulum. Contrà verò, validum hinc telum peti potest adversùs Annatas. Quippe cùm à Summo Pontifice non reserventur, nisi in casu expressionis veri valoris Beneficiorum, planum est ex hoc Titulo locum non esse solutioni Annatarum, cùm moris non sit ut ea valoris expressio fiat.

CAPVT XII.

Synopsis.

I. An ij qui Annatarum pecuniam recipiunt, dici possint simoniaci. Duplex simoniæ genus. Prior, quæ pretium temporale recipit pro re sacra, jure divino vetita; altera, jure ecclesiastico introducta est. Explicatur in quo ea consistat.

II. Si habeatur ratio prisci moris, pura simoniæ committitur. At si novi juris ratio habeatur, Annatæ liberari possunt à suspicione simoniæ.

III. Pars prior probatur multis auctoritatibus, & ratione. Sententia Panormitani refertur.

IV. Secundùm jus novum, Annatæ liberari possunt à crimine simoniæ. Ius illud novum explicatur. Gersonis sententia adducitur.

V. Petrus de Alliaco censet omnes Beneficiatos contribuere debere Annatas pro sustentatione Papæ.

VI. Remittendum igitur aliquid ex prisca severitate; neque recipienda virorum eruditorum opinio scribentium exactionem Annatarum esse simoniacam, etiam post Concordata. Si ea valeret, immanis & horrenda confusio turbaret Ecclesiam.

VII. Summus Pontifex tributa imperare non potest in Gallia absque consensu Regis & Ecclesiæ Gallicanæ. Probatur auctoritate Pragmaticæ Sanctionis beati Ludovici & Concilij Constantiensis.

VIII. Duplex decretum circa decimas papales in hoc Concilio. Eorum discrimen.

IX. Academia Parisiensis appellavit anno 1491. à Commissariis executoribus decimæ unius anni impositæ Beneficiatis Galliæ. Item Capitulum Paris. an. 1501. & Clerus Hispaniæ an. 1523.

X. Quidam jus percipiendi decimam reditum ecclesiasticorum Romano Pontifici competere contendunt ad exemplum Pontificum veteris testamenti. Aliud sensit Concilium Constantiense. Discriminis autem ratio manifesta est.

XI. Alij jus illud Romano Pontifici asserunt, ex eo quòd summam obtineat auctoritatem in bona ecclesiastica. Ea opinio exorta est ævo Bonifacij VIII. & eodem tempore explosa à Ioanne de Parisijs.

XII. Igitur Regi & Episcopis liberum est, cùm Annatæ titulo tantùm subsidij debeantur, ei solvendo consensum suum revocare. Æquitati tamen injuria fieret si subsidia semel concessa revocarentur.

XIII. Rex prohibere potest ne nova tributa imperentur personis ecclesiasticis, aut vetera augeantur. Probatur multis auctoritatibus.

XIV. Civiliùs ageretur si Summus Pontifex rogaretur ut remittat subsidia veteribus Annatis addita. Proponitur exemplum Cnuti Regis Anglorum.

XV. Quid in Gallia tentatum anno 1532. 1561. & 1587.

I. POSTQVAM aperuimus originem & progressum Annatarum, & quibus contradictionibus jactatæ fuerint, consequens est ut examinemus an pecunia quæ solvitur ob Bullas episcopatuum, quæ vulgò *Annata* dicitur, simoniacos reddat eos qui eam recipiunt. Sed antè quàm ad rem

ipsam veniamus, docendum est in antecessum duo esse genera simoniæ. Nam vera simonia in eo consistit, si quis aliquod pretium temporale recipiat pro re quapiam sacra. Hoc genus simoniæ jure divino vetitum est, ut constat ex cap. VIII. Actorum: ubi legimus Simonem magum emere voluisse donum Spiritus sancti, quod per impositionem manuum dabatur. Alterum simoniæ genus jure ecclesiastico introductum est. In eam autem inciditur quando res Dei ministerio consecratæ, aut pro sustentatione Presbyterorum dedicatæ, venduntur: quæ licèt non sint res spirituales, aliquid tamen spirituale connexum habent, ut loquuntur Canonici juris interpretes & Theologi; id est, considerantur quasi pendentes à functione quadam spirituali. Priscis temporibus, quando videlicet ordinationis vocabulo comprehendebantur impositio manuum & provisio Beneficij, inutilis erat illa distinctio: quia is qui simoniam committebat in veræ simoniæ crimen incidebat.

II. Sed ut ad rem redeamus, sic censeo. Si ratio habeatur prisci moris & auctoritatis antiquorum patrum, puram esse simoniam, si quis, etiam post ordinationem, pecuniam recipiat; excepto tamen salario Notarij, quod exhiberi debet secundùm operam ejus. At si novi juris ratio habeatur, Annatæ liberari possunt à suspicione simoniæ.

III. Pars prior facillimè probari potest, adductis auctoritatibus Gennadij Patriarchæ Constantinopolitani & sancti Gregorij, Iuris Græco-Romani, Zachariæ Pontificis, & Synodi Parisiensis sub Ludovico Pio; quarum suprà facta mentio est. Quibus addi possunt testimonia Doctorum, Gulielmi videlicet Durandi Episcopi Mimatensis, & Deputatorum Nationis Gallicanæ in Concilio Constantiensi, quorum loca suprà laudata sunt, & determinatio Concilij Basileensis. Ratio hujus sententiæ hinc petitur, quòd cùm pecunia illa detur contemplatione ordinationis, aut ob confirmationem electionis, gratia sancti Spiritus venundatur. Neque admitti potest, ut suprà laudati auctores adnotarunt, distinctio illa, an pecunia detur ante vel post ordinationem; tametsi verum sit mediocrem pecuniæ summam accipi potuisse pro jure installationis, juxta Novellam Iustiniani, nisi id quoque prohibitum esset à sancto Gregorio. Sed adversùs hoc excipi potest ordinationem ab aliquot seculis separatam esse à provisione Beneficij, ideóque praxim illam simoniæ crimine damnari non posse. Respondet Panormitanus, disputans adversùs Papam & Episcopos qui pecuniam recipiunt pro expediendis titulis Beneficiorum, ordinationem conferre potestatem clavium *in habitu*, sed provisionem superioris tribuere exercitium in actu, id est, executionem ordinationis. *Per titulum Beneficij*, inquit, *confertur executio ordinis & clavium, non tantùm temporalia bona.*

IV. Secundùm verò jus novum, quod auctoritatem addidit tributis quæ Beneficiorum possessoribus imperantur pro necessitatibus Ecclesiæ Romanæ & sustentatione Cardinalium, Annatæ ab episcopatibus exactæ liberari quidem possunt à crimine simoniæ, sed non à vitio avaritiæ. Nam post conditum illud jus Curia Romana novo prætextu usa est ad exigendas Annatas, impopositionis videlicet & subsidij, cùm antea id non soleret, nondum videlicet evulgato Ecclesiæ Romanæ arcano, posse eam tributa imperare singulis Ecclesiis. Porrò necessitatem illam contribuendi sumptus Ecclesiæ Romanæ, quæ inferioribus Ecclesiis incumbit, fundamentum esse Annatarum affirmavit Ioannes de Scribanis in Constantiensi Concilio disputans adversùs Deputatos Nationis Gallicanæ, itémque Antonius Synodum Basileensem alloquens nomine Eugenij quarti. Tanti autem ponderis visa est hæc ratio Ioanni Gersoni, qui Constantiæ aderat pro Natione Gallicana, ut coactus sit excogitare distinctionem quandam, quæ in ejus operibus extat, qua concederet Annatas quidem legitimè solvi posse, sed modum eas exigendi non posse tolerari. Annatas tolerat titulo subventionis; sed eas simoniæ suspicione laborare ait, si possessio aut exercitium Beneficij impediatur donec pecunia fuerit persoluta. id quod fusè probat in tractatu de simonia. Alibi tamen materiam istam temperat, his verbis: *Status Summi Pontificis & Cardinalium dum recipit & querit subventiones consuetas in oblationibus, decimis, vel Annatis, & similibus, non debet eo ipso de simoniaca pravitate notari. Nisi fortè vitium aliud in executionis modo concurrerit. quod vitium corrigi debet, non exinde status minui, destrui, culpari, vel juribus aliunde debitis defraudari. sicut ab infirmo morbus tollendus est, non subjectum vel corpus destruendum. Oppositum verò pertinaciter opponens, notando generaliter de simoniaca pravitate totum statum istum, temerarius esset, nec ferendus.*

V. Sanè Petrus de Alliaco nullam aliam ætate illa probabilem rationem invenit firmandæ Annatarum exactioni quàm contributionem pro sustentatione Curiæ Romanæ; æquúmque esse censuit ut quomodo Levitæ contribuebant decimam suarum decimarum pro Summo Pontifice Iudæorum, sic omnes contribuerent Annatas pro susten-

Petrus de Alliaco parte 1. de Eccles. auctor. c. 2.

tatione Papæ. *Sicut in veteri testamento*, inquit, *Levitæ tenebantur decimarum decimam dare Summo Pontifici. Propterea posse justè decimam omnium Beneficiorum exigere, loco verò decimæ Annatas.*

VI. Quare paulò audacior Gersone censeo æquum non esse ut priscam severitatem mordicus teneamus quoad Annatas quas Episcopi solvunt, cùm eæ obnoxiæ sint interpretationi quæ ipsas liberat à vitio simoniæ, titulo videlicet subventionis. Modus quippe adigendi ad earum solutionem, retentis videlicet Bullis, qui erat lapis scandali tempore Conciliorum Constantiensis & Basileensis, in consuetudinem versus est absque ulla conquestione Prælatorum aut Principum, qui solutioni huic consenserunt sub titulo subventionis. Ea videlicet ratione tollitur omnis suspicio simoniæ; quandoquidem alio titulo reali & legitimo solvuntur, cujus natura mutari non potest ob modum qui observatur in solutione. Quapropter discedere cogor ab opinione Duareni & Caroli Molinæi scribentium exactionem Annatarum esse simoniacam, etiam post Concordata. Nam præterquam quòd ratio superiùs adducta liberat Episcopos à suspicione simoniæ, necesse est ut universi pedibus eant in illam sententiam ob rationem quam additurus sum, quæ est maximi momenti. Immanis quippe & horrenda confusio turbaret Ecclesiam, si omnes istæ promotiones essent simoniacæ. Papa quippe esset irregularis, & Episcopis omnibus interdictum esset functionibus sui ministerij. Neque opponi posset Papam, conferendo Beneficium, dispensare ab hoc vitio: quia simonia hæc, si ulla in eo esset, juri divino, super quo dispensari non potest, repugnaret, ut suprà dixi; & præterea Papa non posset dispensare super crimine quod ipse committeret.

Duaren. lib. 6. c. 3. de eccles. minist. Molin. in comment. ad edictum. *Des pertes dates.*

VII. Attamen non assentior Petro de Alliaco, neque Ioanni de Scribanis, qui in suam sententiam traxerunt omnes ferè hujus ætatis Iuris Canonici interpretes, dum affirmant Summo Pontifici competere jus imperandi tributa clero, & personas ecclesiasticas contribuere debere partem aliquam suorum redituum pro sustentatione ejus. Iamdiu enim quæstio ista definita est in Gallia: ubi pro lege inviolabili habetur Summum Pontificem nullam contributionem imperare posse in bonis ecclesiasticis absque expresso consensu Regis & Ecclesiæ Gallicanæ. Clara in eam rem sunt verba Pragmaticæ Sanctionis B. Ludovici: *Item exactiones & onera gravissima pecuniarum per Curiam Romanam Ecclesiæ regni nostri impositas vel*

Pragmatica B. Ludov. artic. 5.

imposita, quibus regnum nostrum miserabiliter depauperatum existit, sive etiam imponendas vel imponenda, levari aut colligi nullatenus volumus, nisi duntaxat pro rationali, pia, & urgentissima causa, vel inevitabili necessitate, ac de spontaneo & expresso consensu nostro & ipsius Ecclesiæ regni nostri. Eadem quæstio in gratiam omnium personarum ecclesiasticarum definita est decreto Concilij Constantiensis: *Declarat sancta Synodus non licere Summo Pontifici indictiones sive exactiones quascunque supra Ecclesias vel ecclesiasticas personas imponere per modum decimæ, vel alio quovis modo. Si verò causa necessitatis accideret, propter quam esset eidem debitè subveniendum, vocato generali Concilio, secundùm quod expediens videbitur & utile, secundum decretum Concilij provideatur eidem.*

VIII. Sed heic observandum est, decretum illud fuisse deliberatum post electionem Martini V. Summi Pontificis. Etenim in sessione XL. habita die XXX. Octobris anno MCDXVII. statuitur ut futurus Pontifex post electionem suam deliberet cum Concilio de reformatione Ecclesiæ in capite & in membris & de Curiæ etiam Romanæ reformatione; propositis ob eam rem XVIII. articulis, quorum postremus agit de decimis. Martinus electus fuit die XI. Novembris, & die XXI. coronatus. Die dein XXI. Martij in sessione XLIII. publicata sunt decreta à Summo Pontifice & Concilio statuta circa quosdam articulos ex octodecim propositis, & inter ceteros, circa articulum decimarum Papalium. Verùm decretum nomine Martini V. editum discrepat aliquantulum à decreto synodi, in eo scilicet quod respicit auctoritatem imponendi decimas & alia onera. Eam enim ad se trahit Pontifex, Concilium verò sibi arrogat. Quoad effectum tamen, utroque decreto idem prorsùs statuitur, nimirum onera illa imponi non posse absque consensu Prælatorum. Hæc decretorum discrepantia in eadem materia facit ut credam divisas fuisse sententias Summi Pontificis & Concilij, tandémque inter eos ita convenisse, ut utrinque decreta fierent, quibus sua jura Summo Pontifici servarentur, & sua item Concilio. Id quod in primis observandum est, neque antea acciderat. Sanè prætermitti non debet, decretum Concilij valde periclitatum esse, ac parum abfuisse quin perierit. Quippe descriptum non est in corpore Actorum, sed in calce, post confirmationem constitutionum Friderici II. Imperatoris, pudore videlicet prohibente ne collectores illud supprimerent. Sed præterea descriptum est integrum in Actis appellationis Vniversitatis Pari-

siensis, quorum mentio fit paulò infrà.

Verba decreti pontificij omnino ambigua sunt. Nam præcipit ne decimæ & alia onera clero imponantur, *nisi de consilio & consensu & subscriptione Cardinalium & Prælatorum quorum consilium commodè haberi poterit*; quæ tamen levari non poterunt *specialiter in aliquo regno vel provincia* absque consensu Prælatorum, *vel eorum majori parte*. Deinde vult evitare celebrationem Concilij generalis, sibíque reservare potestatem imponendi. Et tamen prohibet ne exactio fiat in regnis nisi cum consensu Prælatorum, sperans videlicet faciliùs singulos in partes transgressuros quàm si congregarentur. *Per nos autem nullatenus imponantur*, inquit, *generaliter super totum clerum, nisi ex magna & ardua causa & utilitate universalem Ecclesiam concernente, & de consilio & consensu & subscriptione fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium & Prælatorum quorum consilium commodè haberi poterit. Nec specialiter in aliquo regno vel provincia, inconsultis Prælatis ipsius regni vel provinciæ, & ipsis non consentientibus, vel eorum majori parte; & eo casu per personas ecclesiasticas, & auctoritate apostolica duntaxat, leventur.*

Concil. Constant. sess. 43.

IX. Praxis quæ post hæc invaluit in Gallia & in Hispania evincit regulam illam esse certam. Nam Academia Parisiensis appellavit à Commissariis executoribus decimæ unius anni impositæ decreto Papæ Innocentij VIII. Beneficiatis Galliæ anno MCDXCI. cui exigendæ prætexebatur bellum adversùs Turcas, cujúsque tertia pars decidere debebat cameræ apostolicæ, reliquum verò Regi; ab iis inquam Commissariis Academia Parisiensis appellavit ad Papam & ad futurum Concilium universale. Inter fundamenta verò appellationis commemorat duo decreta Concilij Constantiensis suprà laudata, id est, decretum nomine Concilij editum, & illud item quod nomine Pontificis conceptum est; quæ integra descripta sunt in actis appellationis. Anno MDI. Capitulum cathedralis Ecclesiæ Parisiensis ab impositione decimæ ab Alexandro VI. imperatæ appellans ad ipsum meliùs informatum, ad Concilium universale, Regem Christianissimum, & ad Curiam Parlamenti, & ad illum seu illos ad quos pertinuerit, appellationis suæ caput arcessit à libertate Ecclesiæ, & ex decreto Concilij Constantiensis, quo decimæ impositio reservata est Concilio generali. Clerus verò Hispaniæ appellans anno MCXXIII. ab impositione quartæ partis redituum Beneficiorum Hispaniæ, quam Papa Hadrianus VI. imperaverat, adducit constitutionem Papæ Martini V. in Concilio Constantiensi editam, nulla prorsùs mentione facta decreti nomine Concilij publicati.

Tit. 13. Libert. Eccl. Gall. n. 5.

Tit. 22. Libert. Eccl. Gall. n. 27.

Ibidem.

X. Ij quibus cordi fuere Romanæ Ecclesiæ negotia, contenderunt ei competere jus percipiendi decimam redituum ecclesiasticorum, ad exemplum videlicet Pontificum veteris testamenti, quibus Levitæ contribuere tenebantur decimam suorum redituum; adeo ut Petrus de Alliaco in sententiam illam tractus sit, quam amplexi sunt universi Doctores Itali. At decretum Concilij Constantiensis contrariam sententiam confirmavit, ad eruendam ex animis hominum falsam illam doctrinam petitam ex comparatione Pontificis Iudæorum cum Pontifice Romano; ut ait Capitulum Parisiense in actis appellationis anni millesimi quingentesimi primi. Discriminis autem ratio manifesta est. Pontifices namque Legis Iudaicæ nullo alio reditu fruebantur. At disciplina Ecclesiæ Christianæ alia ratione providit sustentationi sui cleri; distributis videlicet Ecclesiis in diœceses, ea methodo, ut omnes reditus diœceseos in potestate essent Episcopi, juxta canones Antiochiæ & Chalcedonis decretáque Pontificum Gelasij & Symmachi. In hac generali institutione portio quoque sua Romanis Pontificibus tributa est in diœcesi Romana: qua portione sibi satisfactum putarunt, nullum præterea auxilium implorantes, etiam tum quando solis matronarum oblationibus potiebantur, ut loquar cum Ammiano. Satis quippe id erat, sub paganis Imperatoribus, pro sustentatione cleri Romani & mille quingentorum pauperum; sufficiebátque insuper subsidiis quæ à Summis Pontificibus mittebantur ad Ecclesias remotas; ut testatur Eusebius lib. IV. cap. XXII. & lib. VI. cap. XXXV. historiæ ecclesiasticæ. Potentia porrò eorum crevit ex reditibus latifundiorum quæ Romanæ Ecclesiæ in diversis provinciis collata sunt ab Imperatore Constantino & Senatoribus Romanis; quorum numerus ab Anastasio Bibliothecario recensitus est. Tantum autem abest ut ea patrimonia non sufficerent alendo Episcopo Romano ejúsque clero ut etiam ex iis reditibus prisci Pontifices alerent in provinciis ingentem pauperum numerum, præter eos qui eorum quoque cura alebantur in Vrbe; ut constat ex diversis locis epistolarum sancti Gregorij. Quin etiam testatur Papa Martinus in epistola XVI. eos magnificè exercuisse jus hospitij erga peregrinos omnes. Potiori itaque ratione Romana Ecclesia censenda est hodie possidere ultra id quod necessarium est Summo Pontifici & Ecclesiæ capiti alendo post-

quam liberalitate Christianissimorum Regum Pippini, Caroli Magni, & Ludovici Pij locupletata est ob concessum sedi apostolicæ exarchatum Ravennæ, ducatum Romanum, itémque Spoletanum, aliáque ingentia patrimonia. Nisi fortassis adversùs hæc dicatur Pontificem quidem Romanum ad Principis dignitatem evectum fuisse his donis, sed eodem tempore præbitas novas prodigendi causas. Verùm clerus non tenetur in eo agnoscere dignitatem Principis secularis. Quanquam si redituum pontificiorum dispensationi modus adhiberetur, sufficerent hauddubiè huic magnificentiæ & his sumptibus, neque necessarium esset subjectos Romanæ sedis, aut personas ecclesiasticas, tributorum onere opprimi.

XI. Quidam jus illud imperandi tributa clero, quod Summo Pontifici competere aiunt, ex eo deducunt, quòd summam obtineat auctoritatem in bona ecclesiastica; adeo ut si eis malè utatur, peccet quidem graviter, sed tamen dispensationem eorum fore validam. Opinio hæc, quæ proprietatem bonorum ecclesiasticorum summúmque in ea imperium Pontifici Romano asserit, exorta est ævo Bonifacij octavi, auctoribus quibusdam adulatoribus. Sed eodem tempore exposa est à Ioanne de Parisiis: qui bonorum proprietatem ait pertinere ad Christum, administrationem ad Episcopos, dispensationem verò pro bono generali Ecclesiæ ad Summum Pontificem; adeo ut decreta ejus circa dispensationem horum bonorum nulla sint ipso jure, nisi fiant ob evidentem utilitatem Ecclesiæ universalis. *Talia bona sunt Ecclesiæ*, inquit, *quantum ad proprietatem; sed Prælatorum, quantum ad dispensationem. Vnde patet quòd Papa non potest ad libitum detrahere seu distrahere bona Ecclesiarum; ita quòd quidquid ordinet de ipsis, teneat. Hoc enim esset, si esset dominus. Sed cùm sit dispensator bonorum communitatis, in quo requiritur bona fides, non habet sibi collatam potestatem super ipsis, nisi ad necessitatem vel utilitatem Ecclesiæ communis.* Infrà: *Propter quod si aliter pro libito distrahat Papa, & non bona fide, de jure non tenet.* Sanè modus hic qui potestati pontificiæ præscribitur, prohibet ne Papa bonis Ecclesiæ abuti possit; sed tamen in eo quandam auctoritatem agnoscit, secundùm quam de his constituere possit, cùm necessaria occasio ingruerit. Verùm heic observandum est, hæc scribi à privato Doctore, qui prudentiæ temperamentum adferre volebat adversùs torrentem novarum opinionum. Fortius aliquid expectari debuit ab Ecclesia in Constantiensi Concilio congregata; quæ jus tributa universo clero imperandi pertinere ad solum generale Concilium edixit, non verò ad Summum Pontificem. Decretum porrò illud innititur sententiæ quæ ait proprietatem bonorum ecclesiasticorum pertinere ad Ecclesiam universalem, sive ad communitatem uniuscujusque Ecclesiæ, dispensationem verò ad unumquemque Episcopum; unde sequatur eorum quorum interest consensum esse necessarium ut in sumptus extraordinarios, veluti ad subveniendum Ecclesiæ Romanæ, ea bona convertantur. Sed quæcunque tandem Concilij ratio fuerit, satis est quòd decreto ejus potestas Concilio generali reservatur imperandi subsidia, quotiens ita Romanæ Ecclesiæ necessitas postulabit. Ceterùm cùm materiei istius cognitio necessaria sit, & erudita, alibi accuratè disseram de auctoritate ecclesiastica & seculari in bona ecclesiastica.

Ioannes de Paris. in tract. de potest. reg. & papali cap. 14.

XII. Ex iis quæ suprà dicta sunt potest colligi, cùm Annatæ titulo tantùm subsidij debeantur, quod exigere Pontifex non potest absque consensu Regis & Eccesiæ Gallicanæ, liberum esse Regi & Episcopis consensum suum revocare, eique tributo finem imponere. Solutio enim illa nihil aliud est quàm donum spontaneum & gratuitum, quod præscriptioni obnoxium esse non potest. Atque id eò majoris est momenti, quòd Annatæ non approbantur conceptis verbis in Concordatis, & tamen diserte vetantur in constitutionibus regni, quæ matura deliberatione factæ sunt à Carolo VI. Rege annis MCCCCVI. & XVIII. extincto nimirum schismate, & residente in sede apostolica Papa Martino quinto. Secundùm has constitutiones exactio Annatarum prohibita est à Concilio Basileensi; eique prohibitioni Concordata non derogaverunt expressè, quæ id solùm agunt ut Pragmatica Sanctio aboleatur quoad horum decretorum Basileensium acceptationem. Itaque acceptatio revocata est, non tamen substantia decretorum. Quanquam videatur æquitati injuria fieri, si subsidia semel concessa revocentur, nisi manifestè constiterit ingrati crimen esse in Summo Pontifice.

XIII. Quidquid sit; Rex, tanquam Protector Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, & vi etiam regiæ auctoritatis, prohibere potest quæcunque tributa quæ Summus Pontifex, sive titulo Annatarum, sive alio quolibet modo, imperare vellet personis ecclesiasticis, ac etiam prohibere ne ea quorum exactioni consensus jam est adhibitus augeantur in posterum.

Hujus axiomatis probatio pendet ex iis quæ dicta sunt, quorum vis comprehenditur

hoc dilemmate. Aut enim Annatæ accipiuntur contemplatione confirmationis electionis Epiſcopi, aut titulo ſubſidij. Primus caſus laborat vitio ſimoniæ. Ad Principem autem ſpectat providere legibus ſuis ne Epiſcopi imperio ſuo ſubjecti crimen ſimoniæ committant; adeo ut de iis redditurus ſit rationem, ſi conniveat. Quare Leo & Iuſtinianus Imperatores legibus eam ſuis prohibuerunt ſub magnis pœnis. Et Gregorius magnus ad Francorum Reges Childebertum, Theodebertum, Theodoricum, ad eorúmque ſucceſſores in eorum perſonis ſcripſit officij eorum eſſe ut ſimoniam in regno ſuo extirpent, & reddituros eos Deo rationem conniventiæ ſuæ. *Hortamur ut tam deteſtabile facinus de regno ſuo excellentia veſtra prohiberi præcipiat.* Infrà: *Hoc admoneo, quia animam veſtram ſalvari deſidero.* Sanè Concilium Pariſienſe Ludovicum Pium monuit ſimoniam, quæ in Romana Eccleſia vigebat, ab ea amputandam eſſe *imperiali poteſtate, cum conſenſu venerabilium Sacerdotum,* id eſt, adhibito conſilio Epiſcoporum Italiæ. Henricus III. Imperator ſimoniam prohibuit anno MXLVII. edicto lato in plenariis comitiis Galliarum & Germaniæ, ut tradit Glaber, illius temporis ſcriptor: *Tunc propoſuit edictum omni Imperio ſuo, ut nullus gradus Clericorum vel miniſterium eccleſiaſticum pretio aliquo acquireretur; ac ſi quis dare vel accipere præſumeret, omni honore deſtitutus, anathemate multaretur.* Eam quoque ſuis conſtitutionibus in Gallia prohibuerunt ſanctus Ludovicus aliíque Reges.

l. 32. l. 42. C. de Epiſc. & Cleric.

Gregor. lib. 4. ep. 35. & alibi.

Glaber. lib. 3. c. 2.

In ſecundo caſu, Principes ſummam habent auctoritatem impediendi exactiones Curiæ Romanæ in regnis ſuis; quæ adeo pernicioſæ olim fuere, ut Stephanus Tornacenſis jocosè quidem, ſed tamen exprobrans, ſcripſerit in epiſtola CLXV. *Anglico plumbo teguntur Eccleſiæ, nudantur Romano.* Piaculum eſſet in Gallia, ſi quis de hac poteſtate dubitaret poſt edicta ſancti Ludovici Regúmque Philippi Pulcri, Philippi Valeſij, Caroli V. VI. & VII. & poſt varias conſtitutiones Regum ſubſequentium. Quòd ſi nolint eas in univerſum prohibere, poſſunt tamen eis modum adhibere; ut quoad enthroniſtica uſurpatum eſt à Iuſtiniano, & ab Iſaacio Comneno quoad jura quæ Preſbyteri perſolvebant Epiſcopo à quo ordinabantur. Cùm autem inita ſunt Concordata, Annatarum & proviſionum Beneficiorum ſumptus reducti ſunt ad certum quendam modum; adeo ut niſi Romæ obſervetur, Rex poſſit prohibere ne nova exactio ſuperponatur.

Vide Notas Baluzij ad epiſt. 13. Lupi Ferrar.

Nov. 123.

XIV. Quòd ſi negotium iſtud paulò liberaliùs tractare viſum fuerit, rogandus erit Summus Pontifex ut remittat nova illa ſubſidia veteribus Annatis addita; ipſéque rationem habebit querelarum quæ fient adversùs miniſtros Curiæ Romanæ. Hujus rei exemplum dedit Cnutus Rex Anglorum: qui religionis cauſa Romam petiit, obtinuitque ut Epiſcopi Angliæ liberi eſſent à ſolvendis pecuniis quæ ab eis exigebantur ratione Pallij: *Conqueſtus iterum ſum coram Domino Papa, & mihi valde diſplicere dixi, quòd mei Archiepiſcopi in tantum angariabantur immenſitate pecuniarum quæ ab eis exigebantur, dum pro Pallio accipiendo, ſecundùm morem, apoſtolicam ſedem expeterent; decretúmque eſt ne id deinceps fiat.*

Willelmus Malmeſbur. de Geſt. Reg. Angl. lib. 2. c. 11.

XV. At Gallia anno MDXXXII. remedium his malis ſibi parare ſtuduit, propoſitis nimirum & explicatis Summo Pontifici incommodis quæ proveniebant ex novis illis & indebitis exactionibus quæ Romæ exigebantur pro expeditione Bullarum, præter Annatas, quæ modum excedebant, & quarum ſolutio in neceſſitatem verſa erat; quarum rerum proponendarum cura demandata eſt illuſtriſſimis Cardinalibus Turnonio & Gramontio. Sed in *Inſtructionibus*, quas vocant, ſive mandatis quæ eis data ſunt, habetur, Regem rogatum fuiſſe ut Eccleſiam Gallicanam congregaret, quò finis imponeretur his rebus honeſto prorsùs & decoro adverſantibus, útque cuncta revocarentur in eum ſtatum in quo erant antiquitus. noluiſſe tamen Principem convocare cœtum illum, vitandis conſequentiis; quia ſpem conceperat futurum ut Summus Pontifex toleraturus non fuerit novas illas & indebitas exactiones.

Tit. 21. Libri Feud. Cons. num. 30.

Anno MDLXI. Præſes Ferrerius ad Pium IV. Summum Pontificem miſſus eſt, ut ei ſignificaret querelas à Comitiis Aurelianenſibus Regi Carolo IX. propoſitas adversùs Annatas & Prævention es, rogarétque Pontificem ut querelarum hujuſmodi cauſam exſcinderet, quandoquidem Annatæ illæ prohibitæ fuerant variis Regum prædeceſſorum ejus conſtitutionibus, velut contrariæ Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ; cùm præſertim ab Academia Pariſienſi aliiſque regni Academiis reſponſum fuiſſet eas exigi non poſſe abſque enormi ſimonia. Quantum autem ad Concordata; mandatum eſt Ferrerio ut diſſereret ea per metum magis quàm alio modo fuiſſe recepta, neque aliter publicata fuiſſe quàm vi neceſſitatis, ideóque illa officere non poſſe Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ. Sed nullam video neceſſitatem quæ cogere poſſit ad ea extrema deveniri ut Concordatorum

Num. 16.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nullitas allegetur. Quippe nihil vetat quin valeant, ut suprà adnotatum est. Præterea, si id è republica esse videatur, cessare possumus à solutione Annatarum, nulla prorsùs à nobis vi facta huic pactioni.

Anno MDLXXXVII. Rex Henricus III. Romam misit illustrissimum Cardinalem à Ioyosa, Protectoris negotiorum regiæ majestatis officium illic impleturum. Ei autem dedit in mandatis ut se opponeret novis pecuniarum exactionibus quas Datariæ ministri meditabantur pro expeditione Beneficiorum hujus regni. Eodem anno Parlamentum Parisiense decreto vetuit ne Banquarij & Sollicitatores majorem pecuniarum summam pro expeditionibus Romanis solverent quàm eam quæ solita erat.

N. 38.

N. 39.

CAPVT XIII.

Synopsis.

I. Duo genera synodorum provincialium. Quæ sint provinciales, quæve nationales.

II. Convocatio synodi provinciæ pertinet ad Metropolitanum. Plenaria est synodus cui interest Metropolitanus. Concilia plenaria ex orbe universo.

III. Episcopi comprovinciales tenentur convenire ad locum quem Metropolitanus jusserit. Qui accedere non poterant, Vicarios mittebant; qui sententiam nomine eorum promebant à quibus mittebantur. Panormitanus notatus.

IV. Synodus Agathensis excusat Episcopum qui ob præceptionem regiam non adfuerit. Item Emeritensis. Synodus Turon. II. explicatur, quæ excusationem illam admitti prohibet.

V. Canon XX. Antiochenus explicatus ex Canone XIII. Concilij Tarraconensis. Synodorum provincialium confessus explicatus in Concilio Toletano quarto.

VI. Concilium Emeritense jubet ne vicarius ad synodum detur Diaconis, sed Presbyteris. Tum ut synodus convocari non possit absque permissione regia. Quod etiam probatur ex Concilio Meldensi.

VII. Concilia provincialia celebranda sunt bis in anno. Discrimen inter Synodum Nicænam & Canones apostolicos, qui explicantur. Immutatus ordo vetus à Iustiniano.

VIII. Olim in Gallia synodi illæ bis in anno celebrabantur. Secunda synodus Aurelianensis eas semel tantùm haberi jubet. Institutum hoc fluxit ab Africanis. Eadem immutatio accidit in Hispania. Quam probat Gregorius magnus.

IX. Lege Capitularium revocati sunt prisci mores. Interrupti iterùm ob bella civilia. Concilium Paris. an. 829. petit à Ludovico Pio ut synodi bis in anno celebrentur; & synodus Lingonensis à Carolo Calvo. Concilium Lateranense eas semel in anno celebrari jubet. Longiùs abierunt posteriora Concilia. Canon ultimus Synodi Matisconensis explicatus.

I. DEINCEPS de synodis provincialibus agendum est, quatenus coactæ sunt pro causarum judiciis. Constant autem vel ex Metropolitano cum Episcopis suæ provinciæ, vel ex Episcopis plurium provinciarum in unum corpus congregatis. Prioris generis synodi vocantur provinciales, aut metropoliticæ; posterioris verò, Concilia generalia, universalia, sive regionalia, & post Concilium Constantiense, nationalia. Antequam autem de istis agamus, breviter ac strictim tractare convenit de synodis primi generis, quæ aliarum origo sunt. Apud Cyprianum & Eusebium legimus viguisse in antiqua Ecclesia Conciliorum provincialium celebrationem; metropoleon institutione ab Apostolis eo consilio facta, ut communio hæc inter Episcopos retineretur; cujus tamen certa firmáque constitutio facta est in Concilio Nicæno. Materia porrò ista ad quatuor præcipua capita revocari potest. Primum, ad quem pertineat convocatio harum synodorum. Secundum, quonam tempore celebrari debeant. Tertium, quasnam causas in eis tractare oporteat, & cujus ponderis sint judicia illic reddita. Quartum, ob quam causam desierint hæc Concilia celebrari.

II. Conventum à Metropolitano convocandum esse adeo verum est ut Episcopi provinciæ non possint convenire absque consensu ejus; quemadmodum conceptis verbis definivit Concilium Antiochenum can. XX. ex versione Dionysij Exigui: *Metropolitano provinciales Episcopos admonente --- Nullis verò liceat apud se celebrare Concilia præter eos quibus metropolitana videntur esse jura commissa*; ut vertit Hincmarus, juxta sensum verborum Græcorum. Nam Concilium illud perfectum est cui Metropolitanus interest; ut in canone XVI. ejusdem Concilij legitur: *Perfectum verò Concilium illud est ubi interfuerit Metropolitanus antistes.* Græcus contextus habet, τελείαν σύνοδον. Ferrandus autem Diaconus Carthaginensis, in Breviario Canonum, plenariam synodum vertit in illo canone: *Vt synodus plenaria tunc dicatur cùm Episcopus Metropolitanus aderit. Concilium Antioch. tit. 16.* Rectè itaque Augustinus Concilia Oecumenia vocat *plenaria Concilia ex orbe universo*, ut ea distinguat à Conciliis metropoliticis.

Vide Balsamij Notas ad Agobard. pag. 108.

III. Tenentur autem Episcopi convenire ad locum quem Metropolitanus jusserit, sub pœna suspensionis à communione; ut statutum est in canone XL. Laodiceno, LXXVI. Africano, & XIX. Chalcedonensi. Placuit ea institutio Gallicanis Episcopis, qui eam retinendam esse censent in suis canonibus. Ita enim statutum est in Concilio Arelatensi II. habito circa annum CDXLIV. ubi præterea decernitur ut si quis Episcopo-

Concil. Laod. c. 40. Παρακρίσεις εἶναι τῶν μητροπόλεων τοὺς λεγομένους περιοδευτάς, ut vertit Dionysius.

rum, morbo præpeditus, intereſſe non potuerit, vicarium pro ſe mittat: *Si quis commonitus, infirmitatis cauſa defuerit, perſonam vice ſua dirigat.* Praxis autem illa invaluerat antea; ut colligi poteſt ex canone XXIX. Concilij primi Arauſicani, quod anno quadringenteſimo quadrageſimo primo habitum eſt. Licentiam porrò illam mittendorum vicariorum amplexæ ſunt poſteriores ſynodi Galliarum & Hiſpaniarum; in quibus leguntur ſubſcriptiones Preſbyterorum, hoc modo: *Miſſus à Domino Epiſcopo*, vel *Vicarius*, aut *vices agens.* Dubitandum non eſt quin ſententiam nomine eorum promerent à quibus mittebantur; cùm id ſatis conſtet ex epiſtola Aviti epiſcopi Viennenſis ad provinciæ ſuæ Epiſcopos, qua eos invitat ut ad ſynodum veniant Epaonenſem: *Duos Presbyteros magnæ ac probabilis vitæ, mandati inſtructione firmatos, fratribus pro ſe præſentare procuret. Sed tales dignetur eligere quos Epiſcoporum Concilio non minùs ſcientia quàm reverentia jure faciat intereſſe, cum quibus delectet* * *Summos Pontifices conferre ſermonem, quos definitiones pro Epiſcopo ſuo ſanciendas ſubſcribendáſque, cùm fuerit ſolertia eligi, ſit auctoritas legi. Sed iſtud non extorqueat niſi ſumma neceſſitas.* Qui locus utilis admodum eſt ad confutandam opinionem Panormitani, qui exiſtimat Vicarios illos non habuiſſe jus ſuffragij in Conciliis provincialibus.

Concil. Arelat. 1. c. 18, 19.

Avit. epiſt. 80.

* id eſt, Epiſcopos. ne quis hæc aliud ſomnier.

IV. Synodus Agathenſis celebrata anno quingenteſimo ſexto excuſationem, præter ægritudinem corporis, agnoſcit etiam præceptionem regiam: *Poſtpoſitis omnibus, excepta gravi infirmitate corporis, aut præceptione regia, ad conſtitutum diem adeſſe non differant.* Vnde Concilium Emeritenſe habitum anno DCLVI. hauſit quod in canone V. decrevit: *Aut per regiam juſſionem injunctum acceperit aliquid agere, ut ſit per quod Concilio non poſſit intereſſe.* Concilium Aurelianenſe III. habitum anno DXXXVIII. eidem pœnæ ſubjacere decernit Metropolitanum qui moram adhibet in congregandis Epiſcopis, & Epiſcopos qui ad ſynodum accedere recuſant, nimirum *ut anno integro Miſſas facere non præſumant.* Neque eorum excuſationem admittit qui alterius ſortis fuerint, id eſt, alterius portionis regni, quod tunc in tetrarchias diviſum erat: *Si abſentiam ſuam diviſione ſortis crediderint excuſandam.* Turonenſis ſecunda Synodus anno DLXVII. habita præcipit ut Metropolitanus locum eligat, ad quem omnes Epiſcopi accedere teneantur ſub pœna ſuſpenſionis à communione *uſque ad majorem ſynodum*, niſi *ob infirmitatis certiſſimæ laborem* impediantur; adeóque ſeverè cum iis agit ut admittendam non eſſe pronuntiet excuſationem quæ impedimentum regiorum juſſorum præferret. Quod Agathenſi Concilio adverſari videretur, niſi vera canonis hujus ſententia ſpectaretur, quæ coërcetur ad celebrationem ſynodi provincialis: quæ celebratio cùm decreta ſit in canonibus Nicænis, quorum protectores ſunt Principes, æquum non eſt ut prætextu conſtitutionum regiarum Epiſcopi violent antiquas illas inſtitutiones. Adde quòd decretum illud Concilij Turonenſis ea de cauſa factum eſt ut iretur obviam conquiſitis Epiſcoporum excuſationibus, qui ſe regiis negotiis immiſcere conabantur, quò abſtinere poſſent ab officio ſuo. Id ea, inquam, de cauſa factum; non autem ut repugnaretur mandatis Principis, quorum executio retardari non poteſt abſque gravi damno rei publicæ.

Concil. Agath. c. 55. qui relatus eſt à Gratiano diſt. 18. c. Si Epiſcopus.

Concil. Aurelian. 3. c. 1.

Neque per impedimentum ordinationis regiæ ..... debeat à Concilio ſeparari.

V. Concilium Tarraconenſe habitum anno DXVII. uſui eſſe poteſt ad explicandum canonem Antiochenum, quo præcipitur Preſbyteris & Diaconis, atque inſuper iis qui ſe læſos exiſtimant, ut ad ſynodum veniant. Metropolitanus enim ad Epiſcopos tantùm mittit epiſtolas. Iſti verò ſecum adducere debent, ex præcepto Concilij Tarraconenſis, certum Preſbyterorum numerum Eccleſiarum ſuarum cathedralium aliarúmque Eccleſiarum diœceſanarum, & aliquot inſuper ſeculares perſonas: *Epiſtolæ tales per fratres à Metropolitano ſunt dirigendæ, ut non ſolùm de cathedralibus Eccleſiis Presbyteros, verùm etiam de diœceſanis, ad Concilium trahant, & aliquos de filiis Eccleſiæ ſecularibus ſecum adducere debeant.* Canonem illum non omiſere in ſuis Collectionibus Burchardus & Ivo. Ejus autem effectus deprehenduntur in Conciliis Galliæ & Hiſpaniæ: in quibus videntur Preſbyteri cum Epiſcopis & laïcis, & deinde cum Abbatibus. Sed de his agere non eſt hujus loci. Cujuſmodi autem debeat eſſe conſeſſus horum Conciliorum, nimirumut Preſbyteri poſt Epiſcopos ſedeant, & Diaconi ſtent, qua prætera ratione in iis tractanda ſint negotia, rectè explicatum eſt in canone III. Concilij IV. Toletani habiti anno ſexcenteſimo trigeſimo tertio.

Concil. Arelat. 1. in fine canonis 20. Concilii apud Theodoſium, & Diaconi, quæ ad ſolos Presbyteros eiusdem canonis pertinent, à Gratiano diſt. 89. c. Presbyteros.

Concil. Tarracon. c. 6.

VI. Sed prætermittere non debeo Concilium Emeritenſe in Luſitania habitum anno DCLXVI. duo decreta edidiſſe quæ magni momenti eſſe mihi videntur. Primùm enim prohibet ne Epiſcopi ægroti vicariatum ſuum tribuant Diaconis, quibus non licet ſedere inter Epiſcopos; eíque rei deſtinandos præcipit Presbyteros frugi & ſapientes. Deinde decernit ſynodum provincialem convocari non poſſe abſque permiſſione

Concil. Emerit. can. 5.

sione regia: *Tempore quo Concilium per Metropolitani voluntatem & regiam jussionem electum fuerit agere.* Et in canone VII. *Comprovinciales Episcopi, dum à suo Metropolitano fuerint admoniti, præsentes esse debeant ad locum temporis debiti. Quæ res non extra regiam agitur voluntatem.* Necessariam esse in Gallia Regis permissionem agnovit etiam Concilium Meldense habitum anno DCCCXLV. *Ut*

Concil. Meld. c. 2. *Principes, juxta decreta Canonum, per singulas provincias saltem bis aut semel in anno à Metropolitanis & diœcesanis Episcopis synodicè convenire concedant.*

VII. Quoad tempus autem celebrationis Conciliorum; canon quintus Concilij Nicæni præcipit ut Concilia illa bis in anno habeantur. quod in canone quoque apostolico XXXVII. statutum est, & in Antiocheno & Chalcedonensi Concilio. Discrimen porrò reperitur quoad tempus celebrationis. Quippe Nicæna Synodus primum conventum in Quadragesima haberi præcipit, ante Pascha; secundum verò, per Autumnum. At

Concil. Antioch. c. 20. canon apostolicus, quem sequitur Antiochenus, primum conventum agi jubet quarta septimana Pentecostes, id est, quarta septimana post festum Paschatis. Quippe quinquaginta dies qui intercedunt à die Paschatis usque ad festum Pentecostes, quod quinquagenarium illum numerum claudit, comprehenduntur vocabulo Pentecostes in hoc loco, quemadmodum & in Actis Apostolorum, apud Tertullianum, & alibi. Primum igitur conventum quarta septimana post festum Paschatis agi jubet canon apostolicus, secundum verò mense Octobri. quod in titulo quoque septimo decretorum Leonis primi Papæ statutum reperitur. Verùm Novella Iustiniani celebrationem horum Conciliorum semel tantùm in anno fieri concessit. quod etiam secuta est Synodus in Trullo, & secunda Nicæna, utraque Græca.

Malè Gothofredus verba Iustiniani in Nov. 117. c. 4. quæ sequuntur sunt ex hoc canone Antiocheno, sic interpretatus, *quarta septimana*, id est, *die Mercurij*; cùm legendum sit, *quarta septimana.*

Nov. 111. & 137. Syn. in Trullo c. 8. Septima Nic. c. 6.

VIII. Similibus mutationibus obnoxium in Gallia fuit illud tempus. Synodus enim Reiensis anno CDXXXIX. & Arausicana biennio pòst habita statuerunt ut Concilia illa bis in anno celebrentur. Sed synodus secunda Aurelianensis eas semel in anno fieri decernit: *Ut Metropolitani singulis annis comprovinciales suos ad Concilium evocent.* Neque verò existimandum est Gallos hujus institutionis formam mutuatos esse ex Iustiniano. Nam præterquam quòd imperio ejus subjecti non erant, observandum est Concilium illud fuisse habitum anno quingentesimo trigesimo tertio, cùm Novellæ Iustiniani, quarum auctoritate hæc canonum modificatio introducta est, anno tantùm quingentesimo quadragesimo primo editæ fuerint. In ea ergo sum sententia ut existimem utrosque formam hujus institutionis sumpsisse ex canonibus Africanis, qui semel in anno statuunt celebranda esse Concilia generalia Africæ. de quibus agam suo loco. Concilium Toletanum III. habitum anno DLXXXIX. hanc temporis præscriptionem secutum est cum quadam prudentia. Decrevit namque ut auctoritas antiquorum canonum, quæ bis in anno præcipit Concilia congregari, inviolata permaneat. Et tamen habita ratione longitudinis itinerum & paupertatis Ecclesiarum Hispaniæ, edicit ut semel in anno Episcopi conveniant ad locum quem Metropolitanus elegerit: *Ut stante priorum* Concil. Tolet. 3. c. 8. *auctoritate canonum, quæ bis in anno præcipit congregari Concilia, consulta itineris longitudine & paupertate Ecclesiarum Hispaniæ, semel in anno, in locum quem Metropolitanus elegerit, Episcopi congregentur.* Idipsum confirmavit sanctus Gregorius ad Episcopos Galliarum Gregor. lib. 7. ep. 110. scribens: *Et quidem quid de habendo bis in anno Concilio patrum sit regulis statutum non latet. Sed ne fortè aliqua impleri hoc necessitas non permittat, semel tamen in anno sine excusatione aliqua decernimus congregari; ut expectatione Concilij nihil pravum, nihil præsumatur illicitum. Nam plerunque, etsi non amore justitiæ, metu tamen examinis, abstinetur ab hoc quod omnium notum est posse displicere judicio.*

IX. Antiquum jus restitutum est in Capitularibus: in quibus decretum est, juxta Capitul. lib. 5 Tit. 13. canones Antiochiæ & Chalcedonis, qui illic laudantur, ut Concilia provincialia bis in anno teneantur. Et quia tumultus in regno suborti eorum usum interruperant, Concilium Parisiense habitum anno DCCCXXIX. disseruit apud Imperatorem hinc oriri gravem contemptum auctoritatis episcopalis, quoniam Clerici, qui obedire nolebant ordinariis correctionibus Episcoporum suorum, aures Imperatoris importunè pulsabant. Ludovicum autem Pium orant patres ut eis libertatem concedat bis in anno coëundi, juxta canones, aut saltem semel, ut jus suum cuique tribuere possint. *Ob id ecclesia-* Concil. Paris. 6 c. 26. *stica utilitati*, inquiunt, *magnum dispendium, & principalibus auribus insolens impedimentum, & multorum impunitas nascitur flagitiorum.* Infrà: *Si hæc semel in anno per unamquamque provinciam celebrata fuerint, & honor ecclesiasticus vires ordinis sui obtinebit, & impudentia quorundam superborum Clericorum, quæ passim auctoritate canonica calcata auribus imperialibus molestiam ingerit, cessabit.* Tum etiam Presbyteros, Diaconos, eósque qui se læsos existimant, ad Concilium accedere volunt: *Ut in ipsis Conciliis adsint Presbyteri & Diaconi, & omnes qui se læsos existimant, &*

ſynodi experiantur examen. Quæ verba omnino deſcripta ſunt ex canone xx. Antiocheno. Simulia à Carolo Calvo poſtulavit Synodus Lingonenſis anno octingenteſimo quinquageſimo octavo. Et Concilium quidem Lateranenſe ſub Innocentio III. ea Concilia ſemel in anno celebrari præcepit. Sed, longiorem moram præſcripſerunt Concilia Baſileenſe & Tridentinum,& Conſtitutio Bleſenſis ; quæ unoquoque triennio jubent ea Concilia convocari. Quod ſpatium definitum eſt ad exemplum Concilij Matiſconenſis ſecundi. Sed in eo aberratum eſt, ob hoc videlicet quòd canon ultimus illius ſynodi explicatus eſt de Conciliis provincialibus ; qui tamen loquitur de Conciliis generalibus Galliæ, ut dicam inferiùs.

Ordonnance de Bloix.

CAPVT XIV.

Synopſis.

I. In ſynodis provincialibus agitabantur cauſæ eccleſiaſticæ.

II. Majores cauſæ referebantur ad ſedem apoſtolicam. Judicia ſynodorum provincialium quæ lata erant de diſciplina, ſupremæ erant auctoritatis ; nec ab eis appellare licebat. Quid placitum Concilio Sardicenſi : quod nihil detraxit de ſuprema Conciliorum provincialium auctoritate, quoad Preſbyteros. Canones Sardicenſes proferuntur à Zozimo Papa ſub titulo Nicænorum.

III. Hic agendi modus offendit Afros. Status controverſiæ proponitur. Verus canonis XVII. *Sardicenſis ſenſus adfertur. Explicantur verba epiſtolæ Concilij Africani ad Celeſtinum. Balſamo notatus.*

IV. Concilium Carthaginenſe vetuit ne Presbyteri ad tranſmarina judicia appellent.

V. Suprema illa poteſtate fruebantur Concilia provincialia Galliarum. Probatur ex Innocentio primo.

VI. Et ex Concilio Francofordinenſi. Cur ad hæc Concilia convenire jubeantur Comites.

VII. Conciliorum provincialium ſuprema poteſtas confirmata eſt in Concilio VIII. *Oecumenico.*

VIII. Sub Carolo Calvo primùm infracta eorum auctoritas, ob appellationes Presbyterorum ad ſedem apoſtolicam. Tranſmarinum judicium, & Tranſalpinum. Servandos canones admonet Carolus ad Ioannem VIII. ſcribens.

IX. Quædam Eccleſia conſentiebant Preſbyteros damnatos judicari in Synodo Romana. Præclara diſtinctio Caroli.

X. Eccleſia Gallicana non pertinet ad ſpecialem Diœceſim Romanam. Nicolai primi plenum calliditate conſilium Epiſcopos Gallicanos ad Concilium Romanum invitantis. Ejus conſilium eludunt Epiſcopi Gallicani. Quandonam ij teneantur accedere ad Concilium Romanum. Vrget iterum Nicolaus, ſed irrito conatu. Princeps jure proprio prohibere poteſt ne Epiſcopi regni ſui Romam accedant.

XI. Ioannes VIII. Epiſcopos Gallicanos revocat ad obſervationem priſcæ conſuetudinis. Temperamentum Hadriani II. in cauſis Presbyterorum. Eorum ſucceſſores appellationes Presbyterorum admiſere.

XII. Concilia provincialia poſſunt condere canones, modò contrarij non ſint canonibus Conciliorum generalium. Probatur variis exemplis ex Gallia & Hiſpania. Item ex auctore Apologetici pro Decretis Gregorij ſeptimi.

XIII. Notatus Gratianus ; à quo recedit auctor Gloſſæ. Seculi noſtri ſententia de auctoritate Conciliorum provincialium. Declarationes Cardinalium pro explicatione Concilij Tridentini non obtinent apud nos.

I. QVÆNAM materiæ tractandæ ſint in his Conciliis provincialibus definivit canon quintus Nicænus, itémque vigeſimus Antiochenus. In eum itaque cenſum referendæ ſunt cauſæ Clericorum & laïcorum qui ab Epiſcopis ſuis excommunicati ſunt, accuſationes adversùs Epiſcopos, difficultates quæ contingebant circa adminiſtrationem bonorum eccleſiaſticorum, & in univerſum, omnes controverſiæ & dubitationes quæ ad ceremonias ſacrorum, perſonas, & res eccleſiaſticas pertinent: *Propter utilitates eccleſiaſticas & abſolutionem earum quæ dubitationem controverſiamque recipiunt.* Hæc autem omnia unico verbo complectitur Concilium Chalcedonenſe, τὰ ἀναχυθέντα, *quæ emerſerint*, ut vertit Dionyſius Exiguus, id eſt, negotia quæ incidunt. quod in Novella Conſtitutione CXXXVII. explicavit Imperator Iuſtinianus.

II. Materiæ fidei, & majores dubitationes, quæ pertinebant ad aliquod caput diſciplinæ canonicæ quod nondum ſatis explicatum eſſet, referebantur ad Papam in Occidente per Conſultationes ; ut fusè diſſerui in diſſertatione de judiciis canonicis Epiſcoporum. At judicia in ſynodis illis reddita quoad diſciplinam, ſummæ erant auctoritatis, ut conſtat ex Concilio Nicæno, non ſolùm quoad correctionem & depoſitionem Preſbyterorum aliorúmque inferioris ordinis Clericorum, ſed etiam quoad depoſitionem Epiſcoporum. Itaque appellationi locus non erat, nulláque alia antiquitus ratio ſuppetebat damnatis quàm ut reſcripto Principis negotium retractaretur in majore ſynodo ; quando videlicet agebatur alicujus Epiſcopi cauſa, aut aliquod negotium magni momenti. Ei auctoritati temperamentum in Occidente adhibuit Sardicenſis Synodus, in gratiam Epiſcoporum gradu ſuo dejectorum ; data nimirum licentia appellandi apoſtolicam ſedem, ut judicium renovetur in provincia, ſi Romanus Epiſcopus exiſtimaverit renovandum eſſe. Quoad verò Preſbyteros & laïcos excommunicatos nihil innovatum fuit : quoniam

eorum causæ non erant ejus momenti ut Romanus Pontifex appellari posset ; sicut nec in Oriente concessa iis erat appellatio ad Patriarchas ; ut patet ex canonibus Nicænis, Antiocheno sexto, & nono Chalcedonensi. Concilium inquam Sardicense nihil prorsùs detraxit de suprema Conciliorum provincialium auctoritate quoad Presbyteros. Contrà, eam canone XVII. firmavit adversùs iniquas quorundam Episcoporum molitiones, qui ferre non poterant Presbyterorum aut Diaconorum dejectorum querelas adversùs ipsos propositas apud ceteros Episcopos : *Habeat potestatem is qui abjectus est ut Episcopos finitimos interpellet, & causa ejus audiatur, ac diligentiùs tractetur, quia non oportet ei negare audientiam roganti. Et ille Episcopus qui justè vel injustè eum abjecit, patienter accipiat ut negotium discutiatur : ut vel probetur sententia ejus à plurimis, vel emendetur.* Interim tamen demandanda est executioni sententia Episcopi, ut ait canon : *Tamen priùs quàm omnia diligenter & fideliter examinentur, eum qui fuerit à communione separatus, ante cognitionem nullus debet præsumere ut eum communione suscipiat.* Hujus canonis præjudicio, quem Legatus Fauſtinus tanquam canonem Synodi Nicænæ protulerat, Zozimus firmare conatus est cognitionem à se habitam de accusatione Apiarij Presbyteri Africani à proprio Episcopo dejecti, existimans videlicet eum esse canonis illius sensum ut Presbyteri excommunicati arbitrio relinquat querelam suam deferendi ad quos voluerit Episcopos, modò provinciæ vicini essent ; cujusmodi esse Roma videbatur, habita ratione provinciarum maritimarum Africæ.

Vide lib. 7 ep. 15.

III. Quapropter canon ille offendit Afros, qui contenderunt eum non esse recensendum inter canones Nicænos, ac nihilominus illum causæ cognitionem tribuere Episcopis provinciæ, non autem aliis, tametsi finitimis. Ita namque explicanda est intercessio Novati Legati Mauritaniæ in Concilio Carthaginensi : *Nunc meminimus hoc commonitorio etiam de Presbyteris vel Diaconibus contineri, qualiter audiri ab Episcopis suis vel finitimis debeant. quod in Concilio Nicæno minimè legitur.* Itaque Afri jusserunt consuli authentica canonum Nicænorum exemplaria, quæ Constantinopoli & Alexandriæ servabantur ; interim verò præcipiunt observari canonem Sardicensem, quoad appellationes Episcoporum ad sedem apostolicam. in quo morem gerunt votis Summi Pontificis. Idipsum de Presbyterorum appellationibus interim observari præcipiunt, ea tamen lege adjecta, *ut Clericorum causæ apud suarum provinciarum Episcopos finiantur.* Igitur, quoad caput istud, præclarè providebant suæ auctoritati, elusis Romani Pontificis consiliis, sequuti videlicet institutionem Concilij Milevitani, quod appellationes Presbyterorum judicari decreverat apud Primates provinciarum in Conciliis generalibus Africæ. Ceterùm hoc Africanorum decretum viam aperuit novo Zozimi beneficio in Apiarium : qui, interim dum authentica Concilij Nicæni exemplaria conquirebantur, iterum accusatus, ac gradu suo dejectus, Romam appellavit ; restitutúsque est à Summo Pontifice, qui Fauſtinum Legatum misit in Africam, ut Apiarium loco suo reddi procuraret. Sed repugnantibus Afris, investigandum Fauſtino fuit quonam modo ostenderet Zozimum in ea causa competentem judicem fuisse. Neque enim obtendi poterat canon Sardicensis, quem interim observandum esse consenserant Afri ; quoniam eam consensui suo conditionem adjecerant, juxta genuinum canonis sensum, ut appellationem quidem tolerarent ad Episcopos comprovinciales, non autem indefinitè ad Episcopos finitimos. Itaque Fauſtinus, ut restitui rursùs Apiarium suaderet, laudavit privilegia Ecclesiæ Romanæ, quæ in suam communionem receperat Apiarium, ac proinde nihil reliqui esse quàm ut ab Afris pariter susciperetur. Synodus tamen hujus allocutionis rationem non habuit ; quòd existimaret non debuisse Apiarium in communionem recipi à Zozimo post appellationem, tametsi revera Apiarius probare non potuerit se appellasse. Contrà synodus repetita cognitione adeo reum variis interrogationibus ursit ut crimen confiteretur. Narratio hæc colligitur ex epistola Concilij Africani ad Celestinum scripta ; tametsi quidam conentur contextum ejus corrumpere, & aliò detorqueant ejus sensum ; qui nondum sincerè explicatus est, neque etiam status controversiæ ob canonem Sardicensem motæ qui Presbyterorum causam exequitur. *Nam primùm quantum obstiterit* (Fauſtinus) *omni congregationi diversas injurias ingerendo, quasi Romanæ Ecclesiæ asserens privilegia, & volens eum* (id est, Apiarium) *in communione suscipi, quem tua sanctitas credens appellasse, quod probare non potuit, communioni reddiderat. quod minimè tamen licuit &c.* Versio Græca canonis Sardicensis, quæ extat apud Balsamonem, sincera non est ; cùm potiùs sit paraphrasis interpretis, qui sensum aliquem tribuere conatus est verbis à se non intellectis. Voces enim illæ, *finitimos interpellet*, si generaliter accipiantur, confusionem introducere possunt in politiam ecclesiasticam. Quo factum est ut

Concil. Carthag. can. 6.

Vetus interpretatio canonis Sardic.

Ἐὰν τύχῃ ἐγκύκλιον δεῖ τὸν δεσπόσαντα τῆς μητροπόλεως τῆς αὐτῆς ἐπαρχίας. χλιας χρατησουσιν. ἀλλ' ὁ τῆς μητροπόλεως πλησίον, ἀπίωσαν, ὅτι τὸν πλησίον χρατήσουσιν.

interpres crediderit Synodum Sardicensem non tribuere Presbyteris licentiam interpellandi Episcopos vicinæ provinciæ, nisi absente Metropolitano. Ea fuit causa cur eum in versione sua addiderit contra ipsa verba canonis; de cujus fide dubitari non potest, cùm Dionysij versio, &, quod in primis observandum est, Concilium Africæ in epistola ad Bonifacium, eum nobis exhibeant clausula illa carentem.

IV. Concilium Carthaginense renovavit canonem Milevitanum, edicto ne Presbyteri *ad transmarina judicia*, id est, Romam, appellarent, sub pœna excommunicationis: *Non provocent ad transmarina judicia, sed ad Primates provinciarum suarum, sicut & de Episcopis sæpe constitutum est. Ad transmarina autem qui putaverit appellandum, à nullo intra Africam ad communionem suscipiatur.* Quod fusè explicant iidem Afri in epistola ad Cœlestinum: *Presbyterorum quoque & sequentium Clericorum improba refugia, sicut te dignum est, repellat sanctitas tua: quia & nulla patrum definitione hoc Ecclesiæ derogatum est Africanæ, & decreta Nicæna sive inferioris gradus Clericos, sive ipsos Episcopos, suis Metropolitanis aperiè commiserunt Prudentissimè enim justissimèque viderunt quæcunque negotia in suis locis ubi orta sunt finienda, nec unicuique provinciæ gratiam sancti Spiritus defuturam; ----- maximè quia unicuique concessum est, si judicio offensus fuerit cognitorum, ad Concilia suæ provinciæ, vel etiam universale provocare.*

Can. 28. Concil. Afric.

V. Suprema illa potestate fruebantur Concilia provincialia Galliarum, jure tamen consultationis Ecclesiæ Romanæ servato in majoribus causis, ut constat ex celebri illo loco epistolæ Innocentij primi ad Victricium Episcopum Rothomagensem, cujus veram interpretationem investigavi in dissertatione de judiciis canonicis Episcoporum. Sic igitur scribit Innocentius: *Si quæ autem causæ vel contentiones inter Clericos tam superioris ordinis quàm etiam inferioris fuerint exortæ, ut secundùm Synodum Nicænam, congregatis ejusdem provinciæ Episcopis, jurgium terminetur. Nec alicui liceat, (sine præjudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, cui in omnibus causis debet reverentia custodiri) relictis his Sacerdotibus qui in eadem provincia Dei Ecclesiam nutu divino gubernant, ad alias convolare provincias.* Secundùm hos canones & decreta veteres synodi Gallicanæ præcipiunt ut Clerici qui de Episcopis suis conqueruntur, ad synodum accedant; ut patet ex Concilio Vasensi anni CDXLII. Arelatensi secundo anni CDXLIV. & Aurelianensi III. anni quingentesimi trigesimi octavi.

Innoc. I. epist. ad Victric. c. 3.

VI. Ævo Caroli magni, Conciliis istiusmodi conservata est suprema potestas in judicandis Abbatibus, Presbyteris, monachis, aliisque Clericis, & laïcis excommunicatis. Absoluta auctoritas est id ita consuevisse, cùm ita factitatum fuisse doceat Concilium Francofordiense generale habitum anno DCCXCIV. cui interfuit legatio Hadriani I. Papæ, & ad quod convenerunt Episcopi Galliarum, Germaniæ, & Italiæ, à Rege evocati. *Statutum est*, inquit, *à Domno Rege & sancta synodo ut Episcopi justitias faciant in suis parochiis. Si non obedierit aliqua persona Episcopo suo de Abbatibus, Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, monachis, & ceteris Clericis, vel etiam aliis in ejus parochia, veniant ad Metropolitanum suum, & ille dijudicet causam cum suis suffraganeis. Comites quoque nostri veniant ad judicium Episcoporum. Et si aliquid est quod Episcopus Metropolitanus non possit corrigere vel pacificare, tunc tandem veniant accusatores cum accusato cum literis Metropolitani, ut sciamus veritatem rei.* Vide cap. 26. §. 2. & 3. Concil. Turon. Sardic. c. 6.

Constat igitur hoc canone nullum appellationis genus relinqui à judicio Metropolitani. Excipit solùm, ut si post sententiam synodi supersit adhuc aliqua controversia, accusator & reus adeant Principem cum literis Metropolitani; ut Rex cognitionem extrajudicialem causæ suscipiat, auctoritatémque suam tribuat pro executione rei judicatæ, aut protectionem suam subditis suis, si contingeret eos opprimi in injuriam legum & canonum. qua de re alibi accuratè differo.

Cur autem Comites, quos hic canon jubet interesse judiciis Episcoporum, ad hæc Concilia convenire debeant, docet Præfatio Concilij Moguntini jussu Caroli magni habiti anno DCCCXIII. *Convenit nobis de nostro communi collegio Clericorum seu laicorum tres facere turmas, sicut & fecimus. In prima turma consederunt Episcopi ----legentes atque tractantes sanctum evangelium. ----- In alia verò turma consederunt Abbates ac probati monachi. ----- In tertia denique turma sederunt Comites & Iudices in mundanis legibus decertantes, vulgi justitias perquirentes, omniumque advenientium causas diligenter examinantes, modis quibus poterant justitias terminantes.* Vnde colligitur Comites ea de causa ad synodos convenire solitos, ut pro sua virili leges discerent, & ut seculares causas eorum definirent qui undequaque ad conventus hujusmodi accedebant. Præterea eorum præsentia necessaria erat ad terminandas lites quæ fortè exoriebantur inter Clericos & laïcos, quas ab Episcopo unà cum Comite judicandas esse sancivit canon XXX. Concilij Francofordiensis: *Si fortè inter Clericum* Vide cap. 26. §. 2.

& laicum fuerit orta altercatio, Episcopus & Comes simul conveniant, & unanimiter inter eos causam definiant secundum rectitudinem. Praxis autem illa introducta est à Concilio quarto Aurelianensi celebrato anno quingentesimo quadragesimo primo. Comites insuper lege Capitularium tenentur adjuvare Episcopos *ad justitias faciendas.*

Concil. Aurelian. IV. c. 20.

Addit. III. c. 54. & 64.

Concilium Parisiense habitum anno DCCCXXIX. manifestè probat viam appellandi ad sedem apostolicam nondum fuisse apertam per illas tempestates, cùm doceat Clericos ab Episcopis suis castigatos, querelas suas ad Regem deferre solitos, quando synodi provinciales non habebantur.

Concil. Paris. c. 26.

VII. Suprema Conciliorum provincialium potestas confirmata est disertis verbis in canone XXVI. Concilij Octavi Oecumenici, quod anno octingentesimo septuagesimo in urbe Constantinopolitana habitum est adversùs Photium ejusdem urbis Patriarcham, cui præfuerunt Legati Hadriani secundi Summi Pontificis. Ac licèt Galli Concilium illud non admisissent, Summi tamen Pontifices, post suam electionem, ejus observationem jurejurando promittebant, non secùs ac superiorum septem Conciliorum. Canon ergo ille causas Episcoporum distinguit à causis Presbyterorum & aliorum Clericorum; decernítque ut Episcopi judicentur in synodo patriarchali. Appellationes autem Presbyterorum à suis Episcopis dejectorum à Metropolitano & synodo provinciali præcipit judicari, *ad confirmandum scilicet sine omni suspicione, vel destruendum, per generalem synodum, & multorum sententia, Clerici depositionem.* Hic autem canon Latinè tantùm habetur ex versione Anastasij Bibliothecarij, qui synodo interat, quique synopsin ejusdem canonis confecit verbis ambiguis: *Quòd Clericus depositus, vel injuriam passus ab Episcopo suo, potestatem habeat recurrere ad majores Ecclesiæ catholicæ Principes, id est, ad Summos Pontifices.* Quibus vocibus heic significantur Metropolitani, ut patet ex verbis canonis. Generalis autem synodi vocabulo utitur Anastasius ad significandum provinciale Concilium, & ut illud opponat synodo diœcesanæ.

VIII. Extremis annis regni Caroli Calvi, vis prima illata est auctoritati Conciliorum provincialium. Presbyteri enim depositi, & pœnitentiæ subjecti, qui nec judicio Episcoporum suorum acquiescere volebant, nec Metropolitanum interpellare, Romam proficiscebantur; illíncque literas Canonibus adversas deferebant, in quibus citra ullam causæ cognitionem judicia Episcoporum rescindebantur, & judices Romam vocabantur, sententiæ suæ rationes illic allaturi. De hoc enim usu cum Ioanne octavo expostulat Carolus Calvus Imperator in epistola ad eum scripta, cujus auctor est Hincmarus Remensis Archiepiscopus: in qua illud quoque additur, nolle Episcopos agnoscere auctoritatem harum literarum, quas existimabant concessas fuisse à ministris, commotis videlicet misericordia quadam querentium, neque sibi persuadere posse eas jussu Pontificis fuisse decretas. *Transalpinarum regionum Presbyteri*, inquit, *à suis Episcopis de certis criminibus ab ordine sacerdotali dejecti, & pœnitentiæ subacti, sine licentia & conscientia Primatum suorum huc venire, & hinc epistolas, quæ regulis non conveniunt, referre cæperunt. Quas non jussione apostolica, sed, ut assolet etiam in republica, propter multiplicia reclamatorum negotia, quorumcunque ministrorum pia miseratione factas, & nos & illius regionis putant Episcopi.* Tum in capitibus XIII. XIV. XV. XVI. & XVII. Imperator probat debere Presbyteros judicari ab Episcopis, & à synodo provinciæ, si querela moveatur, ita namque decretum in Conciliis Nicæno, Antiocheno, Sardicensi, Constantinopolitano, & Chalcedonensi. Neque licitam esse provocationem ab eis judiciis; ut Synodus Carthaginensis disertis verbis definivit, dicens: *Transmarinum judicium non erit ratum.* Quo loco Hincmarus ita adnotat, in gratiam Francorum, *Quod tantundem est, Transalpinum;* & hanc praxim usque ad sua tempora obtinuisse affirmat: *Hæc itaque* (inquit ille in capite XIX.) *transalpinis Ecclesiis earúmque rectoribus ---- de Presbyterorum ac Diaconorum appellatione, si de judiciis Episcoporum suorum quæsti fuerint ad comprovinciales synodos & dijudicatione regulari eorum in iisdem synodis, ante longissimæ ætatis annos, usque ad nostra tempora, servata & à decessoribus ac prædecessoribus eorum secuta & executa fuerunt.* Vnde colligit epistolas illas quas ex Vrbe Presbyteri adferebant, cùm canonibus essent contrariæ, à sede apostolica datas non fuisse, quæ sibi contraria esse non potest, id est, decreto Papæ Gelasij, qui scribit eam sedem *pra ceteris* exequi canones Conciliorum: *Quas epistolas, sacris regulis obvias, nec auctoritate apostolica fuisse missas, sed compilatas quorumcunque vafricia credimus. Non enim sibi ipsi sedes apostolica potest esse contraria vel diversa.* Demum in cap. XX... & XXV. Ioannem Pontificem alloquens, concludit auctoritatem pontificiam & imperatoriam potestatem debere sollicitè considerare quid ab eorum prædecessoribus decretum fuerit cir-

Hincmar. ep. 9. c. 2.

Vide lib. 4. c. 6. §. 4.

Cap. 20. *Ab Episcopis transalpinis Presbyteris regulariter judicari, ad hanc sanctam Romanam sedem in talibus suis Episcopis veniunt, & eis epistolas eorum refragantes judicia deferunt: eósque vel communitos illorum ad hanc sedem ad conquerendum contra eos venire præcipiunt. Quod nullis antiquorum legibus vel patrum regulis decretum fuisse legimus.*

Cap. 111

ca obſervationem legum & canonum, eóſque inviolabiliter cuſtodire, ut ratum firmúmque eſſe faciant quicquid ipſi ſecundùm leges & canones ſtatuerint: *Et ſervando quæ legaliter & regulariter geſta ſunt, rata eſſe faciamus quæ legaliter & regulariter juſſerimus.*

IX. Francorum deſiderio opponebatur conſuetudo aliarum Eccleſiarum, quæ Preſbyteros damnatos conſentiebant in ſynodo Romana, cui Epiſcopi eorum intereſſent, judicari. Excipit Imperator præclarè admodum, diſparem eſſe rationem Epiſcoporum Romanæ urbi vicinorum, & eorum qui trans Alpes eſſent. Illos quippe à Papa conſecrari, & ad ejus ſynodum pertinere, quò ſecundùm canones accedere tenentur, ideóque intereſſe poſſe examinandis querelis quas eorum Preſbyteri proponunt. At tranſalpinorum aliorúmque qui in longinquis regionibus commorantur diverſam eſſe cauſam. Canones & decreta Pontificum nihil aliud ab eis exegiſſe quàm id quod poſſibile fuerit}, & quod auctoritati canonicæ pacíque eccleſiaſticæ conſentaneum foret. Nunquam adactos tranſalpinos Epiſcopos ad iter Romanum pro quæſtionibus Preſbyterorum. Quanquam fortaſſis ita uſurpatum quandoque fuerit quoad alios, qui ad ſpecialem Epiſcopi Romani Diœceſim pertinebant: *Poteſt fieri ut illi qui in vicinis provinciis ſunt hujus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, quíque juxta ſacras regulas ad manus impoſitionem & ad ſynodos huc convenire ſolent, ipſi pro reclamatione contra Presbyterorum ſuorum ad præfatam examinationem conveniant, ſicut ſacri canones ac leges præcipiunt, ut ad Primatem cujuſque provinciæ qui negotia videntur habere concurrant, vel ad ſynodum qui ſe læſos exiſtimant, quò non ſit difficile teſtes adhibere, invitentur. Tranſalpinis autem, & aliis qui in ſimiliter longinquis regionibus commorantur, apoſtolica ſedes & ſacrorum canonum promulgatores, loquente in eis ſancto Spiritu, quæ ſunt unicuique provinciæ poſſibilia, & auctoritati convenientia, atque paci Eccleſiæ congruentia, tenenda & exequenda diſcretiſſimè præfixerunt.* Infrà: *Legimus etiam, quamvis rariſſimè, præceptum à ſede apoſtolica quoſdam de longinquioribus parochiis ſpecialis Diœceſeos Romani Pontificis, ad cujus ſollicitudinem univerſalis Eccleſia pertinet, propter contumaces contentiones aliquos invitatos fuiſſe. Sed de tranſalpinis regionibus, quibus decreta privilegia ſervari debent, tale quid pro Presbyterorum & Diaconorum appellatione à ſede apoſtolica præceptum fuiſſe non legimus.*

In dicta epiſtola Hincmari, c. 11.

Cap. 12.

X. Exceptio illa, nimirum Eccleſiam Gallicanam non pertinere ad ſpecialem Diœceſim Romanam, id eſt, neque ad conſecrationem Epiſcopi Romani, nec ad ejus ſynodum, tametſi ſedem apoſtolicam coleret velut particulare caput Occidentis, & etiam tanquam caput Eccleſiæ univerſæ, exceptio inquam illa prorsùs legitima erat. Prudenter itaque Nicolaus primus conatus eſt efficere ut Epiſcopi Galliarum ad Concilium Romanum convenirent, ut ea ratione eandem in Gallia & in univerſo Occidente patriarchalis juriſdictionis amplitudinem conſtitueret quam Patriarchæ Orientis poſſidebant in ſua quiſque Diœceſi. Ij autem Metropolitanos omnes evocabant ad ſynodum patriarchalem, juxta canones Conſtantinopolitanos & Chalcedonenſes Iuſtinianique Novellas. Ea itaque de cauſa literas ad Epiſcopos Galliarum & Germaniarum ſcripſit, ut eos ad Concilium Romanum anno octingenteſimo ſexageſimo quinto celebrandum evocaret; quæ redditæ illis fuere cura Regum Caroli Calvi & Ludovici. At Epiſcopi, qui Nicolai conſilium intellexerunt, nihil ſuo nomine reſponderunt, ſed ſcribi ad eum procuravere à Regibus ſuis, qui protectores ſunt Libertatum Eccleſiæ. Igitur Principes ſcripſerunt non potuiſſe Epiſcopos accedere ad Concilium ob brevitatem temporis, & ob pericula itinerum, & ob id etiam quòd occupati eſſent pro tuitione regni adversùs piratas. Quibus addunt, nullam eſſe neceſſitatem quæ Epiſcopos cogat Romam mittere, ut Concilio interſint, *Vt Epiſcopos de regnis veſtris Romam mittendi neceſſitas non poſtulet*, ut ait Nicolaus in ſua ad Reges epiſtola, qui ex his verbis colligit nolle Epiſcopos mandatis ſuis obedire: *Sed intelligi datur eos monitis noſtris non velle parere.* Nam Reges tanquam rem certam exiſtimant Epiſcopos ſuos non pertinere ad corpus Concilij Romani, atque ideo non teneri ad illud accedere toties quoties eos evocari contingit, ſed tantùm ſi ea neceſſitas incidat ut Concilium Oecumenicum ſit celebrandum.

Nicol. in ep. ad Ludov. Germ. & Carolum ejus frat.

Bilem Nicolai commovit hæc reſponſio; qui repræſentat communi conſenſu provideri poſſe neceſſitatibus Eccleſiæ, ſi Epiſcopi venirent ex provinciis ad Concilium Romanum. At diverſa ratio prohibebat Reges noſtros & Epiſcopos Galliarum ne illuc accederent. Quippe illic lex ipſis impoſita fuiſſet; contendiſſentque Pontifices, canones in eo Concilio conditos executioni demandandos eſſe citra novum examen, cùm eis decernendis acceſſiſſet conſenſus Epiſcoporum Gallicanorum. Secùs eveniebat quando Concilia habebantur intra Gallias. Cauſæ enim in eis agitabantur ex ſententia & conſenſu Regis & omnium ordinum; & ſi quid

à Roma mittebatur, deliberationi Concilij obnoxium erat. Mitigatus tandem est animus Nicolai, quoad jura Regum in Episcopos. Agnoscit enim eam illis auctoritatem inesse ut prohibere possint ne Episcopi Romam accedant, neque id ullo modo exprobrari posse Episcopis, si obsequio suo prohibitionem exequantur. Attamen contendit posse Reges vituperari, si ea auctoritate abutantur. *Quòd si qui ex confratribus nostris Episcopis talia nobis misissent, habueramus qualiter illos reprehendere & arguere deberemus; excepto si regalem magnitudinem vestram sibi impedire dixissent, in vobis hoc reprehendere & corrigi debere videretur.* Videbimus postea in capite XVI. quid sexennio pòst in Octava Synodo tentaverit Summus Pontifex adversùs jura regni Francici.

XI. Et Ioannes quidem octavus videtur majorem antiquarum institutionum curam habuisse, post acceptam Caroli epistolam, quam decreto Concilij octavi inniti conspiciebat. Quippe Sigebodo Narbonensi Archiepiscopo exprobrat facinus quorundam Episcoporum provinciæ Narbonensis, qui Presbyterum quendam accusatum ad sedem apostolicam accedere jusserant, interim verò eum suspenderant, ac *quibusdam epitimiis*, id est, pœnitentiis, oneraverant, donec aliter Summus Pontifex statuisset. Porrò ea de causâ Presbyterum illum Romani Episcopi judicio commiserant, quòd, ut ait Pontifex, causa dubia esset. Addit verò, rectè illos ita agere potuisse, si eâ in *plenario Concilio* (quem loquendi modum hausit è Ferrando Diacono) examinatâ, constitisset esse difficilem. Eo enim casu consuli potuisse sedem apostolicam, secundùm antiquam consuetudinem: *Vt ita facta scripto relatione*, inquit, *si quid dubium sibi seu difficile ingessisse videretur, nostrum super hoc more prisco decretum exposcerent.* Quapropter Ioannes cognitionem illam ab eo Metropolitano suscipi jubet, ut jure proprio eam definiat cum collegis suis: *Ergo saltem nunc fraternitas tua, Metropolitani jure potita, ex Episcopis sub se degentium vel vicinorum sex, unà cum Episcopo cujus est iste paræciæ, sibi socians, tantum negotium subtili ventilet discussionis ventilabro, & invento quod justum est canonicè decernat, & communi fratrum censura definiat.*

Hadrianus secundus Ioannis octavi decessor quandam moderationem adhibuerat in causâ Herlefridi Presbyteri, qui provocaverat à judicio Episcopi sui ad sedem apostolicam tanquam ad caput omnium Ecclesiarum. Nam laudato Carolo Calvo Rege, qui Presbytero illi permiserat iter Romanum, æquum esse censet ut injusta sententia ab Episcopo lata in Concilio civitatis, irrita esse jubeatur in Concilio provinciali, Hincmari Archiepiscopi auctoritate: *Quòd præsentem Presbyterum Herlefridum, potestate sui Præsulis plus quàm canonica veritate perculsum, ad sedem apostolicam, utpote caput omnium Ecclesiarum, venire passi estis, bene quidem fecistis. Sed nunc melius faceretis, si quod in civili Concilio apud suum Episcopum perperam gestum est, in provinciali synodo apud vos rationabiliter & apud fratrem nostrum Hincmarum Archiepiscopum cassaretur.* Tum id quoque Regi tribuit, ut eundem Presbyterum procuret Ecclesiæ suæ reddi usque ad celebrationem synodi; vel Episcopum cogat Romam mittere Legatum, quò parte utraque audita, statuatur prout justum visum fuerit; quemadmodum constat ex epistola Hadriani scripta anno octingentesimo sexagesimo nono. Agnoscit itaque auctoritatem Metropolitani, cui negotium istud judicandum relinquit; ac tamen indicat cupere se ut causa apud sedem apostolicam judicetur, si Rex ita pateretur. Ejus tamen arbitrio rem integram permittit.

Epist. 13. Hadr. ad Carolum Calvum.

Hadriani & Ioannis successores, ruptis canonum cancellis, appellationes Presbyterorum admisere; adeo ut Gregorius VII. in Decretis suis, quæ vulgò *Dictatus Papæ* dicuntur, hoc quoque præceperit: *Vt nemo audeat condemnare apostolicam sedem appellantem.* Quod in jus commune versum est in Decreto Gratiani & in libris Decretalium.

XII. Quæri solet, utrum præter exercitium illud jurisdictionis Conciliis provincialibus inesset potestas condendi decreta canonica. Et in praxi quidem veteris Ecclesiæ dubitari non potest quin ita fieri posset, modò tamen ea decreta contraria non essent canonibus Conciliorum generalium. Exemplo erunt Concilia Gallicana. Valentina quippe Synodus coacta anno trecentesimo septuagesimo quarto, cui interfuerunt Episcopi provinciæ Viennensis, decreta sua misit ad universos Episcopos Galliarum & Quinque provinciarum. Ita pariter Synodus Reiensis in secunda Narbonensi coacta anno quadringentesimo trigesimo nono, Arausicana prima anno quadringentesimo quadragesimo primo, Vasensis anno quadringentesimo quadragesimo secundo, Andegavensis in provincia Turonensi anno quadringentesimo quinquagesimo tertio, Venetensis in eadem provincia anno quadringentesimo sexagesimo quinto, Arelatensis quarta anno quingentesimo vigesimo quarto, Carpentoratensis in eadem provincia anno quingentesimo vigesimo septimo. Synodus Arausicana secunda habita anno quingen-

tesimo vigesimo nono, provincialis item erat; sed tamen canones suos edidit adversùs Pelagianos, *juxta capitula ab apostolica sede transmissa*, ut adnotatum est in præfatione synodi. Eodem anno Vasensis Synodus in eadem provincia suos etiam canones edidit. Synodus Antissiodorensis ab Aunachario Episcopo celebrata anno DXC. cum Abbatibus & Presbyteris suæ diœceseos, XLV. canones edidit, tametsi unius Episcopi synodus esset. Concilium Metense habitum anno octingentesimo octuagesimo octavo, in quo XIII. canones editi sunt, provinciale item est, celebratum ab Archiepiscopo Treverensi cum suis suffraganeis Episcopis provinciæ Belgicæ. Concilium Trosleianum prope Augustam Suessionum convocatum fuit ab Heriveo Archiepiscopo Remensi, cui interfuerunt Episcopi provinciæ Remensis. In eo editi sunt canones quindecim.

Hispanis quoque magni momenti semper visi sunt canones editi in suis Conciliis provincialibus. Argumento erunt Concilium Eliberitanum anno CCCV. coactum, in quo decreti sunt canones octuaginta & eo ampliùs, Cæsaraugustanum in provincia Tarraconensi habitum anno trecentesimo octuagesimo, Bracarensia primum & secundum in Gallæcia habita annis quingentesimo sexagesimo tertio & septuagesimo secundo, & Lucensia ejusdem provinciæ & eodem ferme tempore celebrata, quæ provinciam illam in duas metropoles diviserunt tempore Regum Suevorum, Narbonense habitum anno DLXXXIX. sub Recaredo Rege, qui Narbonensem provinciam obtinebat velut membrum coronæ Hispanicæ, Hispalense primum anno DXC. & secundum anno DCXVIII. cui præfuit Isidorus Metropolitanus, cujúsque canones referuntur ab Ivone & Gratiano.

Sanè adeo verum est & manifestum inesse Conciliis provincialibus auctoritatem ad condendos canones ut & ipse auctor Apologetici pro Decretis Gregorij VII. editis in Concilio Romano anno MLXXIV. tametsi prorsùs addictus Gregorio, veritatem illam constituat inter axiomata disciplinæ canonicæ. Ait enim decreta Conciliorum Oecumenicorum observanda esse velut leges evangelicas, dein rationem etiam habendam canonum in synodis provincialibus editorum, modò contrarij non sint canonibus Conciliorum, quandoquidem eas bis in anno celebrari præcipiunt canones Nicæni, Constantinopolitani, & Chalcedonenses: *Patet quod authenticæ sanctiones etiam provincialia Concilia fieri præcipiunt. Quod in cassum præciperent, nisi & nos eorundem Conciliorum probabiles sententias observare decerneremus. Vnde & in tertio Toletano Concilio universali decretum est: Qui Concilia orthodoxorum Episcoporum consona sanctissimis Quatuor Conciliis non recipit, anathema sit.* Præclarè autem admonet idem auctor persæpe magnos & egregios viros his Conciliis interfuisse, ac sicut temerarium esset contradicere opinioni illustrium horum virorum, ita toleranda prorsùs non esse eorum contumaciam qui nolunt obsequi decretis ex sententia multorum sapientium statutis: *Ergo*, inquit, *multorum sapientium judicio non acquiescere multò magis est intolerabile, in his duntaxat capitulis quæ prædictis authenticis statutis non adversantur, sed institutioni Christianæ religionis proculdubio suffragantur.*

Apologet. pro Decret. Greg. VII. c. 2. & 4.

XIII. Quapropter meritò reprehendendus est Gratianus, qui novum jus introducere conatus est in Decreto suo, nimirum, posse quidem Concilia hæc causas judicare, & criminibus debitas pœnas irrogare, non tamen novos canones condere, *non constituere aliquid, vel definire*, ut ipse loquitur in dist. XVIII. Itaque auctor Glossæ eum apertè redarguit, qui ita scribit ad hunc locum: *Illud non est verum. Quia Episcopi bene condere possunt canones episcopales, & Archiepiscopus provinciales. Sed de majoribus negotiis non possunt aliquid statuere.* Exceptio illa Glossæ aperit genuinum sensum capitis *Concilia*, ex quo Gratianus sententiæ suæ fundamentum mutuatus est, quódque descriptum est ex Apologetico Ennodij Ticinensis. Sed caput illud à me explicatum est in dissertatione de judiciis canonicis Episcoporum.

Sanè Doctores nostræ ætatis non contradicunt huic auctoritati Conciliorum provincialium, modò eorum decreta consentanea sint juri communi, id est, juri quod in Decretalibus continetur, juxta receptum loquendi modum. Tamen dissimulandum non est Cardinales Congregationis institutæ pro explicatione Concilij Tridentini auctoritatem illam quibusdam limitibus circumscripsisse, vim apertam inferendo verbis decreti Tridentinæ Synodi, cùm declarant Concilia provincialia publicanda non esse antè quàm sedes apostolica consulatur: *Decreta quæ in Conciliis provincialibus conduntur, publicari non debent inconsulto Romano Pontifice.* Sed Declarationes illæ vim legis non obtinent in Gallia.

CAPVT

CAPVT XV.

Synopsis.

I. Concilia provincialia celebrari desierant tempore Concilij Chalcedonensis. Idem de sua ætate testantur Iustinianus, Zonaras, Balsamo, & Matthæus Blastares.

II. Hujus desuetudinis origo debetur institutioni Conciliorum patriarchalium; quæ singulis annis celebrabantur, & quibus omnes Metropolitani interesse tenebantur. Canon Concilij octavi omnino conditus adversùs Episcopos Gallicanos. Verùm Concilium illud receptum non fuit in Gallia.

III. Diutiùs Ecclesia occidentalis retinuit morem celebrandorum Conciliorum provincialium. Cur tandem ab iis celebrandis abstinuerint Episcopi. Eorum usum restituere tentavit Innocentius III. irrito conatu.

IV. Quid Concilio Basileensi & Tridentino placitum.

V. Edictum Blesense præcipit ut Concilia provincialia tertio quoque anno habeantur. Verùm nihil horum observatum est hucusque. Et tamen valde optandum esset ut celebrandorum Conciliorum provincialium consuetudo revocaretur.

I. SI quis autem curiosè inquirat quibus tandem de causis celebrari desierint Concilia provincialia, reperiet morbum hunc in universa Ecclesia, non solùm occidentali, sed etiam orientali, grassatum esse, atque adeo causam debere esse communem. Adnotatum namque est in can. XIX. Synodi Chalcedonensis Concilia illa desiisse celebrari per illas tempestates: *Pervenit ad aures nostras quòd in provinciis statuta Episcoporum Concilia minimè celebrentur, & ex hoc plurima negligantur ecclesiasticarum causarum, quæ correctione indigent.* Sed exprobratio illa, ab Oecumenico Concilio facta, parum profuit. Quippe Iustinianus octuagesimum post annum admonet in Novella CXXXVII. canones qui præcipiunt celebrationem Conciliorum provincialium observatos non fuisse usque ad ætatem suam: *Quando autem quod in Canonibus cautum est Synodis sanctissimorum Episcoporum per singulas provincias congregandis huc usque minimè observatum est.* Nov. 137. c. 4. Apud Græcos, congregandorum Conciliorum provincialium statuta renovata sunt auctoritate canonum Synodi in Trullo & secundæ Nicænæ. Attamen Zonaras observavit ea adeo ætate sua (id est, ad annum MCLXXX.) neglecta fuisse in Oriente, ut nusquam ea Concilia haberentur. Quod Balsamo quoque, qui anno MCXC. vivebat, pro ætate sua testatur; & pro sua item Matthæus Blastares, qui circa annum MCCC. floruit. Zonaras & Balsamon in comm. ad Can. 2. Nicæn.

II. Ac mihi quidem inquirenti in causas hujus desuetudinis, nulla alia occurrit præter celebrationem Conciliorum patriarchalium, quæ singulis annis congregabantur à Patriarcha, cuique interesse debebant Metropolitani juxta canones Concilij CP. & Novellam constitutionem Iustiniani, qui Metropolitanos istiusmodi brevi descriptione explicat. Episcopi, inquit, qui à Patriarcha ordinantur, & ipsi jus habent alios ordinandi; id est, Metropolitani, ut explicat Photius in Nomocanone. Quapropter tollenda est negatio quæ adjecta est in contextu Novellæ, *hi qui non habent jus alios Episcopos ordinandi*; ac prorsùs legendum, *qui habent jus.* Illud autem incommodum ex eo sequebatur, quòd Concilia illa generalia patriarchatus impediebant ne particulares provinciarum synodi haberentur, ut in Concilio Octavo Oecumenico propositum est. At Synodus octava difficultatem sustulit, jubendo ut si utraque Concilia haberi non possint, Metropolitani teneantur præferre Concilium patriarchale, ad quod accedere teneantur cùm evocati fuerint à Patriarcha. in hoc enim Concilio judicandas esse omnes causas, non solùm unius provinciæ, sed etiam totius patriarchatus. Quo unico decreto tacitè concessa est libertas abstinendi à celebratione Conciliorum provincialium. Clausulæ quæ sequuntur in canone, additæ sunt in gratiam Patriarcharum. Quippe jubetur ut Metropolitani nullam rationem habeant mandatorum Principum, si fortè contingeret eos vetari ne ad Synodum Patriarchæ accederent. Et quia in Occidente omnes Metropolitani non consecrabantur à Patriarcha, statuitur ut omnes Metropolitani, qui aut impositionem manuum aut Pallium à Patriarcha acceperint, teneantur accedere ad ejus Concilium. Duo illa capita ostendunt canonem illum adversùs Episcopos Gallicanos decretum esse juxta suggestiones Legatorum pontificiorum. Ij autem eo consilio illum canonem condi procurarunt, ut à Concilio Oecumenico firmata esse videretur Nicolai primi nova molitio sexennio antè prolata. Tum ut Episcopos Gallicanos hac sententia percelli procurarent: qui, ne ad Concilia ordinaria patriarchatus Romani convenire cogerentur, & ut impositas Episcopis Italiæ conditiones detrectarent, eas excusationes adferebant, neque accipere se manuum impositionem ab Episcopo Romano, & præterea à Principibus impediri ne ad synodos illas accedant. Convellebat præterea idem canon aliam consuetudinem Galliæ, quoad Concilia generalia regni. qua de re dicetur

in alio loco hujus dissertationis. Verùm Concilium illud receptum non fuit in Gallia, ut Ademarus Cabanensis adnotavit, quòd quædam capita edidisset contra antiquos canones, tum pro imaginum adoratione, tum etiam in gratiam Summi Pontificis, ut ait hic auctor: *In qua synodo de imaginibus adorandis aliter quàm orthodoxi Doctores antè definierant statuerunt; quædam etiam pro favore Romani Pontificis, qui eorum votis de imaginibus adorandis annuit, quædam contra antiquos canones & contra decreta patrum; ut qui ipsam synodum legerit, inveniet.* Itaque ex congregatione Conciliorum patriarchalium consequebatur per consequentiam penè necessariam celebratio Conciliorum provincialium. Sed aliunde eisdem Conciliis ingens pernicies imminebat. Quippe appellari poterat ab eorum judiciis ad Concilium patriarchale; quod etiam persæpe invocabatur, *omisso medio.* Octava Synodus huic morbo medicinam adhibere tentavit canone XXVI. quo suprema in Presbyteros judicia permittuntur synodis Metropolitanorum. Verùm transmissa hujus canonis observatio effecit ut synodi provinciales prorsùs desierint in Oriente; ut ex Zonaræ, Balsamonis, & Blastaris testimonio constat.

Vide lib. 2. c. 17. §. 5.

Vide Annales S. Bertini ad an. 872.

III. Diutiùs in Ecclesia occidentali viguit consuetudo celebrandorum Conciliorum provincialium, quoniam eorum auctoritatem sartam tectámque esse voluit Occidens usque ad nonum seculum. Sed statim atque Summi Pontifices abolere tentarunt supremam eorum in judicando potestatem, comminati sunt Episcopi se ab eis celebrandis, quòd inutilia futura sint, abstenturos. Hic est enim sensus Hincmari, Caroli Calvi nomine scribentis ad Ioannem octavum, qui Presbyterorum ab Episcopis suis depositorum & rursum in synodis provincialibus damnatorum appellationes recipiebat: *Nihil prodest eos* (id est, Episcopos) *secundùm sacros canones & decreta sedis Romanæ Pontificum pro accusatis Presbyteris de manifestis criminibus comprovinciales Episcoporum synodos frequentare; sed faciet licenter quisque Presbyterorum quod libet. Vnde si fuerit redargutus, veniat Romam. Et quia pro singulis Presbyteris Episcopi transalpini regulariter judicatis missos dirigere & actionum documenta scribere non valent, nec testium necessarias personas tunc producere, fiducialiter poterit mentiens quisque innocentiam suam asserere, cùm non erit qui mendacia ejus possit refellere.* Cùm itaque Summi Pontifices pertinaciter contendissent appellari posse ad sedem apostolicam, non solùm à sententiis definitivis, sed etiam ab instructione, ac hujusmodi appellationes reciperent, Episcopi omnem horum Conciliorum curam abjecerunt, quæ nihil aliud ipsis adferebant quàm sumptus & dedecus. Eorum usum Innocentius III. decreto Concilij Lateranensis restituere tentavit. *Sicut olim*, inquit, *à sanctis patribus noscitur institutum, Metropolitani singulis annis cum suffraganeis suis provincialia non omittant Concilia celebrare; in quibus de corrigendis excessibus & moribus reformandis, præsertim in clero, diligentem habeant cum Dei timore tractatum; canonicas regulas, maximè quæ statutæ sunt in hoc generali Concilio, relegentes, ut eas faciant observari.*

Hincmar. ep. 9. c. 19. & 20. edit. Mogunt.

Decretum illud omni effectu caruit, quia remedium non adhibebat malo quod ortum erat ex cessatione celebrandorum Conciliorum provincialium. Durandus Episcopus Mimatensis, qui centum pòst annis scribebat, fidem facit hujus desuetudinis, dèque ea conqueritur: *Cùm in Concilio Nicæno caveatur quòd per singulas provincias bis in anno Episcoporum Concilium teneatur, ut quæ corrigenda & reformanda in qualibet provincia fuerint corrigantur & reformentur, & dictum salubre constitutum non servetur, videretur utile quòd per providentiam Concilij executioni debitæ mandaretur.*

Durandus de Concil. cap. 1. libro 1.

IV. Synodus Basileensis præcipit ut ea Concilia celebrentur; quorum præcipuum fructum esse putat inquisitionem vitæ, morum, & conversationis Episcoporum, lectionum Canonum, & ut eorum qui negliguntur observatio præscribatur in provincia. Par cura fuit Concilij Tridentini, quod ea Concilia jubet tertio quoque anno celebrari.

Concil. Trid. sess. 24. de Reform. c. 2.

V. Eorum Conciliorum sanctitati æmulatur edictum Blesense; quod præcipit ut Archiepiscopi synodos suarum provinciarum habeant tertio quoque anno, in quibus provideatur disciplinæ, morum correctioni, politiæ ecclesiasticæ, & institutioni Seminariorum & Scholarum, secundùm formam in sanctis decretis præscriptam. Magistratibus autem adimit potestatem impediendi celebrationem horum Conciliorum. Quòd si contingat à rebus pro disciplina & correctione morum illic decretis appellari tanquam ab abusu, decernit ut eorum executio retardari non possit prætextu illius appellationis. Verùm nihil horum observatum est hucusque; quæ tamen prorsùs obtinere deberent, resecatis & rescissis iis malis quæ harum synodorum celebrationem interrupere-runt. Sanè res eo temperamento constitui posse videtur quod nec pontificiam auctoritatem lædat nec regiam.

Ordonnance de Blois article 14.

CAPVT XVI.

Synopsis.

I. De Conciliis nationalibus. Inquiritur in eorum originem. De variis Diœcesibus Imperij occidentalis & orientalis.

II. Earum Diœceseon administratio explicatur. Origo synodorum nationalium tribuenda est legi Impp. Valentis, Gratiani, & Valentiniani. Aniani notatus. Varia significationes vocis Diœcesis. Παροικία *quid. Ejus variæ significationes.*

III. Lex illa mirè placuit personis ecclesiasticis; cujus institutio firmata est canone secundo Concilij Constantinopolitani.

IV. Canon ille antecedit institutionem patriarchatus Constantinopolitani. In eo autem agitur tantùm de Diœcesibus Imperij orientalis, nulla prorsùs mentione facta Diœceseon Occidentis.

V. Occidens jam inde à Constantino habuit sua Concilia nationalia. Probatur de Africa.

VI. Diœcesis Illyriciana constituebat suam synodum. Idem obtinuit in ceteris Diœcesibus Occidentis.

I. PRÆTER Concilia provincialia, quæ ex provinciæ unius Episcopis constabant, alia quoque diù in Gallia perviguere, quæ vulgò *Nationalia* vocantur, ex pluribus provinciis conflata. Quippe Ecclesia Gallicana eo jure semper usa est ut in unum corpus congregari posset, quoties agebatur de negotiis ecclesiasticis statum totius regni contingentibus. Neminem adhuc auctorem legi qui horum Conciliorum originem adnotaverit. Ea tamen in antiquis Conciliis & in legibus Imperatorum deprehendere licet, si quis hanc curam suscipere velit. Verùm ut id faciliùs fieri possit, observandum est in antecessum Imperatorem Constantinum Imperij sui administrationem partitum esse, sub quatuor Præfectis prætorio, in diversa provinciarum corpora, quæ in legibus vocantur *Diœceses*, id est, administrationes, quæ suberant speciali administrationi Vicarij cujusdam Præfectorum prætorio, vel Proconsulis, aut aliùs magistratus cujus splendida esset administratio. Imperium occidentale comprehendebat septem Diœceses sive regiones. Sub Præfecto nimirum prætorio Galliarum, Diœcesis Gallicana, quæ constabat ex XVII. provinciis Galliarum; Diœcesis Britanniarum, ex quinque provinciis; Diœcesis Hispaniarum, ex septem provinciis. Sub Præfecto prætorio Italiæ, Diœcesis Africana, ex provinciis sex; Diœcesis Italica, cujus caput erat Mediolanum, ex provinciis septem; Diœcesis Romana, ex decem provinciis. Sub Præfecto prætorio Illyrici, Diœcesis Illyriciana, in qua XVII. provinciæ. Imperium verò orientale comprehendebat Diœcesim Thracicam, ex provinciis sex conflatam, in qua Constantinopolis fuit, Diœcesim Ponticam, in qua provinciæ undecim, Diœcesim Asianam, in qua provinciæ totidem, & Diœcesim orientalem, ubi Antiochia, in qua provinciæ quindecim. Quatuor illæ Diœceses parebant Præfecto prætorio Orientis. Diœcesis verò Ægyptiaca, quæ sex provincias complectebatur, suberat Præfecto Augustali. Sed ætate Theodosij senioris huic Imperio adjecta est portio quædam Illyrici; quod ea ratione divisum est in duas Diœceses, in Illyricum videlicet orientale, cujus metropolis Thessalonica, cui contributæ undecim provinciæ, & occidentale, cujus caput fuit Sirmium, in eóque sex provinciæ, sub Præfecto prætorio Italiæ; ut patet ex Actis Concilij Aquileiensis.

II. Itaque in unaquaque Diœcesi aderat Vicarius Præfecti prætorio, aut Proconsul, sive alius quispiam magistratus illustris, qui universarum harum provinciarum curam gerebat, & jus apud eas dicebat, juxta mores illarum tempestatum, in publicis earum provinciarum conventibus, *agendo conventus juridicos*. Eandem in Ecclesiam consuetudinem invehi concesserunt Imperatores, id est, ut Episcopi conventus provinciarum & universæ Diœceseos agerent, in quibus causas suas finirent. Eam consuetudinem lege sua, quæ extat in Codice Theodosiano, firmarunt Impp. Valens, Gratianus, & Valentinianus. In ea lege Concilia unius regionis seu Diœceseos, quæ nunc *Nationalia* vocantur, conceptis verbis fieri jubentur; tametsi interpretatio Aniani, cui perspecta non erat vis vocabuli *Diœceseos*, procul à sententia legis recedat, cùm eam coërcere voluerit ad synodos ordinarias Episcoporum. *Quimos est causarum civilium, iidem in negotiis ecclesiasticis obtinendi sunt; ut si qua sunt ex quibusdam dissensionibus levibusque delictis ad religionis observantiam pertinentia, locis suis & à suæ Diœceseos synodis audiantur.* Quoniam verò diversitas significationum vocabuli *Diœceseos* lectorem remorari posset, monemus eam appellationem hodie tribui territorio uniuscujusque episcopatus, exemplo canonum Africanorum, qui eo sensu Diœceseos vocem usurpant, qui usus ab iis manavit ad synodos Galliarum & Hispaniarum, usque ad nostram ætatem. At in legibus Codice Theodosiano comprehensis, in Codice & Novellis Iustiniani, & in canonibus Græcis, Διοίκησις sive *Diœcesis* semper accipitur pro tractu quodam & diversarum provinciarum collectione; provincia verò, pro collectione plurimorum episcopatuum. In-

L. 25. C. Theodos. De Episcopis. Vide lib. 1. c. 1. §. 14

tegrum autem episcopatus territorium Græci vocant παροικίαν sive *paræciam*. quam vocem Dionysius Exiguus conservavit in sua Canonum versione. Vnde factum ut ea vox, sive *parochia* vitio librariorum, persæpe in canonibus Latinis significet territorium episcopatus; deinde verò prorsùs versa est ad significandum id quod nos hodie parochiam vocamus.

Vide Baluzij Notas ad can. 3. Concilij Vernensis anni 844.

III. Lex illa Codicis Theodosiani mirè accepta fuit personis ecclesiasticis; qui existimarunt necessarium in primis esse ut novus canon conderetur, quo institutio hæc singillatim explicaretur. Quamobrem Ecclesiæ corpus in Diœceses distributum est canone secundo Concilij Constantinopolitani, quod anno CCCLXXXI. celebratum est. Hic enim canon supremam integræ uniuscujusque Diœceseos synodo auctoritatem tribuit regendi & administrandi omnia negotia ecclesiastica provinciarum quæ continebantur in ea Diœcesi, sub gubernatione tamen Primatis sive Exarchi Diœceseos; quemadmodum accuratè explicui in dissertatione de judiciis canonicis Episcoporum, & aliquatenus attigi in capite primo hujus libri.

IV. Sed duo in primis heic observanda sunt quæ nuspiam hactenus explicavi. Primùm enim observandum est canonem illum antecedere institutionem patriarchalis Diœceseos Constantinopolitanæ, quæ septuaginta tantùm pòst annis facta est in Concilio Chalcedonensi. Itaque toto illo septuaginta annorum intervallo tres Diœcesanæ synodi in Oriente erant Oecumenici Concilij decreto approbatæ, Thracica scilicet, Pontica, & Asiana, quæ nulli Patriarchæ parebant; adeóque non erant synodi patriarchales, sed Diœcesanæ tantùm, aut regionales. Nam quoad duas alias Diœceses Imperij orientalis, Ægyptum videlicet, & Orientem propriè dictum, suis illæ Patriarchis suberant, Oriens nimirum Antiocheno, & Ægyptus Alexandrino. Ex observatione ista, cujus integras probationes afferam in dissertatione de patriarchatu Constantinopolitano, pendet alterum caput nostrarum observationum, nempe, canone secundi Concilij de Diœcesibus tantùm Imperij orientalis agi, nulla prorsùs mentione facta Diœceseon Occidentis: quia cùm synodus illa ex solius Orientis Episcopis constaret, noluit condere canones pro gubernatione Ecclesiarum occidentalium. Hinc factum ut Concilia illa Diœcesana non adeo illustria sint in Occidente, eáque deprehendere res sit non minimi laboris. Atque id eò magis observare convenit, quòd eorum institutio non adeo valuit ac in Oriente, ubi unaquæque Diœceseos suum Primatem habebat, sive Exarchum reliquorum Metropolitanorum, qui post editum illum canonem eos propria auctoritate evocare poterat absque speciali permissione Imperatoris, eodem jure quo Patriarchæ convocare poterant Synodos patriarchales.

V. Et in Occidente quidem, jam à Constantino, deprehenduntur Synodi Diœceseon, sive Concilia regionalia. Sed antiqua eorum forma non adeo nota est ac orientalium; si Synodos Africanas excipias. Episcopus enim Carthaginis jure suo convocare poterat cœtum Concilij generalis totius Africæ, quò particulares provinciarum synodi à Primatibus suis congregatæ legatos mittebant. quod ea de causa *Concilium universale* dicebatur, ut patet ex capite XIX. & XX. canonum Africanorum. Interdum verò Episcopi, præter legatos provinciarum, majorem Episcoporum partem ad synodum evocabant, prout causæ gravitas postulabat; ut videre est in epistola Concilij Carthaginensis ad Bonifacium Papam, quæ nomine Episcoporum Africanorum inscripta est: *qui præsentes adfuimus numero* CCXVII. *ex omni Concilio Africæ.*

VI. Ceteræ Occidentis Diœceses eodem modo congregabantur. Sanè ex epistola Damasi ad Synodum Illyricianam, & ex ea quam Synodus Illyriciana scripsit ad Synodum Asianam, quæ extat apud Theodoretum, colligitur Episcopos hujus Diœceseos Illyricianæ constituisse suam synodum. Præterea in Concilio Ephesino Africa & Illyricum distinguuntur à Synodo occidentali urbis Romæ. Hispanicas autem provincias ad Concilia nationalia convenire solitas probant Acta Concilij primi Toletani, quod anno quadringentesimo celebratum est. Diœcesis Italica, quæ septem provincias complectebatur, auctoritati suberat Episcopi Mediolanensis. Diœcesis verò Vrbicaria, quæ ex decem provinciis constabat, ad ordinariam synodum patriarchalem Summi Pontificis pertinebat; ad quam etiam, seculo quinto, pertinebat universa Italia.

CAPVT XVII.

Synopsis.

I. Agendum nunc de synodis Gallicanis.

II. Stante Imperio, Episcopi Galliarum unum synodi corpus constituebant. Probatur ex Concilio Agrippinensi, Arelatensi, & aliis.

III. Synodus Galliarum, corpus erat separatum à Romana synodo. Vtriusque dignitas par visa est Episcopis Illyrici.

IV. Probabile est Metropolitani Treverensis auctoritate convocari tum consuevisse Concilia nationalia Galliæ. In conventibus extraordinariis necessaria erat auctoritas Imperatoris.

V. Conventus Episcoporum Galliæ fiebant auctoritate Imperatorum. Probatur ex epistola Maximi Imperatoris ad Siricium Papam & ex Sulpitio Severo.

VI. Episcopus Arelatensis contendebat olim ad se pertinere potestatem congregandæ synodi generalis Galliarum. Origo hujus ambitionis investigatur. Septem provinciæ, quænam.

VII. Quid Patroclo Arelatensi concesserit Papa Zozimus. Ejus auctoritatem intendit Imp. Valentinianus.

VIII. Hinc factum ut Episcopi Arelatenses ad exarchatum Galliarum aspiraverint. Eis concessa auctoritas congregandorum Conciliorum ex pluribus provinciis.

IX. Quod Leo primus fieri in posterum vetuit; imminuta admodum dignitate sedis Arelatensis. Constituitur epocha Synodi secundæ Arelatensis. Post Hilarij Arelatensis obitum Leo aliquatenus restituit dignitatem illius sedis.

X. Primus omnium Hilarus Papa Arelatensibus Episcopis tribuit potestatem convocandi Concilium Galliarum.

XI. Irruptiones barbarorum in Gallias communicationi Episcoporum obstitere. Explicatus Hilarus Papa.

XII. Diversa regna constituta in Galliis. Quare non poterat congregari corpus Episcoporum Gallicanorum, ob diversitatem regnorum. Probatur ex Avito.

I. AGENDVM nunc de Synodis Gallicanis, quòd eæ sint præcipuus hujus dissertationis scopus. Verùm ut id ex ordine fiat, considerandi sunt conventus generales Episcoporum Galliæ, sive in Imperio, sive postquam Franci Gallias occupaverunt, regnúmque esse fecerunt. Quoniam verò facies ecclesiasticæ politiæ multis mutationibus obnoxia fuit sub Regibus nostris, agam primùm seorsim de Conciliis generalibus Galliæ sub prima dynastia, dein sub secunda & tertia, usque ad hanc nostram ætatem; & in primis duo quædam accuratè examinabo, cum eorum circumstantiis, quanam videlicet auctoritate Concilia illa congregarentur, quámve illa potestatem haberent quoad materias ecclesiasticas.

II. Stante Imperio, Episcopi Galliarum unum synodi corpus constituebant, æquè ac Episcopi aliarum Diœceseon de quibus paulò ante sermonem instituì. Sanè Concilium Agrippinense habitum anno CCCXLVI. adversùs Euphratam illius urbis Episcopum, qui illic ob Arrianam hæresim damnatus est, constabat ex provinciis Treverensi, Agrippinensi, Moguntina, Remensi, Senonensi, Rothomagensi, & Vesontionensi, ut colligitur ex subscriptionibus Episcoporum. Anno CCCLIII. Episcopi Galliarum congregati sunt in civitate Arelatensi; ubi Paulinus Episcopus Treverensis depositus est, quòd damnationi Athanasij consentire noluisset. Biennio pòst iidem Episcopi convenerunt apud Biterras; ubi sanctus Hilarius Episcopus Pictaviensis in exilium missus est, factione Saturnini Episcopi Arelatensis. Sulpitius Severus, cui memoriam horum duorum Conciliorum debemus, scribit ea fuisse conflata ex Episcopis Galliarum: *Ceterùm à nostris, tum apud Arelatem, ac Biterras, oppida Galliarum, Concilia fuere.* Anno etiam CCCLXII. corpus Episcoporum Gallicanorum congregatum est in civitate Parisiensi; ubi formula fidei in Ariminensi Concilio proposita, quæ usiæ sive consubstantialitatis vocabulum supprimebat, revocata est, & Saturninus Arelatensis depositus. Certè synodicam suam epistolam ad Episcopos orientales miserunt sub titulo Episcoporum Gallicanorum; ad cujus calcem iis verbis utuntur quibus testatum voluerunt auctoritatem suam extendi ad universam Galliam: *Quisque his quæ statuimus intra Gallias putaverit renitendum, à communione ac sede sacerdotij sit abjiciendus.* Infrà: *Saturninum excommunicatum ab omnibus Gallicanis Episcopis caritas vestra cognoscat.*

Vide Notas Balu. zij ad Lupum Ferrar. pag. 486.

Sulpit. Sev. lib. 2.

Hilar. lib. adversùs Constantium.

III. Magni momenti est istud exemplum. Illustrius tamen est illud quod sequitur. Constat ex professione fidei Synodi Illyricianæ, quæ extat apud Theodoretum unà cum epistola Valentis Imperatoris ad Synodum Diœceseos Asianæ, habitam fuisse Synodum Romæ anno trecentesimo sexagesimo quarto, itémque aliam eodem tempore in Gallia, quarum fidem amplectuntur Episcopi Illyriciani. Duo quædam hinc colliguntur quæ scire oporteat. Primùm, Synodum Galliarum separatum corpus fuisse à Romana synodo. Deinde, utriusque synodi rationem habitam ab Episcopis Illyricianis, quasi æqualitas quædam esset inter eas: *Nos autem non aliter sentimus atque duo Concilia, quorum alterum jam Romæ, alterum habetur in Gallia.*

Theodor. lib. 4. c. 8.

IV. Difficile est pronuntiare quanam auctoritate corpus illud Episcoporum Gallicanorum coïret per illas tempestates. Attamen quoniam civitas Treverensis erat sedes præfecturæ Galliarum, ut ex Ausonij Mosella constat, ob quod vocata est *metropolis Galliarum*, ut testatur Athanasius, suspicari fortasse liceret penes Episcopum illius urbis fuisse auctoritatem primi Metropolitani, quo nomine ad eum pertineret potestas congregandorum omnium Episcoporum. Affirmare certè licet Imperatores aut Vicarios Præfecti prætorio Galliarum,

qui semel in anno civiles Galliarum conventus agebant propter negotia publica juxta formam in legibus præscriptam, conventus quoque Episcoporum permisisse; quos ipsi literis suis haberi jubebant, quoties rogabantur à Metropolitanis. Quod in Oriente & Occidente obtinebat antè quàm Concilium CP. habitum anno CCCLXXXI. Synodos Diœceseon vertisset in jurisdictionem ordinariam. quam institutionem ab Imperatore Theodosio confirmari procuravit. Quippe certum est omnia Concilia, exceptis ordinariis, jussu Imperatorum convocata fuisse, id est, Concilia Oecumenica, Concilia uniuscujusque Diœceseos, & Concilia extraordinaria ex variis Diœcesibus composita, tametsi Oecumenica non essent. Sanè Constantinus Imperator Synodum Arelatensem coëgit anno CCCXIV. in causa Donatistarum, qui appellaverant à judicio quod Melchiades Papa cum Episcopis collegis suis tulerat secundùm Cæcilianum Episcopum Carthaginensem. Necessaria illic erat auctoritas Principis; quoniam synodus illa constabat ex legatis Diœceseon Galliarum, Britanniarum, Hispaniarum, Africæ, & Italiæ; ut patet ex subscriptionibus. Concilium celebratum anno CCCLXXXI. in civitate Aquileiensi, quæ à Diœcesi Italica pendebat, cujus caput erant urbs & Episcopus Mediolanensis, decreto Imperatoris Gratiani convenit, juxta preces sancti Ambrosij, ad damnandos duos Episcopos Arrianos. Ad illud convenerunt aliquot Episcopi Italiæ, Pannoniæ, quæ Illyrici provincia erat, & legati Diœceseon Galliarum & Africæ. Itaque quoniam conventus erat extraordinarius, necessaria fuit auctoritas Imperatoris. Quamobrem rectè Ambrosius in Actis hujus Concilij ait: *Nos in Occidentis partibus constituti, convenimus ad Aquileiensium civitatem, juxta Imperatoris præceptum.* Quin etiam synodica epistola ad Principes missa idipsum testatur: *Gratias agimus vobis, clementissimi Principes, quòd & fidei vestræ studium probaviſtis, qui ad removendas altercationes congregare studuistis sacerdotale Concilium.* Infrà: *Omnes propè ex omnibus provinciis occidentalibus missis adfuere legatis.*

V. Sed quod propiùs spectat ad res nostras, conventus Episcoporum Galliæ agi solitos auctoritate imperatoria probat epistola Maximi Imperatoris, qua Siricio Papæ respondet. Conquestus erat ille apud Principem de Agretio quodam, qui indebitè consecutus erat gradum presbyterij. Rescripsit Princeps, se, ut difficultatem illam solvat, congregaturum synodum ex omnibus Galliis, vel ex quinque provinciis tantùm, quæ tum temporis speciale reipublicæ corpus constituebant in Galliis: *Ceterùm de Agretio, quem indebitè ad presbyterij gradum conscendisse commemoras, quid religioni nostræ possum præstare reverentius quàm ut de hoc ipso, cujuscemodi esse videatur, catholici judicent Sacerdotes? Quorum conventum ex opportunitate omnium vel qui intra Gallias, vel qui intra Quinque provincias commorantur, in qua elegerint urbe constituam.* Idem Imperator Maximus congregavit Concilium Burdigalense anno CCCLXXXV. adversùs hæresim Prisc. cilliani; ad quod convenerunt Episcopi Galliarum & Hispaniarum, ut Sulpitius Severus testatur.

VI. Episcopus Arelatensis olim contendebat ad se pertinere potestatem congregandæ synodi generalis Galliarum. Sed ambitio ejus repressa est à Leone Summo Pontifice, qui conatum ejus improbavit tanquam ratione destitutum. Et quoniam jus illud sibi rursum vindicare studuerunt Episcopi Arelatenses in prima Regum nostrorum dynastia, cui etiam constituendo auctoritatem suam adhibuerunt Summi Pontifices, operæ pretium est altiùs scrutari quo fundamento jus illud inniteretur; præsertim cùm materia hæc nondum satis explicata sit. Excisa à Vandalis urbe Treverorum, Honorius Imperator sedem præfecturæ Galliarum transtulit Arelatem, & *Matrem omnium Galliarum* vocavit, id est, Galliarum metropolim. quo titulo antea honestabatur civitas Treverensis. Alia deinde constitutione (quæ edita est à Nicolao Cusano, Scaligero, & Sirmondo) decernit ut conventus ordinarius Septem provinciarum in ea urbe habeatur ad ordinandam politiam. Corpus illud Septem provinciarum constabat, ut fidem faciunt veteres Notitiæ, ex provincia Viennensi, Narbonensi prima & secunda, provincia Alpium, Novempopulania, & utraque Aquitania, additis videlicet ad Quinque provincias aliis duabus. Quoniam verò dignitas quæ civitatibus competebat in ordine civili, facilè communicabatur episcopatibus earum urbium, incessit Episcopum Arelatensem ambitio sibi vindicandi titulum primi Metropolitani Galliarum.

VII. Sanè Patroclus Arelatensis Episcopus eam dignitatem impetrare tentavit à Zozimo Pontifice Romano; qui exiguam ejus portionem ei concessit, edicto ne ulla persona ecclesiastica, cujuscunque gradus ea foret, Romam aliòve accederet absque epistola formata Metropolitani Arelatensis, qua testatum universis fieret quem gradum illa persona obtineret in Ecclesia. Eo pacto

Zozimus cum eo communicavit unam ex
Can. 13. Concil. Afric. prærogativis quas Africani canones Metropolitano deberi teſtantur ſupra Epiſcopos & clerum provinciæ. Sed privilegium illud coërcitum fuit ad unicum hoc caput jurium metropoliticorum, nulla congregandorum Conciliorum Galliæ poteſtate conceſſa; ac præterea Patroclo tantùm conceditur, ea ratione, ut ad ſucceſſores non tranſmittatur; *meritorum ejus ſpeciali contemplatione*, inquit Zozimus. Meritò igitur reprehendendi ſunt Epiſcopi provinciæ Arelatenſis, dum in libello quem Leoni primo obtulerunt, aiunt eam auctoritatem ſedi Arelatenſi competere, quam verbis admodum magnificis explicant contra tenorem reſcripti: *Vt omnes Gallias, ſibi apoſtolicæ ſedis vice mandata, ſub omni eccleſiaſtica regula contineret.* Imp. Valentinianus III. auctoritatem Patrocli
L. 47. Cod. Theod. de Epiſc. Epiſcopi Arelatenſis intendit, lege data, qua ejus juriſdictioni ſubdidit Epiſcopos Galliarum qui Pelagij erroribus adhærerent.

VIII. Privilegia iſthæc perſonalia Arelatenſibus Epiſcopis conceſſa, quæ aliunde
Zoſim. ep. 3. an. 417. confirmata fuerant à Zozimo quoad ordinationes Epiſcoporum provinciæ Viennenſis & utriuſque Narbonenſis, tametſi dein Bonifacius Papa ea extendi prohibuit ad primam Narbonenſem, viam aperuerunt ambitioni eorum, adeo ut ad exarchatum Galliarum aſpirare auſi ſint. Hanc ob rem Hilarius Arelatenſis Epiſcopus in ſecunda ſynodo Arelatenſi decerni procuravit penes
Vide ſuprà lib. 5. cap. 32. §. 3. Epiſcopum illius urbis futuram poteſtatem congregandi ſynodum Galliarum, quoties ita illi viſum foret expedire. Hic eſt enim ſenſus canonis XVIII. ut ejus verba ſatis indicant: *Ad Arelatenſis Epiſcopi arbitrium ſynodus congreganda: ad quam urbem ex omnibus mundi partibus, præcipuè Gallicanis, ſub ſancti Marini tempore legimus celebratum fuiſſe Concilium atque conventum.* Sed in eo capite callidè agit hic canon, cùm conſtet primum illud Concilium Arelatenſe anno CCCXIV. convocatum fuiſſe ab Imperatore Conſtantino. Excipi poſſet, ſynodum illam Arelatenſem fuiſſe tantùm ex provincia Viennenſi, ideóque canonem illum intelligi tantùm debere de conventu ſynodi provincialis, quæ arbitrio Arelatenſis Epiſcopi permittitur. Verùm apertè conſtat eam Synodum conſtitiſſe ex pluribus provinciis, & ex diverſis Metropolitanis, de quibus componendis agitur in XLII. & LVI. canonibus. Vnde ſequitur, canonem XVIII. voluiſſe tribuere auctoritatem convocandi ſynodum plurium provinciarium.

IX. At Leo primus ferre non potuit præſumptionem Hilarij, vetuítque ne deinceps ſynodos ex variis provinciis cogeret. *Suis* (inquit Leo in epiſtola LXXXIX. ad Epiſcopos provinciæ Viennenſis) *unaquæque provincia ſit contenta Conciliis, nec ultrà Hilarius audeat conventus indicere ſynodales.* Sed heic obiter adnotandum eſt, poſſe ex iis quæ dicta ſunt conſtitui epocham Concilij Arelatenſis ſecundi, quæ viro clariſſimo Sirmondo ignota fuit; eíque occaſionem dedit ſcribendi *exploratum hactenus de tempore hujus Concilij nihil eſſe.* Conlocandum eſt immediatè poſt Concilium Vaſenſe, quod anno CDXLII. celebratum eſt, & ante annum CDXLV. quo ſcripta eſt epiſtola Leonis adversùs Hilarium. Porró Hilario adempta inſuper eſt à Leone dignitas metropolitana, ac Viennenſi Epiſcopo adjudicata. Attamen idem Pontifex eandem provinciam, poſt Hilarij Leo ep. 109. obitum, diviſit in duas, relictâ Epiſcopo Viennenſi curâ quinque civitatum, reliquis autem tributis Ravennio recens ad epiſcopatum Arelatenſem electo. Ac præterea, reſtituendæ huic urbi veteris dignitatis cupidus, Ravennio jus quoddam eximium tribuit quod primo Metropolitano competit, Idem. ep. 110. denuntiandi nimirum reliquis Epiſcopis res in Concilio definitas. Eam namque illi curam commiſit, miſſa ad eum celebri illa epiſtola qua controverſias de myſterio dominicæ incarnationis decidit, edicto ut eam communicaret cum Epiſcopis Galliarum, qui dein Leoni gratias egerunt.

X. Primus omnium Hilarus Papa Are-
Vide ſuprà lib. 5. cap. 34. §. 7. latenſibus Epiſcopis jus & auctoritatem tribuit convocandi Concilium Galliarum. Anno namque quadringenteſimo ſexageſimo ſecundo juſſit ut Leontius Arelatenſis Epiſcopus ſynodum ex provinciis quæ congregari poſſent convocaret. *Per annos itaque* Hilarus Papa ep. 8. *ſingulos*, inquit, *ex provinciis quibus poterit congregari, habeatur epiſcopale Concilium; ita ut opportunis locis atque temporibus, ſecundùm diſpoſitionem fratris & coëpiſcopi noſtri Leontij, cui ſollicitudinem in congregandis fratribus delegavimus, Metropolitanis per literas ejus admonitis celebretur.*

XI. Ceterùm hactenus placuerit examinare quanam auctoritate ſub Imperatoribus Romanis convocata fuerint generalia Galliarum Concilia. Quippe irruptiones Francorum, Gotthorum, & Burgundionum, qui majorem Galliarum partem ab Imperio reſecuerant, multum difficultatis attulere communicationi antiſtitum: quæ aliunde valde erat interrupta, ob hoc quòd auctoritas pontificia ad congregandas ſynodos eſſet penes Epiſcopum Arelatenſem Romano imperio ſubjectum. Rectè igitur Papa Hila-

rus ad Leontium scribit ut synodum habeat cum Episcopis provinciarum quæ congregari poterunt. Ceterùm ut membrum hoc concludam, aio synodos generales Galliarum congregari solitas ab Imperatoribus, vel eorum auctoritate, Episcopum verò Arelatensem sibi vindicare voluisse jus illas convocandi, sed à Leone Papa repressum fuisse, Hilarum deinde Episcopo Arelatensi delegasse sollicitudinem congregandi quos posset Episcopos, id est, qui à Regibus sinerentur accedere ad synodos.

XII. Nam eo tempore Reges Gotthi, partim jure belli, partim ex pactis, occupaverant aliquot provincias; quarum fines ita propagaverunt ut per illas tempestates possederint utramque Aquitaniam, & Novempopulaniam, utramque Narbonensem, & provinciam Alpium. Burgundionibus parebant Lugdunenses, Viennenses, & Vesontionenses. Franci verò reliquum Galliarum occupabant. Constat ergo non potuisse illa tempestate congregari corpus Episcoporum Gallicanorum, ob diversitatem regnorum. Cujus rei illustre testimonium extat in epistola Aviti Episcopi Viennensis ad Senatores Vrbis Romæ scripta anno quingentesimo tertio. Primùm enim illis significat dolorem quem conceperat ex judicio Romæ lato adversùs Papam Symmachum; tum se apud eos excusat quòd ipse solus inter Episcopos Galliarum hanc epistolam scribat, quòd regnorum divisio impediat eorum conventum. Affirmat tamen literas ad se ab omnibus collegis suis missas, quibus eum orant ut scribendæ istius epistolæ curam in se suscipiat: *Vellemus ut quæ in causa communi supplicari oportet, amplitudo vestra congregatorum Galliæ Sacerdotum relatione cognosceret. Sed quoniam hujus quoque voti non potes reddit provincia præfixis regnorum determinata limitibus, quamprimum supplici prece posco ne celeberrimo ordini vestro pagina hæc aliquod moveat, quasi ab uno dictata, fastidium; quoniam à cunctis Gallicanis fratribus meis ad hoc ipsum non minùs per mandata quàm per literas oneratus, quæcumque à vobis omnes ambimus, unus suggerenda suscepi.*

Avitus epist. 31.

CAPVT XVIII.

Synopsis.

I. Synodus Agathensis constitit ex solis Episcopis regni Gotthorum. Conjectura de Petro Episcopo de Palatio, qui ei synodo subscripsit. Concilium Epaonense ex Episcopis regni Burgundionum.

II. Post excisum regnum Gotthorum, prima Francorum synodus fuit Aurelianensis. Ad ejus formam celebrata sunt cetera Galliæ Concilia. Quinam Episcopi ad eam convenerint.

III. Conventus ille extraordinarius erat; ideóque convocandus à Rege. Itaque à Clodoveo convocatus est.

IV. Post obitum Clodovei, regnum ejus divisum in tetrarchias. Vtriusque Regum portio, regnum *dicebatur, velut* regnum Childeberti. Marcham Childeberti *vocat Marij Chronicon. Arvernense Concilium,* Sortem.

V. Varia tum temporis fuere Galliarum Concilia. Quippe interdum constabant ex Episcopis universæ Galliæ, interdum verò ex Episcopis unius regni. Canon I. *Concilij* III. *Aurelianensis explicatus.*

VI. Concilium Aurelianense secundum congregatum fuit jussu Regum. Explicatur immutatio quæ in sequentibus Conciliis accidit circa jura regia. Prima omnium Synodus Arvernensis imminuere cœpit regiam auctoritatem. Apertior fuit audacia sequentium Conciliorum.

VII. Temperamento usa Synodus secunda Parisiensis, itémque secunda Turonensis.

VIII. Sequentia Concilia iis verbis usa sunt quæ Regum auctoritati respondent. Evocationis *vox explicata.*

IX. Concilium Matisconense secundum congregatum est jussu Guntramni Regis. Ei interfuerunt omnes Episcopi regni Burgundici. In eo statutum est ut tertio quoque anno Concilium celebretur una cum dispositione Principis. Vox dispositio *explicatur. Conantur patres novam Patriarchæ dignitatem tribuere Episcopo Lugdunensi. Synodus Parisiensis quinta convocata est à Rege Clotario. Et Cabilonensis à Clodoveo secundo.*

X. Episcopi tenentur accedere ad synodum quam Rex indixerit. Probatur ex insigni loco Gregorij Turonensis. In literis tamen convocationis exprimenda erant causæ ob quas conventus præcipiebatur.

I. ATTAMEN licèt corpus Galliarum in synodo congregari non posset, provinciæ quæ uni Regi parebant synodum componebant absque ulla permissione Episcoporum alienarum provinciarum; ut constat ex Synodo Agathensi, quæ anno quingentesimo sexto habita est permissu Alarici Regis Vuisigotthorum, tametsi Arrianus esset: *Cùm in nomine Domini, ex permissu Domini nostri gloriosissimi, magnificentissimi, piissimíque Regis, in civitate Agathensi sancta synodus convenisset.* In subscriptionibus autem leguntur nomina Metropolitani Arelatensis, Narbonensis, Burdegalensis, Elusani, Bituricensis, & Vicarij Metropolitani Turonensis, itémque plurimorum Episcoporum earundem provinciarum quæ regnum Tolosanum constituebant. Nullus porrò Episcopus regni Francorum aut Burgundionum ei synodo interfuit; neque etiam ex Hispania, tametsi magna illius pars Regis Alarici imperio pareret. Suspicandi tamen locus heic esset Petrum Episcopum de Palatio, qui synodo huic subscripsit, cujus civitatis vocabulum ad nullam urbem referri

Præfatio Concil. Agath.

Vide Append. cap. 31. n. 1.

referri potest earum quæ pendebant à metropolibus suprà memoratis) fuisse ex Hispanis, è *Palentio* nimirum, sive Palentia, quæ civitas erat episcopalis in provincia Carthaginensi; qui cùm fortè Tolosæ degeret in comitatu Alarici, Synodo Agathensi potuit interesse.

Synodus Epaonensis, itémque Lugdunensis, habitæ fuerunt anno DXVII. ab Episcopis regni Burgundionum; quibus nulli regni Francorum Episcopi adfuere.

II. Quod attinet ad Episcopos qui Francorum dominationi parebant, prima eorum synodus fuit Aurelianensis prima; quæ ex præcepto Clodovei Regis habita est, post excisum regnum Vvisigotthorum adjectásque imperio Francico quatuor metropoles ex iis quas Alaricus obtinebat, Turonensem videlicet, Bituricensem, Burdegalensem, & Elusanam sive Novempopulanam. At Narbonensis, excepta civitate Tolosana, remansit sub ditione Regum Gotthorum in Hispania; Arelatensis verò, Theodorico Regi Italiæ cessit. Considerandа autem est in primis diligenter auctoritas hujus Concilij, quod paulò pòst habitum est quàm Clodoveus Christianam religionem suscepisset; quoniam ad illius formam cetera Galliæ Concilia celebrata sunt, tam in prima Regum nostrorum dynastia, quàm in secunda.

Igitur Concilium habitum fuit anno DXI. in civitate Aurelianensi ab Episcopis provinciarum Galliæ quæ Regi Clodoveo parebant. Nam præter Metropolitanum Turonensem, Bituricensem, Burdegalensem, & Elusanum, ac quamplurimos Episcopos earum provinciarum quæ recens imperio Clodovei adjectæ erant, convenere etiam Metropolitanus Rothomagensis & quamplurimi Episcopi provinciarum Senonensis & Remensis. Treverensis tamen, Moguntinus, & Colonienſis non adfuere; nisi fortassis hac in parte laborent subscriptiones Episcoporum.

III. Quoniam verò conventus ille coactus erat ex septem provinciis, ideóque extraordinarius erat, necessarium fuit ut à Rege convocaretur. Atque id eò magis obtinere debuit quòd nullus Exarchus aut primus Metropolitanus esset in regno; cùm Arelatensis, cui ea sollicitudo olim delegata fuerat ab Hilaro Papa, Regum Italiæ dominationi subjectus esset; qui angulum illum Galliæ in regno Italiæ annumerabant, velut provinciam particularem, ita ut *Gallia provincia* diceretur; quemadmodum apud Gotthos Hispanos provincia Narbonensis vocabatur *provincia Gallia*. Sanè præfatio Concilij Aurelianensis docet illud à Clodoveo Rege convocatum esse. quod in primis quærebamus.

IV. Post obitum Clodovei, regnum ejus divisum est in tetrarchias, ita tamen ut unusquisque liberorum ejus retinuerit nomen Regis Francorum. Portiones autem eorum distinguebantur ex nomine Regis, exempli causa regnum *Childeberti*, vel *Clotarij*; ut patet ex epistolis à Vigilio Papa scriptis *ad Episcopos sub regno Childeberti Regis per Gallias constitutos*. Vetus Chronicon Marij, uniuscujusque portionis tractum *Marcham* nuncupat, ut *Marcham Childeberti*. Id verò *sortem* nominat Concilium Arvernense habitum anno DXXXVIII. in epistola ad Regem Theodebertum scripta; qua eum Episcopi rogant ne Clerici aut laïci qui sub unius Regum imperio habitant, facultates amittant quæ ipsis competunt in sorte alterius Regis: *Ne dum unius Regis quisque potestati ac dominio subjacet, in alterius sorte positam amitteret facultatem.*

V. Quoniam verò quilibet Regum jura regni sui conservare studebat, hinc factum est ut Concilia quæ tunc temporis habita sunt, diversè composita sint. Quippe interdum ad ea conveniebant Episcopi ex provinciis omnium regnorum. Verùm id ex Regum consensu fiebat; quemadmodum Synodus Sardicensis, quæ ex Episcopis Orientis & Occidentis constabat, convocata fuit literis Imperatorum Constantij & Constantis, qui fratres erant. Aliquando verò Concilia ex iis tantùm Episcopis constabant qui in ejus Regis imperio habitabant à quo evocabantur. cujusmodi sunt omnia ferè Concilia Gallicana. Ad hoc autem ut ea rata essent, necessarium non erat ut eis Episcopi ex omnibus Galliæ provinciis interessent. Nam canon primus Concilij tertij Aurelianensis, quo rejiciuntur excusationes Episcoporum qui eo prætextu absunt à synodo quòd in alterius Principis sorte seu divisione consistant, intelligendus est de synodo uniuscujusque Metropolitani, id est, provinciali, non autem de Synodo nationali, ut constat ex verbis canonis.

Concil. Aurel. tertij can. 1. *Quæ tamen & hanc excusationem sibi noverint esse subtrahendam, si absentiam suam divisione sortis crediderint excusandam.*

VI. Concilium Aurelianense secundum congregatum fuit jussu Childeberti ejúsque fratrum anno DXXXIII. quemadmodum synodus ipsa fatetur in præfatione: *Cùm ex præceptione glorioſissimorum Regum in Aurelianensem urbem, de observatione legis catholicæ tractaturi, Deo auxiliante convenissemus.* Vnde patet patres illius synodi agnoscere inesse Regi auctoritatem pro convocatione synodi. At sequentia Concilia eam

infringere tentarunt, ut suam conservarent integriorem, tribuentia videlicet Regi simplicem consensum, Episcopis verò jus conveniendi. Verùm ea præsumptio repressa est quoties potestate sua uti Reges voluerunt, quam legitimam esse agnovit Gregorius magnus.

Anno DXXXV. habita fuit Synodus Arvernensis eorum Episcoporum qui in regno Theodeberti erant, in regno scilicet Austrasiorum, veluti Treverensis, Agrippinensis, Metensis, Virdunensis, & aliquot Episcoporum regni Burgundionum, quod abolitum anno DXXXIII. inter Reges Francorum fuerat divisum. Synodus illa Arvernensis, prima omnium imminuere cœpit regiam auctoritatem. Tantum enim abest ut se coactam fateatur jussu Principis, quemadmodum à duabus synodis superioribus pronuntiatum fuerat, ut etiam dicant Episcopi se congregatos fuisse à Spiritu sancto, cum consensu Regis Theodeberti; multùm videlicet recedentes à consuetudine Conciliorum generalium, quorum patres profitebantur se literis Imperatorum congregatos fuisse in nomine Spiritus sancti, non autem à Spiritu sancto. *Cùm in nomine Domini*, inquit Concilium Arvernense in præfatione, *congregante sancto Spiritu, consentiente Domno nostro gloriosissimo piissimóque Rege Theodeberto, in Arverna urbe sancta synodus convenisset.* At Episcopi Concilij tertij Aurelianensis robustiùs deprimunt auctoritatem regiam. Nullam enim mentionem faciunt consensus regij pro congregandis Sacerdotibus; sicut nec Aurelianense quartum habitum anno quingentesimo quadragesimo primo, nec Parisiense tertium anno quingentesimo quinquagesimo septimo, neque demum Lugdunense secundum anno quingentesimo sexagesimo septimo; tametsi Gregorius Turonensis in libro v. hist. cap. XX. scribat illud fuisse coactum jussu Regis Guntchramni: *Congregari synodum ad urbem Lugdunensem jussit.*

VII. Concilium Parisiense secundum, itémque Turonense secundum, iis verbis utuntur quæ jura quidem Regum non omnino dissimulant, sed ita enervant atque imminuunt ut ni aliunde ratio suppeteret ea restituendi, dimidium regiæ auctoritatis periclitari videatur. Nam licèt Concilium Aurelianense quintum habitum anno DXLIX. intra temperamenti cujusdam cancellos se contineat, dum ait, *Clementissimus Princeps, triumphorum titulis invictissimus, Domnus Childebertus Rex, pro amore sacræ fidei & statu religionis, in Aurelianensi urbe congregavit in unum Domini Sacerdotes*, synodus tamen Parisiensis secunda habita anno DLV. quæ fuerint in ea convocanda partes Principis, frigidè admodum explicat, his verbis: *Cùm in urbem Parisius ad invitationem Domini Regis glorioſissimi Childeberti veniſſemus.* Synodus verò Turonensis secunda habita anno DLXVII. nihil hoc spectat præter conniventiam consensúmque Principis: *Quapropter Christo auspice in Turonica civitate, Concilio concordante, juxta conniventiam gloriosissimi Domini Chariberti Regis annuentis, coadunati.* Sed Episcopi illi multam de se suspicionem injiciunt in hac causa. Quippe apertiùs animi sui sensa exprimentes, non quidem ratione habita Principis tunc regnantis, sed Clodovei primi, qui diù antè mortuus erat, cujúsque res gestæ ceteris Principibus exemplo esse debent, non dubitant scribere in canone XXI. illum supplicasse Episcopis ut ad Synodum Aurelianensem convenirent. Et tamen epistola synodica illius synodi contrarium evincit, cùm in ea patres ingenuè fateantur se jussu Clodovei fuisse congregatos in urbe Aurelianensi.

VIII. At Concilium Matisconense primum, & secundum, itémque Valentinum secundum, Parisiense quintum, & Cabilonense iis verbis usa sunt quæ Regum auctoritati respondent; penes quos est jus non solùm invitandi Episcopos ad synodum, aut eorum congregationi consentiendi, sed etiam eam jubendi & imperandi. Episcopi Concilij Matisconensis primi, quod habitum est anno quingentesimo octuagesimo primo, fatentur se congregatos esse *ex evocatione glorioſissimi Domni Gunthramni.* Qui loquendi modus explicat jus & potestatem ejus qui per literas suas convocat synodum. Sanè jus quod Metropolitano competit convocandi Concilij Episcoporum suæ provinciæ, eo vocabulo explicatur in Concilio Aurelianensi tertio, can. I. *Ad suam civitatem suos evocet fratres.* Tractus est autem hic loquendi modus ex capite quadragesimo decretorum Papæ Leonis, qui ad Episcopum Thessalonicensem Illyrici Exarchum ita scribit: *In evocandis autem à te Episcopis moderatissimum esse te volumus.* Quare cùm synodus Matisconensis fateatur se congregatam esse *ex evocatione Regis Gunthramni*, prorsùs manifestum est eam in unam conspirare sententiam cum Episcopis synodi Valentinæ secundæ habitæ anno quingentesimo octuagesimo quarto, qui scribunt mediocritatem suam in urbe Valentina convenisse *juxta imperium glorioſissimi Gunthramni Regis.*

IX. Magni momenti est secunda synodus

Matisconensis. Quippe cùm regnum Francorum in tres partes divisum esset inter filios Clotarij, earum unam Guntramnus sub vocabulo regni Burgundionum obtinebat; ceteras, quæ Austrasia & Neustria dicebantur, fratres ejus suo jure possidebant. Cupiit autem Guntramnus ut omnes regni sui Episcopi simul congregarentur; eámque ob causam eis præcepit ut ad Matisconensem urbem accederent. Ne quis verò id à me gratis dictum putet, auctorem laudabo Gregorium Turonensem, cujus ea sunt verba in libro VIII. cap. XX. historiæ: *Episcopi ex jussu Regis Guntchramni apud Matisconensem urbem collecti sunt.* Præfatio verò synodi testatur ei interfuisse omnes Episcopos qui in regno Guntramni erant constituti: *Gaudemus quòd omnes Episcopi qui in regno gloriosi Domini Guntramni Regis episcopali funguntur honore, in uno se conspiciunt coadunati Concilio.* Inter eos autem in primis videre est Metropolitanos Lugdunensem, Viennensem, Rothomagensem, Burdegalensem, Senonensem, Bituricensem, Vesontionensem, Ebredunensem, & Tarantasiensem. Illud Episcoporum corpus jubet in canone ultimo ut Concilium nationale, quod universale vocat secundùm phrasim Africanorum, id est, Concilium ex universis regni provinciis, tertio quoque anno celebretur; ea tamen lege, ut id fiat jussu Principis, qui locum commodum assignabit, situm velut in centro & in medio Episcoporum: *Hoc adimplere sollicitudinis sit Metropolitani Lugdunensis Episcopi, unà cum dispositione magnifici Principis nostri priùs definientis locum mediterraneum ad quem omnes Episcopi sine labore alacres congregentur.* Patres Matisconenses vocabulum *dispositionis* (quod in legibus Codicis significat edictum) hauserunt ex epistola sancti Leonis ad Pulcheriam, qui eo utitur ut significet jussa Imperatoris data pro convocatione Concilij: *Ne autem piissimi Principis dispositioni, qua episcopale Concilium voluit congregari, nostra videretur præsentia defuisse, fratres meos Iulianum Episcopum, & Renatum Presbyterum, & filium meum Hilarum Diaconum misi, qui vicem præsentiæ meæ implere sufficerent.* Episcopo autem Lugdunensi curam delegant petendi & obtinendi à Principe mandata pro convocatione Concilij universalis; ea videlicet de causa, quòd Metropolitanus esset urbis regiæ regni Burgundionum, in qua Guntchramnus commorari solebat. Quoniam verò Concilium, juxta Principis desiderium, satagebat ei Episcopo novam Patriarchæ dignitatem procurare, quo eum vocabulo honestant in præfatione, placuit ut ipse regia diplomata pro congreganda synodo mitteret cum suis literis.

Vide Marcam in libro de Primatibus §. 22.

Synodi demum Parisiensis quintæ patres, quæ anno sexcentesimo decimo quinto celebrata est, agnoscunt se congregatos esse *ex evocatione glorioßissimi Principis Domni Clotacharij Regis*, cui Neustria & Burgundia parebant. Quin & synodus Cabilonensis habita anno sexcentesimo quinquagesimo, cui interfuerunt Episcopi Burgundionum & Neustriæ, coacta est *tam ex communi omnium voluntate quàm ex evocatione vel ordinatione glorioßissimi Domni Clodovei Regis*, qui duo illa regna possidebat. Et in epistola synodica Concilij patres aiunt: *Quod glorioßus Dominus Clodoveus Rex in urbe Cabilono synodale præcepit esse Concilium.*

X. Sufficiunt, opinor, ista quæ diximus, ut difficilibus & morosis ingeniis persuaderi possit magnam Regibus auctoritatem competere ad convocanda Concilia; cujus tanta vis est, ut Episcopi teneantur accedere ad synodum quam Rex celebrandam indixerit. Necessitatem illam parendi mandatis Principis docet illustris locus apud Gregorium Turonensem. Narrat ille Childebertum Regem Austrasiorum suis literis anno DXC. evocasse Episcopos regni sui ad urbem Virdunensem, ut accusatio adversùs Ægidium Remensem Archiepiscopum instituta judicaretur. Ac licèt iter illud plurimum incommodi adferret Episcopis, ob intolerabilem hyemis asperitatem, pluvias, & fluminum inundationem, tamen, ut ait Gregorius, præceptioni regiæ obsistere nequiverunt. *Rex Episcopos accersiri ad ejus examinationem præcepit, scilicet ut ab initio mensis octavi apud Viridunensem urbem adesse deberent, dirigens epistolas, ut suprà diximus, ad omnes regni sui Pontifices, ut medio mense nono ad discutiendum in urbe supradicta adesse deberent. Erant autem pluviæ validæ & immensæ, rigor intolerabilis, dissolutæ luto viæ, amnes litora excedentes. Sed præceptioni regiæ obsistere nequiverunt.* Nihilominus dissimulandum non est difficiles se præbuisse Episcopos, nisi causæ conventus, quæ notæ esse debebant, in literis convocationis exprimerentur. Nam in eo casu Mapinius Episcopus Remensis, ad Nicetium Treverorum Episcopum scribens, fatetur obediendum esse Regi: *Quanquam parere nos regiis præceptis in bonis rebus & conveniat & libeat*; tametsi is ipse Mapinus Tullum accedere recusasset post literas Principis: *Indicamus nos literas filij nostri Regis Theodebaldi excepisse ut in Tullensium urbe die Calendarum Iuniarum adesse deberem; & nullam causam evocationis declarantes, reciprocante pagina indicavimus nos illuc accedere non debere,*

Gregor. Turon. lib. 10. c. 19.

quia causam conditionémque nos constabat ignorare. Iteratis scriptis edocuit &c.

CAPVT XIX.

Synopsis.

I. Gregorius magnus agnoscit auctoritatem Regum Francorum in convocandis Conciliis.

II. Imperatores possidebant auctoritatem convocandi Concilia extraordinaria. Sed id non excludebat literas Metropolitanorum ad comprovinciales Episcopos, neque Patriarcharum ad Metropolitanos. Probatur ex Concilijs Ephesino & Chalcedonensi.

III. Acceptis literis, Metropolitani congregabant synodos suarum provinciarum, quæ Legatis consensus suos dabant. Interdum Imperatores mittebant literas convocatorias ad Patriarchas, qui deinde synodum patriarchalem congregabant. Eò literis suis evocabant Metropolitanos. Literæ Principum & Metropolitanorum non sunt dissociabiles.

IV. Idem jus obtinebat in Gallia, quandiu Conciliorum convocatio penes Reges fuit. Quid si Summus Pontifex eam curam ad se traheret? Prudentia Gregorij magni laudata.

V. Regum in eo auctoritas probatur ex epistola Sigeberti Regis ad Desiderium Episcopum Cadurcensem; quæ explicatur.

VI. Hilarus Papa Leontio Arelatensi Episcopo contulit potestatem convocandi Concilia ex diversis provincijs. Symmachus Papa ultra progressus est.

VII. Vigilius Auxanio Arelatensi concessit usum Pallij & auctoritatem convocandi synodum omnium Episcoporum Gallicanorum. Ea legatio data precibus Regis Childeberti; in cujus quoque gratiam vicariatum suum idem Pontifex contulit Aureliano, Auxanij successori. Arelas prima sanctissimarum Galliæ Ecclesiarum dicta à Justiniano.

VIII. Pelagius primus Sapaudo Arelatensi non tribuit apertè auctoritatem convocandorum Conciliorum. Legatio illa data precibus Regis Childeberti. Ex verbis Pelagij colligitur non admodum habitos in honore Arelatenses Episcopos, tametsi Vicarij essent apostolicæ sedis.

IX. Gregorius dignitatem Vicarij tribuens Virgilio Arelatensi, non evagatus est extra veteres fines.

I. SED ut omnis cavillandi via iis præcludatur qui hoc Episcoporum erga Reges obsequium ab adulatione proficisci existimare possent, utar auctoritate Gregorij magni: qui cupiens abolere pravam consuetudinem quæ in regnis Burgundiæ & Austrasiæ invaluerat adversùs canones, venditionem scilicet ordinationum, synodum haberi ea de causa jussit anno DXCIX. literis datis ad Syagrium Episcopum Augustodunensem, Ætherium Lugdunensem, Virgilium Arelatensem, & Desiderium Viennensem. Quoniam verò optimè noverat quænam in Concilijs convocandis esset Principum auctoritas, heic subsistere noluit; sed eandem ob causam literas ad Reginam Brunichildem, quæ Regum avia erat, scripsit; quibus, Excellentia ejus affectu paterno salutata, petit ut jussione regia synodum fieri constituat. Et quia Syagrio Augustodunensi Episcopo, intimo Regum amico, sollicitudinem synodi celebrandæ delegaverat, Brunichildem orat ut ei commodas aures præbeat supplicanti, eúmque ope sua adjuvet ad extirpandum hoc malum: *Salutantes excellentiam vestram paterno affectu, petimus ut de hujus pravitatis emendatione Deum vobis placabilem faciatis. Et ut nulla deinceps valeat occasione committi, synodum fieri jussio regia constituat.* Infrà: *Curam verò & sollicitudinem ejusdem synodi, quam fiendam decrevimus, fratri coëpiscopóque Syagrio, quem vestrum proprium novimus, specialiter delegare curavimus; quem petimus ut & supplicantem libenter audire & ope juvare dignemini &c.* Eandem ob causam scribens ad Reges Theodoricum & Theodebertum, verbis utitur disertissimis, quæ ostendunt Summo Pontifici persuasum fuisse Regibus competere auctoritatem convocandi synodum: *Qua de re ut magnum omnipotenti Domino munus valeatis offerre, synodum congregari præcipite.*

Et quoniam Concilium illud, quod sanctus Gregorius justissimè expetebat, non statim convocatum fuit, literas anno sexcentesimo primo scripsit ad Virgilium Episcopum Arelatensem & Ætherium Lugdunensem, quibus eos hortatus est ut synodi convocationem urgerent. Interim ad Theodoricum Regem Burgundionum scribens, illum rursus hortatur ut synodum congregari jubeat: *Iterata vos, pro vestra magna mercede, adhortatione pulsamus ut congregari synodum jubeatis.* Item in epistola ad Clotarium Regem: *Petimus ut pro mercede vestra congregari synodum faciatis.* Et ad Reginam Brunichildem: *Itaque synodum congregari præcipite.*

II. Posset heic aliquis suspicari quandam in iis epistolis esse contradictionem, aut saltem aliquatenus imminui auctoritatem regiam, quòd Gregorius præcipiat Metropolitanis Arelatensi, Viennensi, & Lugdunensi, & Syagrio Augustodunensi Episcopo, ut synodum congregent. Verùm si ratio politiæ ecclesiasticæ quæ ipsis Imperatorum temporibus in usu erat expendatur, manifestum erit mirificam in eo capite fuisse sacerdotij & imperij concordiam, & modum agendi, quo illi utebantur, in Gallia fuisse continuatum ævo beati Gregorij. Imperatores enim, qui citra omnem controversiam possidebant auctoritatem congregandi Concilia extraordinaria, ei tamen eum modum adhibebāt ut mandata eorum non exclu-

Gregor. lib. 7. ep. 10. Indict. 2 *Fraternitatem vestram auctore Deo volumus synodum congregare.*

derent literas Metropolitanorum ad Episcopos comprovinciales, neque literas Patriarcharum ad Metropolitanos, qui post præceptionem Principis, munere suo fungebantur. Nam convocatio illa non exigebat præsentiam omnium Episcoporum tanquam absolutè necessariam, sed majoris eorum partis, qui à collegis suis delegabantur; quòd alij in provinciis commorari cogerentur, sive pro ecclesiastico ministerio, seu etiam ob infirmam valetudinem. Ita namque fieri consueviſſe colligitur ex collatione diversarum epistolarum Imperatorum & Conciliorum. Exemplo sit Concilium Ephesinum Oecumenicum tertium, quod literis Imperatoris Theodosij indictum est ad unumquemque Metropolitanum missis; quibus præcipiebatur ut Metropolitani certum Episcoporum numerum ex sua provincia adducerent, rursúmque nonnullos illic relinquerent pro ministerio ecclesiastico. Sic enim nos docet epistola Theodosij ad Cyrillum Episcopum Alexandrinum: *Tua pietas---operam dabit---- ut ad Ephesiorum civitatem accurrat, nonnullosque, quos nimirum idoneos judicabit, sanctissimos provinciæ suæ Episcopos abducat; ita ut neque necessarij sanctissimis ejusdem provinciæ Ecclesiis desint, neque ij rursum qui ad eam rem apti censebúntur, in sacra synodo desiderentur. De indicta autem sanctissima synodo nostra serenitas ad omnes omnino Deo dilectos Episcopos Metropolitanos literas scripsit.* Imperator Marcianus literas convocatorias Concilij Chalcedonensis misit ad Metropolitanos, jubens ut cum certo Episcoporum numero ad civitatem Nicænam accederent: *Tua sanctitas cum quibus approbaverit Episcapis sub suo sacerdotio constitutis---- ad memoratam Nicænam civitatem advenire festinet.*

Ephes. Concil. par 1. c. 32.

Epistola Marciani, par. 1. Concil. Chalc. num. 56.

III. Acceptis litteris, Metropolitani congregabant synodos suarum provinciarum, quæ legatis consensus suos dabant, ut colligitur ex epistola synodica Concilij CP. Oecumenici secundi, in qua patres dicunt se nullum alium ab Episcopis qui manserant in provinciis consensum habere quàm ut Constantinopolim accedant pro celebrando Concilio, ideóque sibi liberum non esse Romam proficisci, quò eos occidentale Concilium evocabat cum literis Imperatoris: *De hoc uno Concilio celebrando consensum Episcoporum qui in provinciis manserant una nobiscum attulimus.*

Aliquando Imperarores literas suas Concilij convocatorias mittebant ad Patriarchas; ij verò dein mandata sua ad Metropolitanos, synodúmque patriarchalem congregabant, in qua delegabantur cognitores qui Concilio Oecumenico interesse deberent. Hunc ordinem tenuit Theodosius pro congregatione Concilij Ephesini secundi; ut discimus ex ejus epistola ad Dioscorum Patriarcham Alexandrinum, cùm in eundem modum scripsisset reliquis Patriarchis: *Igitur & tua sanctitas, sumptis secum decem reverendissimis Metropolitis Episcopis, qui sub tua degunt Diœcesi, & aliis similiter decem sanctis Episcopis,--- proximis Calendis Augustis Ephesum metropolim Asiæ convenire absque ulla dilatione festinet.*

Epist. Theodosij ad Dioscorum, Act. 1. Concil. Chald.

Patriarchæ igitur Metropolitanos convocabant cum literis suis, quæ in Conciliis Africanis vocantur tractoriæ, ij verò Episcopos, secundùm auctoritatem præceptionis imperatoriæ. Duas illas res mirabili solertia junxit Concilium CP. secundum Oecumenicum in sua epistola synodica; ubi patres aiunt se à Concilio occidentali evocatos fuisse Romam cum literis Imperatoris: *Nos velut membra propria per Deo amantissimi Imperatoris literas accersivistis.*

Ex iis quæ dicta sunt manifestè colligitur literas Principum & Metropolitanorum non esse dissociabiles, & utrarumque usum obtinuisse in convocandis Conciliis, ita tamen ut literæ Patriarcharum & Metropolitanorum executioni mandarentur in consequentiam literarum Principis.

IV. Idem mos obtinuit in Gallia, quandiu nulla illic auctoritas fuit, præter regiam, quæ superior esset Metropolitanis Galliarum, quæque convocandorum Conciliorum curam in se traheret; ut constat ex iis quæ huc usque vidimus observata fuisse in celebratione omnium synodorum. Sed quando Summus Pontifex, qui Metropolitanorum superior est, cuique jus competit jubendi ut Concilium nationale habeatur, eorum convocationem faciebat, æquum erat ut locum illic obtineret qui dignitati & auctoritati ejus debebatur. Gregorius porrò magnus, vir non solùm ob sanctitatem morum & eruditionem clarus, sed etiam ob prudentiam admirabilem intelligentiámque politiæ ecclesiasticæ, eo temperamento usus est quod adhiberi conveniebat ad conservanda jura sedis apostolicæ & Principum. Recensens quippe abusus qui in Gallia invaluerant adversùs Canones, jubet ut Concilium ea de causa habeatur intra Gallias, cujus convocandi sollicitudinem delegat Metropolitanis. Sed eodem tempore cupit & postulat ut Rex utatur suo jure, nimirum vt is auctoritate sua synodum haberi præcipiat, literis ad Metropolitanos missis, vel etiam ad singulos Episcopos, si Regi ita visum fuerit expedire. Metropolitani verò,

post regiam præceptionem, congregare debebant suas synodos pro celebratione Concilij, mentione insuper facta pontificiæ permissionis. Sed in primis observandum est delegationem illam sancti Gregorij non debuisse mandari executioni, secundùm quod ipse præceperat, donec regia jussio accederet ob eandem causam. Quare Concilium illud quod Summus Pontifex constituerat, habitum non fuit, tametsi ille id vehementer urgeret, quoniam Reges ejus congregationem non præceperunt. Affirmare itaque licet concursum auctoritatis pontificiæ firmasse potestatem Metropolitanorum pro congregatione Conciliorum in ordine ecclesiastico, sed non violasse jus regium, quod versatur in politia exteriori & in protectione Ecclesiæ; præsertim cùm congregatio ita fieret auctoritate Summi Pontificis ut necessaria esset regia jussio. Contrà verò consensus Pontificis non erat necessarius quando synodus congregabatur auctoritate Principis.

V. Ceterùm ut concludam hoc caput, & ut præterea testatior fiat auctoritas Regum in convocandis Conciliis, addam hoc loco epistolam Sigeberti Regis Austrasiorum scriptam circa annum sexcentesimum quinquagesimum ad Desiderium Episcopum Cadurcensem: in qua ei significat relatum sibi fuisse Wlfoleudum Episcopum evocasse comprovinciales Episcopos ad Concilium in regno habendum, sed nullam ejuscemodi consilij mentionem fecisse apud Regem. Cupere se quidem, exemplo Regum decessorum suorum, observare canones ecclesiasticos; attamen ex procerum suorum consilio statuisse tolerandum non esse ut Episcopi sibi subjecti Concilium ullum in regno celebrent, quin priùs ipse admoneatur. Quòd si ostendatur regiæ majestati congregationem illam utilem futuram, sive pro statu ecclesiastico, sive etiam pro regni utilitate, non denegaturum consensionem suam. Quapropter Desiderio suadet ne ad synodum illam accedat. Desiderius autem, cùm Cadurcorum antistes esset, non pertinebat ad regnum Sigeberti; licèt inter intimos esset ejus Principis, ut constat ex alia ejusdem Regis ad ipsum epistola. Wlfoledus verò, qui provinciæ suæ Episcopos convocaverat, Biturigum antistes erat, quorum metropoli contributa erat Divona Cadurcorum, & ad regnum Burgundiæ spectabat, cujus Rex tunc erat Clodoveus secundus. Istius autem Vvlfoledi Episcopi Ecclesiæ Bituricensis subscriptio deprehenditur in Concilio Cabilonensi quod anno DCL. Rex Clodoveus congregavit. Insolens videri posset hujus Metropolitani præsumptio, qui Episcopos suffraganeos suos extra provinciam suam evocavit synodali conventui interfuturos, nisi ratio habeatur canonum apostolicorum, Constantinopolitanorum, & Antiochensium, qui permittunt Episcopis unius provinciæ ad aliam transire, si literis Metropolitani, qui eorum ope indigeat, evocentur. Ex quibus id conficitur, Episcopum Bituricensem ab Episcopis regni Austrasiorum rogatum esse ut ad quandam civitatem conveniret, in qua synodus major haberi posset, existimantes ita licere fieri secundùm Canones. Verùm jam observavimus communicationem illam Episcoporum fuisse interruptam ob divisionem regnorum; cui præterea locus non erat, sicuti nec celebrationi Concilij nationalis unius regni, nisi jussio regia præcessisset. Vtriusque horum capitum probatio extat in epistola Sigeberti. Tametsi, eo casu, prohibitio unius ab alio pendeat; id est, si Concilium Episcoporum unius regni haberi non possit, sequitur Episcopos alterius regni ad illud convenire non posse. Hæc sunt verba Sigeberti: *Licèt nos statuta Canonum & ecclesiasticas regulas, sicut parentes nostri in Dei nomen conservarunt, ita & nos conservare optamus, tamen dum ad nostram antea notitiam non fuit perlatum, sic nobis cum nostris proceribus convenit, ut sine nostra scientia synodale Concilium in regno nostro non agatur, nec ad dictas Kal. Septembris nulla conjunctio Sacerdotum, ex his qui ad nostram ditionem pertinere noscuntur, non fiatur. Postea verò opportuno tempore, si nobis antea denuntiatur, utrum pro statu ecclesiastico, sive etiam pro qualibet rationabili conditione, conventio esse decreverit, non abnuimus; sic tamen, ut diximus, ut in nostri prius deferatur cognitionem.* Epistola Sigeb. ad Desider. Cadurc.

VI. Potestas illa convocandorum in Gallia Conciliorum, qua Summi Pontifices fruebantur, exigit ut paulò altiùs scrutemur eam quam pro eadem causa communicabant cum Episcopis Arelatensibus. Hilarus Papa, providens dissipationem Galliarum, earundemque in diversa regna sectionem, obstituras communicationi Episcoporum inter se, Leontio Arelatensi Episcopo contulerat facultatem convocandi Concilia hujuscemodi ex totidem provinciis quot posset, ut suprà vidimus. Eam Cæsario Arelatensi continuavit Symmachus anno quingentesimo decimo quarto; cui præcepit invigilare rebus omnibus quæ ad religionem spectant, non solùm in provinciis Galliarum, sed etiam in Hispaniensibus; quoniam ea tempestate provincia Arelatensis, tametsi esset intra Gallias, imperio parebat Regis

Italiæ Theodorici, penes quem erat administratio regni Vvisigothorum in Hispania. Sed postquam civitas Arelatensis in jus Francorum cessit, Vigilius Papa aut ejus successores nullam Arelatensibus Episcopis sollicitudinem in Hispanias attribuerunt. Verùm Symmachus non eo loci substitit ut generalem tantùm religionis curam Cæsario committeret, sed insuper ei auctoritatem tribuit convocandi Concilium Episcoporum, si religio ita posceret, ut in eo controversiæ finirentur. Quòd si tale negotium emerserit quod illic difficile fuerit terminari, ad sedem apostolicam referatur ab Episcopo Arelatensi. Quoad Episcopos verò ex regionibus Galliarum & Hispaniarum, jubet ut ij qui Romam proficisci voluerint, literas Cæsarij secum deferant; ut Summus Pontifex agnoscat quæ sit eorum dignitas, & utrum eis communionem suam impertiri debeat: *Decernimus ut circa ea quæ tam in Galliæ quàm in Hispaniæ provinciis de causa religionis emerserint solertia tuæ fraternitatis invigilet. Et si ratio poposcerit præsentiam Sacerdotum, servata consuetudine unusquisque tuæ dilectionis admonitus auctoritate conveniat. Et si Dei adjutorio controversia incidens amputari potuerit, ipsius hoc meritis applicemus. Alioquin existentis negotii qualitas ad sedem apostolicam te referente perveniat.* Infrà: *Si quis de Gallicana vel Hispana regionibus ecclesiastici ordinis atque officij ad nos venire compulsus fuerit, cum fraternitatis tuæ notitia iter peregrinationis arripiat; ut nec honor ejus, per ignorantiam, aliquam contumeliam patiatur, & ambiguitate depulsa, à nobis animo securo in communionis gratiam possit admitti.*

Symmach. ep. 2. Vide supra lib. 5. cap. 5. §. 9.

VII. Anno DXLV. Vigilius Papa vicariatum suum per Gallias concessit Auxanio Episcopo Arelatensi, concesso etiam usu Pallij. Tribuit autem ei potestatem convocandi synodum omnium Episcoporum Gallicanorum; quos adesse jubet sub pœna suspensionis, quam synodus adversùs eos decernet nisi justam excusationem adferant. Eo tamen casu tenentur mittere vice sua Presbyterum aliquem, aut Diaconum, qui eis nuntiet quæ decreta fuerint in illa synodo: *Et quia necesse est ut aptis Deo propitiante temporibus Arelatensis Episcopus nostris vicibus fungatur, quoties judicaverit expedire ut pro facienda consolatione communi Episcoporum debeant congregari personæ, nullus inobediens ejus fortè mandatis sit.* Sed observandum est legationem illam Arelatensi Episcopo fuisse concessam petente Chideberto Rege. Quippe extraordinariæ res hujusmodi, quæ novitatem inducunt adversùs Canones, obtinere non possunt in regno absque consensu regio. *Sicut nos*, inquit Vigilius ad Auxanium scribens, *pro tuæ pietatis affectu, & pro glorioissimi filij nostri Regis Childeberti Christiana devotione mandatis, vices nostras libentissima voluntate contulimus.* Post obitum Auxanij, idem Pontifex vicariatum suum Aureliano ejus successori tribuit; sed id factum in gratiam Regis Childeberti, qui ita fieri optaverat: *Administrationem vicum nostrarum*, inquit, *fraternitati vestræ animo libenti committimus; ---- quando & summi sacerdotij consortio vos dignos divina esse gratia judicavit, & glorioissimi Childeberti Francorum Regis Christiana & Deo placita in perhibendo vobis testimonio voluntas accessit.* Inde factum ut Iustinianus in rescripto ad Quintam Synodum Oecumenicam misso, loquens de hoc Aureliano, dicat eum fuisse Episcopum Arelati, *quæ est prima sanctissimarum Galliæ Ecclesiarum.* quod dein repetitum est in Collatione septima.

Epistola Vigilij PP. ad Episcopos Galliæ.

Epist. Vigilij ad Aurelianum Episc. Arelat.

Rescriptum illud extat in Collat. 7. Quintæ Synodi.

VIII. Vicariatum quoque suum Sapaudo Arelatensi tribuit Pelagius primus, cujus tamen auctoritatem ad duo quædam capita coërcere videtur. Primum quidem, ut primum ubique locum obtineat inter Episcopos, tanquam Legatus, & quadam velut præfectura fungatur in clero, ei tamen apertè non tribuens jus convocandorum Conciliorum: *Vt sedis nostræ Vicarius constitutus, ad instar nostrum in Galliarum partibus primi Sacerdotis locum obtineas.* Alterum est; Vt singulæ personæ ecclesiasticæ Galliarum finibus excedentes, formatas epistolas à Sapaudo accipiant. Ad Regem autem Childebertum scribens, ait se precibus ejus dedisse hanc legationem, *secundùm petitionem vestram*, inquit. Sed magni momenti est clausula quæ sequitur, quæ ostendit dignitatem illam parum gloriæ attulisse prædecessoribus Sapaudi. Petit enim à Rege ut quoniam ipse optaverat ejus Episcopi dignitatem hoc honore amplificari, non patiatur eum contemni ab Episcopis Gallicanis aut ab aliis personis ecclesiasticis: *Ne quem per vices nostras augeri postulastis, in aliqua parte cuique Gallicanorum Sacerdotum vel cujuslibet ecclesiastici ordinis personæ, quod non oportet, contemptibilis habeatur.*

Pelag. ep. 6. ad Sapaudum.

Vide supra lib 5. cap. 18. §. 3. & seqq.

Verba illa indicant Episcopos Arelatenses, tametsi legationis apostolicæ sedis munere fungerentur, non admodum habitos in honore. Certè nullum regni generale Concilium reperitur ab iis convocatum fuisse, prohibentibus nimirum Regibus ac reliquis Metropolitanis. Quinetiam nulli eorum Conciliorum unquam præfuere. Contrà, Aurelianus Arelatensis post Sacerdotem Episcopum Lugdunensem subscripsit Con-

cilio quinto Aurelianensi anno quingentesimo quadragesimo nono. Quò fortassis alludit Pelagius, dum Childebertum orat ne patiatur Sapaudum sedis apostolicæ Vicarium contemni, ut acciderat prædecessori ejus Aureliano. Ceterùm ad corrigenda peccata illa Sapaudus, tametsi recenter ordinatus, præfuit Concilio Parisiensi anno DLV. subscripsitque ante Metropolitanos Viennensem, Biturigensem, Burdegalensem, atque etiam Senonensem, quamvis synodus haberetur in provincia Senonensi.

Gregor. lib. 4. ep. 30.

IX. Anno DXCV. Gregorius magnus dignitatem Vicarij continuavit in Virgilio Episcopo Arelatensi, juxta petitionem Regis Childeberti; concessa prorsùs illa amplitudine potestatis quam Vigilius repererat, convocandi nimirum Concilia, in quibus controversiæ ecclesiasticæ terminarentur. Quòd si causa fidei illic ageretur, aut negotia inciderent quæ dubia essent, aut ejus momenti ut in provinciis decidi nequeant, jubet ut ad sedem apostolicam referatur. Præterea illi hoc tribuit ut personæ ecclesiasticæ, quæ extra Gallias proficisci volent, teneantur ab eo accipere literas communicatorias. Attamen facile est agnoscere integram convocandorum Conciliorum auctoritatem non fuisse penes Virgilium; quandoquidem ei sanctus Gregorius tres alios Episcopos adjunxit, ut suprà adnotatum est, & à Regibus postulavit ut synodum intra Gallias haberi juberent. Nihil igitur Virgilio supererat præter honorem & amplitudinem Vicarij & quandam velut generalem præfecturam in Ecclesia Gallicana; de cujus negotiis referebat ad Summum Pontificem, quocum particularem communicationem habebat.

CAPVT XX.

Synopsis.

I. Discrimen synodorum generalium Diœceseon Orientis & Gallicanarum.

II. Inquiritur in originem synodorum nationalium. Cardinalis Perronius notatus. Theodosius Imperator relationes synodicas Illyrici, in rebus dubiis, tribuit Episcopo Constantinopolitano. quod earum effectu.

III. Photij expositio refutatur, qui omnes quæstiones canonicas tribui putat Episcopo Constantinopolitano.

IV. De synodis generalibus Africæ. Nicæna Synodus explicata. Dionysius Exiguus emendatus.

V. In Concilio universali Africæ tractabatur de causis communibus. Ceteræ provincialibus synodis relinquebantur discutiendæ. Quæ sint causæ communes. Presbyterorum. Conciliantur canones.

VI. Variant canones Africani quoad causas

VII. A Conciliis universalibus Africæ non licebat appellare ad transmarina judicia, neque etiam à provincialibus.

I. VERÙM ut perfectè intelligere possimus quænam esset auctoritas Conciliorum generalium Diœceseos Gallicanæ, non inhærendum est omnino canoni secundo Concilij Constantinopolitani, qui synodis quinque Diœceseon Orientis supremam auctoritatem tribuit decernendi de omni re quæ ad disciplinam ecclesiasticam pertinet. Nam duæ synodi, Ægyptiaca nimirum, & Antiochena, patriarchales erant; reliquæ verò tres, Pontica, Asiana, & Thracica, quæ suis quæque Exarchis parebant, attributæ sunt jurisdictioni Episcopi CP. ad constituendum Concilium patriarchatus CP. juxta canonem XXVIII. Concilij Chalcedonensis. Itaque cùm illæ synodi Diœceseon suo quæque Patriarchæ subessent, earum auctoritas suprema prorsùs esse debuit, neque fieri poterat ut ab alia quapiam jurisdictione penderent. Concilia autem patriarchalia semel in anno habenda esse sanciverat Iustinianus; eòque accedere Metropolitani tenebantur loco & die quem Patriarcha constituisset, judicaturi in eis quæstiones ad fidem vel ad disciplinam spectantes, sive in prima cognitione adversùs Metropolitanos, aut etiam ob appellationes à sententiis Episcoporum. At synodorum Gallicanarum tanta esse auctoritas non potuit, cùm patriarchales non essent. Quinimò cùm Galliæ essent in Occidente, auctoritatem sedis apostolicæ colebant, ad eámque necessariò respicere tenebantur. Sed eo temperamento res gerebantur ut reverentia illa nihil detraheret de suprema Conciliorum potestate in quibusdam capitibus; quemadmodum celebratio Conciliorum universalium regni nihil adimebat de juribus synodorum provincialium.

II. Utraque harum propositionum plurimum difficultatis habere videtur. Et tamen utraque verissima est. Nam materiæ difficiles, quæque, cùm maximi momenti essent, in synodis provincialibus definiri nequibant, deliberabantur finiebantúrque in synodo uniuscujusque Diœceseos. Ius autem illud meliùs explicari non potest quàm auctoritate legum quæ synodis illis Diœcesanis initium dederunt. Impp. Honorius & Theodosius, in rescripto dato ad Philippum Præfectum prætorio Illyrici orientalis, jubent ut omni innovatione cessante, id est, pervasionibus secularis jurisdictionis vel etiam Synodi Diœcesanæ, antiqui canones obtineant in universis provincus Illyrici,

L. 41. C. Theod. de Episc. & C. de Sacrosanct.

Quòd

Quòd si aliquid ambiguum aut dubium emerserit, reservari jubent judicio conventus generalis Episcoporum Diœceseos Illyricianæ, quem vocant conventum sacerdotalem. quo etiam nomine dicebantur cœtus generales pro rebus politicis congregati. Addunt tamen in gratiam Episcopi Constantinopolitani, ne dubiæ causæ definiantur eo inconsulto, quoniam privilegiis veteris Romæ fruitur. *Omni innovatione cessante vetustatem & canones pristinos ecclesiasticos per omnes Illyrici provincias servari præcipimus. Tum* (ita legit Codex Theodosianus) *si quid dubietatis emerserit, id oporteat non absque scientia viri reverendissimi sacrosanctæ legis antistitis urbis Constantinopolitanæ, quæ Romæ veteris prærogativa latatur, conventui sacerdotali sanctoque judicio reservari.* Antiqui canones, de quibus loquitur illa lex, alij non sunt præter Nicænos; in quibus statutum est ut causæ ecclesiasticæ judicentur à synodis uniuscujusque provinciæ, omni earum cognitione prorsùs interdicta cuilibet alij jurisdictioni ecclesiasticæ & seculari. Hi canones haud dubiè violati fuerant in Illyrico, sive à Præfecto prætorio, sive à synodo generali Diœceseos, quæ synodorum particularium jurisdictionem convellebat. Id autem esse verisimile suadent ea quæ sequuntur: *Tum si quid dubietatis emerserit;* id est, si tunc, quando videlicet particulares provinciæ causas tractant secundùm Canones, incidat aliquod dubium, definiatur in conventu generali Episcoporum universæ Diœceseos. Explicatio illa evertit conjecturam illustrissimi Cardinalis Perronij: qui existimat legem illam fuisse latam à Theodosio per subreptionem Attici Episcopi Constantinopolitani, qui apud Principem conquestus sit de Episcopis Illyrici, qui reverentiam Attico denegabant contra antiquam consuetudinem & canones ecclesiasticos, id est, canonem tertium Constantinopolitanum, quo secundus dignitatis gradus Episcopo CP. decernebatur, quòd esset nova Roma. Sententia hæc adversatur canoni quem vir illustrissimus laudat; quo nulla jurisdictio tribuitur Episcopo Constantinopolitano, sed tantùm honoris prærogativa; præsertim cùm nulla Diœceseos Illyricianæ mentio fiat in hoc canone. quæ vel unica allegatio pessumdedisset consilium Attici. Sanè eò præcipuè tendere videtur sententia legis ut componat jurisdictiones synodorum provincialium Illyrici ac Diœceseos Illyricianæ; per occasionem autem Princeps, ornandi Episcopi CP. cupidus, novum jus introducit in ejus gratiam, jus nimirum relationis. Quod ea in primis de causa fecit ut communionem istius Diœceseos, etiam quoad res ecclesiasticas, distraheret ab Occidente; à quo avulsa fuerat in dispositione civili, & unita Imperio orientali. Ceterùm exemplum illud, è prærogativa veteris Romæ petitum, ostendit relationes causarum difficilium ad sedem apostolicam mitti consuevisse à Concilio generali Diœceseos Illyricianæ, vel ab Episcopo Thessalonicensi, qui Exarchus Illyrici Episcopique Romani Vicarius erat. Idipsum probant epistolæ Papæ Leonis primi ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem; in quibus præcipitur ut eæ relationes fiant, si causa quæ finiri non potuit in synodo provinciali, nec in Concilio dein generali potuerit terminari. Vnde præterea colligitur clausulam legi Theodosianæ insertam in gratiam Episcopi Constantinopolitani irritam fuisse, nec executioni mandatam. Sanè Concilium Chalcedonense, cùm sedem Constantinopolitanam in patriarchatum eveheret, nullam ei potestatem tribuit in provincias Illyrici; quæ patriarchatui Romano semper adhæserunt, donec occasione hæresis Monothelitarum ab eo distractæ sunt circa annum septingentesimum.

III. Eam legem Photius Patriarcha Constantinopolitanus, dignitatis suæ augendæ cupidus, aliò vertit, vim apertam verbis legis inferens. Ejus quippe sensum hunc esse ait, canonica judicia ab Archiepiscopo Constantinopolitano & ab ejus synodo definienda esse. Ὅτι τὰ ἀναφυόμενα κανονικὰς ἀμφισβητήσεις ἐν ὅλῳ Ἰλλυρικῷ δεῖ κρίνεσθαι τῷ γώμῳ τῆ Ἀρχιεπ. Κ. πόλεως, καὶ τῇ αὐτῆ συνόδῳ, ὅπως ἔχει τὰ τρονόμια τῆ ἀρχαίας ῥώμης. Et tamen Imperator jubet ut judicia illa ferantur à synodo Illyriciana, cum consilio Episcopi Constantinopolitani. Ea nihilominus lege ejúsque explicatione usi sunt Græci ad distrahendam ab Illyrico Bulgariam, ævo Photij; quæ resecta fuit à Diœcesi Romana, & subjecta patriarchatui Constantinopolitano.

IV. Sed ut redeamus unde digressi sumus, ad auctoritatem videlicet Conciliorum generalium, necesse est ut lucem materia hæc accipiat à Conciliis Africanis. Canon itaque decimus Africanus docet Concilium universale Africæ semel in anno debere fieri ad definiendas causas ecclesiasticas, ut Nicæna synodus statuit: *Confirmandum est in hac synodo ut secundùm statuta Nicæna propter causas ecclesiasticas, quæ ad perniciem plebium sæpe veterascunt, singulis quibusque annis Concilium convocetur: ad quod omnes provinciæ quæ primas sedes habent, de Conciliis suis binos, aut quamos delegerint, Episcopos mit-*

Vide supra lib. 4. cap. 2. §. 1. 2. & lib. 5. cap. 24. §. 11.

Vide lib. 2. c. 5. §. 3.

Phot. tit. 12. Nomoc. cap. 2.

Vide supra lib. 5. c. 2. §. 5. & 6.

Vide lib. 5. c. 3. §. 1.

Ill. Card. Perron. c. 32. Replicæ.

tant ; ut congregato conventu , plena possit esse auctoritas. Vbi observandum est, opportunè admodum Afros uti canonibus Nicænis, ut generalis conventus Africæ auctoritatem firment. Quamvis enim Nicæna Synodus, si verba ejus rectè expendantur, synodi tantùm Episcoporum unius provinciæ mentionem faciat, quæ à Metropolitano convocetur, attamen evidens est synodum quæ ex quinque aut sex provinciis convenerit minoris auctoritatis non futuram ex eo capite quòd & frequentior fuerit & illustrior. Atque adeo Concilium generale Africæ spectandum est non secundùm ipsa verba canonum Nicææ , sed juxta sensum & mentem eorundem canonum. Eidem fundamento innititur secunda Synodus Oecumenica, cùm Diœceseon corpora constituens , ait hinc eventurum ut causæ ecclesiasticæ tractentur in synodis provinciarum, secundùm Nicænam Synodum. Hinc pariter factum ut Hincmarus Remensis Archiepiscopus, eorum patrum menti æmulatus, sæpe auctoritatem Conciliorum generalium Ecclesiæ Gallicanæ deducat à Concilio Nicæno ; quòd ea revera sint Concilia provincialia, tametsi ex quibusdam provinciis constituta. Quippe provinciæ cuilibet liberum est aliam convocare ; juxta canones apostolicos, Antiochenos, & Constantinopolitanos. Zonaras, in commentario ad hunc canonem Africanum, qui est XXI. in ejus Collectione, cùm non satis animadverteret eo loco agi de synodo generali Africæ, non autem de synodo unius tantùm provinciæ, pravam admodum explicationem proposuit, nimirum, eo canone juberi ut Metropolitanus duos Episcopos ex comprovincialibus suis deleget, qui ejus auctoritatem in synodo illa repræsentent, tanquam Vicarij , τοποτηρηται. Balsamo verò contextum canonis integrum non refert, sed synopsim tantùm Dionysij Exigui Græcè versam ; quæ docet debere Metropolitanos semel unoquoque anno ad synodum accedere, περὶ σύνοδον οἱ μητροπολῖται ἔρχεσθαι. Vnde colligendum est eum canonem intelligi debere de synodo universali , ad quam Metropolitani adesse tenentur cum legatis suarum provinciarum. Porrò ope istius versionis Græcæ corrigenda est hoc modo synopsis Dionysiana: *Vt per annos singulos pes omnes provincias ad Concilium Metropolitani conveniant.* Rejiciendáque est lectio editionis Parisiensis anni MDCXXXVIII. quæ ita habet, *conveniatur.*

V. Concilium autem illud universale Africæ nullas alias causas ad suam cognitionem trahebat quàm eas quæ communeserant omni clero Africano ; ceteras verò , quæ particulares erant , uniuscujusque provinciæ definitioni permittebat. Distinctio illa extat in canone XCV. Collectionis Canonum Africanorum: *Placuit ut non sit ultrà fatigandis fratribus anniversaria necessitas ; sed quoties exegerit causa communis , id est , totius Africæ , undecunque ad hanc sedem de hac re datæ literæ fuerint , congregandam esse synodum in ea provincia ubi opportunitas persuaserit. Causæ autem quæ communes non sunt , in suis provinciis judicentur.* In eo porrò consistit difficultas , quænam dicerentur causæ communes. Balsamo in commentariis ad hunc canonẽ ait causas communes esse illas quæ dogmaticæ sunt, δογματικαὶ αἰτίαι; quas privatis opponit, id est, controversiis quæ inter Clericos aut Episcopos emergunt. Verùm explicatio hæc habet adhuc aliquid difficultatis, eique non convenit cum reliquis canonibus Africanis. Certum quidem est causas dogmaticas, id est, eas quæ fidem respiciunt, primas esse inter communes. Sic Pelagij hæresis damnata est in Concilio Carthaginensi generali: de quarelatum est ad Innocentium primum. Sed aliæ quoque causæ in eum numerum referuntur, nimirum, controversia quæ circa jurisdictionem accensa est inter Ecclesias Africanas & Summos Pontifices, quæ in Conciliis universalibus Africæ disceptata est. Canones quorum auctoritate ordinabatur politia ecclesiastica decernebantur in Conciliis generalibus. In accusationibus verò adversùs Episcopos prima causæ cognitio, prout reo libebat , ad synodum provinciæ deferri poterat , vel ad Concilium universale ; ut patet ex canone IX. & LXXVII. Itaque omnes illæ causæ annumerantur communibus.

VI. Quoad causas verò Presbyterorum, variant canones Africani. Quippe CXXV. ex Concilio Milevitano desumptus, eis liberum esse decernit appellare à judiciis Episcoporum suorum *ad Africana Concilia, vel ad Primates provinciarum suarum.* Idipsum etiam scribit Concilium Africanum in epistola ad Celestinum Papam: *Vnicuique concessum est , si judicio offensus fuerit cognitorum, ad Concilia suæ provinciæ vel etiam universale provocare.* Et nihilominus canone XXVIII. prohibentur ne ad alios appellent quàm *ad Primates suarum provinciarum.* Varietas illa explicanda est ope canonis XCV. quo decisio causarum quæ communes non sunt permittitur synodo uniuscujusque provinciæ , causarum verò communium , synodo generali , adeo ut si judicium latum adversùs Presbyterum aut quemlibet è clero in causam generalem vertatur ob in-

commoda quæ inde sequi possent, tum appellatio Presbyteri aut Clerici judicari debet in Concilio generali Africæ. Exempli causa, si lis moveatur circa caput aliquod nondum satis perspicuè explicatum in canonibus. Si is adversùs quem accusatio instituta est, vir sit tali dignitate præditus, ut si judicium ejus fieret in provinciis, timendum foret ne tumultus in eis excitarentur. Vel si ob illud judicium oriretur conflictio jurisdictionis; quemadmodum accidit in causa Apiarij Presbyteri. Aut tandem ob aliquam aliam causam similem. Tunc enim, ut dixi, appellatio Presbyteri aut Clerici judicanda est in Concilio generali Africæ. At si tantùm agatur de executione canonum, de quorum sententia dubitari non possit circa negotium noviter emergens, tum appellatio terminanda est in unaquaque provincia, neque licet à Concilio provinciali provocare ad universale. Secundùm illam regulam legimus appellationem Palladij laici, qui à Triferio Episcopo suo excommunicatus fuerat, itémque appellationem Exuperantij Presbyteri, cui interdictum erat functionibus suis, ob gravitatem earum fuisse judicatas in Concilio Taurinatensi ex diversis provinciis congregato.

Concil. Taurin. §. 4.

VII. Iudicia verò quæ in Conciliis illis universalibus Africæ fiebant, vel etiam in synodis provincialibus, propter causas quæ communes erant, suprema prorsùs erant, nec ab eis *ad transmarina judicia*, id est, Romam, appellare licebat. *Ad transmarina autem qui putaverit appellandum, à nullo intra Africam in communione recipiatur.* Adeo certa & inviolabilis erat apud Africanos hæc regula, quoad Presbyteros & reliquos è clero, ut ad Celestinum Papam scribere non dubitent: *Presbyterorum quoque & sequentium Clericorum improba refugia, sicut te dignum est, repellat sanctitas tua: quia & nulla patrum definitione hoc Ecclesiæ derogatum est Africanæ.* Nihilominus, quoad appellationes Episcoporum, Zozimus Papa ejúsque successores contendunt apud sedem apostolicam judicandum esse an appellatio admitti debeat. Quòd si justa fuisse appellandi causa videretur, ad Episcopum Romanum pertinere jus statuendi ut ea retractetur in provincia. Verùm id accuratè expendimus in dissertatione de judiciis canonicis Episcoporum.

Can. 28. & 125.

Præterea, Concilia universalia Africæ condebant canones, qui in auctoritatem recepti sunt in Ecclesia universali.

CAPVT XXI.

Synopsis.

I. Concilia generalia Galliarum similia prorsùs erant Conciliis Africanis. Major synodus *in canone Antiocheno. Conciliorum Gallicanorum auctoritas explicatur. Verba Hilari Papæ referuntur.*

II. Recessit Hilarus ab institutis majorum, confirmans celebrationem Conciliorum ex diversis provinciis.

III. Iubet autem ut per annos singulos *Concilium generale celebretur. Eò alludit Synodus Agathensis. Genuinus sensus Synodi Matisconensis secundæ indicatur.*

IV. Iubet postremò Hilarus ut regulæ quæ in his Conciliis promulgabuntur, sint juxta canonum definitiones. Idem profitentur Concilia Gallicana.

V. Indicantur canones ad quos alludit Hilarus. De collectione Canonum Dionysij Exigui. Liber Canonum *vocatur à Gregorio Turonensi.*

VI. Canones novi secundum auctoritatis gradum obtinebant post antiquos. Probatur ex Augustino & Agobardo.

VII. De Collectione canonum Gallicanorum. Vim legis obtinebant in Hispania.

I. CONCILIA generalia Galliarum eodem nomine nuncupabantur quo Concilia universalia Africæ, ejusdémque erant auctoritatis. Nam in secunda synodo Matisconensi, quæ de hujuscemodi Conciliis loquitur, legimus *generale Concilium* & *universale*, in Turonensi verò, quæ anno DLXVII. congregata est, *major synodus.* Quod imitatum est ex canone XII. Concilij Antiocheni, quod majorem synodum vocat eam quæ extraordinaria erat, convocata nimirum ab Imperatoribus ad judicandas appellationes eorum qui à judiciis synodi provincialis provocaverant. Concilia isthæc generalia Galliæ condere poterant canones & causas judicare. Canones pro libito condere poterant, modò contrarij non essent canonibus Conciliorum generalium, & definitivo judicio terminare omnes causas ecclesiasticas quæ synodis provincialibus visæ essent difficiles. Quòd si generali Concilio tanta esse videretur difficultas ut solvi non posset, consulenda erat sedes apostolica. Ea est sententia Hilari Papæ in epistola scripta anno CDLXII. ad Episcopos quinque provinciarum Galliæ, Viennensis videlicet, Lugdunensis, utriusque Narbonensis, & Alpium Pennarum: cui præiverat Innocentius primus ad Victricium Episcopum Rothomagensem similia Hilaro scribens de auctoritate synodorum provincialium, & majores causas ad apostolicam sedem referendas esse. *Vt si quid usquam*, inquit Hilarus, *vel in ordinandis Episcopis vel Presbyteris aut cujuslibet*

Concil. Matisc. 2. c. 9 & 20.

loci Clericis faciendis contra præcepta apostolica reperitur admissum, aut in eorum conversatione quicquam reprobatur, communi omnium auctoritate resecetur. Infrà: *Nec cuiquam licebit à regulis evagari quas sibi juxta canonum definitiones unita fraternitas in commune præfixerit; cùm imminente quotannis examine, ita singuli actus suos dirigent, ut his discussio judicij optari magis debeat quàm timeri. In dirimendis sanè gravioribus causis, & quæ illic non potuerint terminari, apostolicæ sedis sententia consulatur.*

II. Tria quædam observanda sunt in hoc decreto. Primum quidem, Summum illum Pontificem disertis verbis confirmare celebrationem Conciliorum ex diversis provinciis congregatorum; contrà quàm visum erat prædecessoribus ejus Innocentio & Leoni. Hi quippe edixerant ut unaquæque provincia suis specialibus Conciliis contenta esset, in quibus causæ terminarentur, neque licere ad alias provincias convolare. Quod eo consilio, ut ego quidem existimo, actum est ut ea arte faciliùs flecterent provinciales ad consulendam statim Romanam sedem. *Suis unaquæque provincia sit contenta Conciliis*, inquit Leo. *Nec alicui liceat*, inquit Innocentius, *ad alias convolare provincias.*

III. Secundum caput in eo constat, quòd Concilium illud generale jubetur celebrari semel in anno, *per annos singulos*; non autem bis, velut synodi provinciales. quod ad formam Concilij universalis Africæ institutum est. Ad ea decreta alludit Synodus Agathensis, cùm præcipit ut Concilium Episcoporum regni Gotthici, ex quibus illa constabat, renovetur annis singulis, secundùm constituta patrum: *Synodum etiam juxta constituta Patrum singulis annis placuit congregari.* Falluntur autem qui in eo canone agi putant de Conciliis provincialibus; nisi ostendant in præcedentibus canonibus celebrationem eorum Conciliorum semel tantùm in anno jussam, quemadmodum LXXI. canon Agathensis supponit. Id quod probari non potest nisi quoad Concilia generalia, ut dixi. Tempus autem illud ad triennium coërcet canon vigesimus Concilij Matisconensis secundi, perperam à nonnullis intellectus de synodis provincialibus: *Ad synodum post triennicum tempus omnes conveniant*, id est, ex omnibus provinciis quæ tum coïverant.

Canon 71. Concil. Agath.

IV. Tertium caput, quod est magni momenti, consistit in modificatione quam facit Hilarus, nimirum ut regulæ quæ in his Conciliis promulgabuntur, sint *juxta Canonum definitiones.* Eadem est sententia Concilij Venetici in epistola synodica: *Vt quæ in prioribus patrum statutis videmus omissa, & procedente tempore licentia ex nimia labentis seculi libertate præsumpta, statutis saluberrimis sanciremus.* Hinc factum ut præfationes omnium Conciliorum hanc cautionem contineant, velle se canones antiquos renovare, & novos condere ad evellenda nova mala. Et in epistola tractoria Aviti Episcopi Vienensis, qua collegas suos evocat ad Concilium Epaonense, legitur id Concilium ea de causa convocari ut animi omnium revocentur ad memoriam antiquorum canonum, & ut novi condantur, si res ita ferat: *Iustum est, quantum reor, ut constitutis prioribus sub communis præsentiæ opportunitate tractatis, nostris simul nobísque, prout ordo collocutionis invenerit, vel insinuemus vetera, vel, si necesse est, etiam nostra jungamus.* Eadem fuit sententia Concilij Arvernensis habiti anno DXXXV. cujus ea sunt verba: *Id nobis rationabile visum est, ut quamvis ecclesiasticæ regulæ penè omnia comprehendant, tamen quædam vel adderentur nova, vel repeterentur antiqua.* Avit. epist. 14

V. Canones antiqui, ad quos alludit Hilarus, nulli alij sunt præter eos qui continentur in Collectione quæ canone primo Concilij Chalcedonensis recepta est, id est, canones Nicæni, Ancyrani, Neocæsarienses, Gangrenses, Antiocheni, Laodiceni, & Constantinopolitani, ne interim Chalcedonenses omittam. quæ Collectio Latinè versa est tempore Concilij Chalcedonensis. Sed quoniam translatio ista confusa erat & indigesta, Dionysius Exiguus, natione Scytha, & Abbas apud Romam, novam versionem aggressus est ævo Iustiniani Imperatoris; quæ statim obviis ulnis excepta est ab Ecclesia Romana, ut testatur Cassiodorus: *Ex Græcis exemplaribus canones ecclesiasticos moribus suis, ut erat planus atque disertus, magna eloquentiæ luce composuit. quod hodie usu celeberimo Ecclesia Romana complectitur.* Cassiodor. de inst. lect. Vide sup. p. 249. & 57.

Cæterùm sufficere visa non est Dionysio Collectio canonum Græcorum. Itaque ut eam integram esse efficeret, canones Sardicenses addidit, & Collectionem canonum Africanorum, præter quinquaginta canones apostolicos, qui prima statim fronte occurrunt apud Dionysium. Constat integra hæc Collectio ex CCCLXXII. canonibus: quos statim subsequuntur decreta Pontificum Romanorum Siricij, Innocentij, Zozimi, Celestini, Leonis, Gelasij, & Hilari. Corpus illud canonum & epistolarum decretalium statim in universo Occidente obtinuit ad dirimendas lites ecclesiasticas; præcipuè verò in Gallia, ut patet ex Gregorio Turonensi, qui illud vocat librum Canonum. Vide Append. c. 4. §. 5.

VI. Ex iis quæ dicta sunt colligi potest eam Hilaro Papæ & Episcopis Gallicanis mentem fuisse ut debitam antiquis canonibus in veteri collectione comprehensis reverentiam custodirent, & ut suos tantùm conderent ad interpretationem & supplementum antiquorum, quibus derogari non poterat. Canones itaque novi secundum auctoritatis gradum obtinebant post antiquos; quia Concilia regionalia cedere debent Conciliis plenariis Ecclesiæ universalis, ut sanctus Augustinus scribit: *Ipsa Concilia*, inquit, *quæ per singulas regiones vel provincias fiunt, plenariorum Conciliorum auctoritati quæ fiunt ex universo orbe Christiano sine ullis ambagibus cedunt.* Quare Agobardus Archiepiscopus Lugdunensis præclarè dicebat de Canonibus Ecclesiæ Gallicanæ, canonum Gallicanorum sanctiones non esse passim æquali auctoritate recipiendas, *ut Nicæni, Chalcedonensis, & ceterorum generalium ex totius mundi consensu congregatorum & receptorum; sed quia congrua veneratione pro causis necessariis, quarum definitiones in illis generalibus non inveniuntur, fides sit eis adhibenda religione debita.* Canones illos vocavi novos post Concilium Vasense anni DXXIX. cujus ea sunt verba ex præfatione: *Et quamvis omnia quæ à sanctis Sacerdotibus vel Clericis observari debeant & antiqui & novelli canones continere probentur &c.*

August. lib. 2. de Bapt. c. 3.

Agobardus in lib. adversus legem Gundobadi cap. 12.

Vide supra lib. 3. cap. 4. §. 6.

VII. Eorum canonum collectio fiebat qui conditi erant ab universa Ecclesia Gallicana, vel à quadam ejus portione, sive in regno Visigothorum, Burgundionum, aut Francorum, sive etiam in provincia Gallicana regni Italiæ, in qua habitæ fuere Synodi Arausicanæ & aliæ quædam provinciales; hique canones recipiebantur ab Episcopis aliarum provinciarum, confecta collectione sub nomine Gallicanorum Canonum. Id docet epistola encyclica Cæsarij Episcopi Arelatensis data anno quingentesimo trigesimo quarto, qui adducit canones à Ioanne secundo Papa missos ad significandam pœnam crimini debitam quod Episcopo Reiensi Contumelioso objiciebatur, qui descripti sunt ex Collectione Dionysiana: quibus addit Cæsarius canonem nonum Concilij Nicæni, & dein titulum hunc apponit: *Incipiunt Tituli Canonum Gallicani.* Addit quoque canonem quartum Valentinum, nonúmque Concilij primi Aurelianensis, tum XXIII. Arausicani primi, & XXII. Concilij Epaonensis. Demum his verbis epistolam suam concludit: *Ecce manifestissimè constat quia secundùm quod & Tituli antiquorum patrum,---sed & Canones Gallicani continere videntur, Clerici in adulterio deprehensi, aut ipsi confessi, aut ab aliis revicti, ad honorem redire non possunt.*

Vide lib. 3. c. 4. §. 6.

Ecclesiarum communicatio efficiebat ut in Hispaniis quoque vim legis obtinerent Canones Gallicani; ut patet ex Concilio Tarraconensi habito anno DXVII. quod eos recipit quoad monachorum statum: *Canonum ante omnia Gallicanorum*, inquit, *de eis constitutione servata.*

Vide Notas Balesij ad Agobardum pag. 50.

CAPUT XXII.

Synopsis.

I. Ad executionem publicam canonum necessaria erat auctoritas regia, & tuitio. Confirmatio canonum decernenda est à Principe cum cognitione causæ.

II. Imperatores confirmaverunt Concilia Oecumenica. Theodosij confirmationem petit secunda Synodus Oecumenica.

III. Synodus Aurelianensis prima tractavit de Titulis à Clodoveo Rege propositis, à quo Episcopi petunt confirmationem canonum. Actum id à Clodoveo ad exemplum Theodosij.

IV. Insignis est locus è Synodo C P. sub Mena ad probandam in hac materia Principum auctoritatem.

V. Iustinianus Concilio Quinto proposuit materiam quæ tractanda erat.

VI. Synodus Aurelianensis secuta est exemplum veterum Conciliorum. Eam Clodoveus confirmavit, tametsi edictum ejus non exiet. Cur necessaria confirmatio Principum.

VII. Expenditur edictum Clotarij Regis pro confirmatione canonum Concilij Parisiensis quinti. De electionibus Episcoporum. De venia Clericorum. De eorum causis. Quinam sint juniores Ecclesiæ. Crimina privilegiata. De statu libertorum. Edictum illud decretum est ex sententia & consilio Episcoporum & optimatum regni. Quare summo applausu acceptum est à personis ecclesiasticis. De raptoribus viduarum aut monialium.

VIII. Post conditos canones, agebatur de judiciis causarum.

IX. In Conciliis generalibus tractabantur causæ communes, id est, magni momenti. Imperatores dare poterant judices ecclesiasticos in causa ecclesiastica. Non licebat excedere terminos causarum in Synodo propositarum à Principe. Probatur variis exemplis.

I. SED præter modificationem à me paulò antè explicatam circa convenientiam novorum & antiquorum canonum, necessarium insuper erat, ad executionem eorum publicam, ut Regum nostrorum auctoritate firmarentur. Quo in capite ij jure Imperatorum utebantur, quibus successerant in provinciis quæ, cadente Imperio, regiæ Francorum coronæ cesserant. Episcopi verò Gallicani eundem ordinem servabant quem veteres Episcopi in Conciliis universalibus congregati tenuerant, petendo nimirum confirmationem decretorum ab Im-

Vide lib. 2. c. 19. & seqq.

Vide lib. 4. c. 5. §. 1.

peratoribus, sive pro damnatione hæreseos, sive etiam pro constitutione disciplinæ ecclesiasticæ. in quibus tamen discrimen observare licet. Nam vis & robur definitionum in materia fidei non pendent ab auctoritate Principum, sed ab ecclesiastica: quæ sola potest judicare de jure, & ad quam pertinet inquirere an opinio quæ controvertitur, hæretica sit, an orthodoxa; adeo ut, quoad hoc, nullæ aliæ sint auctoritatis regiæ partes, quum decreta de fide confirmat, nisi ut supremam tuitionem impertiat executioni rerum judicatarum, utque pœnis ecclesiasticis addat seculares, exilij videlicet, publicationis, & ultimi supplicij. Quantum autem ad canones; cùm ij legum loco sint, & instituta perpetua, quæ spectant ad subditos Principum, sive Clericos, sive laïcos, novámque politiam introducant in dispositionem civilem, valde interest Principum ne eorum antè executionem permittant quàm eos consideraverint, ut sciant an aliquid in eis contineatur quod lædat utilitatem publicam aut jura & tranquillitatem Imperij. Quare confirmatio horum canonum decernenda est à Principe cum cognitione causæ; quandoquidem eis vim legis publicæ in regno tribuit acceptatio & consensus Principis, tanquam capitis populorum, & confirmatio etiam, tanquam Principis qui superiorem non agnoscit.

Vide lib. 2. c. 10. §. 8.

Vide lib. 2. c. 10. §. 9. & seqq.

II. Vetus illa consuetudo probari potest tum ex praxi, tum etiam ex edictis Constantini, Theodosij, Marciani, & Iustiniani Imperatorum: qui confirmaverunt decreta Concilij Nicæni, Constantinopolitani, Ephesini, Chalcedonensis, & Constantinopolitani sub Agapeto & Mena. Verùm sufficit, quod ad præsens institutum attinet, epistola synodica Concilij CP. Oecumenici secundi ad Theodosium Imperatorem; in qua patres aiunt se ex officio teneri ad relationem eorum quæ in synodo gesta sunt Principi mittendam; addúntque se damnasse hæreses subortas adversùs catholicam fidem, ac præterea quasdam regulas pro disciplina Ecclesiæ constituendas decrevisse, quas epistolæ adjungunt. Quapropter clementiam Principis orant ut ea confirmare dignetur. *Rogamus itaque tuam clementiam ut per literas quoque tuæ pietatis confirmetur Concilij decretum; ut sicuti literis, quibus nos convocasti, Ecclesiam honore prosecutus es, ita etiam finem eorum quæ decreta sunt obsignes.*

III. Quoad verò praxim Ecclesiæ Gallicanæ, illustrius exemplum proferi non potest quàm epistola synodica Concilij Aurelianensis primi, quod ceterorum forma & exemplar esse debet. Tractant enim patres de *Titulis*, id est, Capitibus à Rege propositis, cujus judicio submittunt canones à synodo conditos, quorum confirmationem petunt: *Quia*, inquiunt in epistola ad Clodoveum Regem, *tanta ad religionis catholicæ cultum gloriosa fidei cura vos excitat ut sacerdotalis mentis affectu Sacerdotes de rebus necessariis tractaturos in unum colligi jusseritis, secundùm voluntatis vestræ consultationem & titulos quos dedistis ea quæ nobis visum est definitione respondimus; ita ut si ea quæ nos statuimus etiam vestro recta esse judicio comprobantur, tanti consensus Regis ac Domini majori auctoritate servandam tantorum firmet sententiam Sacerdotum.* At non fortuitò, aut per occasionem, synodus deliberat de materia à Rege proposita, sed quia inter jura regia & hoc etiam eximium est ut Conciliorum cognitionem Principes intra certos limites coërceant, servato quoque ordine præscripto. Modus hic agendi deprehenditur in literis Imperatoris Theodosij pro convocatione Concilij Ephesini primi atque item secundi, in quibus præscribit materias de quibus tractari oporteat. Praxis autem illius instituti extat in Chalcedonensi Synodo; quæ coacta quidem erat ad definiendam causam fidei; sed cùm ad causarum particularium judicium ventum est, sive adversùs Dioscorum, sive aliam ob causam, tum in Actis leguntur nonnullorum libelli Marciano Imperatori oblati petentium ut eorum causæ judicentur in Concilio unà cum rescripto Principis.

IV. Singularis est in hac materia auctoritas Concilij CP. sub Mena. Imperator Iustinianus in ea urbe synodum congregaverat anno DXXXVI. ex Episcopis quatuor patriachatuum Ecclesiæ orientalis ad judicandas accusationes quas adversùs Anthimum Episcopum Trapezuntinum proponebat Marianus Archimandrita. Postquam is judicio synodi dejectus fuit, Episcopi patriarchatus Antiocheni, itémque nonulli alij Episcopi, monachi, ac Clerici, enixè & cum acclamationibus extraordinariis à Mena Patriarcha efflagitarunt ut statim sententiam damnationis & anathema pronuntiaret adversùs Severum Episcopum Antiochenum, Petrum Episcopum Apameæ, & Zoaram monachum, complices hæreseos Anthimi. At Menas, qui videbat literas Principis pro convocatione Concilij, solius Anthimi mentionem facere, respondet referendum esse de hac petitione ad Principem. Nam, addit ille, *nihil eorum quæ in sanctissima Ecclesia moventur convenit fieri præter sententiam & jussum ipsius. Rogamus itaque vestram caritatem in præsentiarum quiescere, ut nos tempus accipiamus referre ad pias suas aures ea quæ à vobis exclu-*

Vide lib. 2. c. 10. §. 11.

mata fuerunt. Tum in Actione quinta extant libelli Iustiniano oblati ab Episcopis secundæ Syriæ & ab Archimandritis; quibus eum orant ut jubeat Menæ Patriarchæ & synodo ut judicium peragant adversùs illos hæreticos. Post quæ mandatum Principis exiit, delatum ad synodum *per Theodorum Referendarium, qui detulit pium ejus mandatum, quo jubet sanctæ vestræ synodo ut ea omnia discutiat quæ libello continentur*; ut aiunt monachi in libello suo ad synodum.

V. Eo fundamento patres Concilij Quinti Oecumenici Vigilium Papam per Legatos orarunt ut ad synodum accederet, simul cum iis tractaturus de Tribus Capitulis. Materia enim isthæc proposita Concilio fuerat ab Imperatore Iustiniano in literis convocationis. *Adhortantes verò eum* (id est, Vigilium) *convenire unà nobiscum, & tractare & disponere de Tribus Capitulis, de quibus piissimus Imperator nos ejúsque beatitudinem in scriptis interrogavit.* Concil. v. Collat. 1.

VI. Ex quibus colligi potest patres Concilij Aurelianensis secutos esse exemplum obsequij Principibus exhibiti ab antiquis Episcopis. Quare dubitandum non est quin Clodoveus synodum illam confirmaverit, tametsi edictum ejus non extet, quòd ea Principes ab Episcopis discere debeant quæ ad doctrinam fidei vel morum spectant, *ut audiant ex ore patrum quod sacrum est*, ut ait Concilium quintum Aurelianense in præfatione. Tenentur enim præterea Principes auctoritate sua exteriori fulcire documenta quæ consentanea sunt sacræ Scripturæ & traditioni. Canones autem de disciplina conditi confirmari debent pro bono status ecclesiastici, qui regiæ protectioni subjacet.

Caremus aliorum Principum edictis pro confirmatione canonum datis; quòd sufficere persæpe crederent si eos verbo firmarent, eorúmque executionem permitterent. Attamen non adeo sumus infelices in hac quoque parte quin supersint illustria aliquot exempla hujus moris. Primùm enim proferri potest declaratio Episcoporum in urbe Pictavensi congregatorum anno DXC. ad judicandam causam monialium Pictavensium; qui aiunt causas religionis communicandas esse Regibus regionis, ut illis quodammodo socientur, & eorum decreto firmentur: *Propitia divinitate piis atque catholicis populo datis Principibus, quibus concessa est regio, rectissimè causas suas patefacit religio, intelligens, sacrosancto participante Spiritu, eorum qui dominantur se sociari & constabiliri decreto.* Greg. Turon. lib. 10. c. 15.

VII. Edictum Clotarij Regis, quo canones Concilij Parisiensis habiti anno DCXIV. confirmantur, expressiùs ostendit non solùm Principes confirmasse canones in synodis editos, sed etiam eis addere solitos modificationes, in iis præcipuè capitibus quæ vim auctoritatis regiæ & jurisdictionis secularis infringebant. Edixerat Concilium illud, in primo canone, Episcopum esse eligendum à Metropolitano & Episcopis comprovincialibus, itémque à clero & populo civitatis. Si verò aliquis *potentiâ* ordinaretur, ejus ordinationem fore nullam. Ei canoni, qui novare tentabat adversùs antiquos canones & jura regia, modificationem adhibet edictum Clotarij. Quippe jubet ut electio fiat à clero & populo, non autem à Metropolitano & comprovincialibus Episcopis, à quibus ordinationem peragi præcipit juxta antiquos canones. Ad conservanda autem jura regia, quorum dignitatem violare velle videtur synodus vocem *potentiæ* usurpando, jubet ut si electus fuerit dignus, ordinetur secundùm mandatum Principis; vel certè si è palatio eligatur, juxta merita doctrinámque suam ordinetur. Ceterùm ea modificatio iis verbis concepta est quæ simul canonis confirmationem continent: *Ideóque definitionis nostræ est ut Canonum statuta in omnibus conserventur, & quod per tempora ex hoc prætermissum est, vel dehinc perpetualiter observetur; ita ut Episcopo decedente, in loco ipsius qui à Metropolitano ordinari debet cum provincialibus, à clero & populo eligatur. Et si persona condigna fuerit, per ordinationem Principis ordinetur. Vel certè si de palatio eligitur, per meritum personæ & doctrinæ ordinetur.*

Canone tertio prohibetur Clericis, sub pœna depositionis, ne Principem aut ullam aliam potestatem adeant, omisso proprio Episcopo; nisi si ad eos accedant pro obtinenda venia. Clausula illa duo quædam significat, veniam scilicet criminis, quoad leges publicas, & postulationem Episcopo faciendam pro indulgentia, remissione, aut moderatione pœnitentiæ. Exemplo esse potest Childebertus, qui Episcoporum clementiam imploravit pro Chrodielde & Basina apud Gregorium Turonensem, itémque Rex Sigismundus pro Stephano in Concilio Lugdunensi. At edictum addit recipiendum esse Clericum ab Episcopo suo, si Principis epistolam ad eum deferat, quacunque tandem de causa Principem imploraverit: *Et si pro qualibet causa Principem expetierit, & cum ipsius Principis epistola ad Episcopum suum fuerit reversus, excusatus recipiatur.* Hac modificatione edicti Clotarij usus est Carolus Calvus anno octingentesimo quadragesimo tertio in causa Presbyterorum Septimaniæ, qui opprimi se à suis Episcopis querebantur: Gregor. Turon. lib. 10. c. 10. Concil. Lugdun. an. 517.

Capitulare Telof. c. 1. *Vt Episcopi nullam inquietudinem sive exprobrationem Presbyteris, aut apertè ingerendo, aut alia qualibet occasione machinando, pro eo quòd se ad nos hac vice reclamare venerunt, inferant; quia longa oppressio hujusmodi itineris eos fecit subire laborem.*

Canon quartus magni momenti est ad extollendam jurisdictionem ecclesiasticam in detrimentum secularis. Ejus hæc sunt verba: *Vt nullus Iudicum neque Presbyterum neque Diaconum vel Clericum ullum aut Iuniores Ecclesiæ sine scientia Pontificis per se distringat, aut damnare præsumat. Quòd si fecerit, ab Ecclesia cui injuriam feciſſe dinoscitur tamdiu sit sequestratus quandiu reatum suum corrigat & emendet.* Quid Episcopi velint rectè explicat hic canon. At edictum causas distinguit, & utriusque jurisdictionis terminos accuratè admodum præscribit. Nam discrimen esse docet inter causas civiles & criminales, itémque inter Presbyteros, Diaconos, & Clericos inferioris ordinis. De causis civilibus Clericorum, cujuscunque ordinis sint, seculares judices non posse cognoscere, nisi si causa citra omnem controversiam fuerit evidens & manifesta; exceptis nihilominus Presbyteris & Diaconis, quorum omnes causæ civiles ab Episcopis eorum omnino judicandæ sunt. Quoad causas verò criminales omnium Clericorum, si capitales essent, examinandas esse à judicibus secularibus simul cum Episcopis. Quòd si causa vertatur inter hominem Ecclesiæ addictum, cujusmodi viros *Iuniores Ecclesiæ* vocat hic canon, & hominem liberum, judicandam esse in audientia publica à Præposito Ecclesiæ & judice publico. Hæc sunt verba edicti: *Vt nullus judicum de quolibet ordine Clericos de civilibus causis, præter criminalia negotia, per se distringere aut damnare præsumat, nisi convincitur manifestus; excepto Presbytero, aut Diacono. Qui verò convicti fuerint de crimine capitali, juxta Canones distringantur, & cum Pontificibus examinentur. Quòd si causa inter personam publicam & homines Ecclesiæ steterit, pariter ab utraque parte Præpositi Ecclesiarum & judex publicus in audientia publica positi ea debeant judicare.* Causas criminales judicibus secularibus reservaverat Concilium Matisconense primum anno DLXXXI. cujus ea sunt verba in canone septimo: *Absque causa criminali, id est, homicidio, furto, aut maleficio.* Synodus verò Pictavensis, apud Gregorium Turonensem, crimina capitalia his tribus vocabulis comprehendit, *adulterium, homicidium*, & *maleficium*. Verùm materia hæc non est hujus loci. In præsentiarum satis erit adnotare modificationem canonis edicto Clotarij introductam: cui accepta referri debet origo instituti quo Clericos gravium criminum reos, quæ nunc *privilegiata* dicuntur, à judice ecclesiastico & seculari conjunctim judicari apud nos invaluit.

Greg. Turon. lib. 10. cap. 16.

Canon quintus Episcoporum jurisdictioni absolutè submittit quæstiones de statu & libertate libertorum, adeo ut Episcopis licere edicat eos excommunicatione plectere qui libertos revocare conarentur ad pristinam servilem conditionem, nisi rationem actus sui reddant Episcopo aut Præposito Ecclesiæ. Edictum verò nihil Episcopo tribuit præter protectionem libertorum, & ut præsens sit in judicio quod in ea causa feret judex publicus: *Libertos à Sacerdotibus juxta textus chartarum ingenuitatis suæ defendendos, nec absque præsentia Episcopi aut Præpositi Ecclesiæ esse judicandos, vel ad publicum revocandos.* Ceterùm hujus loci auctoritate modificatus quoque censeri potest canon septimus Concilij Matisconensis secundi, quod omnem judicibus secularibus cognitionem ademit in hac materia, nisi si Episcopo visum fuerit eos in audientiam accersere.

Si edictum illud extaret integrum, alias proderet modificationes aut explicationes jurium regiorum; & fortassis ob similem diligentiam amissa sunt edicta aliorum Principum. Ex hoc autem edicto colligi potest Reges confirmasse decreta Conciliorum cum cognitione causæ, tum non ita severè accipienda esse verba canonum, quando de jurisdictione seculari agunt, ut ab iis discedere nefas esse putemus vel transversum unguem; contrà, æquum esse ut explicentur, ac terminis quibusdam circumscribantur, eáque modificatio adhibeatur quæ legibus antiquis & Principum possessioni congruat, ne regia auctoritas detrimentum patiatur. Ea porrò regula in primis uti oportebit quoad posteriorum seculorum Concilia, quæ maximè tentarunt imminuere regiam potestatem in res & personas ecclesiasticas.

Sed observandum hauddubiè est, edictum illud Clotarij, quo nonnulla alia capita continentur, latum non esse per vim, sed ex sententia & consilio Episcoporum & optimatum regni, ut ex ipsis edicti verbis constat: *Quicunque verò hanc deliberationem, quam cum Pontificibus vel tam magnis viris optimatibus aut fidelibus nostris in Synodali Concilio instituimus, temerare præsumpserit, in ipsum capitali sententia judicetur; qualiter alij non debeant similia perpetrare. Quam auctoritatem vel edictum perpetuis temporibus valiturum, manus nostræ subscriptionibus decrevimus roborandum.* Adeo autem acceptum illud fuit personis ecclesiasticis ut Synodus Remensis congregata

gata anno DCXXX. excommunicationi subdat judices qui aut canones ipsos in contemptum hujus edicti aut edictum ipsum violabunt. Solebat enim disciplina illius seculi, quo pœnitentiæ publicæ in usu erant, eos judices aliásve personas, ex consensu Regum, excommunicatione plectere quos eorum edicta pœnæ capitali subjiciebant. *Iudices*, inquit Synodus Remensis, *qui super auctoritate & edicto dominico canonum statuta contemnent, vel edictum illud dominicum quod Parisius factum est violaverint aut contempserint, placuit eos communione privari.* In ejusdem Concilij Remensis canone XXIII. excommunicantur ij qui *viduas vel puellas Domino consecratas* rapuerint etiam *per auctoritatem regiam.* Quod ea de causa præcipitur, quoniam edictum Clotarij irrita esse decernit hujusmodi rescripta, & raptores qui sibi jungunt moniales pœnæ capitali subjicit.

VIII. Postquam canones conditi erant, de causarum judiciis agebatur. Id docet canon primus Concilij Arvernensis habiti anno DLV. relatus in Decreto Ivonis Carnotensis: *In primis placuit ut quoties secundùm statuta patrum sancta synodus congregatur, nullus Episcoporum aliquam priùs causam suggerere audeat quàm ea quæ ad emendationnm vitæ, ad severitatem regulæ, ad animæ remedia pertinent.* Ivon. par. 5. c. 168.

IX. Existimandum est causas in his Conciliis tractari consuevisse secundùm distinctionem in canonibus Africanis prolatam, id est, in eis tractatum non fuisse nisi de causis communibus & magni momenti, veluti fidei, disciplinæ, aut accusationum adversùs Episcopos, sive institutæ illæ essent ob eorum mores, sive etiam ob vitia ordinationum. Iam enim ostendi auctoritate quamplurium canonum Ecclesiæ Gallicanæ causas Presbyterorum & aliorum Clericorum, atque etiam causas civiles Episcoporum, judicari solitas in synodis provincialibus citra appellationem. Sed præter accusationes adversùs Episcopos nonnullæ etiam causæ magni momenti in synodo diversarum provinciarum judicabantur jussu Principum. Exemplo erit gravis controversia quæ exarsit inter Chrodieldem filiam Chariberti Regis monialem in monasterio beatæ Radegundis Pictavensis & Leuboveram Abbatissam: quæ controversia judicata est in Concilio Pictavensi ab Episcopis quos ea de causa congregaverant Guntramnus & Childebertus Reges. In epistola autem sua ad Reges missa, qua eorum sententia continetur, Episcopi confitentur se congregatos esse ab iis ad judicium illius causæ; neque altiùs scrutantur an Regibus liceat judices ecclesiasticos dare in causa ecclesiastica, quòd intelligerent canonem centesimum quartum Africanum eam auctoritatem agnovisse in Imperatoribus. Igitur judicium fertur, non solùm à Metropolitano provinciæ, sed etiam ab Episcopis alienarum provinciarum ad unicam hanc causam judicandam congregatis jussu Principum, ad cujus solius cognitionem coërciti sunt: *Et quia*, inquiunt Episcopi, *ex jussione potestatis vestræ, cùm ad Pictavam civitatem pro conditionibus monasterij sanctæ recordationis Radegundis convenimus, ut altercationes inter Abbatissam ejusdem monasterij & monachas ipsis disceptantibus agnoscere deberemus, evocatis partibus &c.* In calce autem epistolæ, restituta Abbatissa, excommunicatisque Chrodielde & complicibus ejus, addunt: *Hæc nos pro vestra jussione, quod ad ecclesiasticum spectat ordinem, circumspectis canonibus, absque personarum aliqua acceptione, suggerimus peregisse.* Venia tamen eis data est, rogante Childeberto Rege, in Concilio quod eodem anno convenit in civitate Metensi: *Vtrisque Rex veniam imperti-ri deprecatus est; & sic in communionem receptæ.*

Examen Regulæ sancti Columbani, quam multi arguebant superstitionis, peractum est anno DCXXVII. in Synodo generali Episcoporum regni Bungundici, quod complectebatur medietatem ferè provinciarum Galliæ, ab Episcopis à Clotario Rege convocatis, *qui statuit ut synodali examinatione probarentur.* Infrà: *Tunc emanante regali auctoritate, multi jam Burgundiæ Episcopi in suburbio Matisconensis urbis conveniunt.* Ionas monachus in vita Eustasii, relatus tom. 1. Concil. Gall pag. 477.

Audoënus Rothomagensis Archiepiscopus narrat in vita sancti Eligij quendam hæreticum Monothelitam è Græcia profugum, in Galliam se contulisse, & apud Augustodunensem urbem clanculum docuisse pravam suam doctrinam, Regémque Clodoveum secundum congregasse Concilium apud urbem Aurelianensem anno DCXLV. in quo hæreticus ille damnatus fuit, & pulsus è regno, exemplàque sententiæ adversùs ipsum latæ per singulas civitates commeasse. Vita S. Eligij lib. 1, c. 34.

Quinquennio pòst, id est, anno sexcentesimo quadragesimo nono, eam hæresim Martinus Papa primus damnavit in Concilio Romano; cujus Acta misit ad Amandum Trajectensem Episcopum, ut ejus cura damnatio in eo Concilio decreta firmaretur consensione Episcoporum illarum partium in synodo congregatorum: *Atque synodali conventione omnium fratrum &* Martinus PP. in ep. ad Amandum Traject. Episc.

coëpiscopoium nostrorum partium illarum effecta, secundùm tenorem encycliæ à nobis directæ scripta unà cum subscriptionibus vestris nobismet destinanda concelebrent, confirmantes atque consentientes eis quæ pro orthodoxa fide & destructione hæreticorum vesaniæ nuper exortæ à nobis statuta sunt.

CAPVT XXIII.

Synopsis.

I. Hispania iisdem moribus vivebat quibus Gallia. Reges illic convocabant Concilia generalia, eorúmque canones confirmabant. Concilium Toletanum tertium convocatum est à Recaredo Rege, qui canones ejus edicto suo confirmavit. Tum temporis Gallia Narbonensis pertinebat ad regnum Hispaniæ. Cinthila Rex confirmavit Concilium Toletanum quintum.

II. Episcopi Hispani distinguebant causas quæ tractandæ erant in Concilio generali ab iis quæ pertinebant ad cognitionem Conciliorum provincialium. Probatur ex Concilio Toletano quarto.

III. Concilium Toletanum octavum jubet ut diversitas judiciorum referatur ad Concilium universale Hispaniarum.

I. VERÙM ne quis existimet Reges nostros excessisse limites auctoritatis suæ, cùm generalia regni Concilia convocabant, eorúmque canones confirmabant, adferam exemplum Hispaniarum, in quas eadem praxis introducta est statim atque Recaredus Rex, Gotthicæ stirpis, ejurato Arrianismo, catholicam religionem amplexus est. Is ergo Concilium Toletanum tertium congregavit anno quingentesimo octuagesimo nono, cui interfuerunt Episcopi sex provinciarum Hispaniæ, aut per se, aut per legatos suos, scilicet Toletanæ, Hispalensis, Bracarensis, Emeritensis, Tarraconensis, & Narbonensis, quæ tum pertinebat ad regnum Hispaniæ. Vnde factum ut Concilium illud, itémque alia generalia, dicatur *Synodus Episcoporum totius Hispaniæ & Galliæ.* Editi sunt in eo Concilio canones XXIII. quos edicto suo confirmavit Recaredus, eorúmque titulos ei inseruit: *Capitula enim quæ nostris sensibus placita, & disciplinæ congrua, à præsenti conscripta sunt synodo, in omni auctoritate sive Clericorum, sive laicorum, sive quorumcunque omnium observentur & maneant.* Infrà: *Has omnes constitutiones ecclesiasticas, quas summatim brevitérque perstrinximus, sicut plenius in canone continentur, manere perenni stabilitate sancimus.* Subscriptio autem ejus ita habet: *Flavius Recaredus Rex hanc deliberationem, quam cum sancta definivimus synodo, confirmans subscripsi.* Tum subscribunt Metropolitani, Episcopi, & absentium Legati, LXII. numero. Concilium porrò Toletanum quintum anno sexcentesimo trigesimo sexto edicto suo confirmavit Rex Cinthila.

II. Exemplo Africæ & Galliarum, Hispaniarum Episcopi distinguebant causas quæ tractandæ erant in Concilio generali ab iis quæ pertinebant ad cognitionem Conciliorum provincialium. Disertè id docet canon tertius Concilij Toletani quarti à Rege Sisenando convocati anno sexcentesimo trigesimo tertio, cui præfuit Isidorus Hispalensis: *Si causa fidei est, aut quælibet alia Ecclesiæ communis, generalis totius Hispaniæ & Galliæ synodus convocetur. Si verò nec de fide nec de communi utilitate tractabitur, speciale erit Concilium uniuscujusque provinciæ, ubi Metropolitanus elegerit, peragendum.*

III. In Concilio octavo Toletano habito anno DCLIII. jussu Regis Recesvinthi, canone XI. nova quædam causa reservatur Concilio universali, videlicet cùm in quæstione quapiam reperitur diversitas judiciorum: *Vt illic de diversitate judiciorum protensæ lites habeant terminum ubi Spiritus sanctus universalem coadunaverit cœtum.* Dein Concilium jubet ut universi canones horum Conciliorum, *generalia statuta*, inviolabiliter observentur.

CAPVT XXIV.

Synopsis.

I. Ignoratio canonum pessumdedit ecclesiasticam politiam sub finem primæ Regum nostrorum dynastiæ. Inde factum ut nonnullæ gentes in limite Rheni ad idololatriam converterentur. Ea de causa missus in Germaniam Bonifacius; quem Gregorius secundus Papa commendavit Karolo Martello. Obliterata erat in regno Austrasiorum consuetudo celebrandorum Conciliorum.

II. Carlomannus Dux Francorum convocavit Concilium Liptinense; cujus etiam decreta confirmavit. Bonifacius, Missus sancti Petri. *Decernit autem Carlomannus* juxta sanctorum canones.

III. Pippinus convocavit Synodum Suessionensem; cujus canones editi sunt sub nomine Pippini; quemadmodum Liptinenses sub nomine Carlomanni. Solus Pippinus illic decernit confirmationem canonum, cum consilio ceterorum. De appellationibus tanquam ab abusu. Vox illa Vel *interdum æquivalet conjunctioni* Et. Servi Dei, *id est, Abbates.*

IV. Zacharias Papa cuncta confirmavit quæ apud Liptinas & Suessionem acta fuerant. Auctoritatem suam vocat commonitionem, *Principum verò* mediationem. *Expenduntur verba Zachariæ.*

V. Pippinus Rex synodum Vernensem congregat. Canone quarto præcipitur ut bis in anno celebretur synodus, ubicunque Domnus Rex jusserit, in ejus-

præsentia. *Prima synodus*, regia *dicebatur*; *alia*, ecclesiastica. *Ad primam conveniebant Episcopi & proceres.*

VI. Conventus mensis Martij revocatus ad Maium in Concilio Compendiensi. Conventus vocabatur Campus. *Emendati annales Francici.*

VII. Angli veteres conventus suos mense Maio agi jusserunt. Conventus Francorum interdum vocantur Placitum, Concilium, Conventus, Synodus, & Colloquium. *In iis tractabantur causæ ecclesiasticæ & civiles. Conventus Gentiliacensis examinavit quæstionem de processione Spiritus sancti & de cultu imaginum.*

VIII. Secundus conventus constabat solùm ex Episcopis, Abbatibus, & Presbyteris. Novos canones utplurimùm non condebat. Sed si quos conderet, ij non antè vim legis obtinebant quàm edicto Principis fuissent confirmati.

I. CONCILIA habita sub secunda Regum nostrorum dynastia abundè probabunt auctoritatem regiam pro convocatione Conciliorum, itémque pro confirmatione aut modificatione canonum.

Turbulenta bella quæ post annum sexcentesimum sexagesimum inflammata sunt in regno, tantam confusionem attulerunt in politia Ecclesiæ Gallicanæ ut canones prorsùs ignorarentur; eóque pacto, cessatio ab eorum executione aliquatenus excusabatur, ob inscientiam Episcoporum. Hinc factum ut vita hominum non solùm paulò solutior esset, sed ad superstitiones etiam inclinaret, nonnullíque in limite Rheni fluminis ad idololatriam converterentur. Gregorius secundus Pontifex Romanus, intelligens sibi ob dignitatem sedis suæ imminere curam universalis Ecclesiæ, Legatum in Germaniam misit Bonifacium, ut illic operam daret conversioni paganorum; eum porrò commendavit Carolo Martello Duci Francorum, qui eum sub sua protectione suscepit anno septingentesimo vigesimo secundo. Optimus ille Episcopus magnos progressus fecit in Germania. Dein Carlomanno Duci Francorum, Caroli Martelli filio, persuasit ut synodum congregaret in regno Austrasiæ, quod Carlomanno evenerat. Obliterata erat in ea regione Conciliorum celebratio, cùm nullum illic habitum fuisset elapsis jam sexaginta & eo ampliùs annis; quòd nimirum nullus illic fuisset Archiepiscopus qui eorum convocationem faceret, episcopatus verò dati essent utendi laïcis; aut personis quidem Ecclesiasticis commissi, sed adulteris, & dissolutis; ut ad Zachariam Papam scripsit Bonifacius anno septingentesimo quadragesimo tertio. Respondet Zacharias laudare se desiderium Carlomanni, Legatúmque jubet celebrare synodum: *Præcipimus*, inquit, *celebrare synodum.*

Gregorij epistola ad Carolum Ducem, & epistola Caroli.

Bonif. ep. ad Zach. c. 2.

Zachar. ep. ad Bonif. c. 2.

II. Existimari posset Bonifacio pontificia præceptione fulto competivisse auctoritatem congregandi Concilij Episcoporum Galliæ. Verùm ætatis illius politia aliud obtinebat, quæ nihil de jure Regum detrahi patiebatur in gratiam Ecclesiæ Romanæ; cui satis concedi videbatur, si Legatus Concilium celebraret cum Episcopis. Quapropter Carlomannus, penes quem erat regia auctoritas tempore Childerici Regis, Liptinas evocavit Bonifacium Legatum apostolicæ sedis aliósque Episcopos & eorum Presbyteros, ut eorum consiliis juvaretur ad restituendam religionem, quæ sub aliis Principibus pessumdata fuerat. *Ego*, inquit ille in præfatione Concilij Liptinensis, *Carlomannus Dux & Princeps Francorum anno ab Incarnatione Domini* DCCXLIII. *cum consilio servorum Dei & optimatum meorum, Episcopos qui in regno meo sunt cum Presbyteris ad Concilium & Synodum pro timore Christi congregavi, id est, Bonifacium Archiepiscopum &c. ut mihi consilium dedissent quomodo lex Dei & ecclesiastica religio recuperetur, quæ in diebus præteritorum dissipata corruit.* Inutilis autem futura est opera nostra si probare velimus statuta hujus Concilij à Principe confirmata fuisse, cùm decretum publicatum sit ejus nomine, de consilio Episcoporum & optimatum. Canon primus illius Concilij ejus est momenti ut nostram quoque curam requirat. Ait quippe Princeps se constituisse Episcopos in civitatibus, eisque præposuisse Bonifacium Archiepiscopum, *qui est Missus S. Petri*; bona sua Ecclesiis restituisse, suis reditibus privasse, regradasse, & ad pœnitentiam compulisse falsos Presbyteros, Diaconósque, & Clericos dissolutos. Tum clausulam addit quæ regulam probat à nobis propositam quoad convocationem Conciliorum & decretorum confirmationem: *Statuimúsque per annos singulos synodum congregari; ut nobis præsentibus, canonum decreta & Ecclesiæ jura restaurentur, & religio Christiana emendetur.* Deinde in quibusdam capitibus nonnulla jubet de obsequio Presbyterorum erga Episcopos in functionibus ecclesiasticis, castigatione Presbyterorum dissolutorum, & quibusdam aliis rebus. Vtitur autem iis verbis quæ Iustinianus frequenter usurpat in Novellis constitutionibus, qúæque in usum hodie recepta sunt in Regum nostrorum constitutionibus: *Decernimus juxta sanctorum canones.* Can. 3. 4. 5.

III. Pippinus, frater Carlomanni, Dux & Princeps Francorum, penes quem regia auctoritas erat in regnis Burgundiæ & Neustriæ, synodum anno sequenti DCCXLIV. congregavit in urbe Suessionensi, ad restituendam disciplinam canonicam in his regio-

nibus. Eodem autem jure in hac synodo usus est quo frater ejus in Austrasia usus erat. Præcepit enim ut antiqui canones observarentur; & nonnulla statuta edidit cum consilio Episcoporum & optimatum regni, pro constituendis Episcopis per civitates, & pro recta gubernatione Clericorum, monachorum, & laïcorum. Hi autem canones sub nomine Pippini eduntur, quemadmodum Liptinenses sub nomine Carlomanni. *Propterea nos*, inquit Pippinus, *una cum consensu Episcoporum, sive Sacerdotum, seu servorum Dei, & optimatum meorum consilio, decrevimus ut annis singulis synodum renovare debeamus.* Reliqui autem canones eodem modo concepti sunt: *Constituimus, Statuimus, Diximus.* Quod non ea mente dictum velim ut ea explicatione removere velim Episcopos à conditione canonum, aut eorum auctoritatem imminuere; sed ut ostendam ad Principes pertinere jus consentiendi canonibus, eósque auctoritate sua firmandi. Explicatio enim hæc, quæ statim occurrit, cùm sit apertissima, colligitur præterea ex verbis ultimi canonis; in quo pœna decernitur adversùs eos qui canones illos violarent ab Episcopis cum consensu Principis & optimatum decretos. Quo loco injecta est mentio consensus Principis & Consilij ejus. Quantum autem ad confirmationem; deprehenditur quidem illa in singulis canonibus, sed Princeps solus eam decernit cum consilio ceterorum. Quibus addo, ultimum illum canonem tribuere Principi, Episcopis, & Comitibus, id est, Parlamento Franciæ, auctoritatem puniendi violatores horum canonum Suessionensium. in quo extat exemplar appellationum tanquam ab abusu, quæ nunc apud nos usu quotidiano recipiuntur. qua de re dixi alibi. *Si quis contra hoc decretum*, inquit Synodus, *quod* XXIII. *Episcopi cum aliis Sacerdotibus vel servis Dei, una cum consensu Principis Pippini, vel optimatum Francorum consilio, constituerunt, transgredi vel legem irrumpere voluerit vel despexerit, judicandus sit ab ipso Principe vel Episcopis vel Comitibus, & componat, secundùm quod in lege scriptum est, unusquisque juxta ordinem suum.* Vox illa *Vel* apud mediæ ætatis scriptores æquivalet conjunctioni *Et*. Itaque quum legis in hoc canone, *vel Episcopis vel Comitibus*, intelligendum est, *& Episcopis & Comitibus*. Item *Sacerdotibus, vel servis Dei*; id est, *& servis Dei*, hoc est, Abbatibus.

IV. At Zacharias Pontifex, cùm Acta horum Conciliorum ad se à Bonifacio missa recepisset, non damnavit temeritatis auctoritatem à Carlomanno & Pippino usurpatam in his synodis. Contrà, cuncta quæ in eis statuta fuerant approbavit. Rectè autem auctoritatem suam distinguit ab auctoritate Principum. Quippe suam vocat *commonitionem*; Principum verò, *mediationem*. Legato autem suo potestatem tribuit monendi synodum de vitiis quæ in Ecclesia erant. Episcopos autem, Duces, & Comites admonet ut Legati consilia sequantur, ejúsque commonitionibus obediant, remediúmque unà cum Principibus adhibere satagant malis quæ in clero erant. Heic autem consideranda est mira potestatum concordia, cùm unusquisque juxta gradum suum laboraret pro reformatione Ecclesiæ: *Referente nobis*, inquit Zacharias, *reverendissimo atque sanctissimo* Capitul. lib. 6. c. 363. *fratre nostro Bonifacio Archiepiscopo quòd dum synodus aggregata esset in provincia vestra juxta nostram commonitionem, mediantibus filiis nostris Pippino & Carlomanno Principibus vestris, peragente etiam vicem nostram Metropolitano Bonifacio, Dominus illuminasset corda vestra cum Principibus vestris in prædicationem ejus, ut omnibus commonitionibus ejus obediretis, & falsos & schismaticos & homicidas & fornicarios à vobis expelleretis Sacerdotes, omnipotenti Deo gratias egimus &c.* Epistola porrò illa inscripta est universo clero Ducibúsque & Comitibus Franciæ, qui suffragia sua contulerant in conditione horum canonum.

V. Præclara hæc initia pro restituenda disciplina canonica Pippini auctoritate firmata sunt postquam unctus est in Regem; tametsi continua bella quæ gessit cum Hunaldo & Waifario Ducibus Aquitaniæ multùm incommodaverint pio ac generoso consilio Pippini pro reformatione Ecclesiæ susceptо. Hinc illæ querelæ Pippini in Concilio generali Vernensi, in quo *universos penè Galliarum Episcopos* congregavit anno septingentesimo quinquagesimo quinto, nonnullósque in eo canones condi procuravit interim valituros donec revocata pace licitum ei foret cuncta restituere secundùm antiquos canones. Vnicuique civitati dari jubetur Episcopus. Tum quibusdam delegatur ministerium Metropolitanorum, donec pleniùs statui possit. Canon quartus præcipit ut unoquoque anno duæ synodi celebrentur; prima, mense primo, Kalendis Martiis, *ubicunque Domnus Rex jusserit, in ejus præsentia*; secunda verò, Kalendis Octobris, in urbe Suessionensi, vel ubi ab Episcopis statutum fuerit in præcedenti Concilio. Heic autem observandum est primam synodum eam esse quæ *synodus regia* dicebatur, aliam verò, *synodum ecclesiasticam*. Prima ergo illa synodus non solùm ex Episcopis constabat, sed etiam ex optimatibus & Comitibus regni; in qua omnium suffragiis

condebantur statuta ad disponendam politiam ecclesiasticam & civilem, quæ postea confirmabantur à Rege. Quod probari potest ex inscriptione Concilij Compendiensis habiti anno DCCLVII. *quod apud Compendium palatium publicum in generali populi conventu celebratum est.* Cui consentanea sunt verba Eginhardi in annalibus: *ubi tunc populi sui generalem conventum habuit.*

VI. In hoc Concilio Compendiensi mutatum est tempus hujus conventus, qui Kalendis Martiis habendus erat juxta canonem Synodi Vernensis. Nam Pippinus eum Kalendis Maij præcepit haberi, ut docet Fredegarius: *Pippinus Aurelianis placitum suum campo Madio, quod ipse primus pro campo Martio pro utilitate Francorum instituit, tenens, multis muneribus à Francis & proceribus ditatus est.* Conventus hoc loco vocatur Campus; eò quòd in campo ageretur, ut docet Eginhardus. Vnde apud Gregorium Turonensem libro II. cap. XXVII. & in antiquis Chronicis vocatur *Campus Martius.* Campus ille Martius in Maium mutatus est à Pippino in hoc Concilio Compendiensi. Quod probatur auctoritate annalium Francicorum ab Andrea Ducheſnio editorum; in quibus habetur conventum qui mense Martio agi consueverat, haberi deinceps jussum esse mense Maio, idque ita institutum eo tempore quo Tassilo Dux Bajoariæ ad Regem Pippinum accessit, ejúsque se vassallum professus est. *Anno* DCCLV. inquiunt annales Francici, *venit Thasilo ad Martis campo. Et mutaverunt Martis campum in mense Maio.* At subjectio Thassilonis facta est in conventu Compendiensi, qui in annum septingentesimum quinquagesimum quintum incidit, ut testatur Eginhardus in annalibus. Quare emendandus est error qui irrepsit in annales Francicos paulò antè laudatos; in quibus scriptum est Tassilonem accessisse ad Pippinum anno DCCLV. legendúmque *anno* DCCLVII.

VII. Angli veteres exemplum Francorum secuti, conventus suos, quos Parlamenta vocant, mense Maio agi jusserunt; ut patet ex legibus sancti Edvvardi. Conventus autem hic Francicus diversè vocatur in vetustis annalibus, *Placitum* videlicet, *Concilium*, *Conventus*, *Synodus*, & *Colloquium.* In eo, ut dixi, tractabantur causæ ecclesiasticæ & civiles; ut colligere possumus ex canonibus Concilij Compendiensis, & ex quæstionibus propositis in Concilio Gentiliacensi anno septingentesimo sexagesimo septimo. Nam cùm Legati Pippini & Summi Pontificis ex urbe Constantinopolitana rediissent unà cum Legatis Græcorum, Rex congregavit Episcopos & optimates regni in villa Gentiliacensi, in agro Parisiensi; ubi quæstiones de processione Spiritus sancti & de cultu imaginum examinatæ sunt, ut Eginhardus testatur in annalibus: *Rex Pippinus, conventu in Gentiliaco villa congregato, synodum de ipsa quæstione habuit.* Ex epistola verò Pauli Papæ ad Pippinum discimus eam synodum constitisse ex *aggregatis Sacerdotibus atque optimatibus.*

VIII. Secundus verò conventus, à Synodo Vernensi imperatus, constare debebat ex Metropolitanis, Episcopis, Abbatibus, & Presbyteris. Sed novos canones condere non debebat; eámque tantùm curam suscipiebat, ut veterum observationi invigilaret, & hominum vitia corrigeret. Ita docet canon quintus Concilij Vernensis; in quo statutum est ut illi qui monasteriis præsunt, si peccaverint, definitivo decreto corrigantur à Concilio, postquam Episcopi & Metropolitani irrita opera fuissent. Quòd si conventus hujuscemodi canones aliquos edebant, ij non antè vim legis obtinebant quàm in regio Consilio examinati fuissent & Regis edicto confirmati.

Eginh. ad an. 767. Pippinus conventum more Francis in campo egit.

Ap. Ducheſn. To. 1. pag. 7.

Chron. S. Arnulfi: Carolus habuit colloquium vel synodum in Vormatia civitate.

Eginh. ad an. 767.

CAPVT XXV.

Synopsis.

I. Sub Karolo magno politia ecclesiastica restaurata est. Duplex item conventus unoquoque anno celebrabatur ejus ævo. Liber Adalardi De ordine Palatij.

II. In his conventibus condebantur statuta de rebus ecclesiasticis & civilibus. Karolus magnus conventui proponebat capitula de quibus deliberari volebat.

III. Acceptis capitulis, optimates examinabant causas. Principis auctoritas quoad constituta in his conventibus.

IV. Episcopi & Abbates interdum in his conventibus deliberabant seorsim à laicis, interdum conjunctim, pro genere causæ quæ tractabatur. Probatur ex Hincmaro.

V. Eginhardi locus ex Annalibus explicatus. Item Capitulare anni 779.

VI. Karolus magnus præcepit quinque Concilia in diversis locis celebrari. Quæ fuerint in eis Episcoporum partes, quæ Abbatum, ac Comitum. Canones suos à Principe emendari aut confirmari postulant Concilia isthæc. Eos Karolus præsente se examinari jussit in conventu Aquisgranensi; ubi eos confirmavit.

VII. Synodus Francofordiensis congregata est jussu Karoli magni, qui præfuit Synodo. Explicatur præsidentia illa. Concilia Gallicana habebantur per illas tempestates in aula palatij.

VIII. In Concilio Francofordiensi explosa hæresis Felicis Episcopi Vrgellensis. Tum Synodus Nicæna secunda repudiatur. Quæstiones illæ sola Epis-

coporum auctoritate definitæ sunt. Tassiloni Duci Bajoariæ venia à Karolo data, nulla Episcoporum mentione facta.

IX. Causæ communes in synodis generalibus tractari solitæ. Causæ verò quæ communes non erant, in provinciis agitabantur.

ADDITIO.] *Agitur de Concilio Narbonensi adversùs Felicem Vrgellensem; quod jussu Hadriani primi & Karoli magni habitum est. Ejus Acta referuntur. Tum disputatur de tempore hujus Concilij. Reges Francorum, Imperatores interdum dicti, tametsi Imperium Romanum non obtinerent. De limitibus diœceseos Narbonensis & Helenensis. De episcopatu Ausonensi & archiepiscopatu Tarraconensi.* Confinium Hispaniæ, *id est, diœcesis Ausonensis.*

I. SUB Carolo magno politia ecclesiastica restaurata est juxta antiquos canones, cura & diligentia hujus Principis, qui eos renovari procurabat in generalibus regni conventibus; novósque condi præcipiebat, si necessitas postularet. Quoniam verò Hincmarus Remensis Archiepiscopus impensè laudavit ordinem in his conventibus observatum ævo Caroli magni, brevis ejus descriptio ineunda est per aversionem, utilis futura ad rectè intelligendum diversa loca Synodorum, Capitularium, & vetustorum annalium illius ævi. Adalardus Abbas Corbeïensis, propinquus & Consiliarius Caroli magni, librum ediderat *De ordine Palatij*, cujus synopsim retulit Hincmarus: in quo aiebat duos unoquoque anno conventus haberi solitos; quorum unus generalis esset, alter verò particularis. Primus constabat ex Episcopis & Abbatibus & Comitibus regni; & in eo disponebatur status politicus in eum annum. Secundus autem constabat ex antiquioribus Episcopis & Comitibus, & ex nonnullis etiam ex iis ministris quorum consiliis Princeps utebatur in republica administranda; in eóque conventu secretò digerebantur ac decernebantur ea quæ proponi & statui debebant in proximo conventu generali. Præterea conventus ille virorum principum ordinabat negotia quæ per annum incidebant, quæque differri non poterant, sive pro renovandis induciis, aut ob bellum minimè expectatum, aut ob alias similes occasiones.

Hincmar. ep. 1. cap. 29. edit. Mogunt. *Bis in anno placita duo tenerentur &c. in quo placito generalitas universorum majorum, tam Clericorum, quàm laïcorum, convenebat.*

II. In his conventibus, præcipuèque in generalibus, condebantur statuta de rebus ecclesiasticis & civilibus. Rex enim conventui proponebat nonnulla capitula, de quibus deliberari volebat in conventu; ut disertis verbis adnotavit Hincmarus. Heic autem animadvertere potest lector, in usu tunc apud nos fuisse modum agendi quem Romani Imperatores olim usurpabant, de quo suprà disserui; tum etiam revocari potest exemplum Clodovei primi Regis Christiani, qui Synodo Aurelianensi dedit *Titulos*, id est, capitula de quibus agi voluit in Concilio. Eundem ordinem sequebatur Carolus magnus. *Mox*, inquit Hincmarus in capite XXXIV. ejusdem epistolæ, *auctoritate regia per denominata & ordinata capitula, quæ vel ab ipso per inspirationem Dei inventa, vel undique sibi nunciata post eorum abscessum* (id est, postremum conventum habitum) *præcipuè fuerant, eis ad conferendum vel considerandum patefacta sunt.*

Suprà cap. 22. hujus libri.

III. Acceptis capitulis, optimates examinabant causas; ea tamen ratione, ut penes antiquiores esset maxima in censendo auctoritas, eisque juniores consensum suum adderent. Iuniores tamen interdum loquebantur, sed ut sensus suos potiùs promerent quàm ut suffragij ferendi jure uterentur. Discussio isthæc biduum aut triduum durabat; delegato palatinis ministerio ut Regis responsa super dubiis propositis ad conventum referrent, donec ad eum delata foret deliberatio synodalis. Tunc verò Princeps eam sententiam præferebat quam æquiorem existimabat, eámque omnes dein amplectebantur. *Donec*, inquit Hincmarus in cap. XXXIV. ejusdem epistolæ, *res singulæ ad effectum perductæ, gloriosi Principis auditui in sacris ejus obtutibus exponerentur, & quidquid data à Deo sapientia ejus eligeret, omnes sequerentur.* Hincmar. c. 31.

IV. Attamen quia differentia occurrebat in causis, quarum aliæ erant spirituales, aliæ verò seculares, quædam verò mixtæ, discrimine etiam aliquo utebantur in modo deliberandi. Episcopi enim & Abbates seorsim à laïcis conveniebant; foris nempe, si cœlum serenum esset, aliàs intra ædes; ita ut unusquisque suam Curiam haberet discretam ac separatam, ac splendidè ornatam & instructam, ad quam summo manè conveniebatur. Comites verò & optimates à reliquis laïcis discernebantur *subselliis honorificabiliter præparatis*. Inter deliberandum autem, seorsim interdum promebant sententiam suam, interdum simul congregabantur, prout ipsis videbatur, ut se ad genera causarum accommodarent, quæ aut spirituales erant, seculares, aut mixtæ: *In eorum manebat pateftate quando simul vel quando separati residerent, prout eos tractanda causa qualitas docebat, sive de spiritualibus, sive de secularibus, seu etiam commixtis.* Capit. Aquisgran. cap. 12.

V. Descriptio hæc viam aperit ad genuinum manifestúmque sensum verborum Eginhardi, cujus scriptio accuratissima est præ omnibus illius ævi annalium scriptoribus. Is ergo scribit Pippinum Regem, habito con-

ventu generali in Gentiliaco villa, synodum habuisse de quæstione Trinitatis & de cultu imaginum, id est, eum discussioni Episcoporum qui in conventu generali aderant commisisse quæstionem de rebus spiritualibus. Eadem distinctio adhibenda est verbis Caroli magni ex Capitulari anni DCCLXXIX. dum jubet ut constitutiones patris sui Pippini observerentur, sive illæ quæ *in placitis* factæ sunt, sive *in synodis*, id est, de causis civilibus & ecclesiasticis: *Capitula verò quæ bonæ memoriæ genitor noster in suis placitis constituit & in synodis, conservari volumus.* Nam licèt annalium scriptores & Pippinus vocem *Synodus* usurpaverint pro conventu generali, attamen utriusque distinctio introducta est postquam canonum auctoritas manifestiùs invaluit. Verùm quia canones de disciplina lati ad rempublicam spectabant, materia hæc ab Episcopis simul cum laïcis tractabatur; nec aliud Episcopis solis permittebatur quàm quæstiones merè spirituales. Sanè Capitulare anni DCCLXXIX. decretum est ex sententia Episcoporum, Abbatum, & Comitum, cum consensu Regis: *Congregatis in unum synodali Concilio Episcopis, Abbatibus, virisque illustribus* * *Comitibus, unà cum piissimo Domino nostro, secundùm Dei voluntatem pro causis opportunis consenserunt.* Post conditos canones, controversiæ particularium personarum agitabantur; quas Princeps reservabat cognitioni conventus generalis, si fortè Comes Palatinus eas ob aliquam causam noluerat definire.

Capitulare anni 21. cap. 13. relatum ap. Sirmond. & lib. 5. Capit. cap. 153.

* Vox *Comitibus* deest in ver. cod. MS. Ecclesiæ Albensis.

Hincmar. c. 33.

VI. Docuit nos ergo Hincmarus ordinem observari solitum illa ætate in conventu generali Galliæ ad discutiendas causas canonicas, earúmque decisionem ab arbitrio Regis pependisse, qui eam pro libito confirmabat aut retractabat. Idem agendi modus probari etiam potest exemplo valde illustri, quod innititur testimonio omnium Episcoporum Galliæ. Carolus magnus, ætate jam provecta, cupiens integrè restaurare politiam ecclesiasticam, jussit anno DCCCXIII. ut Episcopi Galliarum conventus ecclesiasticos agerent in quinque locis, id est, apud Arelatensem urbem, Moguntiacensem, Remensem, Turonensem, & Cabilonensem. At Episcopi, gratias agentes Carolo quòd eos congregari jussisset, quosdam canones condiderunt postquam causas examinaverant summa cura & diligentia. Concilium enim Moguntinum docet eos viros qui in illa synodo aderant, in tres turmas fuisse divisos; quarum primam constituebant Episcopi quærentes remedia malorum in sacris Scripturis & canonibus; in alia verò turma consedisse Abbates, *regulam sancti Benedicti legentes, atque tractantes diligenter qualiter monachorum vitam in meliorem statum atque augmentum cum Dei gratia perducere potuissent;* in tertia demum, Comites, qui in eam curam sedulò incumbebant, ut leges mundanas sive seculares examinarent, & jus cuique suum tribuerent, *vulgi justitias perquirentes, omniúmque advenientium causas diligenter examinantes, modis quibus poterant justitias terminantes.* Denique Concilia isthæc, cùm intelligerent quæ sint regiæ auctoritatis partes, canones ecclesiasticos à se editos tradunt Principi, ut eos emendet, si ei ita visum fuerit; si verò eos æquitate niti existimaverit, confirmet. Obsequio autem illo defunguntur verbis conceptis, ad calcem canonum, velut Concilium Arelatense & Turonense; aut in præfatione, velut Moguntinum & Cabilonense. En verba Concilij Arelatensis: *Hæc igitur sub brevitate, quæ emendatione digna perspeximus, quàm brevissimè adnotavimus, & Domino Imperatori præsentanda decrevimus, poscentes ejus clementiam ut si quid hic minus est, ejus prudentia suppleatur; si quid secùs quàm se ratio habet, ejus judicio emendetur; si quid rationabiliter taxatum est, ejus adjutorio divina opitulante clementia perficiatur.* Præfatio autem Concilij Moguntini sic habet: *Quatenus ea quæ paucis perstrinximus capitulis à vestra auctoritate firmentur, si tamen vestra pietas ita dignum esse judicaverit; & quidquid in eis emendatione dignum reperitur, vestra magnifica imperialis dignitas jubeat emendare.* Postquàm autem canones illorum Conciliorum ad Carolum delati fuere, eos præsente se examinari jussit in conventu generali Aquisgranensi; ubi eos confirmavit, ut vim legum obtinere possent. Ita enim docent annales Eginhardi: *Constitutionem quæ in singulis* (id est, synodis) *factæ sunt collatio coram Imperatore in illo conventu habita.*

Eginhardus ad an. 813. *Concilia quoque jussu ejus super statu Ecclesiarum corrigendo per totam Galliam ei Episcopis celebrata sunt.*

VII. Qui verò scire voluerit quanam cura negotia tractarentur illa ætate, legat canones Concilij Francofordiensis anno DCCXCIV. celebrati. Constabat illud ex Episcopis omnium provinciarum quæ Caroli imperio parebant, ex Gallia nimirum, Germania, & Italia; eíque præterea intererant Theophylactus & Stephanus Episcopi, Hadriani primi Papæ Legati. Itaque ei synodo interfuit legatio sedis apostolicæ. Convocatio tamen ejus facta est jussu Principis. Testis erit Eginhardus, cujus ea sunt verba ad annum DCCXCIV. *Concilium Episcoporum ex omnibus regni provinciis congregavit.* Quin & canon primus ejusdem Concilij id apertè profitetur: *Conjungentibus, Deo fa-*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

vente, apostolica auctoritate, atque piissimi Domni nostri Caroli Regis jussione, annno XXVI. *principatus sui, cunctis regni Francorum, seu Italiæ, Aquitaniæ provinciæ Episcopis ac Sacerdotibus, synodali Concilio, inter quos ipse mitissimus sancto interfuit conventui.* Episcopi etiam Italiæ qui huic synodo intererant, in libello suo adversùs Elipandum scribunt eam fuisse congregatam decreto Caroli: *Imperij illius decreto per diversas provincias regni ejus ditioni subjectas summa celeritate percurrente, multitudo antistitum sacris obtemperando præceptis in uno collegio aggregata pervenit.* Præterea canon primus docet ei Concilio interfuisse Carolum. In epistola autem synodica patres aiunt eum synodo præfuisse. Quod Legatis non adimit jus præsidendi Episcopis; sed jus regium explicat, id est, jus præsidendi universo cœtui: *Congregatis in unum caritatis conventu, præcipiente & præsidente piissimo & gloriosissimo Domino nostro Carolo Rege.* Effectus autem regiæ præsidentiæ non in eo solùm versabantur ut omnibus præesset, sed ut ordini judiciorum interlocutionibus suis immineret. Cùm enim allata esset in medium epistola Elipandi Archiepiscopi Toletani, cujus præcipuè causa Concilium fuerat congregatum, jussit Carolus ut publica voce legeretur; & oratione habita de materia fidei, *adjecit: Quid vobis videtur?* ut adnotant Episcopi Italiæ. Neque prætermitti debet, eosdem Episcopos scribere Concilium habitum fuisse *in aula Palatij*, juxta morem illius seculi; cujus moris fidem facit Concilium Tullense apud Saponarias habitum anno DCCCLIX. *Vt in eorum palatiis saltem semel intra biennium generalis Episcoporum conventus agatur.*

Vide infrà cap. 28. §. ult.

VIII. Tria quæstionum genera in synodo Francofordiensi agitata fuerunt. Præcipua fuit quæstio fidei, confirmatio nimirum damnationis adversùs hæresim Elipandi Archiepiscopi Toletani & Felicis Episcopi Vrgellensis decretæ in synodo Romana, itémque in Concilio Ratisbonensi jussu Regis congregato. Asserebant namque Felix & Elipandus Iesum Christum fuisse filium adoptivum Dei secundùm carnem, non autem filium naturalem. quæ hæresis damnatur in primo canone. Agitatum insuper est an secunda synodus Nicæna, quæ præceperat adorationem imaginum, recipienda foret tanquam Septima Synodus Oecumenica. Decretum itaque fuit in canone secundo synodum illam repudiandam esse & damnandam, rejiciendam quoque adorationem imaginum, eámque servitutem repellendam à Christianis. Quoniam verò quæstiones illæ pertinebant ad dogma, sola Episcoporum auctoritate definitæ sunt, tametsi Princeps interesset deliberationibus: *Omnes qui suprà sanctissimi patres nostri contradixerunt &c. eradicandam statuerunt, consentientes condemnaverunt*; inquiunt canones, qui nullam interim mentionem Principis faciunt in his sententiis damnationis. Sicut è contrà, Tassiloni Duci Bajoariorum, qui ad synodum accesserat ut veniam à Carolo peteret, venia data est à Principe solo, nulla synodi mentione facta: *Idcirco Dominus noster misericordia motus præfato Tassiloni gratuito animo & culpas perpetratas indulsit & gratiam suam pleniter concessit.* Decretum etiam de moneta solo Regis nomine publicatum est in canone quinto. At regulæ canonicæ in hoc Concilio editæ conceptæ sunt sub nomine Regis & Synodi: *Statutum est, definitum est, à Domno Rege & à sancta Synodo.* Can. 6. 7.

IX. Præterea ex hoc Concilio discimus causas communes tractari solitas in synodis generalibus. Nam in ista synodo controversia quæ erat inter Archiepiscopos Viennensem & Arelatensem judicata fuit secundùm epistolas veterum Pontificum Romanorum; Tarantasiensis verò, Ebredunensis, & Aquensis, sedis apostolicæ dispositioni relictæ sunt. Can. 8. Accusatio instituta adversùs Petrum Episcopum, læsæ majestatis reum, judicata est *à Domno nostro Rege & à sancta synodo.* Can. 10. Causa etiam Gerbodi Episcopi in eodem Concilio Francofordiensi examinata est; cùmque ordinationem ejus perperam factam fuisse constitisset, Metropolitanus & Episcopi comprovinciales jussi sunt eum deponere. Canone autem XXXIX. causa Presbyterorum in crimine deprehensorum ab accusatore, de quo aliunde non constaret quàm ex affirmatione accusatoris, Episcopo proprio judicanda committitur; vel si is non possit eam finire, remitti jubetur *ad Concilium universale*, id est, ad synodum generalem Ecclesiæ Gallicanæ; quòd nimirum materia isthæc magni momenti esset, & maximè ambigua in modo agendi. Causæ verò quæ communes non erant, in provinciis judicabantur, juxta legem Capitularium: *Causæ quæ communes non sunt, in suis provinciis judicentur.*

ADDITIO

STEPHANI BALUZII.

CVM in paragrapho quinto hujus capitis agatur de hæresi Felicis Episcopi Vrgellensis, quæ damnata est in Concilio Francofordiensi, visum est heic addere Concilium Narbonense pro eadem causa, ut inquiunt Acta ejus, habitum jussu Hadriani I. & Karoli Regis, quod sic habet.

CONCILIVM

CONCILIVM NARBONENSE

HABITVM ANNO DCCLXXXVIII.

ANNO incarnationis dominicæ DCCLXXXVIII. Indictione XII. gloriosissimo quoque Domino Imperatore Karolo regnante an. XXIII. v. Kal. Iul. dum pro multis & variis ecclesiasticis negotiis, præsertim pro Felicis Vrgellitanæ sedis Episcopi pestifero dogmate, monente per suæ auctoritatis litteras Domno Apostolico Adriano, ac Domino Imperatore per Missum suum nomine Desiderium, convenissemus urbem Narbonam intra Basilicam S. Iusti & Pastoris, ego scilicet Danihel, licèt indignus atque peccator, gratia tamen Dei sanctæ metropolitanæ præmissæ urbis Episcopus, necnon & Elisantus Arelatensis Episcopus, cum plurimorum collegio venerabilium Episcoporum, unà cum auctoritate Domni Apostolici, Missóque prædicto Domni Imperatoris Karoli, inter cetera quæ veraci sermone finem acceperunt orta est querela coram nobis omnibus de parrochia Narbonensi, unde præcipiente Domino Imperatore, subtili examinatione & speciali, ob prolixas altercationes, examinari jusserat. De qua Danihel Episcopus per testes idoneos, Iustum scilicet Agathensem, & Witeringum Nemausensem Episcopum, atque Amicum Magalonensem Comitem, ceterósque quamplures, discutiendo elucidans, totum Redensem pagum super Winedurium * Heltnensem Episcopum justissimè evindicavit, & marginem parrochiæ Narbonensis ex alia parte usque ad flumen qui vocatur Orbus, quandiu vocabulum suum idem Comitatus retinet, superiùs & inferiùs perduxit, plenissimè ratione Wlfegarij Episcopi Biterrensis cum prædictis testibus superata. Præterea idem Danihel Archiepiscopus de Ausonensi parrochia rationem adhibens, ostendit quòd nullo modo Episcopum ponere illuc potuisset ob paganorum infestationem, & quemadmodum auxiliante Deo per antecessoris sui industriam quondam ibidem hæresis extincta fuerit, & quia ejusdem pagi plebs, sicut quidam ipsorum in præsentia retulerunt, nulli parrochiæ adhærere vellet nisi Narbonensi, ob principalitatem tantæ sedis præcipuæ. Cujus Archiepiscopi rationem salubrem esse comprobantes, pro prædictis commoditatibus, & ne confinio Hispaniæ occasionem tristitiæ ingereremus, unanimiter justo perpendimus examine ut nulli sedi deinceps sociata habeatur nisi Narbonensi; servata veruntamen auctoritate, si per se Episcopum habere nequiverit. Rogamus igitur cunctos subsequentes nos, & hoc nostræ auctoritatis decreto confirmamus, sancimus, stabilimus, tam de Redensi pago, quàm etiam de Ausonensi, sive confinio Narbonensi & Biterrensi, quod est Orbus, ut sicut coram nobis discussum & comprobatum est, ita inconvulsum & incontaminatum nullius contradictione valente in perpetuum permaneat. Si quis verò nostram communem contemnens diffinitionem, per aliquam insidiam aut subreptionem hoc nostræ firmitatis decretum infregerit, aut aliqua machinatione violaverit, si ordine ecclesiastico est adunatus, canonica sententia irrecuperabiliter feriatur, sicut temerator tanti Concilij ac decreti. Quòd si laïca potestas in hoc se per atrocitatis violentiam miscuerit, nisi à temeraria præsumptione se citissimè subtraxerit satisfaciendo quod deliquit, digna ultione totius anathematis sit undique & ubique multatus, Domini nostri Iesu Christi & nostra auctoritate vigente. Vt autem hoc nostræ firmitatis decretum certiorem roborationis obtineat vigorem, manus nostræ subscriptione illud roborare studuimus.

* *Ap. Catellum Hollandum*

In Christi nomine Danihel Dei miseratione sedis Narbonensis metropolitanæ Ecclesiæ Episcopus hujus decreti institutione subscripsi.
Ego Elefantus primæ sedis Arelatensis Episcopus confirmavi.
Desideratus Diensis Episcopus subscripsi.
Ego Salicus Arausiensis Episcopus.
Ego Arricho Tolosanæ sedis Episcopus confirmavi.
In Dei nomine Donadeus Wappencensis Episcopus.
Ego Francolinus Conserenensis Episcopus subscripsi.
Ego Lupus Cavalionensis Episcopus subscripsi.
Ego Arimundus Vcecicensis Episcopus S.
Ego Hiscipio Carcassensis Episcopus subscripsi.
In Christi nomine Magincus Adtensis Episcopus subscripsi.
Witeringus Nemausensis Episcopus confirmavi.
Felix Episcopus Vrgellitanæ sedis subscripsi.
Ego Bonitus Valentinæ sedis Episcopus S.
Ego Iustus Agatensis Episcopus subscripsi.
Ego Adaulfus Ierundensis Episcopus subscripsi.
In Christi nomine Wenedurius Heltnensis Episcopus S.
Ego * Se..... Barcinonensis Episcopus S. * Servus-Dei.
Ego Autbertus Antipolitanæ sedis Episcopus subscripsi.
Ego Iohannes Cimelanensis Episcopus S.
Ego ..... Forojulensis Episcopus S.
Ego Iohannes Madolonensis Episcopus S.
Ego Asinarius Vicujulensis Episcopus.
Abraham Commenensæ sedis Episcopus S.
Ego Amatus Carpentoratinensis Episcopus S.
Ego Raganbaldus Diaconus, Dunensis vocatus Episcopus, S.
Ego Ansebrandus Diaconus ad vicem Landeberti Eglinensium Episcopi S.
Ego Riccimirus indignus Presbyter ad vicem Wlfegarij sedis Biterrensis Episcopi S.
Ego Arricho Cancellarius, ac si indignus Presbyter, hoc decretum scripsi die & anno quo suprà.

NOTÆ

STEPHANI BALUZII.

ACTA Concilij Narbonensis sub Karolo magno habiti, quæ nunc damus, edita olim fuerunt à clariss. viro Gulielmo Catello Senatore Tolosano, ex Chartulario Archiepiscopi Narbonensis. Sed tam fœdis tâmque multis illic mendis scatent ut dici vix possit. Ego verò ea ante hos decem annos descripsi ex vetustissima membrana quæ aut ætati Karoli suppar est, aut certè non multùm remota, quantum colligi potest ex characterum forma & literis fugientibus. Quanquam autem non dubitem quin ea Acta germana sint, exténtque in eis non obscura vestigia prisci moris, dissimulare tamen nolim difficultates quæ in illis occurrunt, quæque falsi suspicionem nonnullis injicere possunt. Etenim Concilium illud celebratum dicitur anno DCCLXXXVIII. regni verò Karoli XXIII. Sed si anni ejus computentur ab anno DCCLXVIII. quo Pippinus Karoli pater decessit, omnino annus DCCLXXXVIII. erit XX. regni Karoli, contrà quàm legitur in fronte horum

Actorum. Itaque aut fatendum est peccatum heic esse à librario, aut alia numerandi ratio ineunda est. Ac primùm quidem omnium constat Karolum & Karlomannum, Pippini filios, diù ante patris mortem appellatos fuisse Reges Francorum, etiam à Pontificibus Romanis, nimirum ab anno DCCLIV. quo unà cum patre uncti sunt in Reges à Stephano Papa. Sed hoc pacto initium regni Karoli in ulteriora quàm par sit tempora produceretur. Tradunt annales Francorum Pippinum anno DCCLXIIII. vel LXIV. (variant enim heic annales) conventu Vvormatiæ habito filiis suis, qui jam Reges erant, divisisse Comitatus, id est, ut ego quidem existimo, regni divisionem inter filios constituisse. Ac Karolo quidem haudubiè data est Aquitania, Septimania, & ea Hispaniæ pars quæ Francico imperio parebat. Tunc verò primùm potuere gentes illæ annos regni Karoli computare, incipiendo fortassis ab anno sequenti. Atque eo pacto aliquatenus constare posset æra hujus Concilij Narbonensis, quæ alioqui gravi mendo laborat. Conventus autem ille Vvormatiensis, post Pascha actus est.

Nam quod ad nomen Imperatoris spectat quod Karolo tribuitur XIII. annis antè quàm Imperator renuntiatus sit, res tanti momenti non est ut quemquam remorari debeat. Quippe Reges Francorum, quòd Romanis Imperatoribus successissent in regno, aliquando vocabantur Imperatores per illas tempestates, tametsi revera Imperium Romanum non obtinerent. Exemplo sit Ludovicus Balbus, Karoli magni pronepos; qui tametsi Imperator nunquam fuerit, à Ioanne VIII. Pontifice Romano Imperator vocatur in Privilegio quod Pontifex ille monasterio Trenorchiano concessit anno DCCCLXXVIII. in Concilio Tricassino. Odo verò, is qui sub Karolo Simplice Balbi filio Regem se fecit, Imperator quoque dicitur in literis Stephani V. Summi Pontificis, si tamen literæ illæ non sunt supposititicæ, & in veteribus actis quæ extant in archivo monasterij Rivipullensis in Catalonia. Quin & Simplex ipse Imperator vocatur in Chartulario Ecclesiæ Helenensis lib. IV. carta XXVI. *Facta scriptura donationis sub die* XIII. *Kalend. Maij anno* I. *quod obiit Karlus Imperator filius Ludovici, Christo regnante Rege.* Hujus verò filius Ludovicus Transmarinus Imperator etiam vocatur in actis quibusdam veteribus anno DCCCCLXIV. confectis, quæ extant in archivo Ecclesiæ Gerundensis: in quibus & illud observandum est, adnotatum illic esse, ea confecta esse *imperante Lotario Rege, anno octavo principatus ejusdem.* Quare mirum videri non debet quòd idem Lotharius Rex Augustum se vocat in diplomate dato anno DCCCCLXXXI. quod extat in Chartulario monasterij S. Petri Rodensis apud Emporitanos, itémque in Privilegio quod eodem anno concessit monasterio sancti Genesij de Fontanis in Comitatu Ruscinonensi. Denique, ne singula commemorem, in Roberto quoque Rege imperatoriam dignitatem inesse agnovit Helgaldus loquens de dedicatione Basilicæ sancti Aniani Aurelianensis. *Post quæ omnia*, inquit, *cupidus sanctæ benedictionis Rex Robertus gloriosus, jussione imperatoria evocavit Archipræsules Gauzelinum Bituricensem & Abbatem Floriacensem, Leothericum Senonensem, &c.* Et tamen horum nemo fuit Imperator. Ex libello autem sacrosyllabo Episcoporum Italiæ, qui ex synodo Francofordiensi per provincias missus est, tentari fortassis posset etiam illa ætate imperatoriam veluti dignitatem in Karolo magno agnovisse Episcopos Italos. Aiunt enim, ut significent missas esse ab eo Principe literas ad universos regnorum ejus antistites, quibus eos evocabat ad Concilium Francofordiense, *Imperij ejus decretum* in universas regni provincias missum esse. Atqui Concilium Francofordiense, ut omnes norunt, habitum est anno DCCXCIV. id est, septem annis ante delatum Karolo Imperium.

Major insurgit difficultas ex eo quòd Narbonensis isthæc synodus congregata dicitur *præsertim pro Felicis Vrgellitanæ sedis Episcopi pestifero dogmate*, idque auctoritate pontificia & regia. Quippe Francorum annales tradunt ejus hæresim *tertio* damnatam esse in Concilio Francofordiensi, cùm antea profligata fuisset Romæ & in Concilio Ratisbonensi. Quod constare nequit si revera in hoc Narbonensi Concilio damnata fuit. Nisi si ejuratio à Felice facta Romæ coram Hadriano Pontifice distinguatur ab expressa damnatione facta in synodo. Cùm enim hæreses, juxta priscum morem, in eis provinciis damnari debeant ubi ortæ sunt, par est existimare eam sollicitudinem fuisse Archiepiscopo Narbonensi, cujus metropoli tunc temporis subjecta erat civitas Vrgellensis, ut nascenti malo occurreret cum consilio Episcoporum suorum. Quoniam verò causa gravis erat, Episcopos quoque adesse cupiebat ex aliis Provinciis, quod fieri non poterat absque permissu Principis. Quippe huic Concilio Narbonensi interfuerunt Episcopi ex provinciis Narbonensi, Arelatensi, Viennensi, Aquensi, Elusana, & aliis.

In eo autem actum est, inter cetera, de limitibus *parrochiæ*, id est, diœceseos Narbonensis, de quibus controvertebatur inter Archiepiscopum Narbonensem & Episcopum Helenensem, ac pagus Redensis adjudicatus est Archiepiscopo Narbonensi. Unde factum ut nonnulli sequentium Archiepiscoporum, ne judicij istius memoria interiret, se Narbonenses & Redenses Archiepiscopos dixerint, eodémque nomine vocentur in Præceptis Regum Karoli Calvi, Karlomanni, & Karoli Simplicis, quæ extant in archivo Archiepiscopi Narbonensis.

Tum retulit Daniel Archiepiscopus Narbonensis sibi liberum hactenus non fuisse Episcopum instituere in Ecclesia Ausonensi *ob paganorum infestationem*, & quia ejusdem pagi plebs nullum proprium Episcopum habere volebat præter Archiepiscopum Narbonensem. Quod ut meliùs intelligatur, res suprà repetenda est. Transgressi in Hispaniam Mauri & Sarraceni neque fanis pepercerunt neque profanis. Hac generali clade perculsa est in primis civitas Ausonensis, atque ipsa Tarraco, provinciæ caput. Provincia itaque dein subjecta est Metropolitano Narbonensi, tanquam viciniori; & speciali diœcesi Narbonensi adjecta diœcesis Ausonensis, quamvis longo intervallo disjuncta, donec proprium Episcopum habere posset; cujus instituendi, cùm opportunitas veniret, delegata cura est Archiepiscopo Narbonensi. Acta hæc circa annum DCXC. ut patet ex literis Vrbani II. ad Raynerium Legatum; in quibus scriptum est Episcopos Tarraconenses metropoli Narbonensi fuisse subjectos jam inde a quadringentis annis. In epistola verò ad Berengarium Episcopum Ausonensem, in Tarraconensem metropolim translatum, data Capuæ anno MXCI. Kal. Iulij, ait Tarraconensem urbem ab Agarenis, id est, Sarracenis, diruta fuisse *transactis jam trecentis nonaginta annis.* Quod confirmari potest ex eo quod in dissertatione nostra de episcopatu Egarensi adnotavimus, Ega-

rensis urbis excidium referendum esse ad annum circiter DCXCIII. post Maurorum in Hispanias adventum. Quoniam verò hic mos obtinebat ut singuli Episcopi, atque etiam Metropolitani, rationem in synodis redderent rerum à se gestarum, Daniel Narbonensis Archiepiscopus, gnarus consuetudinis, causas attulit ob quas Episcopum instituere non potuerat in Ecclesia Ausonensi. Itaque edicunt patres ut in eo statu maneat donec proprium Episcopum habere possit. Probabile est easdem causas obstitisse per multum ævi ne suus Ausonæ Episcopus redderetur, cùm ei datus non fuerit antistes nisi centesimum tandem post annum, hoc est, circa annum octingentesimum octuagesimum octavum. Tunc enim Theodardus Narbonensis Archiepiscopus Gothorum Ausonensem Episcopum consecravit; ut patet ex Præcepto Odonis Regis, & ex Concilio Barcinonensi habito anno DCCCCVI. in causa Ecclesiæ Ausonensis nondum edito. Incessit dein Attonem Episcopum Ausonensem ambitio evehendi sedem suam in metropolitanam, quòd unaquæque provincia suum Metropolitanum habere debeat, nullâque tunc spes affulgeret restituendæ Tarraconis. Ergo curante Borrello Comite à Ioanne XIII. Summo Pontifice & prærogativam primæ sedis noménque Archiepiscopi impetravit ac Pallium, útque Episcopi provinciæ Tarraconensis Episcopo Ausonensi deinceps obedirent tanquam Metropolitano; decretóque eodem, adductis exemplis ex B. Gregorio, unitæ sunt Ecclesiæ Ausonensis & Tarraconensis, ut color huic novæ institutioni quæreretur. Datæ ea de re literæ anno DCCCCLXXI. quæ extant in archivo Archiepiscopi Tarraconensis. Verùm cùm nova hæc Archiepiscopi institutio facta esset invocato & inaudito Archiepiscopo Narbonensi, cujus valde intererat, ambitio illa Attonis cassuit effectu. Constat enim Archiepiscopos Narbonenses diù post hæc tempora usos fuisse jure metropolitico in ea provincia citra omnem controversiam. Præterea Fruia, sive Frugifer, antistes Ausonensis, qui annis DCCCCLXXII. & DCCCCLXXVII. sedebat, se solùm vocat Episcopum, non autem Archiepiscopum. Quin & in Concilio Romano celebrato anno DCCCCXCVIII. eo inter alia argumento reprobata est Guadaldi Episcopi Ausonensis, qui Fruiano successerat, ordinatio, quòd ab alio Metropolitano peracta esset quàm à suo, id est, Narbonensi, ut explicant Gregorij V. literæ nondum editæ. At Vrbanus secundus episcopalem sedem Tarraconi post longa tempora restituens anno MLXXXIX. *salvam* esse jubet *Narbonensis Ecclesiæ justitiam*, id est, ut ejus metropoli semper subjecta foret sedes Tarraconensis. Pollicitus tamen est se antiquam dignitatem metropoliticam tributurum Episcopo Tarraconensi, *si Romani auctoritate privilegij Tarraconensem provinciam canonicè vendicare Narbonensis antistes nequiverit*. Pessumdata fuit hac unica clausula Narbonensis Archiepiscopi auctoritas in provinciam Tarraconensem. Quippe subjectio illa provinciæ Tarraconensis facta fuerat Episcoporũ decreto & consensu populorũ, ac præterea firmata erat consuetudine. Nulla Romanæ sedis inter hæc mentio. Itaque cùm de privilegio apostolico non constaret, Vrbanus biennio pòst Berengarium Episcopum Ausonensem transtulit ad metropolim Tarraconensem, concesso etiam usu Pallij; eique insuper indulsit ut Tarraconensem & Ausonensem Ecclesias, quæ Ioannis XIII. decreto unitæ erant, retineret, *donec auctore Deo ad pristini status plenitudinem Tarraconensis Ecclesia reformetur*. Quoniam verò Archiepiscopus Narbonensis conquerebatur gravem sibi in eo factam esse injuriam, Vrbanus eum restituit in integrum, literis datis ad Raynerium Legatum, quæ nuper editæ à nobis sunt, in quibus hæc habentur: *Inter cetera præjudicium sibi factum de Tarraconensium Episcoporum subtractione per Romanam Ecclesiam suppliciter intimavit, cùm eos Narbonensis metropolis per annos quadringentos sine alterius Ecclesiæ reclamatione possederit. Nostra igitur vice in partibus illis fungens, Tarraconensibus Episcopis nostra auctoritate præcipito ut Narbonensi tanquam proprio Metropolitano obediant, donec præstante Domino Tarraconensis restauretur Ecclesia.* Interlocutus est tamen iterum Pontifex in eisdem literis, ut si Narbonensis Archiepiscopus probare non potuerit sibi primatum ex privilegio competere in provinciam Tarraconensem, Legatus cum *principibus terræ* de restituenda Ecclesia Tarraconensi laboret. *Interim tamen Tarraconenses Episcopos ei tanquam Metropolitano proprio obedire præcipito.* Obtinuerítne id, annon, facile est pronuntiatu. Nam Berengarius interfuit Concilio Nemausensi anno MXCVI. initio mensis Iulij, tanquam Archiepiscopus Tarraconensis. Et deinceps, citra controversiam, Tarraco suos habuit Archiepiscopos. Hæc, quia subobscura erant, visum est explicari debere; ut vel ex hac unica narratione auctoritas conciliari possit huic Concilio Narbonensi. De subjectione porrò Ecclesiæ Ausonensis rursùm actum est in Concilio Barcinonensi anno DCCCCVI. & in Concilio habito anno sequenti apud monasterium sancti Tyberij in diœcesi Agathensi.

CONFINIO HISPANIÆ] id est, Ecclesiæ Ausonensi, quæ vicina erat Hispaniæ. Quamvis enim certum sit provinciam Tarraconensem ultra Pyrenæos esse, sempérque fuisse portionem Hispaniarum, tamen quia tum temporis ea Hispaniæ pars Regibus Francorum optimo jure parebat, & ad eorum regnum pertinebat, *Marca Hispanica* sive *Limes Hispanicus* dicebatur. quod idem est ac *confinium Hispaniæ*. Eosdem fines Francici regni designant literæ Helmeradi Episcopi Helenensis datæ Kal. Septembris anno DCCCCX. quæ extant in vetusto Chartulario Ecclesiæ Helenensis. In iis enim Helmeradus Monasteriolum donans Ecclesiæ suæ, ait locum illum esse *citra clusas Hispaniæ*, in Comitatu Barcinonensi. *Ego igitur exiguus Præsul Helmeradus*, inquit, *in hac ipsa dedicationis die, quam rogatu meo sacri peragunt præscripti Episcopi, offero omnipotenti Deo & B. Eulaliæ Dominæ meæ de exiguis facultatibus meis* CITRA CLUSAS SPANIÆ *proprietatis meæ, quem Monesteriolum vocant; & coniacet in Comitatu Barchinonense in ipsa maritima.* Diù perseveravit apud eas gentes illa regnorum divisio. Extat quippe in archivo regio Barcinonensi vetus instrumentum, confectum anno septimo regni Philippi I. Regis Franciæ, in quo scriptum est Arnallum Mironis vendidisse R. Comiti Barcinonensi Castrum de Castroserris, situm videlicet citra Rubricatum, haud procul urbe Ausonensi, quod illi advenerat *per largitionem Dei, qui nobis hoc dedit de potestate Sarracenorum. Et sunt hæc omnia in extremis finibus marchiarum juxta Hispaniam*, id est, in extremis Francici regni finibus, ultra Barcinonem & Ausonam, ad Rubricatum fluvium. Heic enim fuit limes regni Francici, ultra quem Sarraceni habitabant per illas tempestates. Igitur ultra Rubri-

catum, Hiſpania erat, ſi loca quædam excipias admodum vicina oræ fluminis, Monaſteriolum videlicet, Minoriſſam, & quædam alia finitima; citra verò, Mcara Hiſpanica, quæ provincia erat regni Francici. In eodem confinio Hiſpaniæ, citra Rubricatum, ſita fuit Egara, ſedes olim epiſcopalis; ubi habitum fuit Concilium Egarenſe anno ſexcenteſimo decimo quarto.

ELEFANTUS] Ejus mentio eſt in canone VIII. Concilij Francofordienſis.

HELTNENSIS] id eſt, Helenenſis. hoc enim verum eſt nomen. Eſt autem civitas Helenenſis in Comitatu Ruſcinonenſi, ſive Roſſilionenſi, ut ſequens ætas vocavit, ædificata in ruderibus caſtri Helenenſis; ubi inſtitutus eſt epiſcopatus poſt exciſum regnum Toloſanum, ut adnotat illuſtriſſimus Archiepiſcopus in libro primo Marcæ Hiſpanicæ. de quo libro dictum eſt in vita ejus. Porrò hodie vox *Helenenſis* mutata eſt in *Elnenſem*. Quòd autem ea Eccleſia ſita eſſet in Comitatu Roſſilionenſi, Epiſcopi Helenenſes frequentiſſimè vocantur *Roſſilionenſes* in actis veteribus. Vnde in Concilio apud Tuſiacum anno DCCCLX. legitur *Audeſindus Roſcellenſium Epiſcopus*. At Vuenedurij, ſeu Vuinedurij, mentio diſerta extat in Chartulario Helenenſi, ubi levi mutatione vocatur Vinedarius; dicitúrque ſediſſe ante Ramnonem, qui ſub Ludovico Pio Helenenſis antiſtes fuit. Vtilis autem eſſe poteſt hic locus ad emendandos vulgatos Helenenſium Epiſcoporum catalogos, cùm Epiſcopi qui ſederunt poſt Vinedurium uſque ad Audeſindum illic optimè recenſiti ſint: *Prædeceſſores Audeſindo Epiſcopo, videlicet Vinedario Epiſcopo, Ramno Epiſcopo, Salomone Epiſcopo, & iſto præſente Audeſindo &c. Facta recognitione evacuationis ſub die* XVI. *Kal. Januarij, anno* XXXVI. *regnante Carolo Rege*, id eſt, Karolo Calvo.

CIMELANENSIS] id eſt, Cemelenenſis, in extrema Alpium maritimarum provincia, ſub metropoli Ebredunenſi, haud procul Caſtro Nicænſi. Ei ſedi præfuit Valerianus Epiſcopus; cujus tempore Eccleſiæ Cemelenenſis & Nicænſis unitæ ſunt auctoritate ſancti Leonis Papæ.

MADOLONENSIS] id eſt, Magalonenſis in prima Narbonenſi. Magdalona enim & Madalona dicebatur per illas tempeſtates, ut nullo negotio probari poteſt. Porrò ſedes Magalonenſis jamdiu tranſlata eſt in urbem Monſpelienſem.

VICUIULIENSIS] id eſt, Aturrium Epiſcopus. Sunt autem Aturres in Novempopulis ad Aturrum fluvium, qui poſtea Adures dici cœperunt. Nomen autem primùm populi fuit, non oppidi. Oppidi enim Aturrenſium nomen Vicus Iulius; cujus clara extant documenta.

COMMENENSÆ] id eſt, Convenarum in Novempopulis, quorum urbs antiquitus Lugdunum. Ceterùm ex hoc loco patet introduci tum cœptam corruptionem nominis hujus civitatis, quæ nunc *Comenge* dicitur.

DUNENSIS] Adnotat Sirmondus, in Notis ad Concilium Aurelianenſe primum, Epiſcopos Carnotenſes interdum dictos eſſe Dunenſes à Duno caſtro diœceſeos Carnotenæ. Vide librum II. de concordia ſacerdotij & imperij cap. IX. §. V.

EGLINENSIUM] id eſt, Engoliſmenſium in Aquitania ſecunda. Eam autem urbem vocat *Egoliſenam* Eginhartus ad annum DCCLXIX. alij *Egoliſmam*, nonnulli *Inculiſmam*, & ſynodus iſthæc Narbonenſis *Eglinam*. Mirifica enim fuit illorum temporum audacia in corrumpendis urbium nominibus. Vide Sirmondum in Notis ad Capitula Karoli Calvi pag. 29.

CAPVT XXVI.

Synopſis.

I. Reverentia Eccleſiæ Gallicanæ erga apoſtolicam ſedem.

II. De Preſbyteris gravium criminum reis magna olim quæſtio fuit quonam modo judicandi eſſent. Conſulitur Leo III. Papa. Dein Karolus ſummo jure decernit ſecundum reſponſionem Pontificis. Purgatio canonica indicta Preſbyteris ſuſpectis ſed non convictis.

III. Vnde orirentur ſuſpiciones illa docet Hincmarus. Difficilis erat accuſatio in Preſbyterum.

IV. Chorepiſcoporum ambitio diù turbavit Eccleſiam Gallicanam. Eos Leo III. à Karolo conſultus vetuit quicquam muneris epiſcopalis attingere. Tum edicit eos eſſe pellendos in exilium.

V. Ea pœna modificata eſt à ſynodo & ab Imperatore.

VI. Principes de rebus arduis referunt ad Summos Pontifices. Novum non eſt decreta Curiæ Romanæ antè in Gallia excuti debere quàm vim legis obtinere poſſint.

I. HIc locus me admonet ut revocem in memoriam ea quæ ſuprà adnotata ſunt, ſynodos nimirum Gallicanas debitam ſedi apoſtolicæ reverentiam ſemper retinuiſſe, non ita tamen ut à ſuis judiciis permiſerint provocari, cùm appellationes in uſum receptæ non eſſent niſi quoad depoſitionem Epiſcoporum, juxta modificationem à me alibi explicatam. Reverentia igitur ſynodorum Galliæ in eo poſita erat ut conſultationes ad Summos Pontifices mitterent quoties inciderent cauſæ dubiæ & graves, vel cauſam ejus judicio prorsùs permitterent. Cauſæ ad ſedem apoſtolicam dimiſſæ exemplum extat in paragrapho ultimo ſuperioris capitis, in cauſa Metropolitanorum Ebredunenſis & Aquenſis. Conſultationum verò duo illuſtria exempla extant in libris Capitularium. Primum reſpicit Preſbyteros ſuſpectos, aliud Chorepiſcopos.

II. Quoad Preſbyteros, conſtat ex Capitularibus difficultatem illam diù agitatam eſſe in ſynodis Gallicanis, à temporibus Pippini Regis, neque tamen unquam fuiſſe definitam. Agebatur de Preſbyteris gravium criminum reis, ſed de quibus nondum ſatis conſtabat, ipſi verò negabant. Suprà adnotavimus, canone XXXIX. Concilij Francofordienſis cauſam Preſbyteri horum criminum infamati commiſſam eſſe Epiſcopo ejus proprio; vel ſi is eam finire

non posset, non remissam quidem ad synodum provinciæ, sed ad Concilium generale seu universale Ecclesiæ Gallicanæ. Tandem Carolus magnus cupiens confusioni hujuscemodi modum adhibere, Episcopos aliquot misit ad Leonem tertium Papam, ut cum eo consultarent quid de his Presbyteris agendum esset. Episcopos verò & regni proceres admonuit missam à se esse legationem illam, statim autem ut redierit, communicaturum se esse cum omnibus responsa Pontificis: *Vnde ad consultandum patrem nostrum Leonem Papam Sacerdotes nostros mittimus; & quidquid ab eo vel à suis perceperimus, vobis, unà cum illis quos mittimus, renuntiare non tardabimus.* Lib. 5. Capitul. c. 33. Interim Episcopos & proceres hortatur ut sedulò negotium illud expendant; ut dein ipse cum illis, & cum instructionibus Pontificis, decernere possit quod æquum fuerit visum ad compescendos populorum clamores: *Vos interdum vicissim tractate attentiùs quid ex his vobiscum constituamus unà cum prædicti sancti patris institutionibus, ut murmur cesset populi.* At Leo Pontifex causam definiri jussit in synodo Romana. Cùm autem ejus responsio ad Carolum allata esset, eam ipse in conventu generali regni considerari præcepit; & cum consilio Episcoporum, Consiliariorum, & omnium *fidelium*, sive Vassallorum, decreta est constitutio de ordine tenendo quoties hujuscemodi Presbyterorum causæ inciderent; quæ nomine Imperatoris edita, omnium suprà dictorum consensus continet. *Consultu Domni & patris nostri Leonis Apostolici, ceterorúmque Romanæ Ecclesiæ Episcoporum, & reliquorum Sacerdotum, sive Orientalium & Græcorum Patriarcharum, & multorum sanctorum Episcoporum & Sacerdotum, necnon & nostrorum Episcoporum omnium, ceterorúmque Sacerdotum & Levitarum auctoritate & consensu, atque reliquorum fidelium & cunctorum Consiliariorum nostrorum consultu, definitum est.* Sanè Princeps Legatos suos pro consultatione ad Leonem mittens, sibi reservaverat auctoritatem decernendi cum sententia Concilij Gallicani, & *cum institutionibus* Papæ, non autem juxta institutiones. Statutum itaque est *consultu omnium ut quotiescunque cuiquam sacerdoti crimen imponitur, si ipse accusator talis fuerit ut recipi debeat*, reúsque legitimis testimoniis convictus fuerit, *canonicè dijudicetur.* At si accusator satis probare non posset crimen, negotium pariter canonicè definiendum. Quòd si nihilominus criminis perpetrati suspicio gravis inhæreret animis hominum, purgatio canonica indicitur Presbytero; id est, jubetur Presbyter, adhibito tactis Evangeliis sacramento tam suo quàm trium, quinque, vel septem, aut eò ampliùs Presbyterorum, itemque hominum nonnullorum bonæ famæ, se purgatum populo comprobare, *exemplo Leonis Papæ.* Vide lib. 1. c. 11. §. 6.

III. Hincmarus in epistola septima accuratè explicat hunc agendi modum, ostenditque suspiciones illas fluxisse ex commercio Presbyterorum cum mulieribus probrosis, vel ex eorundem cohabitatione cum aliis, neque impositam fuisse accusatori necessitatem convincendi reum cujuspiam probrosi facinoris. Attamen probatio difficilis erat; quoniam accusatio peragi non poterat ab accusatore quin eodem tempore septem testes adessent iis dotibus ornati quas ab hujuscemodi testibus exigunt leges & canones. Quòd si præscriptus testium numerus non adesset, vel hujusmodi homines essent qui secundùm canones ad accusationem Sacerdotum admitti non possent, mulcta eis dicebatur. Verùm id non tollebat suspicionem populorum. Itaque ea demum dimovebatur quum Presbyter accusatus se suo & sex Presbyterorum sacramento purgabat juxta consuetudinem tum receptam. Ea autem à divo Petro arcessebatur: qui cùm reprehensus fuisset quòd cum gentibus communicaret, ut accusationem illam purgaret, usus est sex fratrum testimonio: *Venerunt autem mecum & sex fratres isti.* Actor. cap. xi.

IV. Veniendum nunc ad causam Chorepiscoporum. Sæpe in conventibus & synodis regni controversum fuerat an ordinationes Presbyterorum, Diaconorum, & Subdiaconorum à Chorepiscopis peractæ, Confirmationes baptizatis tributæ, benedictiones Chrismatis, Ecclesiarum, & virginum ab iis tentatæ, vitiosæ essent, an canonicæ. Carolus censuit apostolicam sedem esse consulendam, & inter cetera Arnonis Archiepiscopi ad Leonem tertium delegati mandata hoc etiam caput adjunxit. Respondit Pontifex, secundùm canones liberum non esse Chorepiscopis ullam muneris episcopalis partem attingere, atque adeo quidquid ab eis præsumptum fuerat, irritum esse. Tum decernit Chorepiscopos esse damnandos, id est, deponendos, & in exilium pellendos. Series hujus negotij, itémque illius de quo mox dicebamus circa Presbyteros, magni momenti est ad ostendendum quonam modo se gererent Galli nostri in recipiendis rescriptis Curiæ Romanæ. Nam post reditum Arnonis, Imperator conventum generalem regni Ratisbonæ egit, ut Leonis responsio examinaretur. Vide lib. 1. c. 12. §. 7. & c. 13. & 14. & Hrabani librum de Chorepiscopis edilum in calce Tomi primi pag. 285.

V. Hic autem agendi modus adeo legitimus erat ut etiam Leo consenserit synodum ea de causa celebrari; non ut illic re-

vocaretur in dubium definitio consentanea canonibus, sed ut in publico conventu susciperetur hæc institutio canonica, ejúsque decernendæ rationes subducerentur, quò faciliùs ei assentirentur universi, tum etiam ut pœna depositionis & exilij adversùs Chorepiscopos à Summo Pontifice decreta temperamento quodam adhibito mollireturr. Itaque coacto, ut diximus, conventu generali, modificata est hæc pœna à synodo & ab Imperatore. Statuerunt enim Chorepiscopis remittendam exilij pœnam, & ut gradum Presbyterorum tenerent, existimantes eam modificationem Leoni acceptam fore: *Prædictos autem Chorepiscopos omnes præcepit damnare, & in exilio detrudi. Ista verò omnes, maximè regni nobis à Deo commissi Episcopi cum eodem Arnone, permittente præfato Apostolico, mitiùs tractantes, jamdictos villanos Episcopos inter Presbyteros statuerunt*, inquit Karolus in libro septimo Capitularium. Lib. 7. Capitular. c. 187.

Præterea in eodem conventu suscepta est responsio Leonis, & singula edicto Imperatoris confirmata sunt: *Placuit, sicut Leonis Papæ & omnium Episcoporum nostrorum atque reliquorum fidelium generali & synodali consultu decrevimus, ut nullus Chorepiscopus &c.* Ceterùm heic observandum est decretum Papæ & definitionem synodi Gallicanæ edicto regio, Caroli nomine concepto, promulgata fuisse; tametsi res esset omnino spiritualis, cùm de jure & auctoritate ordinationum ageretur. Lib. 7. Capitul. c. 328. 329.

VI. Ex his autem duo quædam colligenda sunt. Primum, Regem de rebus arduis ad Summum Pontificem referre consuevisse, atque adeo auctoritatem Præsidis synodi exercuisse. Alterum, novum non esse in Gallia ut decreta Curiæ Romanæ non antè vim legis apud nos habeant quàm Principum rescriptis firmata sint.

CAPVT XXVII.

Synopsis.

I. Explicatur modus agendi Ludovici Pij Imperatoris. Quatuor synodos in Gallia haberi præcepit; quarum canones confirmavit postquam jussu ejus examinati fuerunt in Concilio Vvormatiensi, præsente Legato Gregorij quarti.

II. Ejus Legati præsentia necessaria non erat in illo conventu: cui per occasionem interfuit, cùm ob alia negotia venisset in Galliam. Probatur ex Eginhardo. Idem dicendum de Legatis qui synodo Compendiensi interfuerunt anno 757.

III. Nulli canones præsentia Legatorum de industria missorum firmati reperiuntur, præter Liptinenses & Francofordienses. Cautè itaque legendus Benedictus Levita, qui Capitula Regum ait maxima ex parte fuisse statuta coram Legatis sedis apostolicæ, qui ea firmarunt auctoritate apostolica.

IV. Attamen Legatorum præsentia nihil detrahit de dignitate Regum nostrorum. Capitulare Lotharij, in quo quamplurima decreta extant circa disciplinam canonicam. Illud se observare velle profitetur Leo Papa quartus.

I. EVNDEM ordinem tenuit Ludovicus Pius, Karoli magni filius. Leges enim suas & capitula condebat, tribuendæ auctoritati rebus constitutis, in conventibus generalibus; Missósque persæpe suos dirigebat in provincias ad fovendam eorum executionem rebellésque puniendos; ut constat ex epistola ab eo scripta ad Sicharium Burdegalensem Archiepiscopum post habitam synodum Aquisgranensem anno DCCCXVI. & ex Capitulari ejus tertio edito anno octingentesimo vigesimo octavo. Anno autem sequenti unà cum filio suo Lothario præcepit ut antistites regni in quatuor locis congregarentur, Moguntiæ videlicet, Parisiis, Lugduni, & Tolosæ, tractaturi de rebus ad religionem Christianam morúmque emendationem pertinentibus, ac præterea significaturi quæ virtutum opera incumbant Principibus, Episcopis, & cujuslibet conditionis hominibus. Data ex eo Episcopis Lutetiæ congregatis occasio in unum corpus componendi nonnulla documenta valde utilia sub titulo Concilij Parisiensis in duos libros distributi. Horum porrò quatuor Conciliorum canones Imperator confirmavit, postquam jussu ejus examinati fuerunt in conventu generali apud Vvormatiam habito; *Omnium tam Episcoporum quàm fidelium laicorum votis convenientibus*, ut ait Hincmarus; qui addit Legatum Gregorij quarti Summi Pontificis huic Vvormatiensi synodo interfuisse.

II. Præsentia hujus Legati necessaria non erat in synodo Vvormatiensi ad adjungendam auctoritatem canonibus in ea conditis; cùm Impp. Karolus magnus & Ludovicus Pius quamplures alias congregari jusserint citra ullius Legati præsentiam, & cùm præterea vetusti Pontifices agnoverint inesse synodis provincialibus auctoritatem condendi canones. Verùm cùm Legatus ille in comitatu adesset ob nonnulla negotia, placuit eum interesse in deliberationibus causarum ecclesiasticarum. Docet autem Eginhardus Legatos ex diversis regionibus, ac nominatim ex urbe Romana, ad hunc conventum Vvormatiensem venisse ut res suas expedirent ac conficerent, quæ juxta usum illius seculi definiendæ erant ex sententia conventus generalis. *Imperator medio Augusto Vvormatiam venit*, inquit Eginhardus, *ibique*

habito generali conventu, & oblata sibi annua dona suscepit, & legationes plurimas, quæ tam de Roma, & Benevento, quàm de aliis longinquis regionibus venerant, & audivit & absolvit. Idem dicendum est de Legatis pontificiis qui Concilio Compendiensi interfuerunt anno septingentesimo quinquagesimo septimo, *Georgio* nimirum *Episcopo Romano*, id est, Episcopo provinciæ Romanæ, & *Ioanne Sacellario*, quorum mentio extat in canone IX. illius synodi. Nam missi fuerant à Paulo primo ad Pippinum Regem, ut eum certiorem facerent de sua electione, amorisque in Pippinum sui ac totius populi Romani abundantiam illi ostenderent; ut patet ex epistola Pauli Pontificis ad Pippinum.

III. Itaque nullos alios canones præsentia Legatorum de industria missorum firmatos reperio, præter Liptinenses sub Carlomanno editos anno septingentesimo quadragesimo tertio, & Francofordienses anno septingentesimo nonagesimo quarto. Quare cautè legendus est Benedictus Levita, cùm in præfatione ad librum quintum Capitularium ait, ut auctoritatem illis conciliet, ea fuisse maxima ex parte statuta in conventibus quibus Legati sedis apostolicæ interfuerunt, ea firmantes apostolica auctoritate. Id enim intelligendum est de tribus postremis Capitularium libris, ut ipsemet Benedictus scribit in fine ultimi libri.

Bened. Levita in præf. lib. 5. Capitul. *Maxima ex parte eadem auctoritate apostolica & omnium Francorum unanimique ordinis, viderum assensu sunt roboratæ.*

IV. Tametsi illud nihil detrahit de dignitate Regum nostrorum. Contrà, præjudicio illo firmatur jus in cujus possessione tunc illi erant, convocandi nimirum Concilia, eorúmque decreta confirmandi, aut modificatione adhibita inflectendi. Lotharius Imperator Capitulare edidit anno DCCCXLVII. quod ex legibus Caroli Magni, Ludovici Pij, Pippini, & ipsius Lotharij constat; quod observari jubet per vniversum Imperium, mulcta eis indicta qui contra venirent, sive Ecclesiastici forent, sive laïci. in quo Capitulari quamplurima decreta extant circa disciplinam canonicam. Tantum autem abest ut Leo quartus ea damnet, tanquam à judice non competenti edita, ut etiam ad Lotharium scribens profiteatur se observare velle illud Capitulare: *De capitulis vel præceptis imperialibus vestris nunc & in ævum nos conservaturos modis omnibus profitemur.*

Capitulare Lotharij editum à Goldasto to. 1. Constit. imperial. pag. 101.

Ap. Gratian. dist. 10. c. 9.

CAPVT XXVIII.

Synopsis.

I. Antiqua politia nondum prorsùs eversa erat ævo Caroli Calvi. Episcopi tum lacertos movere cœperunt. Eorum tamen decreta in synodis edita non antè valebant quàm in conventu regio approbata fuissent. Probatur exemplo Concilij Meldensis. De rapteribus alienarum sponsarum.

II. Synodus Suessionensis anni 853. nullum canonem edidit extra materiam à Carolo propositam. Ejus canones confirmati sunt apud Vermeriam in generali regni conventu.

III. Sub Carolo Calvo imminui cœpta Regum dignitas. Nicolaus primus ad se traxit convocationem Conciliorum absque literis Principis. Actum id adversùs mores antiquos.

IV. Tamen Summus Pontifex potest synodum convocare intra Gallias, si id Ecclesiæ utilitas postulaverit. Ita sensit Synodus Suessionensis anno 866. adversùs Britonum Episcopos scribens.

V. Antea convocatio Concilij generalis fiebat auctoritate Principis, etiam quando Summus Pontifex synodum in regno haberi præcipiebat. Probatur auctoritate Gregorij magni & Hincmari.

VI. Nicolaus primus sequi noluit exemplum beati Gregorij. Sua auctoritate eam synodum Suessionensem celebrari jussit. Quare synodus fatetur se congregatam fuisse jussu & auctoritate Nicolai. quod etiam agnoscit Carolus ad Nicolaum scribens.

VII. Volfadi Remensis Presbyteri causa aliam occasionem subministravit infringendæ Conciliorum Gallicanorum auctoritati. Synodus Suessionensis cedit jussis Nicolai. Sed tamen eum haud occultè increpat, gravitérque monet datum esse exemplum perniciosum posteris.

VIII. Volfadus gradui suo restitutus in synodo Suessionensi, statim fit Archiepiscopus Biturigensis; inexpectata restitutionis ejus confirmatione, quam Rex à Summo Pontifice postulaverat. Ex eo tempore Summi Pontifices ad se traxerunt judicia appellationum Episcoporum & Presbyterorum.

IX. Concilium Metense jussu Nicolai congregatum, postulante Lothario Rege. Causa enim dubia erat. Agebatur de divortio Lotharij cum Thetberga.

X. Attamen Nicolaus non transmisit prorsùs jura regia. Ex facto ejus, deprehenditur epistolas Pontificum apud nos obtinere non posse vim legis, donec Regi ostensæ fuerint.

XI. Lethale vulnus synodis inflixit Nicolaus primus præcipiens ut Acta synodi Metensis ad se mittantur; ut si injustè fuerit judicatum, restaurari jubeat cognitionem.

XII. Nicolaus, primus omnium pronuntiavit neminem posse synodum generalem convocare absque jussione sedis apostolicæ.

XIII. Duo loca malè intellecta occasionem præbuerunt huic propositioni. Primus petitur ex synodo Romana in causa Symmachi Papæ. Vera hujus synodi mens explicatur.

XIV. Secundus locus eruitur ex epistola Pelagij secundi adversùs Ioannem C P. quæ explicatur. Canones generales Ecclesiæ condi non possunt absque sententia Romani Pontificis.

XV. Verissimum est Concilia non posse celebrari absque sententia Summi Pontificis. Sed regula illa extendi non potest ad Concilia nationalia. Hincmari præclaræ regulæ afferuntur. An generalia regni Concilia haberi possint in palatio.

I. ANTIQUA politia nondum prorsùs eversa erat ætate Caroli Calvi; tametsi manifestè appareat bella civilia, quæ

vim regiæ auctoritatis infringere solent, divisionem item imperij Francorum inter tres fratres, viam aperuisse ad introducendas novitates in hac materia. Nam Episcopi à Rege evocati frequentiùs quàm sub Carolo magno & Ludovico Pio celebraverunt synodos ex diversis provinciis, seorsim à generali regni conventu; in quibus judicabant causas graves, Episcoporum nempe, ac Presbyterorum, & Diaconorum, si res tanti momenti esset; ut constat ex synodis Moguntina, Suessionensi, Valentinensi, Tullensibus duabus *apud Saponarias* & *apud Tusiacum*, aliisque. Interdum verò ultra progrediebantur. Quippe in synodis illis canones & statuta condebant. Verùm ij non antè vim constituti obtinere poterant quàm in conventu regio approbati fuissent. Hinc nata controversia quæ post Concilium Meldense excitata est anno octingentesimo quadragesimo sexto. Nam cùm Episcopi illic condidissent LXXIX. canones, jussit Rex eos ad se deferri, ac dein eos examinari præcepit in conventu generali habito in villa Sparnaco ad Matronam fluvium; in quo ex procerum regni consilio statutum est novemdecim tantùm ex illis canonibus observandos esse: *Ex omnibus illis capitulis hæc tantùm observanda & complacenda sibi collegerunt, & Episcopis scripta tradiderunt, dicentes non ampliùs de eorum capitulis quàm ista & ista velle cum Principe observare.* Ad hanc haud dubiè modificationem alludunt Episcopi in canone ultimo hujus synodi, qui post decretum Sparnacense additus est ceteris; in quo Regem hortantur ut saltem observet capitula recenter ab ipso decreta cum Episcopis manúque ejus confirmata: *Vt autem capitula quæ Domino mediatore communiter decrevistis, & manu propria confirmastis, pleniter observetis &c.* Præterea eum orant ut observari in futurum jubeat pœnas ab iis decretas adversùs raptores sponsarum alienarum, útque decretum ea de re suum ceteris canonibus qui recepti ab eo erant adderet: *Hoc diploma, si complacet, adnectatur.* Pœnæ illæ anathematis extant in canone LXVIII. synodi Meldensis, qui octavum & decimum locum occupat inter eos quos observandos censuit conventus Sparnacensis.

Capitula excerpta in villa Sparnaco, in Capit. Caroli Calvi, & to. 3. Conc. Galliæ pag. 63.

II. Synodus Suessionensis, quæ anno DCCCLIII. congregata est ex quinque provinciis, reverentiùs constitit intra limites æqui. Convocata illa fuerat à Carolo Calvo Rege, nullúmque canonem condidit extra materiam à Principe propositam; canones autem ejus admissi & confirmati sunt in conventu generali regni habito apud Vermeriam eodem anno: *Sed & capitula quæ synodali consultu Dominus Rex Carolus in Concilio memorato apud Suessionis civitatem sacro proposuit conventui, coram fidelibus suis in eodem palatio Vermeria relegi fecit; & ab omnibus consonanter suscepta sunt, & accepta.* Synodus quoque Tullensis anno DCCCLIX. habita fuit coram Regibus, qui confirmarunt canones in ea conditos. Item Duziacensis habita anno octingentesimo septuagesimo quarto, *nutu divino & sanctione Caroli Regis.*

Concil. Vermer. c. 3.

III. Sub Carolo Calvo introduci cœpere ingentes novitates in gratiam sedis apostolicæ & in detrimentum regiæ auctoritatis. Etenim Nicolaus primus Pontifex Romanus ad se traxit immediatam convocationem Conciliorum absque literis Principis, Aliud tamen obtinuerat quoad Concilium Francofordiense: quod auctoritate quidem Pontificis Romani celebratum fuerat coram Legatis ejus, sed Caroli magni jussione convocatum, missis quaquaversum literis.

IV. Sanè diffiteri nolim inesse Summo Pontifici auctoritatem convocandi Concilij intra Gallias, si id Ecclesiæ utilitas postulaverit. Neque enim me latet synodum Suessionensem, quæ anno octingentesimo sexagesimo sexto congregata est, eam auctoritatem agnoscere in sede apostolica. Scribens enim ad Nicolaum primum adversùs Episcopos Britonum, qui obedientiam Metropolitano Turonensi debitam abjecerant, ait eos nolle prorsùs convenire ad generales regni synodos, neque legatos aut literas mittere, etiam tum cùm Summus Pontifex earum congregationem fieri præcipiebat ad discutiendas causas emergentes, atque id eò minùs ferendum esse quòd Episcopi illi nulla ratione prohiberentur ad eas accedere, non ob pericula in mari, aut propter asperitatem montium, non longo regionum intervallo disjuncti. *Sed neque ad generalitatis nostræ synodum*, inquit Synodus Suessionensis ad Nicolaum Papam scribens, *si quando apostolatus vestri auctoritas nostram fraternitatem pro quibuslibet emergentibus vel imminentibus negotiis adgregandam decernit, illorum præsentiam, legatos, literas, cùm infra sinum occiduæ Galliæ commorentur, & nec juga montium, nec marinum pelagus, sed neque gravis intercapedo terrarum convolare prohibeat, nostræ unanimitati quemquam habere meruimus.*

V. Itaque illud solùm aio, hunc ordinem ad ea usque tempora observatum esse in Gallia, ut Regis auctoritate fieret convocatio Concilij generalis regni, non solùm semel in anno aut quando ita Principi videbatur expedire, sed etiam quando Summus Pontifex præcipiebat synodum haberi in regno; cujus celebratio

celebratio differebatur, donec consensus Principis accederet, ejúsque ipse convocationem literis suis faceret; ut suprà probatum est exemplo beati Gregorij. Eadem est sententia Hincmari, tum viventis; qui in epistola sexta docet Episcopos provinciarum Galliæ congregari solitos, *si fraterna caritas nos invitaverit, potiùsque jussio apostolicæ sedis & præceptio Domini nostri Caroli Imperatoris Augusti nos ad synodum, sicut præcipiunt regulæ, vocare decreverit pro talibus quæ fortè provinciali nequiverint examine definiri, maximè in causa fidei vel generalis religionis, sicut in apostolicæ sedis Pontificum & in epistolis legimus Augustorum. Quoniam Imperatorum auctoritate convocatas generales synodos & in historiis ecclesiasticis & in epistolis apostolicæ sedis Pontificum reperimus. Et sanctus Gregorius Reges Francorum synodos in Gallicis & Belgicis provinciis convocare sæpe commonuit.*

Hincmar. ep. 6. c. 37. & 38. edit. Magunt.

VI. At Nicolaus primus sequi noluit exemplum beati Gregorij; sed sua auctoritate conceptis verbis synodum Suessionensem celebrari jussit anno octingentesimo sexagesimo sexto, locúmque & tempus quo ea habenda esset præscripsit in epistola scripta ad Archiepiscopos & Episcopos Galliarum. *Præcepimus vos*, inquit Nicolaus ad Herardum Turonensem Archiepiscopum scribens, *unà cum ceteris Archiepiscopis & Episcopis Galliarum & Neustriæ &c. apud Suessonicam urbem pariter convenire.* Attamen literas quoque ad Carolum Calvum scripsit, quibus eum faceret certiorem constitutionis suæ. Sed id factum est ea tantùm mente ut is executionem urgeret auctoritate sua. Hinc factum ut epistola synodica Concilij Suessionensis alio verborum sensu concepta sit quàm canon primus Concilij Francofordiensis, quod, ut habet canon, *auctoritate apostolica & jussione regia* congregatum est. Concilij verò Suessionensis patres fatentur se congregatos esse jussu Nicolai, nulla Principis mentione. *Synodus*, inquiunt, *Suessionis habita jussu & auctoritate sanctissimi apostolatus vestri.* Quin & Carolus ipse in epistola ad Nicolaum scripta, quæ extat in Actis ejusdem Concilij, agnoscit eam synodum fuisse convocatam jussu Pontificis: *à synodo præceptione vestra congregata.*

VII. Occasio celebrandæ hujus synodi aliam quoque infringendorum canonum causam invexit, quæ plurimum detraxit de auctoritate Conciliorum Galliæ. Concilium enim illud congregatum fuit ex universis regni provinciis, ad examinandam depositionem Volfadi aliorúmque Clericorum ab Ebbone Archiepiscopo Remensi ordinatorum post depositionem ejus & pravam restitutionem, quæ multis de causis nulla erat & irrita. Eorum namque ordinationem in dubium revocaverat Hincmarus Archiepiscopus Remensis, Ebbonis successor. Quare illi anno octingentesimo quinquagesimo tertio querelam ea de re suam detulerunt ad synodum Suessionensem, permissu Caroli congregatam, qui locum ac diem celebrationis indixerat: *Episcopis juxta instituta canonum synodum celebrare volentibus, annuit idem Rex Carolus, eósque ad urbem Suessionum X. Calendas Maias convenire præcepit*; ut legitur in præfatione ejusdem synodi. In ea autem declaratum fuit judicio synodi & judicum qui inter adversarios convenerant, horum Clericorum ordinationem esse nullam. At Nicolaus, delata ad se eorundem Clericorum querela, tredecim pòst annis jussit eam causam retractari in Concilio generali Episcoporum Galliæ, quos ad eandem urbem Suessionensem convenire præcepit; addito conceptis verbis, quòd si Clerici depositi à judicio hujus Concilij ad sedem apostolicam appellarent, eorum causa judicanda esset apud urbem Romam, quò Hincmarus ac Clerici Vicarios suos mittere possent. Quo loci animadvertere licet tria atrocia vulnera inflicta esse auctoritati Conciliorum generalium Galliæ, contra præscripta canonum. Primùm enim decernitur revisio causæ adversùs Presbyteros judicatæ in Concilio congregato ex diversis provinciis; cùm tamen, juxta canones, eorum causæ in his Conciliis judicandæ sint definitivo decreto. Tum reis relinquitur potestas appellandi à judicio post revisionem lato. Istud verò contrarium est legibus & canonibus Sardicensibus, etiamsi de Episcoporum depositione ageretur. Tertiò, partes Romam evocantur, id est, Hincmarus Archiepiscopus Remensis, & Clerici dejecti; cùm tamen appellationes, etiam Episcoporum, ad provincialia judicia remitti debeant, juxta canones Sardicenses. Sanè ad vitandam conflictionem jurisdictionis Synodus Suessionensis, sequuta modum ab Hincmaro propositum in Schedula ab eo porrecta synodo, ad Nicolaum scripsit se, manente auctoritate judiciorum secundùm canones latorum, consensisse votis pontificiis, id est, ut Clerici illi gradibus suis restituantur ex speciali gratia & intuitu misericordiæ. Sed addunt patres monitionem quæ magni momenti est, cavere nimirum debere Nicolaum ne ex hoc synodi obsequio emergat pernicies disciplinæ ecclesiasticæ, provideátque ne exemplum illud trahatur in consequentiam ab iis qui

Nicolaus I. in epist. ad Herardum Archiepisc. Turon.

Epist. synod. Concilij Suession.

se deinceps restitui postulabunt.

VIII. Arbitror autem eò facilius synodum flecti se passam esse in hac causa, quòd, ut ego quidem existimo, ita fieri debere convenisset inter Carolum Regem & Hincmarum, in gratiam Volfadi. Video quippe Volfadum illum, qui hujusce controversiæ præcipua causa fuit, statim post hæc cum consensu synodi à Rege promotum esse ad archiepiscopatum Biturigensem; non expectata etiam restitutionis ejus confirmatione, quam Rex à Summo Pontifice postulaverat. de qua præcipitatione conqueritur Nicolaus in epistola ad Episcopos synodi Suessionensis. Itaque simillimum veri est eum æmulatione auctoritatis callidè tractum in partes, ut eliceretur ab eo consensus pro restitutione Volfadi & aliorum Clericorum quorum depositio, petente Hincmaro, confirmata fuerat à Benedicto Papa. Verùm hic agendi modus ingentem rebus nostris perniciem attulit, cùm ab eo tempore Romani Pontifices sibi adversùs canones & vetustam possessionem vindicaverint judicia appellationum, non solùm Episcoporum, sed etiam Presbyterorum, ut ostendi in capite decimo quinto hujus libri.

IX. Opponi posset, Nicolaum primum propria auctoritate convocasse Concilium Metense ante synodum Suessionensem, atque adeo existimandum non esse tum primùm imminui cœptam auctoritatem regiam cùm Suessionica synodus decreto Pontificis convocata est. Sed magnum inter hæc duo Concilia discrimen intercedit. Quippe Metense Concilium celebrari postulaverat Lotharius Rex Austrasiæ; qui Nicolaum rogavit ut illud convocaret, ac Legatos eò suos mitteret, ad judicandam causam matrimonij sui cum Thetberga conjuge sua. Causa enim dubia erat; ob quam Synodus Aquisgranensis anno octingentesimo sexagesimo congregata, cui interfuerant Archiepiscopus Treverensis aliique Episcopi in regno Lotharij constituti, Nicolaum consuluerat. Optimo igitur jure poterat, non solùm decernere celebrationem hujus Concilij, sed etiam illud convocare; quoniam Regis Lotharij, ad quem convocatio pertinebat, agitanda illic erat causa; cui rei necesse erat congregare Episcopos ex diversis regnis.

Nicol. I. ep. 19. *Regalis excellentia vestra nuper apostolatui nostro direxit ut pro perficienda synodo Missos à latere nostro mittere dignaremur.*

Epistola Episcopor. regni Lotharij ad Nicolaum.

X. Attamen si propiùs introspiciamus quem ordinem tenuerit Nicolaus in convocatione hujus Concilij, constabit jura regia non fuisse prorsùs transmissa. Quippe Nicolaus Legatos suos mittens, eis literas dedit ad Episcopos Galliæ & Germaniæ scriptas, quibus eos evocabat ad urbem Metensem, illic judicaturos causam Lotharij. Verùm eam cautionem adhibet quoad Carolum Calvum, ut Legatos velit ad eum accedere, eique *epistolas synodicas*, id est, literas Concilij convocatorias, ostendere, quæ ad Episcopos regni ejus scriptæ erant, itemque *Commonitorium*, id est, mandata Legatis data. Tum & illud quoque fieri annuit, ut isthæc omnia cum Episcopis cunctisque aliis communicentur. *Eidem glorioso Regi*, inquit Nicolaus in epistola ad Legatos in Franciam missos, *epistolas synodicas, & has quas vobis nunc dirigimus, pariter cum Commonitorio, præsentibus cunctis ostendite.* Ex his autem colligi possunt vestigia prisci moris, quo receptum erat non posse vim legum apud nos obtinere epistolas Pontificum Romanorum, donec Regi ostensæ fuissent. Convocatio nihilominus isthæc effectu caruit quoad Francos, habita nimirum Synodo Metensi anno DCCCLXIII. à solis Episcopis regni Lotharij & Legatis Nicolai; ut ipse Nicolaus testatur in epistola LVIII. ad Episcopos in regno Ludovici constitutos.

Vide lib. II. cap. 41. §. 1.

Vide lib. II. cap. 41. §. 1.

XI. Fatendum tamen est modum illum mittendorum Legatorum ad convocanda provinciarum Concilia, causasque in eis judicandas, placuisse Summis Pontificibus, qui ea ratione in se traxerunt omnem auctoritatem quæ penes Episcopos erat. Auctoritas enim Legatorum ad eam formam disposita est quam Nicolaus instituerat in hac legatione ad synodum Metensem. Ea autem in eo versabatur, ut Legati una cum synodo dijudicarent causam Lotharij, causasque ecclesiasticas definirent quæ incidèrent; ea tamen lege, ut si talis controversia oboriretur quæ in synodo terminari non posset, ad sedem apostolicam referretur. Nihil heic novi statutum est; quoniam ea erat portio antiqui juris quod Episcopo Romano competebat in Occidente, ut ad eum referendæ essent causæ ambiguæ, quemadmodum ostendi in superioribus libris. At clausula sequens prorsùs abolet auctoritatem synodorum, sive pro judicandis causis, seu etiam pro condendis canonibus. Nam jubet Nicolaus Acta synodi ad se mitti; ut si invenerit causas secundùm æquitatem definitas fuisse, Deo omnipotenti gratias referat; si verò injustè fuerit judicatum, restaurari jubeat cognitionem; *ea renovare summopere jubeamus*, inquit Nicolaus in epistola XXIII. ad Episcopos in Concilio Metensi residentes.

Nicol. ep. 22.

XII. Et Legatorum quidem missio magnum præsidium erat ad traducendas ad apostolicam sedem universas provinciarū causas:

Vide Append. lib. I. cap. 1. §. 1.

sed ostendendum erat necessariam esse eorum præsentiam in Conciliis. Primus omnium Nicolaus in medium protulit propositionem unde petita est hæc consequentia. Nam in Sermone habito Romæ in vigilia Natalis Domini, qui relatus est in Concilio Romano quod anno octingentesimo sexagesimo quinto celebratum est, post judicatam causam Rothadi Episcopi Suessionensis, qui depositus fuerat in synodo generali Sylvanectensi, affirmavit neminem posse synodum generalem convocare absque jussione sedis apostolicæ: *Cujus rei gratia facto Concilio generali, quod sine apostolicæ sedis præcepto nulli fas est vocandi, &c.* Axioma illud, quod extenditur ad omnia Concilia quæ neque episcopalia sunt neque provincialia, sumptum est ex decretis suppositiriis Papæ Iulij, quæ extant in collectione Isidori Mercatoris; cujus auctoritatem imminui ferre non poterat Nicolaus, ut ostendi in cap. v. §. vi. & cap. vi. §. i. libri tertij.

XIII. Certum quidem est duo loca malè intellecta occasionem præbuisse huic propositioni. Primus est, Concilium Romanum tertium sub Symmacho; in cujus Actis legitur quòd cùm Theodoricus Rex Italiæ synodum generalem Italiæ convocasset ad judicandam accusationem institutam adversùs Symmachum, Episcopi provinciarum Liguriæ, Æmiliæ, & Venetiarum, Romam ad Concilium proficiscentes, ac per Ravennam iter agentes, ubi Rex morabatur, ei suggesserunt Symmachum Papam, tametsi reus esset, debuisse convocare Concilium, *ipsum qui dicebatur impetitus debuisse synodum convocare.* Certè exprobratio illa locum habebat quoad Italiam, neque recipienda esset in aliis regnis: quia Concilium patriarchale convocandum est à Patriarcha, & à nullo alio convocari potest secundùm Canones. Ideóque ad Papam Symmachum, non autem ad Regem, spectabat evocatio Episcoporum Italiæ qui per illas tempestates patriarchalem synodum Romanam constituebant.

XIV. Secundus locus eruitur ex epistola Pelagij secundi adversùs Ioannem Patriarcham Constantinopolitanum, qui se dicebat Episcopum universalem, eóque titulo, quem indebitè usurpabat, Concilium generale inscio Pelagio convocare præsumpserat, ad quod non solùm Episcopos Orientis invitaverat, sed etiam occidentales, evocato nimirum Episcopo Thessalonicensi atque Episcopis Græcis qui ad patriarchatum Romanum spectabant. *Relatum est ad apostolicam sedem*, inquit Pelagius secundus in epistola octava, quæ est ad Episcopos qui ad Synodum Constantinopolim conveniunt, *Ioannem Constantinopolitanum Episcopum universalem se scribere, vósque ex hac sua præsumptione ad synodum convocare generalem, cùm generalium synodorum convocandi auctoritas apostolicæ sedi beati Petri sit tradita.* Nullus Pontificum Romanorum ante Pelagium sibi arrogaverat auctoritatem convocandi Concilia. Vtcunque tamen se res habeat, constat Pelagium eo loco contendere ad solam sedem apostolicam pertinere jus convocandi Concilium omnium patriarchatuum, exclusis prorsùs ab eo jure Episcopo CP. & reliquis Patriarchis. Et hauddubiè Ioannes Constantinopolitanus egrediebatur limites suæ auctoritatis; quòd evocare præsumeret episcopos qui erant extra suam Diœcesim, contra canonem secundum Concilij Oecumenici secundi. Sed hoc præcipuum ac magnificum pro Pelagio erat, quòd in epistola genuina Papæ Iulij ad synodum Antiochenam scriptum sit, non quidem competere Romano Pontifici jus convocandi Concilia generalia, cùm ea auctoritas pertineret ad Imperatores sed canones Ecclesiæ generales condi non posse absque ejus sententia, ἄνευ τῆς αὐτοῦ γνώμης κανονίζειν τὰς ἐκκλησίας. Hæc sunt verba Græca, quæ sic versa sunt in historia Tripartita: *Non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari.* Vide supra lib. 1. cap. 12. §. 1. & Addit. ad cap. 14. §. 8.

Vnde Papa Pelagius hæc verba hausit: *Multis denuo apostolicis & canonicis atque ecclesiasticis instruimur regulis non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari.* Pelagius II. in ead. epist.

XV. Sed quemadmodum verissimum est non posse Concilia celebrari absque sententia Episcopi Romani, ita absurdum est regulam illam porrigere ad Concilia Diœcesana sive regionalia contra mentem antiquitatis. quod tamen contendit Nicolaus Papa. Equidem collectio Canonum quæ ab Adriano primo data est Angilramno Episcopo Metensi docet Concilia provincialia pro depositione Episcoporum convocari debere à Summo Pontifice. Vnde Ivo & Gratianus occasionem arripuerunt tribuendi soli Summo Pontifici auctoritatem convocandi synodos. At Hincmarus, qui & decreta suppositicia Iulij & capitula Angilramno data viderat, tria quædam affirmat. Primum, canones Conciliorum servandos præ istis epistolis. Secundum, Metropolitanos, quum Concilia provincialia aut nationalia celebrant, ita agere vi auctoritatis sancti Petri, quæ omnibus Apostolis communicata est & Episcopis eorum successoribus. Tertium, verba illarum epistolarum (de quorum fide jam tum dubitabatur, tametsi satis non con-

Vide lib. 5. c. 9. §. 4. 5.

staret eas esse supposititias) intelligi debere de conventu generali Ecclesiæ in causa fidei: *Constat ergo de generali fidei causa hoc dixisse apostolicam sedem.* Alibi verò ostendit Regibus Francorum competere jus convocandi generalia regni Concilia, quasi voluerit opponere doctrinam Galliarum novæ Nicolai ambitioni. Probabile est Legatos Hadriani secundi in Octava Synodo conatos esse infringere jura Regum nostrorum circa convocationem Conciliorum, quemadmodum diversa alia eorundem jura pulsare tentaverant juxta propositiones Nicolai primi, ut observavi suprà. Verùm nihil aliud obtinere potuerunt quàm ut canone septimo decerneretur adversùs praxim Galliæ, quæ volebat ut generalia regni Concilia haberentur *in palatio*, eam propositionem falsam esse, *Non posse synodum absque principali præsentia celebrari.* Quin etiam pronuntiatum est non decere prorsùs Principes interesse synodis, nisi sint Oecumenicæ.

Hincm. c. 20. & seqq. Opusculi adversùs Hincmarum Laudun.

Vide lib. 2. c. 17. §. 3. & lib. 6. c. 25. §. 7.

CAPVT XXIX.

Synopsis.

I. Pontifices Romani Legatos perpetuos in Gallia instituere tentarunt, firmandæ auctoritati suæ. Nihil in antiquitate illa tentatum adversùs jura Principum aut Conciliorum.

II. Vicarij sedis apostolicæ, Primates & Primicerij dicti ab Hincmaro.

III. Drogonis Episcopi Metensis vicariatus effectu caruit, repugnantibus Episcopis Gallicanis. Præfuit synodo ad Theodonis-villam. Datum id nobilitati ejus, non autem legationi.

IV. Cur Episcopi Gallicani huic novæ Drogonis dignitati intercesserint. Nimirum ob conditiones in rescripto de legatione ejus adjectas, prorsùs adversas Libertati Ecclesiæ Gallicanæ.

V. Ansegisi Archiepiscopi Senonensis legationem admittere nolunt Episcopi Gallicani; quamvis acriter id urgeret Carolus Calvus. Hincmarus Remensis nobilem epistolam scripsit adversùs ambitum Ansegisi. Rostagni item Arelatensis Archiepiscopi legatio irrita fuit.

VI. Cùm Pontifices Romani viderent Episcopos Gallicanos ferre non posse ut jus perpetuæ præsidentiæ Gallicanis Episcopis concederetur, exteros miserunt. Frodoardus explicatus.

I. SED ut ad legationes redeamus; cùm Summi Pontifices intelligerent initam hoc pacto esse optimam rationem conservandæ suæ auctoritatis in Gallia, Legatos in ea perpetuos instituere tentarunt; optimúmque propterea factu visum est legationem iis viris tribuere quorum esset amplissima dignitas, quique præcipua apud Reges auctoritate & gratia florerent. Iam antea in capite vigesimo hujus libri examinatus est vicariatus Episcoporum Arelatensium, ostensúmque nullius illum roboris fuisse sub Imperatoribus Romanis, neque etiam sub prima Regum nostrorum dynastia. Sub secunda dein Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus à sede apostolica missus est ad erudiendos in fide populos Germaniæ, idolis addictos, & ut Episcopos in Gallia restitui procuraret: qui vicariatum suum exercuit cum consensu Regum nostrorum & Episcoporum quorum intererat, nulla injuria facta juri Principum aut Conciliorum. Sic enim ad Zachariam Pontificem Romanum scribit idem Bonifacius: *Notum sit paternitati vestræ quia postquam indigno mihi mandastis in provincia Francorum, sicut & ipsi rogaverunt Sacerdotes, Concilio synodali & conventui præesse.*

Vide supra lib. 5. cap. 19. §. 2.

II. Interfecto autem in Frisia Bonifacio ab infidelibus anno septingentesimo quinquagesimo quarto, Galliæ per nonaginta annos nullum habuere Primatem. Interim jura Metropolitanorum conservata fuere. Ecclesiasticæ verò causæ definiebantur secundùm canones & decreta sedis apostolicæ Pontificum & Principum suorum dispositionem, ut verbis Hincmari utar, qui apostolicæ sedis Vicarium Primatem & Primicerium vocat. *Hactenus*, inquit, *provinciæ cisalpinæ temporibus Pippini Regis, & Caroli ac Ludovici Imperatorum, sine hoc Primicerio vel Primate à sede apostolica delegato annos circiter* XXIII. (legendum XCIII.) *manserunt; & Metropolitanis singulis suo jure servato apostolicæ sedis favore & Principum suorum dispositione, secundùm sacros canones & decreta ejusdem sedis Pontificum, quæque fuerunt agenda venerabiles Episcopi per auctoritatem canonum sacrorum & decreta sedis Romanæ Pontificum peregerunt.*

Hincmar. c. 6. & 20.

III. Drogo Caroli Magni filius ex concubina & Metensis Episcopus hanc Vicarij dignitatem renovare studens in Gallia, eam à Papa Sergio obtinuit anno octingentesimo quadragesimo quarto. Verùm obtineri non potuit ab Episcopis Gallicanis ut liberam ei Vicarij apostolici auctoritatem permitterent. Et de consensu quidem Regum nepotum suorum primum locum obtinuit in synodo ad Theodonis-villam. Verùm cùm negotium illud propositum fuisset in Concilio Vernensi, pro solo jure præsidendi, *de prælatione reverendissimi Drogonis*, pronuntiatum est in canone XI. de hoc acturos Episcopos in proximo conventu Episcoporum Galliæ & Germaniæ, in quo inquiri posset an ei prærogativæ consensum suum adhibere velint Metropolitani reliquique antistites.

Vide lib. 4. cap. 5. §. 2. lib. 5. cap. 4. §. 7. 8.

In anteceſſum tamen ſynodus ait quòd ſi dignitas hæc alicui committi poſſit, nihilque arcanæ ambitionis in ea lateat præter eam quæ prætenditur, *& non alia quàm quæ prætenditur latet cauſa*, id eſt, præſidentiam, videri eum honorem nemini potiùs tribui poſſe quàm Drogoni, qui & Epiſcopis communione ſacerdotij ſociatus erat, & excellentiæ Principum privilegio propinquatis. Hincmarus autem teſtatur ambitionem illam effectu caruiſſe, ob hoc quòd ij quorum intererat conſenſum ei ſuum adhibere noluerunt. *Quod affectu ambiit*, inquit Hincmarus in cap. xxx. epiſtolæ paulò antè laudatæ, *effectu non habuit; & quod efficaciæ uſu, non conſentientibus quibus intererat, obtinere non potuit, patientiſſimè, ut eum decuit, toleravit; ne ſcandalum fratribus conſacerdotibus generans, ſchiſma in ſanctam Eccleſiam introduceret.*

IV. Ego verò exiſtimo Epiſcopos Gallicanos interceſſiſſe huic legationi, non ob cauſam præſidentiæ, cùm ei conſenſerint in Concilio Vernenſi contemplatione nobilitatis Drogonis, ſed ob conditiones quæ in reſcripto de legatione ejus adjectæ erant, prorsùs adverſæ libertati Eccleſiæ Gallicanæ. Vnde nil mirum ſi jus ſibi reſervaverint examinandi an aliquid occultum in eo eſſet præter jus præſidentiæ. Atqui ſi reſcriptum legationis ejus excutiatur, deprehendentur in eo clauſulæ aliquot quæ derogant auctoritati Conciliorum provincialium & generalium. Primùm enim Sergius ſecundus Papa ei tribuit auctoritatem convocandi nomine Pontificis Concilia generalia. ex quo capite violabatur regia dignitas. Tum jubet ut quæcunque cauſæ definientur in Conciliis provincialibus, ad eum referantur. Quòd ſi quis, nullo diſcrimine adhibito, ſive Epiſcopus ſit, ſive clericus, aut laïcus, appellaverit apoſtolicam ſedem, cauſam ejus diſcutiendam eſſe coram Vicario & ejus ſynodo. Si verò diverſitas opinionum inter Epiſcopos oriretur, reum mitti debere Romam cum Actis ſynodi & literis Vicarij. Servato in omnibus primatu Eccleſiæ Romanæ, *& vigore & exaltatione cariſſimi ac ſpiritalis filij noſtri Domini Lotharij magni Imperatoris.*

Reſcriptum Sergij PP. extat To. 3. Concil. Gall. pag. 6.

Vide lib. 4. cap. 5. §. 5. 6. 7.

V. Anno octingenteſimo ſeptuageſimo ſexto legationis dignitas per Gallias & Germanias à Ioanne octavo conceſſa eſt Anſegiſo Archiepiſcopo Senonenſi, in gratiam Caroli Calvi Imperatoris. At Ioannis literæ miro temperamento conſcriptæ ſunt, ac verbis iis conceptæ quæ dignitatem canonum ferme illæſam præſtant. Anſegiſo enim vicariatum ſuum confert, ut eo utatur in convocatione ſynodorum & in aliis cauſis eccleſiaſticis, cùm Eccleſiæ utilitas ita poſtulaverit. Tum jubet ut decreta ſedis apoſtolicæ communicentur Epiſcopis ab Anſegiſo Vicario: qui, ſi neceſſitas ingruat, curabit ad Summum Pontificem mittere relationem eorum quæ acta fuerint; ut ſecundùm ejus relationem ipſe majores difficilioréſque cauſas definire poſſit. Singulari porrò induſtria, ut dixi, confectum eſt reſcriptum Pontificis. Illud ab Epiſcopis in Concilio Pontigonenſi eodem anno congregatis ſuſcipi contendit Imperator Karolus, præſentibus apoſtolicæ ſedis Legatis. Verùm nihil aliud obtinere ab Epiſcopis potuit quàm obeditуros ſe juſſionibus Summi Pontificis, *ſervato ſingulis Metropolitanis jure privilegij ſecundùm ſacros canones & juxta decreta ſedis Romanæ Pontificum ex iiſdem ſacris canonibus promulgata.* Tametſi autem Imperator & Legati eos vrgerent ut abſolutè reſponderent ſe obeditуros primatui Anſegiſi, reſponſum illud à corpore Epiſcoporum extorquere non potuerunt. Solus Frotarius Burdegalenſis Archiepiſcopus, itémque Odo Epiſcopus Belvacenſis, deſiderio Imperatoris obſequuti ſunt. Odo verò legit quædam capitula *ſine conſcientia ſynodi dictata.* Hincmarus Remenſis adversùs ambitum Anſegiſi ſcripſit celebrem illam epiſtolam ſextam de juribus Metropolitanorum: in qua proteſtatur paucorum conſenſum in eo Concilio adhibitum, & aliorum ſilentium, *faſtu imperialis potentiæ contra ſupraſcripta ſacrorum canonum & apoſtolicæ ſedis Pontificum decreta ex eiſdem ſacris canonibus promulgata*, nullum detrimentum adferre poſſe antiſtitibus Galliarum. Pertinacem autem ſe in ea epiſtola præſtat adversùs præſidentiam ab Anſegiſo prætenſam, tribus præcipuè de cauſis. Primùm, quòd ei Pontifex tribuiſſet jus convocandi Concilia generalia, (quod ſoli Pontifici competit & Regi, & ſi provincia finitima ita roget) trahere in partes Principem obliquè conatus, ut novæ huic dignitati faveret, quæ jura regia violabat. Tum, quòd eidem Anſegiſo præſidentiam concedit; quæ tamen ſecundùm Canones nulli Metropolitano debetur, niſi juxta tempus ordinationis. Tandem verò, quòd ei auctoritatem tribuit de rebus gravioribus referendi ad ſedem apoſtolicam; cùm tamen id jus unicuique Metropolitano competat, juxta epiſtolam Innocentij primi ad Victricium Rothomagenſem. quod intelligendum eſt de Conciliis provincialibus. Nam quoad generalia, relationem illa ſuam faciebant per epiſtolam ſynodicam aut regiam.

Reſcriptum Ioannis VIII. extat To. 11. Concil. Gall. pag. 422.

Hincmar. ep. 6. c. 32.

Anſegiſi conſilium interrupit obitus Caroli Calvi Imperatoris, qui anno ſequenti deceſſit. Veruntamen Ioannes octavus Papa, ut poſſeſſionem ſuam retineret, vicariatum ſuum per Gallias tribuit Roſtagno Archiepiſcopo Arelatenſi. Sed ea legatio omni prorsùs effectu caruit.

Ioannes VIII. ep. 94. 95.

Vide ſupra lib. 5. cap. 40. §. 3.

VI. Pontifices Romani, cùm intelligerent Metropolitanos ferre nolle uni ex ſuo corpore conferri jus perpetuæ præſidentiæ, exiſtimarunt mittendos eſſe Legatos in Gallias & in alia regna cum poteſtate convocandi Concilia pro neceſſitate temporum, eíſque præſidendi, ac relationem rerum in eis ſtatutarum mittendi ad apoſtolicam ſedem, ut Romæ aut confirmarentur aut retractarentur. Hujuſcemodi legationem exercuit Robertus Archiepiſcopus Treverenſis: cui data eſt poteſtas præſidendi ſynodo apud Moſomum in diœceſi Remenſi habitæ anno nongenteſimo quadrageſimo octavo in cauſa Archiepiſcopi Remenſis, ut narrat Frodoardus in Chronico: cujus locus explicari non debet de legatione generali, ſed de ea tantùm quæ conceſſa erat ad judicandam appellationem Epiſcopi juxta canones Sardicenſes: *Mandatum legationis apoſtolicæ, quam dudum Robertus Archiepiſcopus deferente Frederico Præſule Mogonciacenſi coram Regibus & Epiſcopis tam Galliæ quàm Germaniæ ſuſceperat, & partem jam præceptionis ipſius exegerat.* Marinus quoque ſedis apoſtolicæ Legatus pro eadem cauſa venit ad Gallias; & conventui generali Ingilenheimenſi præfuit eodem anno, poſtquam literas legationis oſtenderat. *Miſſus apoſtolicæ ſedis chartam ſuæ legationis honorificè protulit*, inquit Concilium Ingilenheimenſe in præfatione. Relationem ille ſuam ad Agapetum ſecundum miſit de rebus in hac ſynodo geſtis: cujus ſynodi ſententiam Romana confirmavit anno ſequenti, ut teſtatur idem Frodoardus. Ceterùm ea ratione cauſas ad ſe trahebant Pontifices Romani.

Frodoirdus ad an. 948.

CAPVT XXX.

Synopſis.

I. Sub initia tertiæ Regum noſtrorum dynaſtiæ nova politiæ forma introducta eſt in detrimentum auctoritatis Metropolitanorum & Conciliorum, tum etiam regiæ. Quippe omnes cauſæ pendebant ab arbitrio Legatorum.

II. Canon Sardicenſis ſatis modeſtè obſervatus eſt uſque ad ſeculum decimum. Dein Alexander ſecundus pronuntiavit curam univerſalis Eccleſiæ ad ſe pertinere, ideóque, cùm id per ſe ipſe non poſſet, mittendos qui vice ſua Eccleſias viſitarent. Expenditur ea Alexandri ſententia. Petrus Damiani Legatus in Gallia.

III. Amatus Epiſcopus Oloronenſis, Legatus in Aquitania. Item Geraldus Cardinalis Oſtienſis. Quid Aquitanicæ legationis nomine comprehenderetur.

IV. Ad Legatos ea tempeſtate pertinuit convocatio Conciliorum generalium ex provinciis quæ intra legationis eorum terminos continebantur. Gregorius ſeptimus definivit Legatos Apoſtolicæ ſedis præcedere debere omnes Epiſcopos. Deponere poterant Epiſcopos. Eorum ſuffragium æquiparabatur collectis totius ſynodi ſuffragiis.

V. Concilia ab illis convocata conſtabant ut plurimum ex Epiſcopis & Abbatibus eorum legationis; eíſque interdum intererant optimates. Probatur variis exemplis.

VI. Primam omnium cauſarum cognitionem ad ſe trahebant in provinciis. Iraſcitur tantiſper Ivo Carnotenſis ob eam præſumptionem.

VII. Canones & ſtatuta in Conciliis condebant pro diſciplina eccleſiaſtica.

VIII. Tum Acta Conciliorum ſuorum mittebant ad apoſtolicam ſedem. Omiſſum obſequium illud à Geraldo Epiſcopo Oſtienſi gravem Gregorij ſeptimi reprehenſionem adversùs ipſum excitavit.

IX. Procuratio Legatorum introducta ævo Alexandri ſecundi, & frequentia Legatorum ſub Gregorio ſeptimo, qui Metropolitanos jurejurando adegit polliceri ſe ſumptus neceſſarios Legatis ſuppeditaturos. Origo hujus inſtituti peti potuit ex literis Gregorij ſecundi. Verum quantum abfuit ſequens ætas à modeſtia illius ſeculi!

X. Procurationes Legatorum graviſſimam in Gallis querelam excitaverunt. Et occaſionem præbuit auri ſacra fames. Epiſcopi Gallicani Paſchalem ſecundum erant ut legationem ſuam tribuat cuidam Epiſcopo tranſalpino.

XI. Frequentia Legatorum in faſtidium verſa. Iudicia lata in ſynodis Gallicanis interdum Romæ caſſabantur parte inaudita altera. Unde occaſionem ſumit Ivo ſcribendi inutilem eſſe Conciliorum celebrationem. Idipſum diu antè ſenſerat Hincmarus.

XII. Ita Summi Pontifices cuncta ad ſe traxerunt. Eo pacto abolita ſunt generalia regni Concilia eccleſiaſtica. Frequentes dein non fuere legationes, niſi ob gravem cauſam. Concilium Biturigenſe anni 1226. in quo ſeſſum non fuit quaſi in Concilio, ſed ut in Conſilio. Cur ita factum.

I. HACTENUS ſatis æqua lege conſtiterat eccleſiaſtica politia. At ex fundamentis quæ jacta ſunt deſinente ſecunda Regum noſtrorum dynaſtia conſecuta eſt nova ejuſdem politiæ forma ſub initia tertiæ eorum ſtirpis, in detrimentum Metropolitanorum Conciliorúmque provincialium & generalium regni. Quin & eodem tempore valde imminuta eſt regia auctoritas. Nam Legatorum miſſiones adeo frequentes erant, & poteſtas illis ab apoſtolica ſede conceſſa tam ſplendida erat ac magnifica, ut omnes cauſæ eccleſiaſticæ ab eorum nutu penderent, & ſecundùm illorum voluntatem judicarentur, aut ad

Vide ſupra lib. cap. 40. §. 2.

apostolicam sedem remitterentur.

II. Decreverat quidem synodus Sardicensis posse Episcopum Romanum, si ita existimaret, Legatum *à latere suo* in provincias mittere, illic cum Episcopis provinciæ judicaturum revisionem causæ Episcopi depositi. Satis modestè observata est hæc lex usque ad seculum decimum, nequicquam promovente Nicolao primo, qui consilium iniverat vertendi legationes hujuscemodi in consuetudinem ordinariam, eo prætextu, quòd, ut recenter inventum fuerat, irrita forent Concilia generalia quæ non cum auctoritate apostolicæ sedis habita erant. Post annum millesimum necessarium visum non est prætexi ad mittendos Legatos judicia appellationum. Quippe Alexander secundus jus mittendorum Legatorum ex eo capite arcessit circa annum millesimum sexagesimum secundum quòd cura universalis Ecclesiæ eum cogat mittere ad vicem suam personas quæ visitent Ecclesias, cùm id ipse efficere per se non possit. Certum quidem est ei incumbere sollicitudinem Ecclesiæ universalis. At novum est cùm dicitur ex ea sollicitudine sequi ut teneatur ad personalem diœceseon visitationem. id enim ad unumquemque Episcopum pertinet in sua diœcesi. Ministerium autem Romani Pontificis in eo tantùm versatur ut ad eum majores causæ & appellationes referantur; quibus ipse providere tenetur secundùm canones. Attamen Alexander secundus axioma illud innuens tanquam certum, hinc occasionem sumit probandi necessitatem mittendi in Gallias Petrum Damiani Cardinalem Ostiensem eum dignitate Legati, qui illic personam Pontificis repræsentaret. Epistola Alexandri scripta est ad Archiepiscopos Rhemensem, Senonensem, Turonensem, Biturigensem, & Burdegalensem: cujus hæc sunt verba: *Non ignorat sancta vestra fraternitatas, dilectissimi, quòd ex auctoritate sedis apostolicæ, cui nos indignos clementia divina præfecit, totius universalis Ecclesiæ regendus ac disponendus nobis status incumbit. Quoniam igitur pluribus Ecclesiarum negotiis occupati, ad vos ipsi venire non possumus, talem vobis virum destinare curavimus, quo nimirum post nos major in Ecclesia Romana auctoritas non habetur, Petrum videlicet Damianum Ostiensem Episcopum, qui nimirum est noster oculus & apostolicæ sedis immobile firmamentum. Huic itaque vicem nostram pleno jure commisimus; ut quicquid in illis partibus Deo auxiliante statuerit, ita ratum teneatur ac firmum ac si speciali nostri examinis fuerit sententia promulgatum.*

III. Legati hujuscemodi mittebantur ad diversa regna; & eorum legatio interdum porrigebatur in universum regnum, interdum verò in quasdam tantùm provincias. Exempli causa, Amatus Episcopus Oloronensis apud Benearnos creatus est Legatus in universa Aquitania anno millesimo septuagesimo quarto; eáque legatio complectebatur metropoles Burdegalensem & Auscitanam, atque etiam Turonensem. Eadem legatio commissa est Geraldo Cardinali Ostiensi: quæ, ut testatur auctor vitæ sancti Bernardi, complectebatur quicquid inter Pyrenæos montes & Ligerim fluvium intercipitur, ut in Notis ad librum primum Goffridi Vindocinensis ostendit Sirmondus.

IV. Eorum verò auctoritas non in eo solùm posita erat ut privatam aliquam causam soli judicare possent. Magnificum fuit quòd ad eos pertinebat convocatio Conciliorum generalium ex provinciis quæ intra legationis eorum terminos continebantur. Tum verò in synodis præsidebant universis Metropolitanis; tametsi prærogativam hanc Ansegiso Senonensi Archiepiscopo contradixisset Concilium Pontigonense anno octingentesimo septuagesimo sexto. Sed tempore addito, devorata est hæc lex à Metropolitanis, postquam Gregorius septimus definivit Legatos apostolicæ sedis, cujuscunque tandem gradus ij forent, præcedere in Conciliis debere omnes Episcopos, ut habetur in Dictatibus ejusdem Papæ: *Quòd Legatus ejus omnibus Episcopis præsit in Concilio, etiam inferioris gradus, & adversùs eos sententiam depositionis possit dare.* Magna autem erat eorum dignatio, quòd in provincias accederent cum auctoritate suspendendi & deponendi Metropolitanos & alios Episcopos, quò faciliùs mandatorum suorum executionem obtinerent ac votorum suorum compotes fierent. cujus rei exempla extant quamplurima in epistolis Gregorij septimi & Ivonis Episcopi Carnotensis. Quin etiam sedis apostolicæ judicio reservare poterant ea quibus Episcopi consentire nollent in Conciliis; ea Legatis auctoritate concessa, ut unicum eorum suffragium æquipararetur collectis totius synodi suffragiis, divisionémque sententiarum hoc pacto introducerent. Præceptum id fuerat ad exemplum auctoritatis quam Leo primus tribuerat Episcopo Thessalonicensi, cui Vicarij sedis apostolicæ dignitatem contulerat in Diœcesi Illyriciana: *Si autem in eo quod cum fratribus tractandum definiendúmve credideris, diversa eorum fuerit à tua voluntate sententia, ad nos omnia sub gestorum testificatione ferentur, ut remotis ambiguitatibus quod Deo placeat decernatur.*

Vide supra lib. 5. cap. 46. §. 8. 9.

Vide supra lib. 5. cap. 46. §. 3. & seqq.

Vide supra lib. 5. cap. 47. §. 1. 2.

Alexander 2. ep. 16.

Leo in Decret. tit. 41.

V. Infinitum esset & inutile persequi omnia Concilia quæ ab hujuscemodi Legatis celebrata sunt in Gallia, quorúmque mentio extat in epistolis Gregorij septimi & aliorum Pontificum, apud Ivonem Carnotensem & Goffridum Vindocinensem. Satis erit adnotasse tria quædam. Primum, Concilia illa utplurimum constitisse ex Episcopis & Abbatibus earum regionum ad quas Legati auctoritas porrigebatur, eísque interdum interfuisse optimates. Diserta in eam rem sunt verba Nicolai monachi Suessionensis, cùm loquitur de Concilio Trecensi habito à Richardo Episcopo Albanensi Paschalis secundi Legato. *Richardus Cardinalis & apostolicæ sedis Legatus apud Trecenses celeberrimum habuit conventum Episcoporum, Abbatum, & Galliæ procerum*, inquit Nicolaus in vita sancti Godefridi Episcopi Ambianensis lib. 1. cap. xxx. At principes illi viri invitabantur ad synodum, postquam ejus celebrationi consensus eorum accesserat; ut colligitur ex literis Amati Episcopi Oloronensis, apostolicæ sedis Legati, quibus Archiepiscopo Turonensi Rodulfo præcipit ut ad synodum Burdegalensem veniat: *Noverit vestra caritas, frater dilectissime, nos auctoritate Dei omnipotentis omniúmque legationis nostræ Episcoporum, Abbatum, Principum consensu, Concilium Burdegalæ in Octava sancti Michaëlis celebrandum constituisse.* In Germania quoque Legati invitabant proceres ad Concilia; quemadmodum factum est anno millesimo centesimo decimo sexto, cùm excommunicationis sententia lata est in Henricum Imperatorem, apud Trithemium in Chronico Hisaurgiensi.

Ap. Sirmond. in Notis ad Goffrid. Vindoc. lib. 1. ep. 29.

VI. Alterum caput notatu dignum, hoc est, Legatis infra magnitudinem eorum visum si de appellationibus tantùm cognoscerent in Conciliis. Itaque primam omnium causarum cognitionem ad se trahebant in Conciliis definiendarum, & interdum etiam absque Concilio; sive ageretur de electionibus Episcoporum déque eorum moribus, sive de simplicibus Clericis, aut etiam de titulis Beneficiorum, aut laïcorum excommunicationibus. Eum ordinem tenuit Cono Episcopus Prænestinus in Concilio Belvacensi anno millesimo centesimo decimo quarto, in quo Thomas de Marla, qui diœceses Remensem, Laudunensem, & Ambianensem vexabat, excommunicatus est, *cùm sederet Belvaci generali conventu Gallicana Ecclesia*; ut ait Sugerius Abbas. At Ivo Carnotensis gravem adversùs Hugonem Archiepiscopum Lugdunensem & apostolicæ sedis Legatum querelam movit, eò quòd primam cognitionem electionis Episcopi Aurelianensis ad se traxisset: *Si intra provinciam*, inquit, *secundùm quod instituta majorum continent, fieret prima discussio, sicut necesse foret &c.* Ivo ep. 61.

VII. Tertium caput nostrarum observationum ita habet, non solùm judicia in his Conciliis tulisse Legatos, sed etiam canones & statuta condidisse pro disciplina ecclesiastica, cujus rei exempla suppetunt. Namque Concilium Pictavense habitum anno millesimo centesimo à Legatis Paschalis secundi decem canones condidit, quorum nonnulli transcripti sunt in Concilio generali Lateranensi sub Calisto secundo habito anno millesimo centesimo vigesimo secundo. Aliud quoque Concilium in eadem urbe Pictavensi celebravere Legati anno millesimo centesimo nono, in quo editi sunt canones sexdecim. In Anglia quoque Legati sedis apostolicæ varia Concilia celebraverunt, in quibus etiam constituti sunt canones; velut in Londinensi habito anno MCXXV. à Ioanne de Crema Legato, qui disciplinam ecclesiasticam restauravit. Vide Labbeum in Synopsi Concil. tom. 12. ad an. 1102. & seq.

VIII. Quoniam autem potestas horum Legatorum non ad hoc tantùm instituta erat ut causas provinciarum definirent, sed ut insuper sedis apostolicæ auctoritatem apud eas retineri procurarent, necessarium erat ut acta synodorum Romam referrentur, eò magis, quòd appellationes & conquestiones adversùs illorum judicia recipiebantur, tametsi interim effectum eorum non impediret. Officium Legatorum in referendis ad apostolicam sedem rebus eorum auctoritate decretis rectè explicavit Gregorius septimus ad Geraldum Episcopum Ostiensem & apostolicæ sedis in Hispania Legatum scribens anno millesimo septuagesimo tertio, qui peccaverat aliquatenus in hanc regulam: *Miramur, & multùm anxij sumus, quod cùm semper consuetum & valde necessarium fuerit ut si quando Legatus apostolicæ sedis Concilium in remotis partibus celebraverit, sine mora ad annuntiandum omnia quæ egisset revertetetur.* Infrà: *Debuerat prudentia tua illum quem tibi adjunximus, aut aliquem qui synodo interfuisset, quíque omnia vice tua nobis rationabiliter expedire sciret, ad nos direxisse; quatenus perspectis omnibus, confirmanda confirmaremus, & si qua mutanda viderentur, discreta ratione mutaremus.* Infrà: *Alij injustè se excommunicatos, alij inodinatè depositos, alij immeritò interdictos conqueruntur.* Greg. 7. lib. 1. ep. 16. Vide Epp. lib. 2. ep. 51.

IX. Hujuscemodi Legatorum numerus immensùm crevit ætate Gregorij septimi: quoniam post regulam ab Alexandro secundo propositam subtilias illius seculi invenit artem extorquendi sumptus Legatis necessarios ab Ecclesiis quæ erant intra limites legationis

Vide supra lib. 5. cap. 48. §. 1. & seqq. & cap. 51. §. 1. & seqq.

gationis eorum, exemplo petito à procurationibus quæ debentur Episcopis pro visitatione. Præterea Gregorius novam anno millesimo septuagesimo nono clausulam adjecit juramento Metropolitanorum, quando Pallium recipiebant, qua cogebantur ad suppeditandos sumptus necessarios Legatis, quoties per provincias eorum iter agerent ad legationem suam euntes, ut eo pacto certi essent sumptus eisdem Legatis necessarij: *Legatum Romanum eundo & redeundo honorificè tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo.*

Concil. Rom. an. 1079.

Constat sanè Gregorium secundum anno septingentesimo vigesimo secundo, Clericis ac nobilibus laïcis commendasse Bonifacium, quem in Germaniam mittebat ad convertendos infideles, eósque hortatum esse ut sumptus ei alendo suppeditarent. Hæc sunt Gregorij verba in epistola quarta: *Cui hortamur ob amorem Domini nostri Iesu Christi & Apostolorum ejus reverentiam ut in omnibus solatia exhibeatis, eúmque in nomine Iesu Christi recipiatis, ut scriptum est de suis discipulis: Qui vos recipit, me recipit: Providentes insuper necessaria itineris ejus, comitésque tribuentes. Cibum etiam, ac potum, vel si quid eguerit, largientes &c.* Gregorius inquam secundus clerum ac nobiles laïcos hortatus est ut impendia necessaria Bonifacio præberent. Verùm contributio illa infra mediocritatem subsistebat, quòd exigui admodum sumptus sufficerent homini frugaliter viventi & Apostolorum virtutibus æmulanti; ac præterea contributio illa sponte fiebat. At cùm Legati in provincias accederent cum pompa & splendido comitatu, necessarij erant immensi sumptus; adeóque contributio propter illos imperata personas ecclesiasticas opprimebat; quæ cogebantur eam pendere pro visitatione, tametsi Legati ad eas non accederent. Quare Innocentio tertio visum est ut modus quidam iis rebus adhiberetur, edito in eam rem canone in Concilio Lateranensi anno millesimo ducentesimo decimo quinto, qui tamen non admodum iniquus est Legatis.

Vide supra lib. 5. cap. 41. §. 4. & cap. 48. §. 2.

Vide supra lib. 5. cap. 51. §. 6.

Cap. Procurationes. de censibus.

X. Hæ Legatorum procurationes gravissimam in Galliis querelam excitaverunt. Etenim Episcopi videntes perpetuam velut reciprocationem Legatorum Roma venientium, ac statim abeuntium antè quàm eis licuisset mala provinciarum introspicere, ac per consequentiam antè quàm iisdem malis remedia adhibuissent, cùm id, inquam, Episcopi cernerent, dicebant Summos Pontifices potiùs studere augendis suorum fortunis quàm sanandis subjectorum malis. Ita enim ad Paschalem secundum scribit Ivo Carnotensis Episcopus: *Cùm enim à latere vestro mittitis ad nos Cardinales vestros, tanquam filios uterinos, quia in transitu apud nos sunt, non tantùm non possunt curanda curare, sed nec curanda prospicere. Inde est quòd multi Præpositorum facta gladio linguæ ferire cupientes, dicunt sedem apostolicam non subditorum quærere sanitatem, sed suam aut lateralium suorum quærere commoditatem.* Et quoniam mos mittendorum Legatorum prævaluerat, Episcopi Gallicani, non spernendam occasionem rati, eum vertere studuerunt in commodum regni. Etenim quemadmodum ducentis antè annis contenderant ne cuiquam Episcoporum Gallicanorum concederetur legatio sedis apostolicæ, nullúsque præterea perpetuus Legatus mitteretur in Gallias, nunc Paschalem orant ut legationem suam tribuat Episcopo cuipiam transalpino, qui penitiùs introspicere poterit provinciarum morbos eísque remedium adhibere per se aut per relationes ad sedem apostolicam mittendas. Addunt autem cupere se in primis ut ministerium illud delegetur Hugoni Archiepiscopo Lugdunensi, qui præclarè admodum in eo se gesserat sub Gregorio septimo & Vrbano secundo. *Alicui transalpino legationem sedis apostolicæ injungatis, qui & vicinius subrepentia mala cognoscat, & ea vel per se vel per relationem ad sedem apostolicam maturiùs curare prævaleat.*

Vide supra lib. 5. cap. 54.

Ivo epist. 109.

XI. Tandem diversæ vexationes quæ regna afflixerunt ob frequentiam Legatorum, qui prætextu disciplinæ ecclesiasticæ sæpenumero se negotiis publicis immiscebant, & marsupia sua inflabant, Episcopos & populos in fastidium harum legationum verterunt; ut colligi potest ex Matthæo Parisio variis in locis. Quod auctum est ob inutilitatem horum sumptuum. Nam judicia à Legatis lata in synodis regni interdum Romæ mittebantur in irritum parte inaudita altera. Hinc illæ lacrymæ Ivonis Carnotensis ad Paschalem secundum scribentis ob Thesaurariam Ecclesiæ Cabilonensis, cujus possessione Drogo quidam deturbatus fuerat judicio Concilij generalis Galliarum apud urbem Pictaviensem habiti à Legatis sedis apostolicæ: *Confirmantibus eisdem Cardinalibus judicium nostrum*, (inquit Ivo in epistola XCV.) *ex ratione & auctoritate judicavimus non fuisse canonicam investituram.* Interim Drogo restitutus fuerat à Summo Pontifice, inauditis iis quorum intererat. Vnde occasionem sumit Ivo affirmandi modum hunc agendi efficere ut inutilis omnino sit celebratio horum Conciliorum: *Quid etiam ultrà valebunt celebranda Concilia, quorum per unius personæ delationem irrita fient quantalibet auctoritate fulta judicia? Vnde rogamus sanctita-*

tem vestram ut librata consideratione commodorum & incommodorum quæ de ejusmodi perturbatione nasci possunt, saniori sententiæ animum accommodetis; ut & judicia synodalia nonnisi summa ratione cassentur, & mandata apostolica curiosiùs observentur. Eadem Hincmaro mens fuerat ducentis & eo ampliùs ante Ivonem annis: quam cum indignatione aperit in epistola ad Nicolaum primum scripta, quæ extat apud Flodoardum, occasione Rothadi Episcopi Suessionensis in generali regni synodo depositi à judicibus electis; quod judicium instaurari nihilominus in Concilio Romano volebat Nicolaus: *Si de reliquo verba iniquorum prævaluerint adversùm nos, sicut jactitant proferentes, non erit necesse de provincialibus synodis, in quibus hactenus laboravimus, magnopere laborare. quippe quoniam erit & lex & spes sibi quisque.* Antea autem dixerat, propter appellationes hujuscemodi: *Non solùm ab ecclesiasticis personis, verùm & multò magis à secularibus, nostra judicia contemnuntur.* Itaque in animum inducit monendos à se esse Episcopos, si quid peccent. *Si corrigere se voluerint*, inquit, *congaudebo. Sin autem, ad vestrum eos judicium provocabo. Qui si ire voluerint, vestra sancta sapientia quid inde melius viderit decernere procurabit. Si autem ire noluerint, facient quod sibi utile judicaverint.*

Ap. Flodoard. lib. 3. hist. Rem. c. 13.

XII. Summi Pontifices, postquam Episcopos Gallicanos eò flexerant ut appellationes à judiciis suis patienter ferrent, omnem auctoritatem in se trahere studuerunt, ita ut eam cum nullo communicarent. Eo pacto Concilia generalia ecclesiastica regni sensim abolita fuere. Frequentiæ verò Legatorum hæc ratio præscripta est, ut nonnisi ob graves causas accederent ad provincias, sive pro revocanda pace inter Reges Galliarum & Angliæ, sive pro bello adversùs Albigenses, seu etiam ob alias similes causas. Hujuscemodi legationis illustre exemplum extat apud Matthæum Parisium. Narrat ille Cardinalem Romanum anno millesimo ducentesimo vigesimo sexto missum esse in Galliam cum auctoritate Legati, ut provideret petitionibus Raymundi ultimi Comitis Tolosatium; cujus bona publicata fuerant ob hæresim Albigensium, quorum ipse erat fautor. Vnde patet Summum Pontificem extendisse sollicitudinem suam ad res temporales, tanquam connexas spiritualibus, id est, hæresi; quemadmodum observavit Clemens quartus in suis epistolis. Igitur cùm Legatus advenisset, Concilium convocavit apud urbem Biturigensem; ad quod invitavit Regem, Archiepiscopos, Episcopos, & clerum Ecclesiæ Gallicanæ, atque insuper Comitem Tolosanum. In hoc conventu adfuerunt centum Episcopi è novem provinciis; præter Abbates, Priores & procuratores Capitulorum. Et quia Lugdunensis Archiepiscopus de primo consessu contendebat cum Archiepiscopo Senonensi, Rothomagensis verò cùm Bituricensi, Burdegalensi, Narbonensi, & Auscitano; adnotat Matthæus Parisius, ad vitandam contentionem consessum illic non fuisse dispositum tanquam in vero Concilio, sed tanquam in conventu & Consilio extraordinario: *Timebatur de discordia. Et ideo non fuit sessum quasi in Concilio, sed ut in Consilio.* Cùm autem controversia moveretur inter Simonem Comitem Montisfortis & Raymundum Comitem Tolosanum, Legatus præcepit Archiepiscopis ut unusquisque seorsim cum suffraganeis suis sententiam promeret, eámque scripto traderet, quò illam Summo Pontifici & Regi Francorum Legatus ostendere posset, excommunicationi interim subdens eos qui sententiæ suæ secretum proderent. Vnde colligi potest vim conventuum ecclesiasticorum Galliæ reductam esse ad simplex consilium. *Præcepit Archiepiscopis singulis Legatus cum præsentibus, ut convocatis seorsum unusquisque suffraganeis, cum eis deliberarent super negotio præfato, & traderent Legato consilium suum redactum in scripto. Quo facto, Legatus excommunicavit omnes qui super hoc sua consilia revelarent, dicens se ea velle Domino Papæ significare, & Francorum Regi ostendere.*

Simili libro. Indemnitate. cap. 14. §. 11.

ADMONITIO

STEPHANI BALUZII.

De legatione Aquitanica, de qua paucis agit illustrissimus Archiepiscopus in paragrapho tertio istius capitis, nos in prima librorum istorum editione nonnulla diximus in hac additione, quæ nunc visum est referre ad caput XLVI. libri quinti.

CAPVT XXXI.

Synopsis.

I. Legati in se traxerunt omnem auctoritatem Conciliorum ecclesiasticorum. Confirmationem autem canonum Summo Pontifici reservaverunt.

II. Non possunt ministerium suum exequi intra Gallias absque consensu Regis. Probatur ex Gregorio magno.

III. Ratio hujus instituti aperitur. Epistola Concilij Africani ad Celestinum explicata contra mentem illustrissimi Cardinalis Peronij.

IV. Concilium Sardicense Vicarios apostolicæ sedis adesse sinit in synodis provincialibus, si causa Episcopi dejecti retractanda fuerit. Aliud obtinebat in Africa, cui ignotum erat Concilium Sardicense. Le-

gati in provincias mitti non possunt absque consensu Principum.

V. Idem jus obtinuit olim apud Anglos. Probatur ex Rogerio de Hoveden. Prudens Philippi Pulcri Regis ad Bonifacium octavum responsio.

VI. Si quid Legati tentabant adversùs canones & vetustam consuetudinem, intercessione regia rescindebatur. Legati persæpe convellebant dignitatem Episcoporum. Gravis monitio Ivonis Carnotensis ad Hugonem Lugdunensem scribentis.

VII. Episcopi regiam auctoritatem implorabant adversùs temeritatem Legatorum. Probatur ex Ivone.

VIII. Legatorum facultates examinari debent antè quàm munere suo fungantur. Probatur exemplis.

ADDITIO.] *Canones quidam Concilij Claromontani sub Vrbano secundo nunc primùm eduntur. De censu annuo Episcoporum, quem ex Altaribus recipere debent. Emendatus & illustratus canon primus Concilij Nemausensis. Illustratus etiam canon quartus Concilij Claromontani. Dedit is originem juri Præsentationis, quo Abbates fruuntur quoad Ecclesias parochiales. De Primatu Lugdunensi. Ei acriter restiterunt Senonenses. De archiepiscopatu Dolensi. Rursum nonnulli canones Claromontani nunc primùm editi.*

I. SVPEREST ut examinemus an per illas tempestates pessumdata fuerit regia auctoritas quoad convocationem Conciliorum Gallicanorum aut promulgationem decretorum pro ordinanda politia ecclesiastica propositorum. Lucem magnam iis quæ dicturi sumus afferet distinctio illa quam suprà attulimus inter synodos ecclesiasticas & regias, quæ à Pippino Rege introducta fuit, simúlque viam aperiet ad perfectam intelligentiam hujus difficultatis. Nam synodi ecclesiasticæ cognoscebant de litibus & controversiis quæ ad causas communes pertinebant; interdum verò canones condebant, qui tum demum obtinebant vim legis postquam eos Princeps confirmaverat in synodo regia. At Legati omnem horum Conciliorum auctoritatem in se traxerunt, atque etiam cognitionem causarum quas in Conciliis provincialibus tractari receptum antea erat. Confirmationem autem canonum Summo Pontifici reservaverunt. Quo agendi modo multùm imminuta est regia auctoritas. Attamen Principes eam sartam tectam conservaverunt in tribus capitibus magni momenti. Primùm enim passi non sunt Legatos absque consensu suo exequi munia legationis intra Gallias. Tum si quid à Legatis tentabatur adversùs canones & vetustam consuetudinem, intercessione regia infringebatur. Demum suæ dispositioni conservaverunt convocationem Conciliorum regiorum.

Vide suprà cap. 24. hujus libri.

II. Primùm omnium satis constat Legatos nullam muneris sui functionem attingere in Gallia potuisse absque petitione aut expresso consensu Regis, cùm id apertè doceat Gregorius magnus. Iusserat ille synodum in Gallia celebrari, ad abolendam simoniam. Verùm Episcopi parum erant solliciti de exequendis jussis ejus. Quare Gregorius cupiit ut Legatus apostolicæ sedis ad Gallias accederet pro executione sui consilij. Quoniam verò jura Principum rectè noverat, negotiorum tractationi assuetus, quòd responsalem apostolicæ sedis egisset apud Imperatores Constantinopolitanos, Regum Francorum auctoritatem sartam tectam integrámque esse voluit. Itaque anno sexcentesimo primo summo studio institit apud Reginam Brunichildem ut ipsa ad se scriberet, quatenus, si ita Regina jusserit, Legatum cum consensu auctoritatis regiæ in Galliam mittat, cujus industria corruptelæ consuetudinis ad regulam dirigerentur in synodo regni: *Sed quoniam eos quorum est locus hæc insequi nec sollicitudo ad requisitionem nec zelus excitat ad vindictam, scripta ad nos vestra discurrant, ut personam, si præcipitis, cum vestræ auctoritatis assensu transmittamus, quæ unà cum aliis Sacerdotibus hæc & subtiliter quærere & secundùm Deum debeat emendare.* At Regina morem gerens Pontifici, Legatos anno sequenti sexcentesimo secundo misit Romam pro variis negotiis, eíque inter cetera mandavit ut Legatum apostolicæ sedis in Galliam mitti peterent; ut constat ex quadam Gregorij epistola, qua hanc Reginæ pietatem mirificè laudat. *Præfati autem viri magnifici filij nostri*, inquit Gregorius ad Reginam Brunichildem scribens, *dato capitulari inter cetera petierunt, quod sibi ex vestra perhibuere jussione mandatum, ut talis debeat à nobis in Galliis persona transmitti quæ facta synodo cuncta quæ contra sacratissimos canones perpetrantur omnipotenti Deo auctore possit corrigere.* Verùm res ista caruit effectu, ob bella apud Gallias suborta. Ceterùm jus illud regium confirmari etiam potest ex literis Summorum Pontificum Vigilij & Pelagij, quorum verba relata sunt ad calcem capitis decimi noni. Quippe duo illi Pontifices declarant se vicariatum suum concessisse Episcopis Arelatensibus juxta petitionem Regum, *juxta petitionem & mandatum.*

Vide supra lib. 5. cap. 56. & cap. 58

Vide lib. 5. c. 16. §. 6.

S. Gregor. lib. 9. epist. 64.

Idem lib. 11. epist. 8.

III. Ratio hujus introductionis haud dubiè canonica est, quandoquidem Summi Pontifices se ad eam accommodant. Peti autem ex eo potest, quòd extraordinarium in politia ecclesiastica esset mitti in provincias Legatum qui Conciliis provinciarum interesset, quemadmodum ad Celestinum Papam scribit Concilium Africanum: *Nam ut aliqui*

tanquam à ſanctitatis tuæ latere mittantur, nulla invenimus patrum ſynodo conſtitutum. Vnde concludunt non toleraturam diutiùs Africam Fauſtini Epiſcopi ſedis apoſtolicæ Legati præſentiam. De illo enim intelligi debet hic locus; non autem de Apiario, ut cenſuit illuſtriſſimus Cardinalis Perronius. *Securi ſumus quòd eum, probitate ac moderatione tuæ ſanctitatis, ſalva fraterna caritate ulteriùs Africa minimè patietur.*

IV. Fatendum quidem eſt hanc Africanorum propoſitionem eſſe contrariam Concilio Sardicenſi, quod ſedis apoſtolicæ Vicarios in ſynodis provinciarum tum adeſſe ſinit ſi cauſa Epiſcopi dejecti retractanda fuerit. Verùm Afris ignotum erat iſtud Concilium. Canones autem in eorum ſynodo propoſiti νοθείας accuſati ſunt, ob hoc quòd è Synodo Nicæna laudarentur, cùm revera Nicæni non eſſent. Interim Africanorum regula certa manet; niſi ſi cauſus evenerit in Concilio Sardicenſi notatus. Vnde ſequitur neceſſarium eſſe ut ſi ea tempora incidant ut neceſſe ſit hanc diſciplinæ canonicæ regulam tranſgredi, ſuprema protectionis canonum auctoritas, quæ penes Reges eſt, conveniat cum ſuprema executionis auctoritate, quæ ad Summos Pontifices pertinet, atque adeo non poſſe Legatos mitti in provincias, niſi ita fieri Principes conſentiant ob cauſam aliquam quæ ad ſtatum Eccleſiæ Gallicanæ pertineret. Equidem Pontifices Romani ſuos Nuncios ſive Apocriſiarios habebant Conſtantinopoli degentes apud Imperatores. Verùm id fiebat ex conſenſu Imperatorum; ac præterea Apocriſiarij illi nullam juriſdictionem exercebant in vicinis patriarchatibus, niſi ex ſpeciali delegatione Principis. Exemplo ſit Iuſtinianus; qui Pelagium ſedis apoſtolicæ Apocriſiarium, Euphremium Patriarcham Antiochenum, & Petrum Hieroſolymitanum, ac Hypatium Epheſinum Epiſcopos delegavit, qui Pallium auferrent Paulo Patriarchæ Alexandrino, qui decreto Principis damnatus erat, & in exilium pulſus apud urbem Gazam, quò ſe judices delegati contulerunt pro executione. Verùm munus horum Apocriſiariorum, ſive Reſponſalium, in ſuggeſtionibus poſitum erat quas Principibus faciebant pro negotiis Eccleſiæ Romanæ & publicis Eccleſiæ occidentalis. Sic ſuum quiſque Patriarcha Apocriſiarium generalem mittebat pro univerſa Diœceſi patriarchali; ut conſtat ex capite tertio Novellæ conſtitutionis ſextæ Imperatoris Iuſtiniani, & à nobis ſuprà adnotatum eſt in cap. XVI. libri quinti, paragrapho quarto.

Vide lib. 5. c. 17.

Liberatus in Breviario cap. 23.

Vide lib. 5. cap. 16. §. 5.

Vide lib. 5. cap. 17. §. 2.

V. Ius autem illud adeo competit Regibus, ut non ſolùm noſtri, ſed etiam Angli, illud ſemper ſumma cura retinuerint. Illuſtre hujus rei argumentum extat, etiam poſt introductam Legatorum frequentiam. Cùm enim anno MCXIX. Calliſtus Papa & Henricus primus Rex Angliæ conveniſſent apud Giſortium in Normannia, conceſſit Regi Pontifex ut antiquæ regni ejus conſuetudines manerent, ac nominatim, ne quis Legatus in Angliam mitteretur, niſi ita fieri Princeps poſtularet à Pontifice. Diſerta ſunt in eam rem verba Rogerij de Hoveden in parte priori annalium. *Rex à Papa impetravit*, inquit, *ut omnes conſuetudines quas pater ſuus in Anglia & in Normannia habuerat ſibi concederet, & maximè ut neminem Legati officio in Anglia fungi permitteret, ſi non ipſe (aliqua præcipua querela exigente, quæ ab Epiſcopis regni ſui terminari non poſſet) hoc fieri à Papa poſtularet.* Reges verò Francorum hunc uſum ſemper retinuiſſe conſtat ex ea quæ inter Bonifacium octavum Papam & Philippum Pulcrum Regem ſuborta eſt diſcordia, affirmante Pontifice, miſſo in Galliam Ioanne Cardinale, poſſe ſe liberè Legatos & Nuncios ad regna mittere *abſque petitione cujuſlibet vel conſenſu, uſu vel conſuetudine contrariis nequaquam obſtantibus.* At Philippi reſponſio, tametſi multa comitate condita, ſartam tectam integrámque præſtat auctoritatem regiam. Ait enim non prohibere ſe quin Legati, Nuncij, & aliæ perſonæ accedant ad Gallias, *niſi ſibi & regno ſint legitima ratione ſuſpecti, vel aliàs habeat juſtam cauſam.* Praxis quæ dein obtinuit uſque ad hæc noſtra tempora præclarè admodum probatur auctoritate Actorum quæ edita ſunt in capite XXIII. §. II. Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ.

Vide ſuprà lib. 5. cap. 36. & 37.

VI. Nunc veniendum eſt ad alterum caput noſtrarum obſervationum. Illud autem verſatur in jure quo uſos fuiſſe diximus Reges noſtros, prohibendi ea quæ à Legatis tentarentur contra Canones. quæ propoſitio omnino manifeſta eſt. Legati perſæpe convellebant dignitatem Epiſcoporum, eiſque interdum nonnulla præcipiebant, intentata excommunicationis pœna, propter cauſas indifferentes, ſive etiam in certis capitibus quæ antiquis canonibus contraria erant. Conſtat id ex epiſtolis Ivonis Epiſcopi Carnotenſis: qui alicubi Hugonem Archiepiſcopum Lugdunenſem ſedis apoſtolicæ Legatum rogat ne deinceps novi quicquam præcipiat adversùs Canones & jus Epiſcopis quæſitum; ne ſi ea imperentur quæ efficì non poſſint, contumaciter ejus imperia ſpernantur. Tum eum monet debere prudentiam ejus conſiderare, cùm aliquid in materia levi & indifferenti præcipit, vel quando imminuit aut mutat ea quæ antiquitas ſancivit;

consuetudo servavit, & patrum auctoritas confirmavit, debere inquam prudentiam ejus considerare quámnam institutionem sequi oporteat, quibúsve obediendum sit, patribúsne, qui adhuc nobis in scriptis suis loquuntur, an Legato, qui nihil aliud prædicat quàm ut eorum vestigia adorentur. Ivo ep. 60. *Cùm verò ea*, inquit, *quæ indifferenter se habent, & in quibus non observatis minimè salus periclitatur, vel observatis minimè juvatur, tam obnixè servanda sancitis, vel cùm ea quæ antiquitas sanxit, consuetudo servavit, & venerabilium auctoritas patrum sacrata firmavit, prout vultis minuitis aut mutatis, attendere debet prudentia vestra quid saluti eorum quibus per omnia prodesse debetis conferatis, vel quorum institutio sit tenenda, vel quibus obedientia potiùs sit exhibenda, an illis sanctis patribus, qui adhuc nobis in scriptis suis loquuntur, an vobis, quibus nihil aliud est propositum nisi priorum sequi & honorare vestigia.* Alibi verò apertiùs eum alloquitur. Significat enim timendum esse ne Episcopi jugum excutere meditentur, si agnoverint Hugonem cupidine potentiæ accensum adimere velle subjectis sua jura. Tum eum admonet debere potiùs eum sua cuique jura servare, exemplo beati Petri: qui tametsi Paulo prælatus fuisset, curam Ecclesiæ cum eo communicavit; adeo ut ille Evangelium Iudæis prædicaverit, hic verò gentibus. Ivo ep. 61. *Licèt enim*, inquit idem Ivo, *prudentia vestra velit & debeat ministerium suum honorare, reminisci tamen debet quia cùm Petrus Paulo esset prælatus, dederunt tamen sibi invicem dexteras societatis, ut alter in gentibus, alter in circumcisione prædicaret Evangelium. Attendat ergo discretio vestra utrum hoc ita fieri liceat, & si liceat, utrum expediat; ne fortè odisse & detrectare incipiant jugum vestrum quos vultis habere subjectos, dum, hoc exemplo, suo se intellexerint jure privandos.*

VII. Episcopi, tametsi eo tempore servitutem satis æquo animo tolerarent, concoquere non poterant audaciam Legatorum; cui quodam modo resistebant cùm eorum mandata exequi recusabant, aut cùm admonitionibus suis eos urgebant. Verùm quoniam Legati fulmen excommunicationis habebant adversùs eos qui mandatis suis resistere nitebantur, necessarium fuit regiam auctoritatem implorare adversùs infractionem canonum & vetustæ consuetudinis. Intelligebant quippe Episcopi protectionem canonum & optimarum consuetudinum, quæ ad Reges pertinet, in eo præcipuè versari ut eorum temeritatem reprimat qui suprema auctoritate, quæ ad executionem canonum usurpanda est, abuntur. Probatio hujus praxis peti potest ex epistola quam anno millesimo nonagesimo sexto ad Regem Philippum primum scripsit Ivo Carnotensis. Paulò antè Vrbanus secundus Papa duo Concilia celebraverat, unum apud Clarummontem in Aquitania prima, aliud verò apud Nemausum in prima Narbonensi. Tum verò Lugdunensis Archiepiscopus Hugo sedis apostolicæ Legatus tertium Concilium eodem anno celebrare constituerat, ad quod Episcopos Gallicanos evocare volebat. *Post duo Concilia hoc anno à Domno Papa celebrata*, inquit Ivo ad Philippum Regem scribens, *nunc* Ivo. ep. 16. *Legatum ejus Lugdunensem Archiepiscopum infra eundem annum tertium generale convocare, & ad hoc regni vestri Episcopos invitare.* Eam igitur ob causam consultus Ivo respondit se nihil accepisse de convocatione hujus Concilij, neque per literas ad se à Legato scriptas, neque per latorem earum; si tamen Hugo faceret eam convocationem, eam institutioni apostolicæ consentaneam non fore, neque consuetudini ecclesiasticæ; adeo ut si Legatus Episcopos urgere vellet ultra terminos à patribus constitutos, Rex teneatur hujuscemodi injustis oppressionibus resistere cum consilio Episcoporum. *Quod tamen si faceret*, inquit, *non esset hæc apostolica institutio, vel ecclesiastica consuetudo. Quòd si quis eos ultra terminos à patribus constitutos angariare voluerit, vos habito cum eis communi consilio injustis oppressionibus pro persona vestra resistite; sic ut quæ Dei sunt, Deo reddant, & quæ Cæsaris sunt, Cæsari reddere non omittant.*

Vide supra lib. 4. cap. 9. §. 4. & lib. 5. cap. 32. §. 3.

VIII. Reges nostri semper retinuerunt potestatem impediendi executionem constitutionum à Legatis editarum, quoties illæ adversari videbantur vetustæ consuetudini Galliarum. Verùm id ea via tentatum est quæ plurimum haberet humanitatis, minimum morarum, qúæque præterea valentior erat quàm ea quæ occasiones expectari suadebat, ut conquisito in præsens remedio, earundem constitutionum executio impediretur. id quod ætate Ivonis assolebat At præsens usus postulat ut Legatorum facultates examinentur. Si verò aliquid in eis adversum reperiatur Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, tum Rex declarat prohibere se executionem facultatum, quoad caput illud adversum libertatibus. id quod vulgò vocant Legati facultates * verificare, eísque modificationem adhibere quæ necessaria visa fuerit. Prima omnium modificatio singillatim facta continetur in literis Regis Francisci primi pro legatione Cardinalis Canonisi anno millesimo quingentesimo decimo quarto, item pro Archiepiscopo Barensi anno

* Verifier les facultez du Legat.

milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſecundo, & pro Cardinale Farneſio anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo nono. Dein Reges eam curam delegarunt Curiæ Parlamenti: quæ modificationes tum primùm auxit annis milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſecundo & quadrageſimo ſeptimo, arreſto lato pro facultatibus Cardinalium Sadoleti & ſancti Georgij.

ADDITIO

STEPHANI BALUZII.

Duo Concilia generalia ab Vrbano ſecundo celebrata eſſe in Galliis adnotat Ivo Carnotenſis in loco paulò antè laudato, Claromontanum videlicet, & Nemauſenſe, ut explicat illuſtriſſimus Archiepiſcopus. Verùm non agitur illic de Concilio Claromontano, quod anno ſuperiore habitum fuerat, ſed de Turonenſi & Nemauſenſi. Ea tamen nos occaſione uſi in prima librorum iſtorum editione, canones aliquot Claromontani Concilij heic edidimus, quos in iſta quoque exhiberi debere viſum eſt, ne quid deeſſet ex prima editione.

CONCILIVM CLAROMONTANVM

HABITVM ANNO MXCV.

Ex pervetuſto codice MS. monaſterij Anianenſis in diœceſi Monſpelienſi.

ANNO dominicæ incarnationis MXCV. Indictione III. XIIII. Kal. Decemb. celebrata eſt apud Clarummontem Arverniæ ſynodus, præſidente Domino Vrbano Papa, conſidentibus diverſarum provinciarum Archiepiſcopis numero XII. cum Epiſcopis LXXXII. Abbatibus innumeris. Die igitur quarta de laïcis quæſtio facta eſt, qui morientibus Epiſcopis, ſive aliis Clericis, res defunctorum invaſas Eccleſiæ pauperibus ſubripiebant: contra quos commune Concilij totius anathema prolatum eſt, Papa ipſo hujuſmodi promulgante ſententiam.

I. Si quis, poſt interdicti præſentis cognitionem, Epiſcoporum, ſeu Preſbyterorum, aut aliorum Clericorum res invaſerit, uſque ad ſatisfactionem excommunicetur. Epiſcoporum verò deficientium res per Archipreſbyterorum ſeu Archidiaconorum manus, aut ſecundùm mortuorum judicium, pro ipſorum ſalute in eleemoſynas diſpenſentur, aut ſucceſſori qui futurus eſt reſerventur. Idipſum de Preſbyterorum ſeu Clericorum aliorum rebus per Epiſcopum vel per ſupradictas perſonas, aut cui deficientes commiſerint, fiat. Si quis autem adversùs iſta præſumpſerit, anathema ſit.

Factæ ſunt etiam inſequentibus diebus quæſtiones de Clericis qui per Gallias Archipreſbyterorum ſeu Archidiaconorum & Decanorum dignitatibus utebantur, cùm eorum aliqui in primo tantùm gradu conſiſterent. Præceptum itaque eſt:

II. Nullus Epiſcopus in Eccleſia ſua, niſi Diaconus ſit, Archidiaconum inſtituere, nec Archipreſbyterum aut Decanum, niſi Preſbyter ſit, ordinare præſumat. Quod ut diſtrictiùs teneatur, auctoritate apoſtolica prohibemus & interdicimus.

Ap. Gratian. dist. 60. cap. *Nullus Epiſcopus.*

Queſtum eſt etiam de Epiſcopis qui Altaria monaſteriis data frequenter redimi pecunia compelliebant. Decretum itaque eſt.

III. Quia quidam ſimoniacæ pravitatis ramus in Galliarum partibus jam diutiùs inolevit, ut Eccleſiæ vel decimæ, quæ vulgari vocabulo apud eos Altaria nuncupantur, monaſteriis datæ, ſæpius ab Epiſcopis ſub palliata avaritia vendantur, mortuis nimirum ſeu mutatis Clericis, quos Perſonas vocant, nos, auctore Deo, venalitatem omnem tam ex rebus quàm ex miniſteriis eccleſiaſticis propellentes, hoc ulteriùs fieri auctoritate apoſtolica prohibemus; ſicut etiam præbendas omnes venundandas interdicimus. Portò quæcunque Altaria vel decimas ab annis triginta & ſuprà hujuſcemodi redemptione monaſteria poſſediſſe noſcuntur, quietè deinceps & ſine moleſtia qualibet eis poſſidenda firmamus. ſalvo utique Epiſcoporum cenſu annuo quem ex eiſdem Altaribus habere ſoliti ſunt.

IV. Sanè quia monachorum quidam Epiſcopis jus ſuum auferre contendunt, ſtatuimus ne in parochialibus Eccleſiis quas tenent, abſque Epiſcoporum conſilio Preſbyteros collocent. Sed Epiſcopi parochiæ curam, cum Abbatum conſenſu, Sacerdoti committant; ut ejuſmodi Sacerdotes de plebis quidem cura Epiſcopo rationem reddant, Abbati verò pro rebus temporalibus ad monaſterium pertinentibus debitam ſubjectionem exhibeant, & ſic cuique ſua jura ſerventur.

V. Confirmata ſunt in eodem Concilio capitula ſuperiorum omnium Conciliorum quæ per eundem Papam aut Melphiæ, aut Beneventi, aut Trojæ, aut Placentiæ celebrata ſunt.

VI. Depoſiti ſunt, propter ordinationem infra annos factam, Epiſcopi duo: ſed iidem ipſi, totius Concilij precibus, in fine ſynodi reſtituti; promittentibus omnibus Epiſcopis ab hujuſmodi ordinatione ſe ulteriùs ceſſaturos.

VII. Lugdunenſi Eccleſiæ primatus reſtitutus eſt ſuper Lugdunenſem, Senonenſem, Turonenſem, & Rothomagenſem provincias. Turonenſi metropoli citerioris Britanniæ reſtitutio facta eſt.

VIII. Item etiam expeditio facta eſt & conſtituta eſt equitum & peditum ad Hieruſalem & alias Aſiæ Eccleſias à Sarracenorum poteſtate eruendas. Et in eorum bonis uſque ad reditum pax continua promulgata.

IX. Et quia pleræque Galliarum regiones alimentorum inopia laborabant, indictum eſt treugam uſque ad annos tres villanis & mercatoribus eſſe continuam, Militibus verò à quinta feria uſque ad Dominicam per ſingulas hebdomadas obſervandam, Clericis autem, & monachis, omnibus æquè temporibus, ac primùm peregrinis ad loca ſacra tendentibus.

NOTÆ

STEPHANI BALUZII.

CAN. III.] Repetitus eſt ad verbum hic canon in Concilio Nemauſenſi; refertúrque à Gratiano 1. q. 1. c. *Quæſitum*. Concilium iſtud Nemauſenſe publici juris fecit vir optimus & eruditiſſimus Dacherius in tomo quarto Spicilegij, ex apographo quod multo-

rum manibus terebatur, & in meas quoque pervenerat. Verùm tot mendis scatet apographum illud ut dici vix possit. Sanè graviter peccatum est in hoc canone, in his verbis: *Salvo utique censu annuo quem ex eisdem Altaribus habere soliti sunt.* Quo loco deesse aliquid manifestum est; legendúmque *salvo utique Episcoporum censu annuo &c.* admonet codex MS. duplex sancti Albini Andegavensis, uterque vetus, itémque Gratianus in dicto cap. *Quæsitum.* Quo etiam modo legi debere docet, præter auctoritatem horum canonum Synodi Claromontanæ, Paschalis secundus in epistola ad Ivonem Carnotensem & Ranulfum Santonensem Episcopos: quæ edita quidem est in Notis ad Goffridum Vindocinensem, sed mutila in hoc loco, ideóque fortassis operæ pretium fuerit eam rursum edi ex pervetusto codice MS. sancti Albini Andegavensis. Vnde colligitur falli virum eruditissimum Antonium Dadinum Alteserram, dum nimis credens Goffrido Vindocinensi, asserere non dubitat clausulam illam canoni Claromontano fuisse *adjectam commento Episcoporum, qui peccandi titulum & auctoritatem quærebant.* Hæc sunt verba Paschalis.

Alteserra lib. 4. differtat. jur. canon. cap. 8.

*PASCHALIS Episcopus servus servorum Dei, venerabilibus Episcopis Ivoni Carnotensi & Ranulfo Santonensi salutem & apostolicam benedictionem. Iuxta sanctorum canonum sanctiones non ignotum esse vobis credimus quid ultionis maneat ecclesiastici ordinis viros apostolicæ sedis decreta spernentes. Ipsi enim Arvernensi Concilio affuistis: in quo præsidente prædecessore nostro bonæ memoriæ Papa Vrbano, considentibus Galliarum Episcopis, decretum est ut Altaria quæ ab annis XXX. & suprà sub vicariorum redemptione monasteria possedisse noscuntur, quietè deinceps & sine molestia qualibet monasteriis ipsis firma permaneant. Salvo utique Episcoporum * censu annuo quem ex eisdem Altaribus habere soliti sunt. Vos autem huic simplicitàti incongruas duplicitates innectitis, & Personarum redemptionem mutatis nominibus extorquere conamini. Vnde oportet nos hujusmodi versutiis sinceritate veritatis apostolicæ obviare. Præcipimus ergo ut decretum illud omnino integrè teneatur, nec super illud quicquam ulteriùs pro eisdem Altaribus exigatis. Sanè quod vobis dicimus, ceteris quoque Galliarum Episcopis erga suarum diœcesium monasteria præcipimus observandum. Datum Romæ II. Idus Martij.*

* In codice S. Albini scripsum est supra lineam, manu forsan sappare, sed diversa, sjmdali.

Extant in eodem codice sancti Albini literæ Gaufridi Episcopi Carnotensis, apostolicæ sedis Legati; quibus prohibet ne deinceps Archidiaconus & Decanus Ecclesiæ Andegavensis annuum censum exigant à monachis sancti Albini pro Ecclesia Legionensi, quæ est apud Andegavos, & à monasterio sancti Albini pendet. Et hauddubiè annuus ille census, quem ij viri exigebant à monachis S. Albini, diversus erat à censu annuo quem Episcopis conservavit canon Claromontanus. Nam epistola illa Gaufridi in codice sancti Albini descripta est statim post epistolam Paschalis secundi Papæ.

Gaufridus Dei gratia Carnotensis Episcopus, apostolicæ sedis Legatus, R. venerabili Andegavensis Ecclesiæ Archidiacono, & Hu. Decano, salutem in Domino. Quod à sanctis patribus inhibitum est, & à Romana sedis Pontificibus solenniter sub anathemate condemnatum, nobis aut vobis retractare non licet. nec à quoquam minore debet rescindi. Quapropter eam pravam & antiquam consuetudinem, de relevandis post decessum alicujus Personæ Ecclesiis, à beatæ memoriæ Papa Vrbano & ejus successore Domino Paschali dudum prorsùs abolitam & damnatam innovare, vel restituere, vel ejus aliquam adinvenire compositionem, planè simoniacum est, & hæreseos ab omnibus improbandæ notam incurrit. Vnde vestræ fraternitati apostolica auctoritate & nostra per præsentia scripta mandando præcipimus quatinus abominabilem illam & ignominiosam consuetudinem de annuo censu apud Legionem à fratribus nostris monachis beati Albini exigendo prorsùs omittatis, & interdictum quod in prædicti loci Ecclesiam pro extorquendo hujusmodi censu promulgastis, post acceptas has literas sine dilatione solvatis, & ne ulteriùs ad nos prædicti monachi fatigentur hujus rei causa, modis omnibus caveatis. Alioquin flagitij tanti piaculum graviter in vos compellemur ulcisci.

CAN. IV.] Repetitus quoque est ad verbum hic canon in eodem Concilio Nemausensi; extátque apud Gratianum 16. q. 2. c. *Sanè quia.* Refertur autem in epistola Eugenij III. quæ nunc primùm editur ex Chartulario Archiepiscopi Narbonensis, data ad Tomerienses & Crassensem Abbates in prima Narbonensi.

Eugenius Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis sancti Poncij & Crassensi Abbatibus, salutem & apostolicam benedictionem. Grave nimis est sedis apostolicæ mandatis dura cervice resistere, & ejus constitutioni velle in irritum revocare. Per alia siquidem scripta sollicitudini vestræ mandavimus ut excommunicatos venerabilis fratris nostri Petri Narbonensis Archiepiscopi nequaquam susciperetis, & de substituendis Sacerdotibus in parrochialibus vestris Ecclesiis, quæ in provincia ipsius habetis, decretum prædecessoris nostri sanctæ memoriæ Vrbani Papæ firmiter servaretis. Quod nimirum tale est. Sanè quia monachorum quidam Episcopis jus suum auferre contendunt, statuimus ne in parochialibus Ecclesiis quas tenent, absque consilio Episcoporum Presbyteros collocent; sed Episcopi parochiæ curam cum Abbatum consensu Sacerdoti committant; ut hujusmodi Sacerdotes de plebis quidem cura Episcopis respondeant, Abbati verò pro rebus temporalibus ad monasterium pertinentibus debitam subjectionem exhibeant, & sic sua cuique jura serventur. *Vos verò, sicut exiteratæ ipsius fratris nostri conquestione accepimus, neque ipsius interdictum neque decretum ipsum servare ullatenus voluistis. Per iterata itaque vobis scripta mandamus & mandando præcipimus quatinus & à consortio excommunicatorum memorati fratris nostri omnino abstineatis, & in vestris Ecclesiis, quas in ejus episcopatu habetis, absque ipsius consensu Presbyteros minimè collocetis. Alioquin nos & ipsos Presbyteros excommunicandi & Ecclesias interdicendi et auctoritatem concessimus. Data Romæ apud sanctum Petrum IV. Idus Maij.*

Tum in epistola generali ad universos monachos per episcopatum Narbonensem constitutos eundem canonem, quem ab Vrbano secundo in Arvernensi Concilio statutum esse docet, prorsùs observari jubet. Editur autem nunc primùm ea epistola ex eodem Chartulario.

Eugenius Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, & aliis monachis per episcopatum Narbonensem constitutis, salutem & apostolicam benedictionem. Quoniam quidam monachorum Episcopis jus suum auferre contendunt, à venerabilis memoriæ Vrbano prædecessore nostro in Arvernensi Concilio statutum est ne in parochialibus Ecclesiis quas tenent, absque consilio Episcoporum Presbyteros collo-

cent, sed Episcopi parochiæ curam cum Abbatum consensu Sacerdoti committant; ut hujusmodi Sacerdotes de plebis quidem cura Episcopis rationem reddant, Abbati verò pro rebus temporalibus ad monasterium pertinentibus debitam subjectionem exhibeant. Quia ergo justitiæ ac rationis ordo suadet ut qui à successoribus sua desiderat mandata seu instituta servari, decessoris sui voluntatem & statuta custodiat, per præsentia vobis scripta mandamus quatenus Presbyteros quos in parochialibus ejus Ecclesiis collocatis, venerabili fratri nostro Petro Narbonensi Archiepiscopo præsentetis: ut, si idonei fuerint, animarum curam, sicut statutum est, ab eo suscipiant. Nihilominus quoque vobis præsentium auctoritate mandamus ut oblationum & decimarum portionem, quæ à populo provenit, & secundùm statuta canonum ad jus Archiepiscopi spectare dinoscitur, exceptis his quæ vobis à sede apostolica specialiter de his indulta sunt, ei absque contradictione aliqua persolvatis. Præterea quoniam ad aures nostras perlatum est quòd quidam ex vobis parvulos solenniter baptizare, laicis pœnitentias & Eucharistiam contra sua professionis regulam dare præsumunt, præsentium auctoritate omnimodis prohibemus ne de cetero id attentare præsumant. Alioquin nos eidem fratri nostro Archiepiscopo vestro potestatem concessimus ut in hujusmodi præsumptores ecclesiasticæ severitatis censuram exerceat. Data Romæ apud sanctum Petrum IV. *Idus Maij.*

Literæ autem ad eosdem Abbates, quarum in priore epistola mentionem fecit Eugenius, sic habent in eodem Chartulario.

Eugenius Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis sancti Poncij & Crassensi Abbatibus, salutem & apostolicam benedictionem. Ex conquestione venerabilis fratris nostri Petri Narbonensis Archiepiscopi & Canonicorum Ecclesiæ suæ accepimus quòd in Ecclesiis quas in ejus episcopatu tenetis, Capellanos absque conscientia eorum ponatis, & ab eis excommunicatos in vita & in morte recipitis. quod & rationi contrarium, & sanctorum patrum decretis omnino adversum esse dinoscitur. Quia ergo tantæ præsumptionis excessum dissimulare non possumus nec debemus, per præsentia vobis scripta mandamus quatenus eorum excommunicatos de cetero nullatenus recipiatis, & de substituendis Presbyteris in parochialibus vestris Ecclesiis, quas in eodem episcopatu habetis, prædecessoris nostri sanctæ memoriæ Vrbani Papæ constitutum firmiter teneatis; ut videlicet vos ipsi Presbyteros eligatis, & prædicto Archiepiscopo præsentetis: quibus, si idonei fuerint, animarum curam committere debeat, ut de plebis cura ei respondeant, vobis verò pro rebus temporalibus debitam subjectionem exhibeant. Videte itaque ut hoc mandatum nostrum ita efficere studeatis ne iteratus clamor exinde ad aures nostras debeat pervenire. Data Ferentini III. *Idus Aprilis.*

Major fuit monachorum Engolismensium reverentia quàm Narbonensium. Quod abundè patebit ex editione Actorum quæ extant in Chartulario monasterij sancti Amantij de Buxia in diœcesi Engolismensi.

Quando Aimericus Capellanus Ecclesiæ sancti Clementis de Cassanolio perrexit in Ierusalem cum Comite Pictavensi, remansit ipsa Ecclesia sine Capellano. Monachus autem sancti Amantij, Iterius nomine, qui Obedientiam illam tenebat, venit ad Petrum Episcopum, quærens ab eo dari sibi aliquem Presbyterum qui in Ecclesia illa cantaret. Episcopus verò non habens quem mitteret, prædicto monacho Iterio ut loco Aimerici præfatæ Ecclesiæ Capellaniam teneret præcepit, & facere omnia quæ Presbyter facere in Ecclesia debet jussit, scilicet Missas celebrare, pœnitentias dare, infirmos visitare, mortuos sepelire, & hoc tamdiu donec ipse Presbyterum per manum suam secundùm voluntatem suam mitteret qui in Ecclesia ipsa cantaret.

Quod autem in hoc canone Claromontano præcipitur ut Presbyteri in parochiis monachorum instituti de plebis cura rationem reddant Episcopo, discedere ab hoc loco non possum quin addam verba Gulielmi Episcopi Cadurcensis, quæ accuratè docent quidnam Presbyteris illis incumberet. Instituta erat controversia de Ecclesia sancti Stephani Vairiacensis apud Cadurcos inter Ebalum de Turena Abbatem Tutelensem & Presbyterum quendam nomine Petrum. Ea tandem composita est Divonæ Cadurcorum anno MCXIII. adjudicatâ Ecclesiâ Abbati & monasterio Tutelensi, jussu Gerardi Episcopi Engolismensis sedis apostolicæ Legati, ac consentiente Leodegario Biturigum Archiepiscopo. Ait verò Gulielmus Episcopus Cadurcensis: *Hac autem redditio, donatio, atque concessio ita facta est, ut electione & providentia Tutelensis Abbatis & monachorum in supradicta Ecclesia sancti Stephani de Vairiaco Sacerdos ponatur, sed nobis præsentetur, a nobis curam suscipiat animarum, nobis obedientiam promittat, de * Synodali censu & parata nobis responsione, ad Synodum nostram more ecclesiastico & ad Concilium Archidiaconi & ad communiam nostram juxta consuetudinem Caturcensis patriæ veniat.* Hæ Gulielmi Cadurcensis Episcopi literæ extant in Chartulario Ecclesiæ Tutelensis. Renovatus autem est hic canon Claromontanus in Concilio Lateranensi sub Calixto II. ut illic adnotabimus. Ceterùm heic adnotandum est, huic canoni Claromontano imputandam esse originem juris quo hodie utuntur Abbates, quoties Beneficia vacant quibus animarum cura imminet, quæque ab eorum monasteriis pendent. Destinant enim virum huic ministerio, quem Episcopo præsentant. Tum verò Episcopus eum in Beneficio instituit, si idoneus repertus fuerit.

CAN. VII.] Decretum Vrbani secundi in hac Synodo Claromontana editum pro primatu Lugdunensi ex MS. codice Lugdunensi primus in lucem emisit illustrissimus Archiepiscopus, cum eruditissima dissertatione de Primatibus. Hanc dignitatem Gregorius VII. contulit Archiepiscopo Lugdunensi Gebuino, postquam is cum Gregorio redierat in gratiam; ut ipsemet Gebuinus scribit ad Rodulfum Archiepiscopum Turonensem: *Veruntamen sciatis nos postea Romam perrexisse, & gratiam Domni Apostolici, quam quidam occasione litigij Pictavensis subtraxisse videbantur, pleniter &, ut credimus, irretractabiliter suscepisse; sicut videre potestis in privilegio nobis ab eo facto, quo confirmat cetera Lugdunensium dignitatum privilegia. Nos enim vobis illud mittimus, quia præcepit Domnus Papa ut in Ecclesia vestra & in Ecclesiis suffraganeorum vestrorum scriberetur in testimonium.* Eas literas integras nuper dedimus in appendice libri de Primatibus, itémque alias ejusdem Gebuini ad eundem Rodulfum & suffraganeos ejus, in quibus eos laudat quòd Ecclesiam Lugdunensem *matrem & dominam more bonæ sobolis* vocarent. Ceterùm ei Lugdunensium dignitati acriter restiterunt Senonenses. Extat autem ea de re gravis epistola à Ludovico VI. Rege Francorum scripta ad Callistum II. Papam, quæ edita est in tomo III. Spi-

cilegij

cilegij Dacheriani pag. 147. & postea in appendice libri de Primatibus titulo XIV.

CITERIORIS BRITANNIÆ.] Mirum est quod heic dicitur, Turonensi metropoli factam esse in Synodo Claromontana restitutionem citerioris Britanniæ. Nam ea suum Archiepiscopum per multum ævi habuit post hanc synodum, ut adnotatum est in capite XLVI. libri quinti, qua de re nos plura, Deo juvante, dicemus ad Hildebertum. Sed multa per eas tempestates decernebantur in synodis quorum usus non adeo facilè obtinebat. Exemplo sit vel unicus hic canon Claromontanus. Tametsi enim Vrbanus provinciam Senonensem subjecisset Lugdunensi, serò id observatum fuit. Quoad verò Britanniam, jam ostendimus sub Innocentio demum tertio eam ad officium rediisse. Et apud Beslyum in Probationibus historiæ Comitum Pictavensium pag. 414. extant acta quædam, data recenter post Concilium Claromontanum, anno nimirum MXCVI. Indictione IV. VI. Non. Martij, quibus subscribit Rollandus Dolensis Archiepiscopus.

ITEM ALII CANONES CONCILII CLAROMONTANI.

Ex vetere codice MS. illustrissimi viri PETRI DE MARCA Archiepiscopi Parisiensis.

VRBANVS II. IN CONCILIO CLARIMONTIS. Ea quæ à sanctis patribus de simoniacis statuta sunt, nos quoque sancti Spiritus judicio & apostolica auctoritate firmamus. Quidquid igitur in sacris ordinibus, vel in ecclesiasticis rebus, vel data vel promissa pecunia adquisitum est, nos irritum esse nullásque vires obtinere censemus. Si qui tamen à simoniacis non simoniacè ordinati sunt, siquidem probare potuerint se, cùm ordinarentur, eos nescisse simoniacos, & si tunc pro catholicis habebantur in Ecclesia, talium ordinationes misericorditer sustinemus, si tamen laudabilis eos vita commendat. Qui verò scienter se à simoniacis consecrari imò execrari permiserint vel passi sunt, eorum consecrationem omnino irritam esse decernimus.

Quicunque sanè cupiditate parentum, cùm adhuc parvuli essent, Ecclesias vel Ecclesiarum beneficia per pecunias adepti sunt, postquam eas omnino dimiserint, si canonicè in eis vivere voluerint, pro misericordia ibidem eos esse concedimus, neque pro hoc facto à sacris ordinibus removemus, si aliàs digni inveniuntur.

Illi verò qui per se ipsos, cùm jam majoris essent ætatis, nefanda cupiditate ducti, eas emerunt, si in aliis Ecclesiis canonicè vivere voluerint, servatis propriis ordinibus pro magna misericordia inibi eos ministrare permittimus. Quòd si ad alias fortasse transferri non poterunt, & in eisdem canonicè vivere promiserint, minoribus ordinibus contenti, ad sacros ordines non accedant. Salva tamen in omnibus apostolicæ sedis auctoritate. Si qui tamen ante emptionem catholicè ordinati sunt, cùm ea quæ emerunt dimiserint, & vitam canonicam egerint, in suis gradibus permittantur; nisi fortè ejusmodi Ecclesia sit ut ibi primum locum debeant obtinere. Primum enim vel singularem vel præposituræ vel officij locum in emptis Ecclesiis eos habere non patimur.

ET INFRA. Quamvis autem misericordiæ intuitu, magnáque necessitate urgente, hanc in sacris ordinibus dispensationem constituerimus, nullum tamen præjudicium sacris canonibus fieri volumus; sed obtineant proprium robur, & cessante necessitate, illud quoque cesset quod factum est pro necessitate.

ITEM. Illud quoque præcipimus, ut pro chrismate, & baptismo, & sepultura, nihil unquam exigatur.

ITEM POST ALIA. Illud summopere & apostolicæ auctoritatis privilegio prohibentes, ut nullus in clericali ordine constitutus, nullúsque monachus, episcopatus aut abbatiæ aut cujuslibet ecclesiasticæ dignitatis investituram de manu laïci suscipere audeat. Quòd si præsumpserit, depositione mulctetur.

NOTÆ.

HI canones maxima ex parte sumpti sunt ex Concilio Placentino, quod præterito mense Martio Vrbanus celebraverat in Longobardia. Repetiti autem fuerunt in hoc Concilio Claromontano; ut fidem facit, præter canones Anianenses suprà descriptos, Bertholdus Constantiensis in Chronico: *In hac Synodo* (Claromontana) *Dominus Papa eadem statuta quæ & in præterita Synodo Placentina confirmavit.*

Quinam autem Episcopi & Cardinales huic Concilio interfuerint, longum esset recensere, neque facilè numerus eorum iniri potest. Illustriores nominant monachi Majoris-monasterij Turonensis in sua Narratione; de qua mentio facta est in capite XLVI. libri quinti.

CAPVT XXXII.

Synopsis.

I. De convocatione Conciliorum regiorum. Enumeratio eorum quæ suprà dicta sunt.

II. Reges semper retinuerunt convocationem horum Conciliorum. Varia eorum nomina. Curia, Parlamentum, *&c.*

III. Conventus habiti propter res ecclesiasticas sub tertia Regum nostrorum dynastia non condebant canones. Ratio hujus instituti investigatur. Manssit tamen sua auctoritas Conciliis regiis. Probatur ex Glabro.

IV. Item ex Sugerio. Religiosi viri apud Sugegerium, & religiosi laici apud Glabrum. Probatur etiam ex auctore vitæ sancti Bernardi, & ex Arnulpho Lexoviensi.

I. NVNC inspiciendum est tertium caput observationum quas proposuimus in capite superiori, convocatio nimirum synodorum regiarum. Iam antea monuimus eas fuisse distinctas ab ecclesiasticis, ex eo capite, quòd istæ de causis singularibus cognoscebant, Concilia verò regia causas generales tractabant, quæ pertinent ad disciplinam & politiam Ecclesiæ & Reipublicæ; adeo ut si quæpiam synodus ecclesiastica novos canones condidisset, non antè rati erant quàm in Concilio examinati & à Principe confirmati fuissent. Adnotavimus

ſuprà eum fuiſſe morem ſub Pippino Rege, Carolo Magno, Ludovico Pio, & Carolo Calvo. Tum etiam obſervavimus ea Concilia conſtitiſſe, non ſolùm ex Epiſcopis & Abbatibus, ſed etiam ex Comitibus & proceribus regni ac regiis Conſiliariis. Hi verò examinabant quicquid ad politiam eccleſiaſticam pertinebat, Regíque ſignificabant quænam modificationes adhibendæ eſſent rebus circa eam conſtitutis.

II. Quamvis Legati in ſe traxiſſent curam convocandorum Conciliorum eccleſiaſticorum, eorúmque inutilitas perviciſſet ut prorsùs omitterentur in regno, Reges tamen prorsùs retinuerunt convocationem Conciliorum regiorum, quorum per illas tempeſtates valida fuit auctoritas. In ſecunda dynaſtia vocabantur *Synodus*, *Conventus*, *Concilium*, *Placitum*, & *Colloquium*; in tertia verò, *Curia*, *Conventus*, *Concilium generale regni* apud Rigordum, & *Parlamentum*. Hincmarus locum ad quem Epiſcopi conveniebant, *Curiam* vocat. Ivo autem multoties id nomen tribuit conventui agi ſolito in Natali Domini, aut in Paſchate, cui Epiſcopi & proceres regni intererant; ut in epiſtola CLVIII. *Commonitorias literas mittatis Archiepiſcopis & Epiſcopis ad Curiam quæ habenda eſt in Natali Domini Sueſſionis*. Sugerius verò interpretans vocem *Colloquium*, quæ Latina eſt, eum conventum recepto tum Gallico vocabulo *Parlamentum* vocat. *Magnum Parlamentum congregavit*, inquit de Rege Ludovico juniore loquens. *Ibi Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Abbates, & magna pars Baronum Franciæ convenerunt.* Vtrumque nomen conjungit Abbas Vrſpergenſis, ut conventus hujuſcemodi ſignificet; *Curiale Colloquium*. Eo exemplo, Franci conventus generales nominaverunt Curias Parlamenti. quod nomen retinuere corpora eorum judicum qui vice ſacra judicant.

III. Ad probandum autem jus quod Regibus competit in convocandis Conciliis regiis, neque major neque illuſtrior auctoritas adferri poteſt quàm ea quæ extat apud Abbatem Sugerium; qui tum ſummæ rerum præerat apud Gallos, pari auctoritate & gratia vigens apud Summos Pontifices & Reges Francorum. Hic ergo in vita Ludovici Iunioris ait Regem illum, poſt ductam Burdegalæ anno milleſimo centeſimo trigeſimo ſeptimo in matrimonium Eleonoram Aquitaniæ Duciſſam, audita patris morte, Lutetiam remeaſſe: *quæ eſt*, inquit, *regni caput, & ſedes regia; ubi ſolent Reges antiquitus conventum Prælatorum & Principum* (id eſt, magnatum regni) *evocare ad tractandum ſuper ſtatu Eccleſiæ, & de regni negotiis ordinandum.* Per illas verò tempeſtates hi qui conveniebant ad tractandum de rebus eccleſiaſticis, nullos canones, nulla edebant ſtatuta; procul à moribus ſynodorum quæ ſub prima & ſecunda Regum noſtrorum dynaſtia celebratæ ſunt. Ea immutatio ex eo profecta eſt, quòd cùm innumeri canones jam conditi eſſent, neceſſarium non erat ut novi conderentur; tum etiam ex eo quòd Summi Pontifices, qui antea ſolebant ſynodis provinciarum hanc curam relinquere, nondum recepto ut canones ederentur in Conciliis Romanis, eam auctoritatem ad ſe traxerunt, edicto ut Legati ad ſedem apoſtolicam dimitterent cognitionem cauſarum. Conſtat quidem hoc agendi modo ademptum non fuiſſe Conciliis regiis jus edendorum ſtatutorum, neque Regibus auctoritatem ea confirmandi. Tamen nuſpiam invenimus id à quoquam per ea tempora uſurpatum. Satis eſſe exiſtimabant ſi fidem & antiquam diſciplinam intemeratam præſtarent adversùs novitates quas nonnulli conabantur introducere in detrimentum vetuſtorum canonum. Exempli cauſa, cùm Robertus Rex anno decimo & ſeptimo ſupra milleſimum admonitus fuiſſet à Richardo Comite Aurelianenſi in ea urbe graſſari hæreſim quandam novorum Manichæorum, eò acceſſit; habitóque regio conventu Epiſcoporum, Abbatum, illuſtriorúmque ac religioſiorum laïcorum, inquiri juſſit quinam hujus impietatis auctores fautoréſve eſſent. Cùm autem compertum fuiſſet duos viros præcipuos è clero, Heribertum videlicet, & Liſoium, capita eſſe hujus ſectæ; cùm fruſtra admoniti fuiſſent ut inſanam illam opinionem deponerent, Rex ex ſententia omnium laïcorum, eos igne cremari juſſit; ut teſtatur Rodulphus Glaber, hujus temporis ſcriptor: *Quantocyus Aurelianis properans, convocatis plurimis Epiſcopis & Abbatibus, ac religioſis quibuſque laïcis, acerrimè cœpit perſcrutari qui eſſent auctores hujus perverſi dogmatis. ..... Dictum eſt eis quoniam niſi celerius ad ſanam fidei mentem redeant, Regis juſſu, & univerſæ plebis conſenſu, igne eſſent protinus crematuri.* Neceſſarium autem non erat ut Romanæ ſedis ſententia expectaretur, tametſi de hæreſi ageretur; quoniam nova non erat, aut dubia, ſed vetus hæreſis, jam olim apertè damnata in veteribus Conciliis.

IV. At in ſchiſmate quod in Eccleſia Romana emerſit inter Innocentium ſecundum Papam & Petrum Leonis anno milleſimo centeſimo trigeſimo, Rex Francorum Ludovicus, edoceri cupiens utrius communionem amplecti deberet, Concilium regium convocavit apud Stampas; ubi congregavit Archi-

Sugerius in Geſtis Ludovici VII. cap. 2.

episcopos, Episcopos, Abbates, & alios viros religiosos, id est, laïcos. Electi virtutes potiùs examinatæ sunt quàm ipsa electio. Nam quamvis major eligentium pars in Petrum Leonis inclinasset, Rex tamen, ex sententia Ecclesiæ Gallicanæ, Innocentio adhæsit, qui & propriis virtutibus juvabatur & eorum meritis à quibus electus erat. Regem porrò convocasse hoc Concilium testatur his verbis Sugerius: *Quo Rex, ut erat piissimus Ecclesiæ defensor, citò compunctus, Concilium Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, & religiosorum virorum, Stampis convocat; & eorum consilio magis de persona quàm de electione investigans &c.* Existimandum autem non est magnates regni non interfuisse huic conventui. Nam præterquam quòd verba illa Sugerij, *& religiosorum virorum*, id satis testantur, (juxta modum loquendi à Glabro usurpatum, qui *religiosos laïcos* vocat proceres qui Roberti Regis jussu convenerunt apud urbem Aurelianensem) extat etiam diserta ejus rei probatio apud Bernardum Abbatem Bonævallis. Narrat ille, in libro secundo de vita sancti Bernardi Clarævallensis Abbatis, sanctum illum ad Concilium illud fuisse evocatum, Regem autem, Episcopos, & proceres communi consilio integrum hoc negotium ejus judicio prorsùs permisisse. Vnde pater magnates regni ei Concilio interfuisse. *Vbi verò ad locum ventum est*, inquit, *celebrato priùs jejunio, & precibus ad Deum fusis, cùm de eodem verbo tractaturi Rex & Episcopi cum Principibus consedissent, unum omnium consilium fuit, una sententia, ut negotium Dei famulo imponeretur, & ex ore ejus tota causa penderet.*

ADDITIO

Stephani Baluzii.

Illustre est in eam rem testimonium Arnulphi Sagiensis Archidiaconi, tum temporis adversùs Gerardum Episcopum Engolismensem Petri Leonis in Aquitania Legatum scribentis. Ait ergo Arnulphus in capite quinto: *Nuntiato in Galliis schismate, dum pro partibus vario favore multi multa loquuntur, fidelisque populus ancipiti raptatur errore, primus Regum catholicus Princeps Rex Francorum Ludovicus occurrit. Is vocatis Episcopis, & omnibus qui probatæ religionis in Galliis habebantur, convocato etiam clero regnique majoribus, Concilium statuit generale.* Tractatus ille Arnulphi Sagiensis Archidiaconi, qui dein antistes Lexoviensis fuit, editus est ab amicissimo viro Domno Luca Dacherio monacho Benedictino in tomo secundo Spicilegij veterum scriptorum pag. 336.

CAPVT XXXIII.

Synopsis.

I. Conciliorum regiorum præcipua cura erat, videre ne quid detrimenti caperent antiqua Regis & Ecclesiæ Gallicanæ jura. Procerum præsentia justam Episcopis causam subministrabat qua se apud Summum Pontificem excusarent, si recederent ab institutis Curiæ Romanæ. Probatur ex Ivone Carnotensi. Episcopi homagium Regi præstare coacti; quanquam aliud statuissent Romani Pontifices.

II. Probatur item ex literis à clero Gallicano ad Bonifacium octavum scriptis. Ex iis colligitur, non solùm Episcopos, sed etiam laïcos, censuisse de politia ecclesiastica. Tum, Proceres & populum continere solitos in officio clerum.

III. Hunc coactum obtendebant Episcopi Gallicani, quoties Italicas artes eludere destinaverant. Probatur ex iis quæ in urbe Biturigensi contigere anno 1226. apud Matthæum Parisium.

I. Præcipua horum conventuum cura erat, videre ne prætextu novitatum quæ in politiam ecclesiasticam introducebantur, quid detrimenti caperent antiqua Regis & Ecclesiæ Gallicanæ jura. Ea autem erat temporum illorum cautio, ut quoniam deliberatio fieri debebat à corpore Concilij, causarum definitio non permitteretur solis Episcopis, quos jam Vaticani fulmina terruerant, sed magnatum etiam regni sententia adjungeretur, qui personarum ecclesiasticarum corpus compellebant æquitatis rationem habere. Coactus enim ille & efflagitatio laïcorum justam Episcopis causam subministrabat, qua se apud Summum Pontificem excusare possent, cùm se accommodaverant ad eorum voluntatem. Sed tamen id aliquo exemplo probandum est. Extant autem duo valde illustria. Primum petitur ex Ivone Episcopo Carnotensi: qui ad Paschalem secundum Papam scribens circa annum MCVIII. narrat quid actum fuisset in Curia seu Parlamento quod Rex Philippus primus in festo Natalis Domini habuerat apud urbem Aurelianensem. Agebatur de restitutione Radulfi Archiepiscopi Remensis, ejúsque Ecclesiæ possessione abjudicanda Gervasio. Negotium autem illud Ivo valde urgebat apud Regem. Is verò consensit ut Radulfus se sisteret Curiæ mox habendæ, in qua agitari posset hoc negotium cum proceribus regni. *Adquievit tandem pre-* Ivo ep. 158.
cibus nostris, inquit Ivo, *& concessit ut eum ad Curiam suam, quæ Aurelianis in Natali Domini congreganda erat, securè adduceremus, & ibi cum eo & cum Principibus regni de hoc negotio, quantum fieri posset salva regni integri-*

tate, tractaremus. Verùm id quod sequitur magni momenti est. Nam Radulfus restitutus quidem est, ut Ivo optaverat, sed ea lege, ut homagium ab omnibus Episcopis præstari solitum Regi præstaret. Gregorius septimus, Vrbanus secundus, & Paschalis secundus Summi Pontifices prohibuerant in Conciliis Romanis ne Episcopi homagium præstarent Principibus. At Galli nostri his decretis consensum suum adhibere noluerunt. Vnde intelligere possumus Concilia regia non cessisse Romanis quæ jura regia infringebant, ac præterea eadem Concilia adegisse Episcopos regni ad reverentiam erga Principes. *Sed reclamante Curia*, inquit Ivo, *plenariam pacem impetrare nequivimus, nisi prædictus Metropolitanus per manum & sacramentum eam fidelitatem Regi faceret &c. Quod persuadentibus & impellentibus totius Curiæ optimatibus, etsi propter mandatorum rigorem minùs licebat, factum est tamen, quia ecclesiasticæ paci & fraternæ dilectioni sic expediebat.* Rogat autem Ivo Paschalem Papam ut factum illud gratum habere velit, quod non alia de causa pravum est quàm quòd superiorum prohibitioni contradicat; verùm illud esse tolerandum, quòd neque reparari possit, neque locus sit ultioni: *Ibi consilij & pietatis studeatis visceribus abundare ubi fas non est debitam fortitudinem exercere.*

Vide lib. 4. c. 13. §. 1.

II. Alterum exemplum petitur ex literis à clero Gallicano ad Bonifacium octavum Papam scriptis. Docent quippe Regem Philippum Pulcrum convocasse Episcopos, Abbates, Priores conventuales, Decanos, Præpositos, & procuratores Ecclesiarum cathedralium & collegialium, syndicósque & procuratores urbium & communitatum regni, eos verò, juxta Principis edictum, Parisios accessisse, & in Ecclesia cathedrali congregatos esse anno MCCCII. die decima mensis Aprilis. In eo conventu, cui Philippus interfuit, oratio Principis per procuratorem ejus audita est. Disserit ergo Archidiaconum Narbonensem Philippo Regi literas Pontificis reddidisse, in quibus duo quædam continerentur. Primum, regnum Franciæ sedi apostolicæ subjectum esse, etiam quoad temporalia. Secundum, quod nihil aliud erat quàm primi executio, præcipere Pontificem omnibus Prælatis, Magistris in Theologia, & Professoribus utriusque Iuris, ut Romam accedant, ad corrigendum excessus & damna quæ Rex, Officiales ejus Barones, & populi inferebant Ecclesiis & personis ecclesiasticis. Quoniam verò ex illa Episcoporum aliorúmque virorum absentia oriretur miserrima totius regni vastitas, unde consequeretur pernicies fidei rarúsque sacramentorum usus, præter immensam vim auri quæ extra regnum ea ratione asportaretur, velle Principem, cum consilio hujus conventus, providere ne quid detrimenti Regi, regno, & Ecclesiæ Gallicanæ adferant ea quæ à Summo Pontifice & Ecclesia Romana tentabantur circa hæc quæ suprà dicta sunt & alia nonnulla capita. Introductas nempe reservationes Beneficiorum, consecrationes Archiepiscoporum & Episcoporum ademptas Episcopis comprovincialibus, Beneficia à Summo Pontifice conferri alienigenis, qui neque in iis residunt, neque ullo munere suo funguntur; super hæc, omitti non debere pensiones, novas exactiones, & servitia immoderata, nonnullásque alias novitates, quas Princeps dissimulare ultrà non poterat. Tum à Prælatis, Baronibus, ceteris, & ab unoquoque eorum summo studio postulavit, præcepit tanquam dominus, & ut amicus rogavit, ut se consilio & ope sua juvarent, quemadmodum ad id tenebantur ratione fidei quam Principi spoponderant. Quippe cupere se seriò studere conservandæ antiquæ libertati, honori, & statui regni sui suorúmque subditorum, ac præterea reparandis damnis suprà memoratis, ac reformationi regni & Ecclesiæ Gallicanæ. At Baronibus & syndicis communitatum seorsim deliberantibus in hac materia, una omnium vox fuit, reddere se Principi gratias quòd tam præclarum consilium suscepisset, vitam porrò se ac fortunas suas lubenter oblaturos periculis, ut regium illud consilium ad effectum perducatur. Addunt autem se novitates illas non toleraturos deinceps, tametsi Princeps eas pati aut dissimulare voluerit. Episcopi verò in epistola sua quam diximus ad Bonifacium aiunt se conatos esse amicos Regis ac Baronum placare ac lenire, ac publicè dixisse eam Summo Pontifici mentem non fuisse ut libertatem regni vel famam Regis violaret. Coactos tamen statim respondere, omni cunctatione remota; adeo ut publicè tunc dictum ad eos fuerit quòd si quis ipsorum contrariam sententiam promeret, haberetur pro inimico Regis & regni. *Ac prædicto*, inquiunt, *patenter & publicè universis quòd si quis voluntatis contrariæ appareret, ex tunc pro inimico Regis & regni notoriè habebatur.* Cùm autem intelligerent in eo positum esse negotium ut si voluntati Regis & Baronum repugnarent, periculum esset ne laïci exuerent reverentiam & obsequium in Ecclesiam Romanam & Gallicanam, necessitate illa adactos respondisse adjuvaturos se Regem consilio & ope sua pro conservatione personæ ejus, juriúmque, honorum, ac libertatis

regni, eos nimirum Episcopos qui ducatus, comitatus, baronias, aliáve feuda possidebant, juxta conditiones suorum juramentorum, alios verò, secundùm sponsionem fidei. Regi nihilominus supplicasse ut pateretur Episcopos ad Bonifacium accedere, quandoquidem Romano Pontifici obedire tenebantur. Regem verò ac Barones respondisse non permissuros se ut Episcopi iter illud aggrederentur. Cùm itaque manifestum foret imminere dissidium inter regnum & Ecclesiam Romanam, cùm eis minæ frequenter proponantur pro captione temporalitatis, réisque eò devenerit ut pro nihilo habeantur excommunicationes quas ferri circa hæc contingeret, orare se Pontificem ut eam curam his malis adhibeat quæ animorum concordiam possit reducere, tum etiam ut literas revocet quibus eos evocaverat ad Concilium, *vocationis edictum*, ut aiunt Episcopi.

Epistola illa manifestè probat duas observationes à me paulò antè prolatas. Primùm quidem, non solùm personas ecclesiasticas, sed universum conventum deliberasse de politia ecclesiastica ad prohibendam novitatis introductionem. Tum, Proceres & populum continere solitos in officio clerum, eísque securitatem addere adversùs aulæ Romanæ terrores.

III. Intelligebant sanè personæ ecclesiasticæ eum agendi modum plurimùm valere apud ingenia Curiæ Romanæ. Itaque quoties privatim eorum intererat, publicè protestabantur non solùm non assentiri se Summi Pontificis desideriis, sed etiam Regem & Principes palam obsistere, adeo ut minarentur se vitam ac fortunas suas ea de causa lubenter objecturos periculo. Illustre hujus rei exemplum extat in conventu Ecclesiæ Gallicanæ quem anno MCCXXVI. Avarici Biturigum egit Romanus Cardinalis; ut in Henrico tertio narrat Matthæus Parisius. Cùm is de negotio Albigensium disseruisset, secretis conatibus, cùm jam plures ex delegatis recessissent, obtinere tentavit ut ratio haberetur petitionis quam Papa faciebat, nimirum ut duarum præbendarum collatio sedi apostolicæ reservaretur, quarum una ad Episcopi aut Abbatis collationem pertineret, alia verò ad Capitulum aut monasterium. Verùm huic petitioni interceserunt procuratores Capitulorum Ecclesiarum metropolitanarum, asserentes id fieri non posse quin scandalum ingens excitetur in Ecclesia Gallicana, consensum verò quorundam nullius roboris futurum in causa quæ ad publicam omnium utilitatem spectabat. Addunt autem Regi & omnibus Principibus destinatum esse ei petitioni obsistere: *Cùm ferè omnes majores, & generaliter omnes subditi, necnon & ipse Rex, & omnes Principes, parati sint contradicere & resistere usque ad capitis expositionem & omnis honoris privationem; præsertim cùm videatur imminere, propter hoc scandalum, subversio regni & Ecclesiæ generalis.* Infrà: *Domine, moveat vos Zelus universalis Ecclesiæ: quia si omnium esset universalis oppressio, posset timeri ne immineret generalis discessio, quod Deus avertat.* Verba hæc cum indignatione quadam facta Legati consilium interruperunt: qui palam professus est se, cùm in Curia Romana versaretur, nunquam consensisse hujusce modi exactionibus, & haud dubiè mandatum illud ad se missum esse ea mente ut executioni mandaretur si Imperij aliorúmque regnorum consensus accederet.

Vide supra cap. 32. §. 30.

CAPVT XXXIV.

Synopsis.

I. De Conciliis Ecclesiæ Gallicanæ tempore schismatis ultimi.

II. In iis nihil reperitur adversum regiæ auctoritati; quæ semper tota integra conservata est. Deliberationes Ecclesiæ Gallicanæ spectantur tantùm velut consilium Regi datum. Indigent ejus consensu & confirmatione. Debent congruere statutis Conciliorum. Præclara verba Ioannis Iuvenalis de Vrsinis Advocati regij referuntur.

III. Carolus sextus conatur extinguere schisma. Eam ob rem congregavit Concilium Gallicanum; in quo decreta est cessio Benedicti XIII. quam is pollicitus erat.

IV. Ex diversis ordinibus constatam esse hanc congregationem probatur ex constitutione Caroli. Cautè itaque intelligendus est Archiepiscopus Remensis, qui solius cleri mentionem facit.

V. Ordo observatus in rogandis personarum ecclesiasticarum sententiis explicatus verbis Ioannis Iuvenalis de Vrsinis. Simon Cramaudus Patriarcha Alexandrinus præfuit huic conventui. Ei per legatos præfuisse Regem adnotatum est in vita MS. Caroli sexti.

VI. Legati ad Benedictum missi, qui viam cessionis ei proponerent. Vir callidus eorum ingenia elusit. Rursum legatio ad eum missa; itémque ad Bonifacium nonum ab Hispania. Irrito conatu. Dein subtractio ab obedientia Benedicti decernitur in Concilio Ecclesiæ Gallicanæ.

VII. Ei restituitur obedientia, opera Ducis Aurelianensis.

VIII. Rursum in congregatione Ecclesiæ Gallicanæ anno 1406. agitata est materia cessionis & subtractionis. Quorundam audacia edicto Principis repressa, qui apertè invehebantur in viam cessionis & subtractionis. Tum pronuntiat Concilium non toleraturos se deinceps reservationes Beneficiorum aliáve ingenia aulæ Romanæ. Magni viri interfuerunt huic Concilio.

IX. Anno 1408. decreta est neutralitas. Ecclesia Gallicana modum præscribit tenendum in dispensationibus, judiciis appellationum, & provisionibus Beneficiorum, donec durabit ea neutralitas. Ea statuta confirmata sunt à Principe & à Concilio Pisano.

X. Post extinctum schisma, Carolus sextus Ecclesiam Gallicanam reduxit in suam antiquam libertatem. Magni momenti est ejus constitutio.

I. SUB Carolo sexto, Carolo septimo, & Ludovico duodecimo Concilia Gallicana novam rursum faciem sumpsisse videntur. Attamen si res propiùs introspiciatur, deprehendere licet id nihil aliud esse quàm continuationem celebrationis Conciliorum regiorum, cum accessione quadam exteriori fulgoris, quo dignitas Ecclesiæ Gallicanæ illustratur. Certè occasiones quæ tunc inciderunt, magni momenti erant, quòd ageretur de reformatione Ecclesiæ in capite & in membris, adeo ut ad obtinendum id quod destinatum erat, necessarium fuerit inveteratis corruptelis opponere consensum universæ Ecclesiæ Gallicanæ, quæ eam ob causam omnium oculis proponi debuit, ut amplitudo ejus clariùs eluceret in conventu generali.

II. Attamen in Conciliis illis, quæ ab anno millesimo trecentesimo nonagesimo quarto usque ad annum millesimum quadringentesimum quadragesimum frequentissima fuerunt, nihil regiæ auctoritati adversum reperitur. Contrà, in iis deprehenditur integra executio jurium regiorum quæ in initio hujus libri adnotata sunt, ad Regem nimirum pertinere jus convocandi Ecclesiam Gallicanam, proponendi materiam quam in conventu agitari voluerit, examinandi res in eo decretas, eásque, si visum fuerit expedire, approbandi, earúmque executionem jubendi. Duobus modis fieri potest illud examen, vel cum consilio illustriorum virorum ex tribus regni ordinibus, vel etiam ex sententia minoris numeri. Primi modi exempla superiùs proposita sunt, quoad tempora secundæ Regum nostrorum dynastiæ & initia tertiæ. Vnde factum ut Hincmarus ad Regem Ludovicum Balbum scribens anno DCCCLXXVII. dicat: *Quia de generalibus Ecclesiæ ac regni negotiis sine generali primorum regni consilio & consensu speciale dare consilium nescio, & consensum deliberare non valeo, nec præsumo.* At nunc videbimus Consilium regium ad pauciores esse redactum; cùm è contrà corpus Ecclesiæ firmetur præsentia plurimorum hominum eruditorum, ut in conventibus negotia accuratiùs expendantur. Nunquam tamen discedere oportet ab hac certissima regula, deliberationes Ecclesiæ Gallicanæ considerari non posse aliter quàm velut consilium Regi datum, eásque executioni non posse mandari absque consensu & confirmatione ejus. Præterea decreta illa rata esse non possunt, si quid statutum fuerit quoad politiam ecclesiasticam adversum canonibus Conciliorum generalium in regno susceptorum. Oportet autem ut eorum sententiæ congruant statutis Conciliorum, ita ut eò tantùm tendant ut aut mentem canonum interpretentur, aut extendant. Sed Regum ea semper dignatio fuit, etiam illa ætate, ut ab eis tanquam à capite fluere existimarentur bona consilia; tribuebántque ipsi decretis auctoritatem, executionémque maturabant, pro reformatione politiæ ecclesiasticæ; conventus verò Ecclesiæ Gallicanæ, in quibus negotia agitabantur, consilium suum subministrabant. Propositio hæc à Ioanne Iuvenale de Vrsinis Advocato regio in Curia Parlamenti propugnata fuit in congregatione Ecclesiæ Gallicanæ quæ anno millesimo quadringentesimo sexto habita est Parisiis. Advocati hujus regij verba refert filius ejus Ioannes Iuvenalis de Vrsinis Archiepiscopus Remensis in historia Caroli sexti: *Il monstra deux choses. Lune, la puissance du Roy de France, qui est le bras dextre de l'Eglise, & qu'il luy loit & doit assembler les personnes ecclesiastiques de son Royaume touchant le faict de l'Eglise, pour avoir Conseil, & en iceluy præsider comme Chef, quand il en est requis; & sans aucune requeste de personne, si bon luy sembloit; comme au cas qui s'offroit, où il avoit esté requis de par l'Vniversité & d'aucuns Prelats & personnes ecclesiastiques. Et que sans supplication de personne, quand il verroit estre expedient, le pourroit faire, & en iceluy conclurre, & faire executer ce qui seroit conclu & avisé en iceluy Conseil.* Ea verò sic reddi Latinè possunt: *Duo quædam ostendit*, inquit Archiepiscopus Remensis de patre suo loquens. *Primùm quidem, Regi Francorum, qui dextrum Ecclesiæ brachium est, eam inesse auctoritatem, ut quoties causa Ecclesiæ agitur, si Concilium Ecclesiæ Gallicanæ ab eo petatur, congregare illud & possit & debeat, in eóque præsidere tanquam caput. Deinde, posse Regem illud ipsum, etiam non rogatum, si majestati ejus visum foret expedire uti Concilium habeatur. Nunc quidem id feciisse eum juxta preces Academiæ Parisiensis & quorundam Prælatorum & personarum ecclesiasticarum. Adàidit dein, posse Regem, si eæ causæ inciderent propter quas ipse putaret celebrandum esse Concilium, posse inquam illum, etiam nullo rogante, personas ecclesiasticas regni sui evocare, in eo autem Concilio curare uti decreta condantur, quibus ipse robur &*

firmitatem auctoritate sua tribuet. Hujus regiæ auctoritatis clara documenta extant in modo agendi qui tunc temporis usurpatus est ad sopiendum diuturnum illud schisma quod Ecclesiæ unitatem scidit per multos annos.

III. Cùm Carolus quintus Rex Clementi septimo Avenione sedenti adhæsisset in schismate, filius ejus Carolus sextus pariter cum universo regno adhæsit Benedicto decimo tertio, quem post Clementis obitum Cardinales Avenioni commorantes elegerant, postquam eis pollicitus fuisset amplexurum se omnes vias quæ proponerentur pro unione Ecclesiæ, etiam usque ad cessionem sive resignationem Papatus inclusivè. Summa cura conatus est Carolus ad unitatem revocare contendentes, tam eum qui Romæ commorabatur, quàm qui Avenioni. Vt autem investigaret quanam in primis ratione id assequi posset, in Concilióne generali, sive per viam compromissi, aut cessionis, Concilium congregavit Prælatorum Capitulorum, Nobilium, Communitatum, Doctorum in Theologia & in utroque Iure, aliorúmque procerum: qui censuerunt viam cessionis securiorem esse, breviorem, ac omnium maximè honestam & decoram, porrò eam fidelium conscientiam in tuto collocaturam, ac schisma prorsùs extincturam.

IV. Ex diversis ordinibus conflatam fuisse hanc congregationem discimus ex literis Caroli sexti, in quibus sic habetur: *Convocavimus Concilium Prælatorum, Capitulorum, Nobilium, Vniversitatum, plurium sacræ paginæ & utriusque Iuris Doctorum, religiosorúmque devotorum, & aliorum procerum regni nostri: intra quos visis diligenter atque discussis ac digestis maturè pluribus viis, tandem per opinionem ipsius convocati Concilij comperimus assumendam &c.* Quare cum cautione quadam intelligendus est Archiepiscopus Remensis in sua historia; inqua ait Regem anno MCCCXCIV. congregasse Parisiis Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, monachos, & alias personas ecclesiasticas, ut sententiam eorum exquireret in causa hujus schismatis, *pour avoir leurs avis de proceder en cette matiere.* Verba enim hæc non excludunt Nobiles aut ceteros quos Rex evocaverat; tametsi indicant eos in corpore Ecclesiæ Gallicanæ constitutos non fuisse, sed in Consilio regio. Vnde factum ut eorum quoque sententiæ, æquè ac sententiæ Prælatorum, secundùm quam subtractio hujusmodi decreta est, mentio fiat in decreto anni MCDVI. lato contra epistolam quandam Academiæ Tolosanæ: *Prælatos, Vniversitates, viros devotos, Principes insuper & Duces, Barones, Milites. & cetera Regni & Delphinatus & utriusque brachij supposita accitos ad Concilium acciri & congregari feceramus.* Item in literis Caroli sexti datis anno millesimo quadringentesimo septimo: *Avons par plusieurs & diverses années fait assembler pardevers nous en nostre ville de Paris les Prelats & le Clergé & plusieurs des Princes de nostre sang, Barons, Vniversitez des Estudes, & autres sages & preud'hommes de nostre Royaume en tres-grand nombre, pour avoir sur ce leur avis & conseil.* Quæ sic Latinè reddi possunt: *Coram nobis per plures diversósque annos congregari fecimus in civitate nostra Parisiensi Prælatos clerúmque & plures ex Principibus nostri sanguinis, Barones, Vniversitates studiorum, & alios sapientes & prudentes viros regni nostri in magno numero, ut super ea re sententiis consiliisque eorum juvaremur.*

Tom. 1. Libert. Eccl. Gallic. c. 20. §. 1.

V. At ex historia Ioannis Iuvenalis de Vrsinis discimus ordinem observatum in rogandis personarum ecclesiasticarum sententiis; qui meliùs explicari non potest quàm ipsis verbis auctoris: *Pour demander les opinions, & en faire les relations au Roy & à son Conseil, fut ordonné Messire Simon de Cramaut Patriarche d'Alexandrie & Evesque de Carcassone; qui estoit un des principaux du Conseil du Roy, & notable Clerc. Les Prelats & autres personnes ecclesiastiques furent tous assemblez au Palais à Paris.* Ea verò Latino sermone ita reddi possunt: *Ad rogandas autem sententias, relationémque de iis ad Regem & ad Consilium ejus faciendam, constitutus est Dominus Simon de Cramaudo Patriarcha Alexandrinus & Episcopus Carcassonensis, vir unus è primis in Consilio Regis, & notabilis Clericus, id est, plurima rerum ac literarum peritia clarus. Prælati igitur cum aliis personis ecclesiasticis congregati fuere Parisiis in Palatio.* Infrà: *Le Patriarche leur exposa comme le Roy les avoit mandez pour avoir leur avis & conseil des manieres de proceder & de trouver la voye d'y parvenir. Lors lesdits Prelats, en gardant les loüables coustumes anciennes, firent une Procession par la grand' Sale du Palais, & par la Cour, pour venir à la Sainte Chapelle; où fut dite une Messe du saint Esprit par un Prelat pour invoquer l'ayde de Dieu, à ce qu'il les voulut inspirer à bien deliberer. Puis s'en retournerent en ladite Sale. Et les fit le Patriarche jurer qu'ils diroient leur vraye opinion, sans aucune fiction ny partialité; & demanda à chacun son opinion; dont il y en eut plusieurs belles & hautes. Et finablement tous furent d'opinion que la voye de cession estoit la plus expediante, imò necessaire à trouver union, & meilleure que la voye de compromis, dont aucuns avoient touché. Laquelle deliberation fut rapportée au Roy, aux Seigneurs du Sang & du Grand Conseil; lesquels en furent tres-*

contens. Et fut conclu que ladite voye diligemment ſe pratiqueroit. Nos iſta quoque Latinè reddenda eſſe cenſuimus in gratiam exterorum, non quidem verbum è verbo reddentes, ſed verborum ſententiam ſequentes: *Patriarcha, habita ad eos oratione, monuit Regem eos ad ſe vocaſſe ut eorum ſententia & conſilio juvaretur in inveſtiganda ratione extinguendi ſchiſmatis. Tum Prælati, juxta morem antiquitus obſervatum, Proceſſionem agentes per magnam aulam & cortem Palatij, demum ad ſacram Capellam venerunt, ubi ab uno ex Prælatis celebrata fuit Miſſa de Spiritu ſancto ad invocandum auxilium divini numinis in capienda maxima deliberatione. His ita peractis, tum demum in eandem aulam rediere. Iurejurando autem eos adegit Patriarcha prompturos ſententiam ex animo, abſque ulla fictione, & nullo partium ſtudio. Rogavit deinde uniuſcujuſque ſententiam. Multa porrò & eleganter & doctè hac occaſione dicta in conventu ſunt. Vna tandem omnium vox fuit, viam ceſſionis magis expedire, immo neceſſariam eſſe ad conſtituendam unionem, & hauddubiè meliorem via compromiſſi, de qua actum fuerat ab aliquibus. Cùm ita conſtitutum fuiſſet, eáque ſententia ad Regem, ad Principes regij ſanguinis, & ad magnum Conſilium relata fuiſſet, ſummo ab iis applauſu excepta eſt. Itaque decretum fuit uti via ceſſionis omnino obtineret.* Verùm Ioannes Iuvenalis ſilentio tranſmittit, id quod auctor MS. vitæ Caroli ſexti adnotavit, Duces Biturigenſem, Burgundum, & Aurelianenſem huic conventui præfuiſſe vice Regis.

VI. Anno MCCCXCV. Carolus exequi volens hanc deliberationem, Duces Biturigum & Burgundiæ patruos ſuos ad Ducem Aurelianenſem fratrem ſuum ad Benedictum Papam miſit, qui ei perſuaderent ut ſecundùm quod ipſe pollicitus fuerat, viam ceſſionis amplecteretur. Verùm eorum ingenia eluſit Benedictus, viam compromiſſi proponens inter partes; quod negotium iſtud adeo implicabat ut finis nunquam ſperari poſſe videretur. Poſt reditum Legatorum, Rex cum conſilio alterius congregationis rurſum aliquot viros ad Benedictum deſtinavit, oratum ut Papatu cederet; ſi verò is recuſaret, finem ſe ſchiſmati imponere curaturum indicarent, prout meliùs fieri poſſe exiſtimaret. Eodem verò tempore idem ab Bonifacio IX. Antipapa Romæ commorante poſtulari juſſit, quem ob eandem cauſam urgebant Legati Regum Angliæ & Caſtellæ. irrito utrobique conatu, quòd uterque Pontificum dignitatem ſuam retinere deſtinaſſet. Quo factum eſt ut Carolus Concilium Eccleſiæ regni ſui Pariſiis congregaverit: ad quod acceſſere Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, procuratores Prælatorum abſentium, ac deputati Capitulorum Eccleſiarum cathedralium. In eo conventu Rex præſente ſe, ac præſentibus etiam Principibus & gentibus Conſilij ſui, cauſam hanc examinari oraríque juſſit utrinque à viris doctis, ad eum modum quo orari cauſæ ſolent in Curia Parlamenti, *Itaque*, inquit Carolus, *alternatis diebus in Conſilio noſtro, modo & forma quibus audientiæ in Curia noſtra dantur &c.* Dictum itaque eſt teneri Regem, juxta ſacram Scripturam & Canones, ad adhibendum ſchiſmati remedium, ejúſque extirpationem unà cum ceteris Regibus procurandam. Quoniam verò ejus ſchiſmatis continuatio imputanda erat Benedicto Summo Pontifici, quòd viam ceſſionis à ſe in electione ſua juratam reſpueret, ſubtrahendam illi obedientiam velut ſchiſmatico. Itaque Rex ſe ad ſententiam Eccleſiæ Gallicanæ accommodans decernit cum conſilio Principum regij ſanguinis, ac nonnullorum aliorum Priucipum, Eccleſiæque regni ſui, ſe, Eccleſiam, clerum, & populum recedere ab obedientia Benedicti. Iubet autem ut interim Beneficiis provideatur per electiones & collationes. Conſtitutio illa data fuit Pariſiis die XXVII. Iulij MCCCXCVIII. & propoſita in Parlamento XXIX. menſis Auguſti inſequentis. Quoniam verò proviſiones Beneficiorum, aliæque expeditiones in Curia Romana fieri ſolitæ, multis difficultatibus implicatæ erant, Concilium Eccleſiæ Gallicanæ nonnulla ſtatuta edidit, ut obſervarentur. Sed eorum confirmationem poſtulavit à Rege; qui eam conceſſit, poſtquam ſtatuta illa in Conſilio regio examinata fuerunt; ut patet ex conſtitutionibus regiis editis annis milleſimo trecenteſimo nonageſimo nono & anno milleſimo quadringenteſimo ſexto.

VII. Cùm ſubtractio non ſuccederet ex ſententia eorum qui ejus repertores fuerant, Dux Aurelianenſis ſumma vi tentabat ut obedientia Benedicto reſtitueretur. Eam ob cauſam Rex clerum regni ſui convocavit Luteriam anno milleſimo quadringenteſimo tertio, quò Benedictus miſit duos Cardinales. Negotium agitatum eſt in Conſilio regio, præſente Rege, *in abſentia Prælatorum*; in quo decretum fuit reſtituendam eſſe obedientiam Benedicto, iis conditionibus quæ in quadam ſcedula continebantur; quarum præcipuæ fuerunt iſtæ: Ceſſurum Pontificatu Benedictum, *cedente, decedente, vel ejecto adverſario*, proviſionéſque Beneficiorum valituras quæ factæ fuerant tempore ſubtractionis. His actis, Princeps, præſentibus Biturigum & Burgundiæ Ducibus, *determinationem* ſuam per Cancellarium ſignificari

Vita Caroli VI. MS.

ficari jussit conventui Prælatorum; quorum aliqui statim consenserunt regiæ constitutioni, alij verò moram sibi dari postularunt ad communicandum cum Episcopis suarum provinciarum. Interim Rex ad se Duces illos accersivit, & ad cathedralem Ecclesiam Parisiensem profectus est: ubi Missa per Cardinalem Prænestinum celebrata, populo significata est voluntas regia, habita in eam rem concione à Petro de Alliaco Episcopo Cameracensi. Attamen constitutio regia modestissimis verbis conscripta est. Declarat enim Rex se quinquennio antè decrevisse subtractionem cum consilio Prælatorum; Principum, cleri, & magnatum regni. Cùm autem sibi affirmatum fuerit à duobus Cardinalibus Papam Benedictum seriò amplecti velle viam cessionis, idcirco se, cum consilio & consensu Ducum Biturigensis & Burgundi patruorum suorum, fratris sui Ducis Aurelianensis, & patrui item sui Ducis Borbonij, cum consilio etiam Prælatorum, Academiarúmque Parisiensis, Tolosanæ, Andegavensis, & Monspelliensis, plurimorúmque magnatum & nobilium regni, decernere subtractionem illam in posterum cessaturam, restitutúmque iri Benedicto Papæ obedientiam. Isthæc verbis Gallicis explicantur in alia ejusdem Regis constitutione, quæ sic habet: *Sçavoir faisons que comme à grande & meure deliberation, & par le conseil des Seigneurs de nostre sang & lignage, des Gens de nostre Grand Conseil, des Prelats de sainte Eglise, Vniversité & Clergié de nostre Royaume &c.* Quorum verborum hæc est versio: *Notum fieri volumus quoniam post magnam & maturam deliberationem, & ex consilio Principum de sanguine & genere nostro, gentium magni nostri Consilij, Prælatorum sanctæ Ecclesiæ, Vniversitatum & cleri regni nostri &c.*

Tom. 2. Libert. Eccl. Gall. cap. 20. num. 9.

VIII. Anno millesimo quadringentesimo sexto rursum congregata est Ecclesia Gallicana, ac rursum examinata materia cessionis & subtractionis. Iussit autem Rex in suo Consilio ut de ea in utramque partem disputaretur à duodecim Theologis & Canonistis: inter quos Magister Petrus Plout sacræ Theologiæ Doctor* luculenter ostendit quanta esset in hujuscemodi rebus regia auctoritas, ut inquit Ioannes Iuvenalis de Vrsinis. Tandem Concilium Regi supplicavit ut quorundam audaciam compesceret, qui paulò acerbiùs invehebantur in viam cessionis paulò antè propositam ad extirpandum schisma, subtractionémque vituperabant quæ facta fuerat. Eam ob rem orarunt regiam majestatem ut sub certis pœnis prohiberet ne quis deinceps talia loqueretur, útque decerneret rata esse & firma quæcunque acta fuerant tempore subtractionis; quicquid verò secùs præsumptum fuerit, in irritum mitteretur. Annuit Princeps postulatis, constitutione data die XIV. Ianuarij MCDVI. in qua continentur jussiones, mandata, & prohibitiones, uti Concilium postulaverat. Præterea Concilium pronuntiavit non toleraturos se deinceps reservationes Beneficiorum, gratias expectativas, aliáve ingenia aulæ Romanæ in contemptum veterum Conciliorum à Summis Pontificibus introducta. Regem verò rogavit deliberationi huic auctoritatem addere, donec Concilium generale posset haberi. Cui petitioni se Procurator regius adjunxit. Notatu digna sunt verba constitutionis regiæ, quæ data est anno MCDVI. die XVIII. Februarij: *Supplicabant humiliter & devotè quatinus nos ipsorum deliberationi & conclusioni conformanter adhærentes, ipsas gratas habere, & dictas Ecclesias & viros ecclesiasticos nostrorum Regni & Delphinatus quoad prædicta ad suam libertatem antiquam & juris communis dispositionem, quantum in nobis est, reducere, & in eadem libertate eos conservare & manutenere, omnia in contrarium impedimenta submovendo, dignaremur. Nos igitur attendentes quòd sicut Sacerdotes debitores sunt ut veritatem quam audiverunt à Deo liberè prædicent, sic Princeps debitor est ut veritatem quam audivit à Sacerdotibus, probatam quidem Scripturis, defendat fiducialiter, & efficaciter exequatur, habita priùs deliberatione matura & tractatu diligenti cum pluribus de genere nostro Principibus aliisque viris notabilibus & famosis, dictorum Prælatorum & aliorum virorum ecclesiasticorum & Procuratoris nostri supplicationem & requestam justam & rationabilem sanctorúmque patrum & Conciliorum generalium decretis conformem reputantes, eam in forma sicut præmittitur de nostra certa sententia duximus admittendam, prædictas deliberationes & conclusiones ratas habentes, dictas Ecclesias & viros ecclesiasticos quoad prædicta ad suam libertatem antiquam & juris communis dispositionem reducendos esse censemus, & quantum in nobis est reducimus, eòsque in eadem libertate per nos de cetero manuteneri & conservari volumus per præsentes; mandantes & districtiùs injungentes dilectis & fidelibus Consiliariis nostris Gentibus nostrum præsens tenentibus & qui futurum tenebunt Parlamentum &c.* Verba ipsa referre volui; quoniam hæc est summa congregationis cui interfuerunt quamplures viri doctissimi; adeo ut Ioannes Iuvenalis de Vrsinis affirmet nullos ætate illa in universo orbe Christiano reperiri potuisse viros qui istos doctrina superarent. Quapropter mirum non est si causas hujus constitutionis sequens ætas descripsit in Pragmatica Sanctione. Ceterùm

Cap. 20. §. 12.

Cap. 22. num. 9.

Aussi en toute Chrestienté on ne trouve de si grands Clercs.

* montre bien la puissance du Roy en telles matieres.

in his verbis constitutionis videmus quidem Ecclesiam Gallicanam decreta sua edere, sed ita tamen ut ea à Rege confirmari postulet. At parte ex alia Princeps profitetur se ex officio teneri ad tuitionem veritatis quam Sacerdotes docuerint. Sed tamen observandum est non ita se agere Principem quasi ad eum simplex tantùm executio pertineat, sed causæ etiam cognitionem ad se trahere, ut videat an ea quæ proponuntur consentanea sint sacræ Scripturæ & canonibus antiquorum Conciliorum. Vno verbo; universa examinat in suo Consilio, pronuntiat petitiones æquas esse, Ecclesiam Gallicanam reducit in suam antiquam libertatem quoad provisionem Beneficiorum, decernit eam libertatem in posterum obtinere debere, ac consiliariis suis imperat hujus constitutionis executioni invigilare. Discrimen illud quod intercedit inter deliberationes Ecclesiæ Gallicanæ & regias pariter observatum est in constitutione edita anno MCDXVIII. in qua Princeps profitetur recipere se deliberationes Ecclesiæ regni sui per modum consilij: *Certas conclusiones per eos electas & tandem nobis ab eisdem per modum consilij relatas suscepissemus, approbassemus, & eas solidè tenendas ac inviolabiliter observandas statuissemus.*

IX. Tandem anno millesimo quadringentesimo octavo decreta est neutralitas; hoc est, decretum ne alterutri Pontificum obedientia exhiberetur, non ei qui Avenioni morabatur, neque etiam ei qui Romæ habitabat. Interim Ecclesia Gallicana Parisiis congregata nonnulla statuta condidit quibus præscripsit ordinem tenendum in dispensationibus, judiciis appellationum, & provisionibus Beneficiorum, præside Archiepiscopo Senonensi, ob absentiam Patriarchæ Alexandrini. Magni momenti est ultima clausula: *Hæc omnia deliberata sunt, salvis juribus Coronæ Franciæ & Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, salva etiam debita sanctæ sedi apostolicæ reverentia & Domino Papæ futuro legitimo, clave non errante.* Statuta illa à Rege confirmata fuerunt. Et quamvis ejus constitutio de ea re non extet, hujus tamen confirmationis mentio extat in constitutione diei XVII. Aprilis MCDXVI. itemque in constitutione anni MCDXII. quæ ratas esse ac firmas sanciunt provisiones factas tempore neutralitatis: *A nous, qui sommes Gardien, Protecteur, & Defenseur des Eglises de nosdits Royaume & Dauphiné, & qui les Statuts & Ordonnances dessusdites faites audit Concile avons ratifiées & approuvées, appartient iceux, & tout ce qui s'en est ensuivy, faire tenir & garder, sans enfreindre.* id est: *Ad nos, qui sumus Custos, Protector, & Defensor Ecclesiarum dictorum nostrorum Regni & Delphinatus, quique statuta & ordinationes supradictas in dicto Concilio factas ratificavimus & approbavimus, pertinet ipsas, & quicquid ex eis secutum est, sartas inviolatásque præstare, & cavere ne contra eas veniatur.* Concilium generale Pisanum habitum anno MCDIX. ea statuta approbavit; ut constat ex ejus decreto, quod extat in Regestis Parlamenti.

Cap. 20. Libert. Eccl. Gallic. num. 16.

Num. 21.

Num. 22.

X. Extincto tandem apud Constantiam schismate, ac Martino quinto Summo Pontifice electo, querelæ tamen Gallorum non desiere, quia Concilium non decreverat prohibitionem reservationum Beneficiorum, neque pecuniarum exactionem vetuerat. Quapropter Rex coactus fuit definitivo decreto providere his rebus. Iam antea quidem anno MCDVI. statuerat ex sententia Concilij regni sui ut Ecclesia Gallicana reduceretur in suam antiquam libertatem quoad electiones & collationes Beneficiorum. Verùm id decretum tantùm fuerat interim valiturum donec Concilium generale celebraretur. Sed cùm videret nullum à Conciliis Pisano & Constantiensi remedium esse quæsitum, definitivè pronuntiat. Reducens autem in perpetuum Ecclesias regni sui in antiquam suam libertatem, decernit ut provisiones Beneficiorum fiant secundùm antiqua Concilia, abolitis prorsùs reservationibus & gratiis expectativis. Tum prohibet exactiones Romanæ Curiæ. Quo loco duo quædam observanda sunt. Primum, constitutionem illam post extinctum schisma latam esse, cùm data sit anno millesimo quadringentesimo decimo octavo. Alterum, integrum Ecclesiæ Gallicanæ Concilium non fuisse convocatum ad tractandum de editione hujus constitutionis; quæ decreta fuit in Consilio extraordinario Principis, in quo aderant Prælati quamplurimi, nonnulli Consiliarij Parlamenti Parisiensis, ac Doctores. Hæc sunt verba Constitutionis: *Præhabita deliberatione matura cum Prælatis quamplurimis & Gentibus cameratum dicti nostri Parlamenti aliisque pluribus Doctoribus & Magistris de dicta Vniversitate Parisiensi, in ingenti numero, in camera dicti nostri Parlamenti de mandato nostro congregatis.* Eapropter verba quæ sequuntur addita sunt ad calcem hujus constitutionis: *Per Regem, ad relationem magni sui Consilij in camera Parlamenti tenti per Dominum Delphinum Viennensem.*

CAPVT XXXV.

Synopsis.

I. Carolus septimus Ecclesiam Gallicanam congregat Avarici Biturigum. In eo conventu examinantur decreta Concilij Basileensis, ac recipiuntur.

II. Publicam eorum acceptationem fieri postulat Ecclesia Gallicana. Tum condita Sanctio Pragmatica. In ea emicant clara argumenta regiæ auctoritatis.

III. Gallorum Reges in coronatione sua pollicentur Episcopis protectionem & tuitionem jurium Ecclesiæ. Intelligendum id juxta veteres formulas; quæ explicantur. Iusjurandum Philippi primi Regis.

IV. Emicat item auctoritas regiæ protectionis in congregatione Ecclesiæ Gallicanæ habita Avarici Biturigum anno 1440.

V. Conventus Turonensis tractavit de capitulis à Rege Ludovico XII. propositis anno 1510. de bello inferendo Papæ Iulio. Responsa Ecclesiæ Gallicanæ spectanda sunt tanquam data ab iis penes quos est auctoritas decernendi.

I. CAROLO dein septimo regnante Concilium Ecclesiæ Gallicanæ congregatum est Avarici Biturigum anno millesimo quadringentesimo trigesimo octavo, in eóque ad usum revocatæ sunt omnes regulæ suprà à nobis observatæ. Concilium Basileense generale plurima decreta statuerat pro reformatione disciplinæ ecclesiasticæ, præsertim quoad provisionem Beneficiorum & judicia causarum. Dein Legatos suos ad Regem & ad Ecclesiam Gallicanam misit, oratum ut ea decreta susciperentur & observarentur in Gallia. Rex verò ex sententia magni sui Consilij convocavit in urbem Biturigensem Archiepiscopos, Episcopos, insignia Capitula, Abbates, Decanos, Præpositos, & alios Prælatos ecclesiasticos, Magistros Doctores in Iure divino & humano, aliósque viros doctos Academiarum, aliásque item personas regni & Delphinatus; quos omnes in magno numero congregavit in Capitulo sanctæ Capellæ Biturigensis. Congregationi præsidebat Carolus Rex, assidentibus ei primogentio ejus filio Ludovico Delphino Viennensi, Duce Borbonio, aliisque magnatibus, & viris eruditissimis in rebus ecclesiasticis & secularibus de magno suo Consilio: *In qua quidem solemni congregatione præsidentes, assistentibus nobis primogenito nostro Ludovico Delphino Viennensi, Duce Borbonio, aliisque magnatibus, proceribus, & viris peritissimis in ecclesiasticis & secularibus de magno Consilio nostro.* In ea congregatione auditi sunt à Principe Legati Eugenij quarti, causam ejus orantes, tum etiam Legati Synodi Basileensis. Post quæ Carolus utrorumque causam se præsente examinare jussit diversos Doctores. Cùm autem ea discussa fuisset, ecclesiasticæ personæ representantes Ecclesiam Gallicanam summa cura apud eum enarraverunt quanta confusio in politiam ecclesiasticam introducta esset, cui, ut ipsi existimabant, abundè providerant decreta Concilij Basileensis. Itaque consentire se acceptationi horum decretorum, alios quidem prout concepta erant, nonnullos cum modificationibus à se additis. Eas porrò modificationes non ea mente introductas fuisse quasi dubitaretur de auctoritate eorum qui decreta hæc condiderant, sed quia existimarunt eas congruere utilitati publicæ & consuetudini Ecclesiæ Gallicanæ.

II. Concilium itaque Biturigense censuit suscipienda esse decreta illa, orandúmque Regem ut publica eorum acceptatio fieret, útque edicto sive Pragmatica Principis Sanctione firmarentur, eorúmque executio imperaretur Curiæ Parlamenti & aliis Officiariis. Tum omnes Episcopi & personæ ecclesiasticæ repræsentantes Ecclesiam Gallicanam humiliter Regi supplicarunt ut rebus in congregatione decretis regium consensum adhiberet, eásque cum effectu protegeret, jubens ut inviolabiliter observentur. At Princeps de negotio isto deliberari jussit in magno suo Consilio; in quo aderant Principes regij sanguinis, quamplurimi magnates, & viri graves ecclesiastici & seculares. Considerans autem Carolus Sacerdotes teneri ad prædicandam veritatem quam à Christo didicerunt, Regem verò ad ejusdem veritatis protectionem teneri, si sacris Scripturis congruat, intelligens porrò, post maturam deliberationem in Consilio suo habitam, supplicationem ac postulationem cleri justam esse & rationabilem ac decretis sanctorum patrum consentaneam, prædictas deliberationes ratas habuit, eísque consensum & auctoritatem suam adjunxit, præcipiens ut eæ custodiantur & observentur & inter constitutiones regias describantur. Tum Curiæ Parlamenti & aliis Officiariis præcepit ut eas inviolabiliter observari facerent à personis ecclesiasticis & secularibus, gravi pœna rebellibus irrogata. Singula quæ hucusque diximus colliguntur ex edicto quod Pragmaticam Sanctionem vocant. Ex eo enim discimus Regem convocare Concilium regni sui, eíque cum Consilio suo præsidere, causas præsente ac jubente eo tractari, deliberationes Ecclesiæ Gallicanæ non antè executioni posse mandari quàm Regis edicto firmatæ sint, examinari porrò debere à Principe in Consilio suo, protectionémque

executionis infractionúmque castigationem delegari magistratibus regiis. Initio autem edicti Rex declarat se ex officio, quod ipsi commune est cum universis Principibus, teneri ad conservationem canonum antiquorum patrum, ac præterea id sibi privatim incumbere ob promissionem sive jusjurandum quod in coronatione sua juraverat. quas pariter causas attulerat Carolus sextus in constitutione edita anno MCDVI. de qua superiùs egimus.

III. Nam Reges nostri in coronatione sua pollicentur se protectionem & tuitionem suam exhibituros juribus Ecclesiæ conservandis. Quod intelligendum est juxta veteres formulas, in quibus conservatur voluntas Episcoporum qui Petitionem hanc fecerant. Eorum autem mens non ea tantùm est, ut bonorum suorum conservationem sibi à Principi promitti velint, aut libertatem celebrandi officia divina, sed præterea solliciti sunt de conservatione jurium & privilegiorum quæ ad ipsos pertinent secundùm Canones. Ita enim docet formula jurisjurandi à Philippo primo emissi anno MLIX. cùm consecratus est Rex vivente patre. Ea autem his verbis concepta est: *Ego Philippus Deo propitiante mox futurus Rex Francorum in die ordinationis meæ promitto coram Deo & sanctis ejus quòd unicuique * de vobis commissis canonicum privilegium & debitam legem atque justitiam conservabo & defensionem quantum potero adjuvante Domino exhibebo, sicut Rex in suo regno unicuique Episcopo & Ecclesiæ sibi commissæ per rectum exhibere debet. Populo quoque nobis credito me dispensationem legum in suo jure consistentem nostra auctoritate concessurum.* Formula illa descripta est, usque ad vocem *populo*, ex ea quam Hincmarus Remensis Archiepiscopus obtulit Ludovico Balbo Caroli Calvi filio anno octingentesimo septuagesimo septimo, cùm is apud Compendium coronatus & consecratus fuit; quæ extat in Capitulis Caroli Calvi à Sirmondo editis, quámque Reges semper usurparunt usque ad tempora Philippi primi. Ac licèt dein ejus verba fuerint immutata, res tamen ipsa mansit. Sicut ante Ludovicum Balbum Reges eandem quidem Promissionem faciebant, sed aliis verbis; ut constat ex Promissione facta à Carolo Calvo anno DCCCLXIX. quando Rex Metis coronatus est in regno Hlotharij: *Sciatis me----unicuique in suo ordine secundùm sibi competentes leges tam ecclesiasticas quàm mundanas legem & justitiam conservare.*

IV. Alia quoque Ecclesiæ Gallicanæ congregatio juxta decretum Caroli septimi habita fuit Avarici Biturigum anno MCDXL. occasione schismatis in Ecclesia vigentis, in qua auctoritas protectionis regiæ singulariter emicat. Cùm Synodus Basileensis deposuisset Eugenium quartum, & in ejus locum substituisset Amedeum Ducem Sabaudiæ, qui Felix quintus dictus est, Legati Eugenij & Concilij Basileensis auditi sunt à Rege coram Concilio Ecclesiæ Gallicanæ, quæ nonnullas conclusiones edidit in hac materia. De his ergo cùm relatum esset Principi in suo magno Consilio, ipse eas *gratas & acceptas* habuit; & secundùm eas constitutionem edidit, quæ ad Parlamentum missa est. Hujus constitutionis sententia hæc est. Regem lubenter auditurum Ecclesiam legitimè congregatam. Quoniam verò multi viri sapientes & docti dubitabant an depositio Eugenij, & nova Felicis electio, in Concilio Basileensi factæ, justè ac canonicè decretæ fuerint, & utrum Concilium illud sufficienter tunc repræsentaret Ecclesiam universalem, Principem persistere in obedientia Papæ Eugenij. Cùm autem merita hujus causæ cognoverit, sive per Concilium Oecumenicum, sive per congregationem Ecclesiæ Gallicanæ, quæ frequentior convocabitur cum Ducibus, Baronibus, & affinibus suis, aut per communem consensum Principum, tum amplexurum eum veritatem catholicam. Accidit autem ut per ea tempora, interim dum schisma erat inter Papam Eugenim & Concilium Basileense, personarum ecclesiasticarum studia se diviserint; adeo ut nonnulli partes Concilij sequerentur, alij verò, Pontificis. Quoniam verò unius partis fautores & adhærentes excommunicabantur & Beneficiis suis privabantur ab alia, unde horrenda confusio emergebat in regno, Carolus, tametsi Eugenio adhæreret, propria auctoritate (nulla facta mentione Concilij Ecclesiæ Gallicanæ, tametsi ea adesset in urbe Biturigensi) suspendit citationes, censuras, privationes, & inhabilitationes, sive à Papa sive à Concilio factas; & Curiæ Parlamenti præcepit ne pateretur eo prætextu personas ecclesiasticas perturbari in suis Beneficiis; ut constat ex constitutione anni millesimi quadringentesimi quadragesimi.

V. Ecclesia Gallicana congregata Cæsaroduni Turonum à Ludovico XII. anno MDX. deliberavit de capitulis à Rege propositis, de necessitate nimirum belli gerendi adversùs Iulium secundum Papam, ad prohibendas invasiones ejus, & de nullitate sententiarum quas Iulius postea ferre posset. Responsa Ecclesiæ Gallicanæ non spectanda sunt tantùm velut responsa Doctorum qui

* Legendum *de vobis, & Ecclesiis vobis commissis.*

Vide appendicem actor. veter. post Lupum Ferrar. Tit. VI. VII.

To. 1. Libert. Eccl. Gallic. §. 24.

interrogantur de causa aliqua quæ ad conscientiam pertinet, sed velut responsa data ab eis penes quos est auctoritas decernendi circa materiam propositam. Quanquam necessaria futura erat auctoritas regia ad publicam eorum executionem.

CAPVT XXXVI.

Synopsis.

I. An Princeps imperare possit solus executionem canonum, non expectata etiam sententia Ecclesiæ Gallicanæ. Id jus competere Principibus probatur variis exemplis Imperatorum Christianorum.

II. In Gallia verò sanctus Ludovicus eo jure usus est. Quem ob hoc mirè laudat Ioannes Iuvenalis de Vrsinis.

III. Vtuntur adhuc eo jure Reges Francorum. Magni momenti est edictum Caroli sexti latum anno 1418.

I. QVÆRI potest an ex eo quòd suprema canonum protectio ad Regem pertinet, sequatur eum jubere posse ut observentur, non expectata etiam sententia Ecclesiæ Gallicanæ. Certum quidem est earum constitutionum observationem fore sanctiorem, si conderentur cum generali cleri consensu; quoniam unusquisque eam rem obtinere modis omnibus cupit quam ipse suo judicio comprobaverit. Nihilominus æquè certum est Regem ex sententia Consilij sui, quod auget aut minuit prout ei lubet, posse latis edictis decernere ut canones observentur, ac circumstantias & modos necessarios addere ad faciliorem eorum executionem, sive etiam ad veram eorum mentem explicandam, eósque accommodare ad utilitatem regni. Ad probationem autem hujus auctoritatis extant exempla omnium Imperatorum Christianorum, Constantini videlicet, Valentiniani, utriusque Theodosij, Arcadij & Honorij, Marciani, Leonis, Iustiniani, Heraclij, Leonis Philosophi, & Basilij.

II. In Gallia verò, inter Reges tertiæ stirpis emicat sanctus Ludovicus; qui propria auctoritate, nulla facta mentione congregationis Ecclesiæ Gallicanæ, celebre illud edictum tulit anno MCCLXVIII. quo pessumdantur novitates ab Ecclesia Romana per illas tempestates introductæ, & Ecclesia Gallicana revocatur ad observationem canonum. Ioannes Iuvenalis de Vrsinis Archiepiscopus Remensis, in oratione sua ad Regem Carolum septimum, quæ citatur in Notis ad historiam Caroli sexti ab eodem Ioanne conscriptam, laudat hunc Principem ob editam Pragmaticam Sanctionem. Dein addit: *Et n'estes pas le premier Roy qui a fait telles choses. Car qui bien void l'Histoire de Philippes le Conquerant, il ordonna le mesme. Si fit S. Loüis, qui est saint & canonizé. Et faut dire qu'il fit tres-bien. Vostre pere & les autres les ont approuvé.* [id est. *Neque enim primus es inter Reges qui istiusmodi constitutionem ediderit. Nam & in historia Philippi Augusti legimus ipsum similiter olim statuisse. Ejus vestigia assecutus est & sanctus Ludovicus, qui sanctus est & canonizatus. Affirmare autem decet illum rectè egisse. Pater tuus aliique eorum acta probaverunt.*]

III. Vtuntur adhuc eo jure Reges Christianissimi. Nam licèt tomos deliberationum cleri Gallicani recipiant, eæ tamen tantùm spectantur velut consilium & * oratio ad Principem. Dein Rex decernit id quod lubitum ipsi fuerit; sive respondendo in margine tomi, ut vulgò fieri consuevit; sive etiam per edictum, ut factum est in edicto Melodunensi anno MDLXXIX. & Parisiensi anno millesimo sexcentesimo sexto. Præterea Reges nostri condunt constitutiones pro ordinanda politia ecclesiastica ad executionem canonum; neque ullam cujuslibet cœtus sententiam rogant quàm sui Consilij, quod ex personis ecclesiasticis & secularibus constat. Ævo Caroli sexti, cùm maximè frequentes erant congregationes Ecclesiæ Gallicanæ, facilè abstinebatur à roganda earum sententia. Quare non inutiliter à me observatum est in capite superiori prohibitionem perpetuam reservationum & gratiarum expectativarum, quæ adversùs Curiam Romanam facta est, decretam fuisse à Rege anno MCDXVIII. cum consensu sui magni Consilij, ad quod extraordinariè vocati sunt nonnulli Prælati & Proceres, & Officiarij Parlamenti, ac plurimi Doctores ex Academiis. Ceterùm edictum illud ex eo capite magnificum est ad probandam auctoritatem regiam in protectione canonum, quòd editum est post schisma tandem extinctum, & postquam his malis remedium adhibere recusaverat Concilium Constantiense, insuperhabitis Gallorum postulatis. Porrò quod Ecclesia Gallicana anno millesimo quadringentesimo sexto fieri debere approbaverat, quandiu schisma duraret, & donec Concilium generale celebraretur, id definitivo decreto Princeps decrevit post extinctionem schismatis.

* *Remonstrances*

Per Regem, ad relationem magni sui Consilij in camera Parlamenti per Dominum Delphinum Viennensem.

ADMONITIO
STEPHANI BALUZII
de libro sequenti.

EDITURUS rursum librum septimum dissertationum de concordia sacerdotij & imperij, in quo agitur de judiciis canonicis Episcoporum, putavi in antecessum præmittenda esse aliquot insignia loca veterum scriptorum, ex quibus constabit materiam hanc esse difficilem, quòd nemo audeat accusare majorem, cùm manifesta crimina in Episcopo vix accipiant fidem, & quia si convictus fuerit Episcopus, non punitur. Hinc enim fit ut Episcoporum peccata interdum maneant impunita, tum etiam quia non convenit inter omnes quænam jurisdictio sit competens ad ea castiganda.

Ex libello Precum Marcellini & Faustini Presbyterorum pag. 37.

SED Clementinus, licèt non esset Christianus, tamen exhibens reverentiam nomini episcopatus, in eo maximè homine quem videbat rationabiliter & fideliter obtinere, respondit Osio, Non audeo, inquit, Episcopum in exilium mittere quandiu in Episcopi nomine perseverat.

Sanctus Hieronymus in caput octavum Ecclesiastis.

POSSUMUS hoc testimonium accipere adversùs Episcopos, qui acceperunt in Ecclesia potestatem, & scandalizant eos magis quos docere & ad meliora debuerant incitare. Hi frequenter post mortem laudantur in Ecclesia, & beati in his quæ non probabiliter fecerant publicè sive à successoribus sive à populis prædicantur. Et hoc itaque vanum est, quia non ut egerunt sic audiunt, nec statim corripiuntur in peccato suo. Nemo quippe audet accusare majorem. Propterea quasi sancti & beati & in præceptis Domini ambulantes augent peccata peccatis. Difficilis est accusatio in Episcopum. Si enim peccaverit, non creditur. Et si convictus fuerit, non punitur.

Cassiodorus Senator lib. 1. Var. epist. 1x.

MANIFESTA crimina in Episcopo vix accipiunt fidem.

Sanctus Gregorius in libro 1. de cura pastorali cap. 11.

NEMO quippe ampliùs in Ecclesia nocet quàm qui perversè agens, nomen vel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem namque hunc nemo redarguere præsumit; & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur.

LIBER SEPTIMVS.

CAPVT PRIMVM.

Synopsis.

I. Necessitas agendi de depositione Episcoporum, quòd ea materia indiligenter admodum tractata sit, quamvis magni momenti esse videatur.

II. Episcopos vetus Ecclesia instituit in principalibus urbibus uniuscujusque regionis. Rerum omnium confirmatio tributa Episcopo metropoleos, ita tamen ut eas componeret cum consilio coëpiscoporum suorum. Itaque judicia ecclesiastica uniuscujusque provinciæ, supremæ auctoritatis erant, nec ab eis provocare licebat.

III. Illustre hujus instituti exemplum extat apud Cyprianum in causa quorundam Clericorum Africanorum. Causa illic audiri debet ubi crimen est admissum, quòd illic commodius haberi possint & accusatores & testes.

IV. In causa Basilidis & Martialis Episcoporum Hispaniæ consultus Cyprianus respondit obtinere debere sententiam Synodi provinciæ Baticæ, quæ Episcopos illos deposuerat, & alios in eorum locum substituerat, neque habendam rationem communionis illis à Stephano impensæ.

V. At in causa Marciani Episcopi Arelatensis, hæreseos jam damnatæ sectatoris, scribit Cyprianus eum sententiam accipere debere, non dicere, ac propterea deponendum. Egregia regula à Cypriano proposita, si quis hæresim facere & gregem Christi lacerare tentaverit.

VI. Magnifica sunt Cypriani verba ad Stephanum Papam scribentis. Refelluntur Novatores, qui ea in diversum trahunt. Notatur illustrissimus Cardinalis Perronius, qui ex hoc Cypriani loco colligit jus deponendi Episcopos pertinere ad solum Pontificem Romanum.

VII. Necessaria fuit illa loci Cyprianici explicatio, ut & nostrorum & adversariorum sententia de hoc loco rectius ad veritatem redigi posset. Referuntur deinde Cypriani verba.

I. INTER varias ac multiplices difficultates quæ in explicanda veteri Ecclesiæ disciplina occurrunt nulla indiligentiùs tractata est quàm ea quæ de Episcoporum depositione agit; cùm tamen illa vel inter præcipuas referenda sit. Nam hinc Innocentij III. effatum, qui scribit materiam hanc jure divino sedi apostolicæ reservatam esse, obstat ne Canonici Iuris interpretes, iique qui ætate nostra de fidei controversiis tractant, ad contrarias se cogitationes convertant. Illinc verò laïci non accedunt ad investigationem rerum in hac materia definitarum, quòd illæ nullius sint usus in foro. Attamen multùm refert altiùs scrutari quæ fuerit veteris Ecclesiæ praxis; ut noscamus quænam jurisdictio sit competens ad castiganda Episcoporum peccata, quæ aliquo modo impunita dimittuntur ob confusionem hujus controversiæ.

II. Verùm ut meliùs intelligere possimus ordinem jurisdictionis episcopalis, necesse est ut in anteccessum statuamus Ecclesiam in initio se ad civilem Romani Imperij dispositionem accommodasse, Episcopósque propterea constituisse in principalibus urbibus uniuscujusque regionis, primum verò locum & rerum omnium confirmationem tribuisse Episcopo metropoleos provinciæ cum consilio collegarum suorum. Ordinationes itaque Episcoporum & judicia ecclesiastica fiebant à synodo cujusque provinciæ cum auctoritate Metropolitani, adeo ut non liceret provocare à judicio lato in synodo provinciæ.

III. Illustre hujus instituti exemplum extat apud Cyprianum, qui Episcopus Carthaginensis erat, & caput provinciæ Africa-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

næ; quæ tum, præter provinciam Carthaginensem, complectebatur etiam Numidiam & duas Mauritanias. *Sed quoniam latiùs fusa est nostra provincia*, inquit, *habet enim Numidiam & Mauritanias duas sibi cohærentes.* Cyprianus ergo cùm ex sententia Concilij sui à sua communione rejecisset quosdam Clericos & quendam pseudoepiscopum hæreticorum, iratscitur adversùs Cornelium Episcopum Romanum, quòd cùm illi Romam accessissent, hæsitasset aliquantulùm Pontifex an eos in communionem suam reciperet. Hanc ob rem Cyprianus apud Cornelium apertè edisserit jura Episcoporum uniuscujusque provinciæ, quæ in eo versantur, ut ad eos pertineat discussio judiciúmque causarum, & regimen gregis, rationem administrationis suæ Deo reddituros, neque licere Romam alióve appellare. neque enim minorem esse auctoritatem Episcoporum Africanorum quàm reliquorum. damnatos porrò, si ad Cyprianum accedere voluerint, auditurum se lubenter, & pœnitentiam eorum amplexurum, si crimine ullo fuerint involuti. *Post ista*, inquit Cyprianus, id est, post damnationem suam & schisma, *navigare audent, & ad Petri cathedram & Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, à profanis & schismaticis literas ferre.* Infrà: *Nam cùm statutum sit omnibus nobis, & æquum sit pariter ac justum, ut uniuscujusque causa illic audiatur ubi est crimen admissum, & singulis pastoribus portio gregis sit adscripta quam regat unusquisque & gubernet, rationem sui actus Domino reddituros, oportet utique eos quibus præsumus non circumcursare, nec Episcoporum concordiam cohærentem sua subdola & fallaci temeritate collidere, sed agere illic causam suam ubi & accusatores habere & testes sui criminis possint; nisi si paucis desperatis & perditis minor esse videtur auctoritas Episcorum in Africa constitutorum, qui jam de illis judicaverunt.* Infrà: *Iam causa eorum cognita est, jam de eis dicta sententia est.* Infrà: *Si judicium nostrum voluerint experiri, veniant. Denique si qua illis excusatio & defensio potest esse, videamus quem habeant satisfactionis suæ sensum, quem afferant pœnitentiæ fructum.*

Cyprianus lib. 4. ep. 4.

Cyprian. lib. 4. ep. 5.

Vide lib. 4. cap. 5. §. 10.

IV. Ei fundamento nixus idem Cyprianus, ab Episcopis Hispaniæ consultus in causa Basilidis & Martialis Episcoporum, qui depositi fuerant ob crimen idololatriæ ab Episcopis provinciæ Bæticæ, (quæ tum complectebatur civitates Legionensem, Asturicensem, & Emeritensem) quíque Stephanum Papam fallentes gestæ rei ac tacitæ veritatis ignarum, ab eo se in communionem recipi obtinuerant, consultus inquam Cyprianus respondit debere Episcopos Hispanos primo judicio firmiter adhærere, quandoquidem depositio facta erat ob justam causam aliique Episcopi ordinati erant ab Episcopis provinciæ in loco depositorum.

V. Suprema illa auctoritas Conciliorum provincialium in judiciis faciendis non impediebat communicationem Episcoporum diversarum provinciarum, qui se mutuò juvabant adversùs hostes Ecclesiæ. Sed præcipuè emicuit vetustis illis temporibus eximia quædam ac principalis sollicitudo Ecclesiæ Romanæ in decernendis cum consilio aliarum synodorum provincialium remediis adversùs schismata & hæreses. Constat id ex sententia damnationis prolata adversùs Novatianum, auctorem schismatis & hæreseos Novatianorum: qui damnatus fuit in Synodis Romana, Italica, & Africana, ut scribunt Hieronymus & Eusebius, & ab Episcopis totius orbis; *per totum orbem à Sacerdotibus Dei abstento*, ut ait Cyprianus. Marcianus Episcopus Arelatensis se factioni Novatiani adjunxerat. Episcopus Lugdunensis Faustinus & collegæ ejus, cùm intelligerent suæ jurisdictioni non subjacere Marcianum, eò quòd in aliena provincia Episcopus esset, in Narbonensi nimirum, Stephanum Papam & Cyprianum per epistolas consuluerunt quid facto opus esset. Agebatur de hæresi jam damnata. Ideóque Cyprianus ait communem causam esse omnium Episcoporum, neque opponi posse discretionem provinciarum. *Idcirco enim*, inquit, *copiosum est corpus Sacerdotum concordiæ mutuæ glutino atque unitatis vinculo copulatum, ut si quis ex collegio nostro hæresim facere & gregem Christi lacerare & vastare tentaverit, subveniant ceteri, & quasi pastores utiles & misericordes, qui oves dominicas in gregem colligant.* Vnde concludit deponendum esse Marcianum, qui jam ab universis Episcopis damnatus erat, nimirum in persona Novatiani. *Ex quibus cùm Marcianus esse cæperit, & se Novatiano conjungens, adversarius misericordiæ & pietatis extiterit, sententiam non dicat, sed accipiat; nec sic agat quasi ipse judicaverit de collegio Sacerdotum, cùm ipse sit ab universis Sacerdotibus judicatus.*

Hieron. de Scriptor. eccles. in Euseb. lib. 6. Euseb. lib. 6. c. 43.

Vide lib. 4. c. 4. §. 1.

Cyprian. lib. 4. ep. 9.

VI. Quoniam verò Cyprianus in epistola superiùs laudata agnoverat primatum Ecclesiæ Romanæ, dicens eam esse Petri cathedram & Ecclesiam principalem unde unitas sacerdotalis exorta est, hanc primatus prærogativam Stephano Papæ conservat, dum eum monet ut literas ad Episcopos in Galliis constitutos scribat ne ulteriùs Marcianum eo prætextu tolerent quòd nondum Romæ

Romæ neque apud Africam fuerit damnatus, cùm Novatianus, cujus factioni se Marcianus conjunxerat, jam foret excommunicatus. Sed magnificum est quòd Cyprianus Stephanum hortatur ut literas *in Provinciam*, id est, ad Episcopos provinciæ Narbonensis, *& ad plebem Arelate consistentem* dirigat, quæ contineant abstentionem sive excommunicationem Marciani, jubeátque ut alius in locum ejus substituatur. Iudicium adversùs Marcianum ab Episcopis Gallicanis constitutum erat, qui de eo Romanum & Carthaginensem Episcopos monent; isti verò communi consilio respondent Marcianum esse damnatum. At potestas decernendi & pronuntiandi & plenissima executionis cura Pontifici Romano demandatur. Hoc exemplum imitata sunt Concilia Arelatense anno CCCXIV. & Sardicense anno CCCXLVII. in suis epistolis synodicis ad Silvestrum & Iulium Pontifices Romanos, quibus plenissimam executionis rerum in his Conciliis judicatarum curam mandaverunt. Porrò colligi potest ex verbis Cypriani prærogativam illam ævo ejus in cathedra Petri constitutam fuisse. quod nulla industria Novatores elevare possunt. Futilis enim est & Cypriani verbis adversa responsio illa, non deponi à Stephano Marcianum, sed ad plebem Arelate consistentem scribi æquum sibi videri ut deponatur. At in contrariam partem frequentissimè peccat illustrissimus Cardinalis Perronius in sua Replica: qui ex hoc Cypriani loco colligit jus deponendi Episcopos ad solum Pontificem Romanum pertinere.

Vide epistolam Marcæ ad Henr. Valesium §. 16.

VII. Necessarium visum est hunc Cypriani locum sincerè & sedulò excutere, ut intelligi possit quid magni conferat ad explicandam Summi Pontificis auctoritatem. Hæretici enim nihil heic magnificum deprehendunt pro sedis apostolicæ dignitate. Nostri verò in ea epistola extare putant non obscura argumenta juris quòd Episcopo Romano quæsitum non erat ante hos octingentos annos. Hæc sunt verba Cypriani: *Quapropter facere te oportet plenissimas literas ad coëpiscopos nostros in Galliis constitutos, ne ultrà Marcianum pervicacem & superbum, & divinæ pietatis ac fraternæ salutis inimicum, collegio nostro insultare patiantur, quòd necdum à nobis videatur abstentus, qui jampridem jactat & prædicat quòd Novatiano studens, & ejus pervicaciam sequens, à communicatione nostra se segregaverit; cùm Novatianus ipse, quem sequitur, olim abstentus, & hostis Ecclesiæ judicatus sit.* Infrà: *Dirigantur in provinciam & ad plebem Arelate consistentem à te literæ; quibus abstento Marciano, alius in locum ejus substituatur.*

CAPVT II.

Synopsis.

I. Supremam Conciliorum provincialium in deponendis Episcopis auctoritatem confirmavit Nicæna synodus, & scripto mandavit. Antea enim consuetudine tantùm agebatur.

II. Iudicia Episcoporum eo canone Nicæno contineri sensit Secunda synodus Oecumenica. Quid administrationis vocabulo intelligant patres Constantinopolitani, qui administrationem sive gubernationem Ecclesiarum unicuique provinciæ mandatum dicunt à synodo Nicæna.

III. Africani ad Celestinum Papam scribunt synodum Nicænam Clericos omnes, atque adeo Episcopos, suis Metropolitanis apertissimè commisisse.

IV. Clericorum omnium causas in synodo provinciæ terminandas secundùm Nicænam synodum scribit etiam Innocentius primus ad Victricium Episcopum Rothomagensem.

V. Episcoporum causas definitivo judicio terminandas esse in synodo provinciæ censuit Concilium Antiochenum. At si divisæ forent Episcoporum provinciarum sententiæ, tum judices alios ex vicina provincia convocandos esse à Metropolitano. Concilium Antiochenum explicatur.

VI. Canon tamen duodecimus ejusdem Concilij detrahere videtur de suprema auctoritate Conciliorum provincialium. Permittit enim Episcopis damnatis ut ad majus Concilium provocent. Proponitur conciliatio hujus ἀντινομίας. De retractatione sive revisione quæ fiebat rescripto Principis. Edicta Prefectorum prætorio obnoxia non erant appellationi, sed revisioni tantùm.

VII. Implorabantur etiam rescripta Principum adversùs suprema synodorum judicia. Temperamentum huic consuetudini adhibuit canon duodecimus Antiochenus. Ecclesia non existimabat jus illud Principum esse injustum.

VIII. Causa Athanasij & Marcelli Ancyrani retractata est in Concilio Sardicensi post judicia diversarum synodorum, permissu Impp. Constantij & Constantis. Probatur ex epistola synodica ad Iulium Papam, quæ explicatur.

IX. Photinus hæreticus à synodo Sardicensi damnatus, Constantij Imperatoris auctoritatem imploravit, ut causam suam retractari obtineret. quod impetratum est, felici eventu pro veritate fidei.

X. Cyrillus Episcopus Hierosolymitanus in synodo Palæstinæ damnatus provocavit ad majorem synodum absque rescripto Principis. quam novitatem redarguit Socrates. Postea tamen rescriptum Constantij impetravit; cujus auctoritate causa retractata est in Concilio Seleucienſi. Notatus Cardinalis Perronius.

XI. Chrysostomus in synodo ad Quercum depositus, accusationes deintegro judicari in synodo postulat ab Arcadio Imperatore. Et synodus quidem congregata est, sed infelici prorsùs eventu.

XII. Arcadius dein & Honorius Impp. vetuerunt ne Episcopi damnati ad Principes accedant, neve rescripta impetrent. Ex quo capite probatur etiam Principum auctoritas in decernenda revisione.

XIII. Galli quoque per eas tempestates censebant supremam esse synodorum provincialium aucto-

ritatem in deponendis Episcopis. Probatur ex Concilio Agrippinensi adversùs Euphratam.

XIV. Probatur etiam ex Concilio Parisiensi adversùs Saturninum Episcopum Arelatensem.

I. CONSUETUDO illa, quæ Conciliis uniuscujusque provinciæ supremam Episcoporum ordinandorum aut deponendorum potestatem tribuit, scripto tradita est & firmata canone quinto Concilij Nicæni, in quo sic habetur: *De his qui communione privantur, seu ex clero, seu ex laïco ordine, ab Episcopis per unamquamque provinciam, sententia regularis obtineat, ut hi qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur.* Infrà: *Placuit annis singulis per unamquamque provinciam bis in anno Concilia celebrari; ut communiter omnibus simul Episcopis provinciæ congregatis discutiantur hujusmodi quæstiones.* Canon ille confirmat auctoritatem cujusque provinciæ in judicandis definitivo decreto causis ecclesiasticis quæ ad Clericos aut laïcos spectant; & per consequentiam, idem jus statuitur quoad correctionem & depositionem Episcoporum, tametsi casus ille disertis verbis non extet in canone. Sanè dubitari non potest quin hic canonis sensus sit & ea mens ut in generali hac lege comprehendantur judicia adversùs Episcopos, cùm eorum mentionem aliàs nullibi faciat synodus Nicæna.

II. Præter argumentum illud, extat aperta & expressa auctoritas Concilij Secundi Oecumenici, itémque Africani Concilij, & Innocentij primi Papæ; quorum ea est sententia, ut judicia Episcoporum eo canone Nicæno contineri existiment. Canon quippe secundus Concilij CP. Oecumenici apertè testatur administrationem & gubernationem Ecclesiarum hoc canone Nicæno mandatam esse unicuique provinciæ. Administrationis verò vocabulo patres Constantinopolitani comprehendunt judicia adversùs Episcopos, æquè ac alia politiæ & regiminis ecclesiastici capita; quemadmodum accuratè explicabo in capite quinto hujus libri.

III. Manifestissima est Concilij Africani sententia ad probandam scriptionem meam. Facile est colligere ex verbis patrum illius Concilij eos paria sensisse cum Cypriano, cùm eadem ferme verba usurpent in causa simili. Sic enim aiunt in epistola ad Celestinum Papam: *Decreta Nicæna sive inferioris gradus Clericos, sive ipsos Episcopos, suis Metropolitanis apertissimè commiserunt. Prudentissimè enim justissimèque viderunt quæcunque negotia in suis locis ubi orta sunt finienda nec unicuique provinciæ gratiam sancti Spiritus defuturam.*

IV. Eidem interpretationi favet Innocentius primus ad Victricium Episcopum Rothomagensem scribens, viámque aperit ad veram interpretationem canonis sexti Nicæni, quem superiori adjungit, ut jura sedis apostolicæ conservet, quæ confirmantur in hoc canone, ut iis Summus Pontifex utatur secundùm vetustam consuetudinem, qua de re paulò inferiùs agam, occasione Concilij Sardicensis. Innocentij verba hæc sunt in epistola ad Victricium cap. III. *Si quæ autem causæ vel contentiones inter Clericos tam superioris gradus quàm etiam inferioris fuerint exortæ, placuit ut secundùm Nicænam synodum, congregatis omnibus ejusdem provinciæ Episcopis, judicium terminetur. Nec alicui liceat (sine præjudicio tamen Romæ Ecclesiæ, cui in omnibus causis debet reverentia custodiri) relictis his Sacerdotibus qui in eadem provincia Dei Ecclesiam nutu divino gubernant ad alias convolare provincias.*

V. Eadem veritas colligi potest ex canonibus Concilij Antiocheni, quod habitum est anno trecentesimo quadragesimo primo, cujúsque auctoritas recepta fuit in Concilio Chalcedonensi, & dein in Ecclesia universa. Concilium enim illud cupiens prorsùs tollere difficultates quæ persæpe occurrebant in executione Concilij Nicæni quoad depositiones Episcoporum, iis verbis utitur quæ apertè docent definitivum judicium ad synodum uniuscujusque provinciæ pertinere. Supremæ huic auctoritati innititur canon XV. quo definitur sententiam ex omnium Episcoporum provinciæ suffragiis latam rescindi non posse ab aliis Episcopis: *Si quis Episcopus de certis criminibus accusatus condemnetur ab omnibus Episcopis ejusdem provinciæ, cunctique consonanter eandem contra eum formam decreti protulerint, hunc apud alios nullo modo judicari, sed firmam concordantium Episcoporum provinciæ manere sententiam.*

Eam sententiarum convenientiam exigit Concilium Antiochenum, ut eatur obviam querelis eorum qui judiciis in synodo factis ægrè parebant quando judicum sententiæ diversæ erant, eóque prætextu manebant in suis episcopatibus, favore urbium adjuti in quibus instituti erant. Casus ergo ille divisionis sententiarum componitur in canone Antiocheno XIV. in quo decretum est ut Metropolitanus, ante ullius sententiæ pronuntiationem, vicinæ provinciæ Episcopos convocet, ut unà cum iis de accusatione cognoscat, decernátque quod justum fuerit. Hæc sunt verba canonis: *Si quis Episcopus de certis criminibus judicetur, & contingat de eo provinciales Episcopos dissidere, cùm judicatus ab aliis innocens creditur, reus ab aliis, pro totius*

ambiguitatis absolutione sanctæ synodo placuit ut Metropolitanus Episcopus à vicina provincia judices alios convocet, qui controversiam tollant, ut per eos simul & per provinciales Episcopos quod justum visum fuerit approbetur.

Hi canones Antiocheni abundè probant judicia Episcoporum fieri olim solita suprema Episcoporum comprovincialium auctoritate, etiamsi ob diversitatem sententiarum necesse esset convocare nonnullos ex Episcopis vicinæ provinciæ. Quod non fiebat ea mente ut appellatio quæpiam aut revisio adversùs primum judicium judicaretur, cùm illud nondum factum esset, & cùm è contrà illud supersederi debere visum fuerit postquam unusquisque sententiam prompserat. Igitur conventus hic extraordinarius fiebat ut primum decretum conderetur, cui retractando locus non erat.

VI. Attamen dissimulandum non est sibi in speciem repugnare Concilium Antiochenum. Quippe hi canones quos protulimus jubent ut judicia adversùs Episcopos facta à synodo provinciæ suprema sint, adeo ut ab iis non liceat provocare. Et tamen canon duodecimus ejusdem Concilij permittit Episcopis damnatis in synodo provinciæ ut ad majus Episcoporum Concilium provocent, in quo rursus judicium feratur de accusatione. Vnde colligi videtur idem judicium esse supremum & appellationi obnoxium. Hæc sunt verba canonis duodecimi Antiocheni: *Si quis à proprio Episcopo Presbyter aut Diaconus, aut à synodo fuerit Episcopus fortè damnatus, & Imperatoris auribus molestus extiterit, oportet ad majus Episcoporum converti Concilium, & quæ putaverint habere justa, plurimis Episcopis suggerant, eorúmque discussiones ac judicia præstolentur. Si verò hæc parvipendentes, molesti fuerint Imperatori, hos nulla venia dignos esse, nec locum satisfactionis habere, nec spem futuræ restitutionis penitùs opperiri.*

Conciliatio horum canonum pendet, ut ego quidem existimo, à praxi illarum tempestatum; quæ interpretibus Græcis, atque etiam Latinis, ignota fuit. Ea autem versabatur in auctoritate quam Imperatores possidebant, concedendi videlicet rescripta pro revisione supremorum judiciorum, sive illa civilia essent, sive ecclesiastica. Nam edicta Præfectorum prætorio obnoxia non erant appellationi, sed revisioni tantùm, si eam is qui causa ceciderat fieri peteret libello in eam rem oblato Imperatori. Diserta sunt verba legis Impp. Diocletiani & Maximiani: *Litigantibus in amplissimo prætorianæ præfecturæ judicio, si contra jus se læsos affirment, non provocandi, sed supplicandi licentiam ministramus.* Remedium illud in lege ult. *Cod. de appellat.* & alibi vocatur *retractatio*, vel ἀναψηλάφησις. Illud litigantibus concessit Imp. Iustinianus in Novella CXIX. cap. v. jubens ut libellum ea de causa offerant Præfectis prætorio, aut eorum Assessoribus; atque eo modo exsolvit illos necessitate implorandi rescriptum Principis, ut antea fiebat, quemadmodum constat ex legibus Codicis.

L. 16. C. de sentent. Præf. prat.

D. l. un. C. de sentent. Præf. prætor. & l. 5. C. De precib. Imp. offer.

VII. Implorabantur etiam rescripta Principum adversùs suprema synodorum judicia. Cui consuetudini temperamentum adhibet canon duodecimus Antiochenus; ut his quidem omnis spes restitutionis adimatur qui postquam damnati fuerint, preces Imperatori obtuletint, ut ejus auctoritate restituantur, eorum verò causa per revisionem retractetur qui ab Imperatore obtinuerint ut novum Concilium habeatur, ad quod major Episcoporum numerus accedat.

Plurima hauddubiè hujus juris imperatorij exempla suppetunt, quæ probant Principes concessisse rescriptis suis retractationem judiciorum in synodis factorum. Verùm omnia recensere inutile fuerit. Quapropter satis erit nonnulla, eáque magni momenti, adnotare; ex quibus constabit Ecclesiam non existimasse jus illud fuisse injustum.

VIII. Primum itaque exemplum petitur à Concilio Sardicensi; quod de judiciis à synodis Tyria, Antiochena, & Constantinopolitana adversùs Athanasium Episcopum Alexandrinum & Marcellum Ancyranum latis cognovit permissu Impp. Constantij & Constantis, qui eorum causam retractari concesserant. Ingenuè id fatetur ipsa synodus in epistola synodica ad Iulium Papam scripta, quæ edita est inter Fragmenta Hilarij: *Tria fuerunt quæ tractanda erant. Nam & ipsi religiosissimi Imperatores permiserunt ut deintegro universa discussa disputarentur, & ante omnia, de sancta fide, & de integritate veritatis quam violaverunt. Secunda de personis quas dicebant esse dejectas de iniquo judicio; ut si potuissent probare, justa fieret confirmatio &c.* Vbi fortasse legendum, *non iniquo judicio.* Eo Imperatorum permissu se synodus Sardicensis tuebatur adversùs orientalium conquestionem, qui aiebant judicia à suis prædecessoribus fato functis facta non posse retractari. *Non erat fas eorum qui jam cum Deo sunt sententiam refricare*, ut inquiunt orientales in sua epistola synodica. Ex ea porrò epistola colligi potest usus qui tum apud Episcopos invaluerat, auxilium Principum implorandi adversùs judicia Episcoporum,

Nam cùm occidentalibus obtulissent consensuros se ut *ex utroque Concilio* Legati in Ægyptum mittantur ad noscenda Athanasij crimina, eam conditionem addunt, consentire se damnationi suæ, si calumniam ei impactam fuisse constiterit, ac præterea ut ipsis præcludatur omnis via implorandi præsidium Imperatorum, aut Concilij, vel etiam cujuspiam Episcopi. Petunt tamen ut si aliter evenerit, eadem conditione teneantur Athanasij fautores. *Si falsa*, inquiunt, *inventa fuerint quæ Concilio nuntiavimus, ipsi damnemur, nec Imperatoribus, nec Concilio, nec cuiquam Episcopo conqueramur.*

IX. Secundum exemplum extat apud Epiphanium Scribit enim in hæresi LXXI. (quæ est Photinianorum) Photinum à Synodo Sardicensi damnatum velut novæ hæreseos auctorem, Constantij Imperatoris auctoritatem imploraſſe, ut causam suam retractari obtineret, & ut ostenderet iniquo se judicio fuisse depositum. Constantius itaque octo Comites, id est, Consiliarios suos delegavit, qui unà cum Concilio orientalium, quod anno CCCLVII. congregatum est in urbe Sirmiensi, causam ejus judicarent, susceptâ à Basilio Episcopo Ancyrano curâ convincendi impietatis & hæreseos propositiones Photini. Hujus porrò delegationis adeo felix eventus fuit ut damnatio hujus hæretici illic confirmata fuerit; cujus acta ad Imperatorem missa sunt; quæ item authentica secum detulit Basilius, & Comites item qui judicio intererant.

X. Tertium exemplum subministrat Socrates; qui libro II. cap. XXXIX. scribit Imperatorem Constantium, quum anno CCCLIX. Concilium orientalium apud Seleuciam congregasset, diversas ad eos literas scripsisse; cùm in istis præciperet ut primùm de causa fidei tractaretur, in aliis verò juberet ut causæ Episcoporum ante omnia judicarentur. At quod in capite sequenti ait Socrates, de Cyrillo Hierosolymorum Episcopo loquens, nullum dubitandi locum relinquit. Fuerat is depositus ab Acacio Episcopo Cæsareæ Metropolitano suo in synodo provinciæ Palæstinæ; à qua provocavit ad majus Concilium, oblato judicibus libello appellationis. Adnotat Socrates, primum omnium Cyrillum contra consuetudinem & canonem ecclesiasticum appellationem usurpasse ad eum morem qui in foro obtinet: τοῦτο μὴν, μόνος καὶ πρῶτος Κύριλλος τὸ σύνηθες τῷ κανόνι ἐκκλησιαστικῷ ἐποίησεν, ἐκκλήτοις ὡς ἐν δημοσίῳ δικαστηρίῳ χρησάμενος. Vnde colligere possumus nondum receptam ea ætate fuisse appellationem à minori synodo ad majorem, neque à provinciali ad patriarchalem. Nam Concilium Antiochenum, quod novemdecim antè annis celebratum fuerat quàm Seleucienſe haberetur, non tribuebat facultatem appellandi ab una synodo ad aliam. Vnica ei mens fuit præscribere quandonam depositio liceret Principis rescriptum ad majus Concilium impetrare ad obtinendam revisionem, quæ primos judices non vetabat secundo judicio interesse. Nihilominus Cyrillus simpliciter appellavit ad majus Concilium; appellationemque suam primis judicibus denuntiavit, cùm mos postulare videretur ut rescriptum Principis impetraret. Expostulatio itaque adversùs eum facta ei prorsùs similis est quæ adversùs eum fieret quem Parlamenti consultum damnasset, si is scripto provocaret, judicibúsque appellationem suam denuntiaret; qui potiùs sibi providere deberet impetratis literis Cancellariæ, quas vocant, & proposita erroris exceptione. At Cyrillus ultra progressus est. Nam præter innovationem ab eo introductam, rescriptum quoque Constantij obtinuit secundùm morem; quo causa eadem retractari jussa in Concilio Seleucienſi, cujus auctoritate restitutus est Cyrillus. Hunc autem Socratis locum ea de causa accuratiùs explicare placuit, quòd vir eruditissimus ejus sensum non bene ceperit, ut neque canonis Antiocheni. Carl. Pertsch Anglus.

XI. Quartum exemplum peti potest ex damnatione sancti Ioannis Chrysostomi: qui cùm in synodo ad Quercum, suburbium id est Chalcedonis, depositus fuisset à Theophilo Episcopo Alexandrino, in exilium actus est ab Imperatore, revocatus tamen ab eo paulò pòst. At is, tametsi revocatus fuisset, ægrè ferens judicium adversùm se latum, tametsi nullitatibus plenum & erroribus, Arcadij Augusti præsidium expetiit, rogans ut synodum congregaret, in qua omnes accusationes deintegro judicarentur: *Mox obsecrabamus Christianissimum Regem ut Concilium ageret, quo facta hæc justificarentur*, ut ipse ait in epistola ad Innocentium. Et Concilium quidem illud convocatum est, sed infelici eventu quoad causam magni hujus viri. Vide infra p. Bojan.

XII. Præter ea argumenta, validum quoque testimonium ad probandam veterem illam Principum auctoritatem sumi potest ex lege quæ prohibuit ne deinceps hic mos usurparetur. Ea extat in Codice Theodosiano: ubi Impp. Arcadius & Honorius edicunt ut Episcopi depositi in synodo collegarum suorum pellantur in exilium, si quid adversùs sententiam in illos latam aut contra

publicam tranquillitatem tentaverint. Præterea disertè damnatis Episcopis inhibent ne ad Principes accedant, neve rescripta impetrent; quæ nulla esse pronuntiant ijdem Augusti, si eorum Episcoporum damnatio peracta sit justam ob causam. *Quicunque residentibus sacerdotibus fuerit episcopali loco detrusus & nomine, si aliquid vel contra sententiam vel contra quietem moliri fuerit deprehensus, rursúsque sacerdotium petere à quo videtur exclusus, procul ab ea urbe quam indignus infecit, secundùm legem divæ memoriæ Gratiani, centum millibus vitam agat.* Infrà: *Sit hujusmodi personis tenore præsentis legis inlicitum sacra nostra adire secreta, & impetrare rescripta. Omnia dejectis per culpam sacerdotio personis quæ impetrata sunt, infecta permaneant.*

Lex illa Gratiani exstat in appendice cod. Theodos. pag. 94.

XIII. Manet itaque sententia à me paulò antè prolata, judicia nempe in synodis provincialibus lata adversùs Episcopos appellationi obnoxia non fuisse secundùm antiquos canones, tametsi revisioni locus esset si ita Princeps rescripto juberet. Obtinebat ea consuetudo, non solùm in Oriente, sed etiam in Gallia; ut constat ex iis quæ Valerianus Episcopus Autisiodorensis disseruit in synodo Agrippinensi quæ anno CCCXLVI. habita est adversùs Euphratam illius civitatis Episcopum. Eum quinque Episcopi deposuerant propter hæresim. Primi verò judices optarunt ut damnatio ab ipsis decreta confirmaretur & approbaretur à majori Episcoporum Gallicanorum numero. Eam itaque ob causam Metropolitanos octo provinciarum evocarunt ad Coloniam Agrippinam, Trevirensem nimirum, Arelatensem, Lugdunensem, Vesontionensem, Moguntinum, Remensem, Senonensem, & Rothomagensem; qui eò accesserunt *ad postulatum fratrum*, ut ipsi aiunt. In eo Concilio Valerianus dixit validam esse depositionem à quinque illis Episcopis decretam, neque necessarium prorsùs fuisse ut nova hæc congregatio fieret. *Valerianus Episcopus dixit: Etsi non omnes consenjores, hic apud Agrippinam Dei voluntate qui sumus adunati, convenissemus, sufficerat à quinque Episcopis Euphratam blasphemum, quia Christum Deum negat, pro meritis suis sententiari * eodem jure esse depositum.* Infrà: *Ideo eundem censeo justè esse depositum.* Idipsum luculentiùs probant verba Amandi Episcopi Argentoratensis in eodem Concilio, quæ sic habent: *Amandus Episcopus dixit: Siquidem in præsenti, quando Euphrata à quinque Episcopis sententiam accepit, me inter ipsos fateor esse consentaneum, qui epistolis meis ad eundem deponendum consensi, secundùm falsam doctrinam ipsius, qui Christum Dominum Deum negat, meritò in ipsum sententiam collatam esse constat. ad cujus damnationem consentio.*

* Legendum eòque jure esse depositum.

XIV. Saturninum Episcopum Arelatensem Gallicani Episcopi in synodo Parisiensi excommunicarunt anno trecentesimo sexagesimo secundo: qui, nulla mentione facta confirmationis à Romano Pontifice decretæ, synodicam suam epistolam miserunt ad Episcopos Orientis. Significant se inter excommunicatos reponere Auxentium & reliquos Episcopos quos excommunicatos fuisse scripserant Episcopi orientales; tum denuntiant excommunicatum à se fuisse Saturninum Arelatensem. *Saturninum, qui statutis salubribus impiissimè contradixit, secundùm fratrum nostrorum geminas jam literas excommunicatum ab omnibus Gallicanis Episcopis caritas vestra cognoscat; quem & vetera, dissimulata jamdiù licèt, crimina & cetera edita epistolis suis novæ temeritatis irreligiositas indignum Episcopi nomine esse fecerunt.*

CAPUT III.

Synopsis.

I. Synodus Sardicensis jus illud imperatorium, nempe decernendi revisiones, transfudit in Episcopum Romanum.

II. Ei synodo occasionem dedit causa Athanasij in synodo Tyria & Antiochena damnati. Attamen Julius Episcopus Romanus eum in suam communionem recepit, spreta orientalium intercessione.

III. Cùm ex ea contradictione schisma immineret inter Ecclesias, Imperatores Concilium convocarunt apud Sardicam. Res tamen in divortium abiit, eo prætextu, quòd Episcopi occidentales publicè reciperent Episcopos dejectos.

IV. Synodus Sardicensis dejectos sedibus suis restitui postulavit à Constantio. quod ille imperavit. Synodica epistola Concilij Sardicensis nullam mentionem facit canonum apud Sardicam conditorum.

V. Inquiritur an Concilium Sardicense sit Oecumenicum. Convocatio ejus ea mente facta est ut esset Oecumenicum. Verùm, ob divortium, censeri tantùm potest occidentale. quo modo illud vocant Hilarius & Epiphanius.

VI. Huic Concilio debetur prima origo juris Summi Pontificis, quoad depositiones Episcoporum. Nihil tamen statuit adversùs supremam synodorum provincialium auctoritatem. Concessit enim tantùm jus decernendi revisionem. Revisio autem multùm differt ab appellatione. Sed hinc nata errandi occasio, quòd Synodus Sardicensis impropriè utatur verbo appellandi & provocandi.

VII. Decernere igitur poterat Episcopus Romanus causæ retractationem; remisso videlicet integro judicio ad Episcopos provinciæ, & ad finitimos. Revisio non impediebat quin sententia depositionis mandaretur executioni.

VIII. Novam esse hanc institutionem probatur ex Osio Cordubensi, qui synodo præsidebat.

IX. Perturbatus est ordo canonum Sardicensium.

X. Canon tertius Episcopo Romano tribuit jus decernendi revisionem, aut eam denegandi. Quartus verò prohibet ne quis ordinetur in loco dejecti, donec apud apostolicam sedem determinatum fuerit an revisio concedenda sit. Sed non præcipit superfedendum esse interim depositione.

XI. Septimus edicit ut si revisio concedenda sit, Episcopus Romanus det judices ex vicina provincia, qui causam retractent cum primis judicibus. Tum posse illum mittere Legatum qui synodo præsideat.

XII. Interpretes Græci non ceperunt sensum horum canonum. Contendunt enim licere Episcopo damnato rursum appellare à judicio Episcoporum quos Pontifex Romanus delegaverit. quod falsum est. Rectum hoc loco vidit Hincmarus.

XIII. Leges civiles prohibent ne judex appellationis causam remittat in provincias. quod fraudi fuit Balsamoni; cùm non intelligeret in Concilio Sardicensi non agi de appellatione, sed tantùm de retractatione. Explicantur ambages Balsamonis.

XIV. Explicatio canonum Sardicensium proposita ab auctore, petita est ex Hincmaro in epistola ad Ioannem octavum nomine Caroli Calvi scripta.

XV. Canon Sardicensis non vetat quin damnatus possit etiam implorare auxilium Principis.

XVI. Indicatur discrimen auctoritatis imperatoriæ & ejus quæ tributa est Episcopo Romano in Concilio Sardicensi.

XVII. Referuntur ipsa verba canonum Sardicensium.

I. CANONE itaque Nicæno firmata est, uti diximus, suprema synodorum provincialium auctoritas in ferendis judiciis: quæ temperata fuit rescriptis Principum, qui revisiones causarum fieri præcipiebant. Hinc novæ regulæ data occasio, quam Sardicense Concilium condidit anno trecentesimo quadragesimo septimo, qua transfusa est in Episcopum Romanum potestas illa quæ Imperatoribus competebat concedendi revisiones hujuscemodi; eo tamen adhibito temperamento quod infrà adnotabitur in explicatione canonum hujus Concilij, postquam ejus celebrandi causas expoſuero.

II. Ei occasionem subministravit causa sancti Athanasij Episcopi Alexandrini. Quippe eum Episcopi orientales, qui factionis erant Eusebij Nicomediensis Episcopi, vel quos artificiis ille suis incautos decipiebat, in synodis Tyria & Antiochena damnaverant. Contrà, Iulius Episcopus Romanus in synodo Romana, quæ ex Episcopis Italiæ constabat, Athanasium recepit in communionem suam, insuperhabita intercessione orientalium, qui Romam miserunt decretum damnationis adversùs Athanasium decretæ. Hæc ergo, ut dixi, occasio fuit celebrandi Concilij.

III. Nam Imperatores Constantius & Constans, cupientes extinguere schisma ea occasione emergens, literis suis Concilium convocarunt apud Sardicam; quæ Illyrici civitas erat, in Imperio occidentali sita, & in confinio Thraciæ, quæ ad Imperium Orientis pertinebat. Convocatum illud fuit ex magnis provinciis utriusque Imperij: sed numerus Episcoporum coërcitus est ad octoginta ex unoquoque Imperio. Cùm orientales Sardicam convenissent, occidentalibus se conjungere noluerunt, neque cum eis corpus Concilij constituere, probabili in speciem argumento. Declararunt enim ferre se non posse ut Athanasium & Marcellum Ancyranum communione sua publicè honestarent occidentales, quòd de retractanda eorum excommunicatione ageretur, déque eorum depositione à superioribus synodis decreta; cujus judicij executio retardari non poterat eo prætextu quòd Concilium Romanum eosdem Episcopos in suam communionem susceptisset, cùm ea ipsi auctoritas non competeret. *Nos enim omnino illis communicare noluimus, nisi eos quos damnavimus projecissent, & dignum honorem Concilio Orientis tribuerent*, inquiunt illi in sua epistola synodica. Quoniam verò occidentales eis morem in hac parte gerere recusabant, arrepta est protinus ab orientalibus occasio divortij, quòd probè intelligerent fieri non posse quin calumniæ Athanasio impactæ detegerentur; ideóque noctu aufugerunt in Thraciæ urbem Philippopolim. Illic actiones Concilij sui continuarunt, sub nomine Concilij Sardicensis, adversùs occidentales; quemadmodum isti Sardicæ, quò synodus convocata fuerat, eam continuarunt adversùs auctores factionis orientalium.

IV. Constabat synodus illa Sardicensis ex octuaginta Episcopis Occidentis, ac præterea ex aliquot Eusebianis, qui agnoscentes dolos & malam fidem sociorum suorum, secessione ab eis facta, legitimo conventui adhæserunt. Hæc ergo synodus, quæ Sardicæ constitit, Athanasium & Marcellum sedibus suis restitui jussit. Restitutionem autem illam scriptis quaquaversum synodicis epistolis significavit Imperatoribus, Iulio Episcopo Romano, Ecclesiæ Alexandrinæ, & universis Episcopis Ecclesiæ catholicæ. Constantius, à fratre suo Constante & à Legatis veri Concilij Sardicensis rogatus, rescripto jussit ut Athanasius aliique Episcopi qui dejecti fuerant, sedibus suis restituerentur. Ac licèt Constans factione Magnentij tyranni tum occisus fuisset, Constantius, tametsi inimicis Athanasij apertè faveret, Episcopos tamen sedibus suis reddi procuravit. Interim dum hæc agebantur,

Athanasius ex urbe Roma in Orientem, ubi Constantius morabatur, accedens, indéque Alexandriam profectus, synodicam de restitutione sua epistolam subscribi obtinuit à CCCXLIV. Episcopis ex Oriente aut Occidente. Epistola porrò illa nihil aliud continet præter restitutionem Episcoporum & causas ob quas eam fieri synodus decreverit, tum depositionem nonnullorum Episcoporum factionis orientalium; nulla interim mentione facta canonum apud Sardicam conditorum.

V. Historiam Concilij Sardicensis heic per aversionem describendam esse existimavi; quoniam observatio illa, quæ verissima est, & colligitur ex variis locis Athanasij & Hilarij, valde conducit ad decidendam celebrem illam controversiam, quam illustrissimi Cardinales Baronius & Perronius summa cura tractant, an videlicet Concilium Sardicense sit Oecumenicum. Hac verò quæstione semel definita, facilis esse videtur responsio an. XXI. canones in Sardicensi synodo editi ejusdem auctoritatis sint ac Nicæni. Cui quæstioni respondeo, convocationem hujus Concilij ea mente factam esse ut Concilium Oecumenicum celebraretur, id est, compositum ex Legatis omnium Diœceseon & magnarum provinciarum Imperij orientalis & occidentalis, intra quorum limites Ecclesia Christiana penè coërcebatur. Sed quia divortium antè contigit quàm Concilium foret constitutum ex Episcopis utriusque Imperij, res in eo definitæ spectari non possunt nisi tanquam à Concilio occidentali decretæ, quandoquidem decretæ sunt absentibus Episcopis orientalibus. Sanè sanctus Hilarius Episcopus Pictaviensis, qui tum vivebat, itémque Epiphanius, Concilium illud Sardicense vocant Concilium Occidentalium. Nam quod ad CCCXLIV. Episcopos attinet; referri numerus ille non potest ad eos tantùm qui Concilio interfuerunt, sed etiam ad eos qui restitutioni Athanasij subscripserunt post celebrationem Concilij.

Vide supra lib. 2. cap. 13. §. 5.

Hilar. in lib. adversùs Constantium. Epiphanius hær. 73.

VI. Huic tamen Concilio debetur prima origo juris Summi Pontificis quoad judicia canonica Episcoporum. Quanquam si rem propiùs introspiciamus, neque canonum verba egrediamur, manifestum erit nihil illic statutum esse adversùs supremam synodorum provincialium auctoritatem canone Nicæno firmatam. Fateor equidem hactenus universis persuasum fuisse repertam esse in synodo Sardicensi legem de appellationibus adversùs Episcoporum judicia, eásque à Summo Pontifice judicandas esse ex præscripto hujus Concilij. Verùm ut ab ea persuasione recedam facit quod à me observatum est, nempe jus tantùm concedendi revisionem à synodo Sardicensi introductum esse in gratiam sedis apostolicæ & in quoddam velut detrimentum auctoritatis imperatoriæ. Hæc interpretatio mea est: quam cùm aliquot viris doctis aperuissem, eam illi suffragio suo comprobarunt. Discrimen quippe est inter appellationem & revisionem. Illa namque integram causæ cognitionem transfert ad judicem superiorem, qui quæstionem excutit & definit in suo tribunali. At revisio definitivum judicium relinquit priori jurisdictioni, ea ratione, ut prioribus judicibus novi etiam adjungantur; ut constat ex quadam constitutione Græca quam Cujacius restituit in suis Observationum libris. Sed huic persuasioni quam dixi occasionem dedit ipsa synodus Sardicensis, quæ vocibus *appellandi* & *provocandi* impropriè utitur, quòd retractatio vicem subeat appellationis. Vnde factum ut sequens ætas existimaverit in his canonibus agi de vera appellatione, juxta propriam hujus vocis significationem.

VII. Attamen jus in ea synodo quæsitum Episcopo Romano diversum prorsùs est à judicio appellationis, cùm nihil aliud ei concessum sit quàm ut decernere possit causæ retractationem. Quippe synodus statuit ut si Episcopus damnatus Pontificem Romanum appellaverit, in potestate ejus sit appellationem respuendi, quo pacto sententia Episcoporum provinciæ confirmabitur, aut eam admittendi. Quo casu, debet Episcopus Romanus judicium integrum remittere ad Episcopos provinciæ, & ad finitimos, ut illi causæ cognitionem suscipiant præsente Legato Summi Pontificis, si is existimaverit mittendum esse. Præterea, appellationis ea vis est ut priore interim sententia supersedendum sit. quod aliter obtinet in revisione. Nam confugium illud ad apostolicam sedem non impediebat quin interim sententia depositionis executioni mandaretur.

VIII. Hujus autem juris novam esse institutionem probant verba canonis. *Si placet vobis* (inquit Osius Cordubensis Episcopus, qui synodo præsidebat) *sancti Petri Apostoli memoriam honoremus.* Non ait confirmandam esse antiquam traditionem, quemadmodum fieri consuevit in negotiis quæ renovatione tantùm aut explicatione juris antiqui indigent.

Vide suprà in Addit. ad cap. 16. lib. 2.

IX. Institutio porrò illa continetur in tribus canonibus apud Dionysium Exiguum & apud Crescónium in Breviario Canonum,

tertio videlicet, quarto, & septimo. Transpositi sunt tamen hauddubie hi canones; removendíque ab hoc loco sunt quintus & sextus, qui de materia prorsùs diversa tractant, ut tertius, quartus, & septimus simul collocentur. Quod eo eordine fieri potest, ut ponantur v. vi. & vii. quemadmodum citantur in collectione Ferrandi Diaconi; vel iii. iv. & v. ut habet collectio Græca.

X. Vnusquisque eorum canonum, quos ex collectione Dionysiana ab Ecclesia Romana recepta proferam, quiddam speciale continet quod in aliis non habetur. Quippe tertius jubet ut si quispiam Episcopus existimet sibi justam causam suppetere postulandi ut negotium retractetur, primi judices ad Episcopum Romanum scribant, ut si retractandi locus erit, is judices donet; si verò secùs ei visum fuerit, res constitutæ suum robur obtineant. Itaque hic canon Episcopo Romano tribuit supremam auctoritatem decernendi revisionem, aut eam denegandi, dato insuper jure delegandi novos judices. Canon autem quartus vetat ne in locum Episcopi dejecti alius substituatur, donec causa fuerit in judicio Episcopi Romani determinata. Vis pontificiæ auctoritatis continetur hoc canone. Ejus porrò sensus hic est, ut velit non antè ordinari posse Episcopum in loco depositi quàm determinatum fuerit apud apostolicam sedem an revisio concedenda sit dejecto, atque adeo supersedendum esse interim quoad hoc executione judicij facti in provincia. Nihil tamen hujuscemodi vetat quoad depositionem damnati; quam nihilominus peragebant, ut ostendam in capite vigesimo primo. Quanquam canon quintus & septimus Concilij Sardicensis id satis manifestè docent.

XI. Septimus ergo canon præscribit ordinem judiciorum, postquam ab Episcopo Romano concessa fuerit revisio, atque ita agendum esse eo casu, ut Summus Pontifex donet judices ex vicina provincia, qui causam retractent cum prioribus judicibus; tum ut Pontifex Legatum quoque mittere possit Concilio præfuturum, si ipsi visum fuerit aliquem esse mittendum. Revisio hæc omnino similis est *propositioni* quam vocant *erroris* adversùs decretum Parlamenti, quæ rescripto Principis instituitur: cui diffiendæ interesse debent priores judices, itèmque par novorum judicum numerus, ac præterea duo.

XII. Interpretes Græci Zonaras & Balsamo, qui commentarios ediderunt in hos canones Sardicenses, itémque Harmenopulus in Epitome canonum, genuinum eorum sensum non ceperunt. Contendunt enim licere Episcopo damnato rursum appellare à judicio lato ab Episcopis quos Pontifex Romanus delegaverit. Rationem autem hujus opinionis Balsamo petit ex canone quarto; tametsi is additio tantùm sit ad tertium, ad supersedendum videlicet executione primæ sententiæ, ut ipsa canonis verba indicant. Id sanè vidit Hincmarus: qui post laudatos canones tertium & septimum Synodi Sardicensis, quarti synopsin his verbis expressit: *Interim tamen alter Episcopus non ordinetur.* At Zonaras, quem sequitur etiam Balsamo, secundam hanc appellationem institutam putat his verbis septimi canonis: *Quòd si is qui rogat causam suam iterum audiri.* Et tamen certum est ea verba respicere tantùm ad primum judicium. Hincmar. p. 8. cap. 8.

XIII. Hæret autem Balsamoni aqua, ex eo quòd cùm legibus Principum prohibitum sit ne judex appellationis causam remittat in provincias, hi tamen canones decernunt ut Pontifex Romanus judices donet in provinciis. Itaque eò confugit ut dicat *præsentem canonem esse specialem, & ita editum esse propter viæ longitudinem, & ne vexentur Episcopi in adeo longinquam & alienam regionem trahendi.* At graviùs laborat idem Balsamo in explicatione judicij secundæ appellationis, quæ rursum committitur judicibus delegatis ex provincia finitima ei à cujus judicio appellatum fuit. Quod adversum est legibus; ideóque Balsamo id dictum esse putat *specialiùs*; nisi si quis dicere velit secundos judices non esse eosdem cum primis. *Si autem dixeris*, inquit, *alios esse Episcopos qui sententiam tulerint, nihil invenies repugnans.* Sed lapsus heic non esset Græcus iste interpres, si animadvertisset novum istud judicium institutum non esse ad judicandam appellationem, sed ad retractandum negotium, neque duas in una eadémque causa appellationes introduci ab his canonibus, sed tantùm expostulationem.

XIV. Sed illud monendum est, non esse me inventorem hujus interpretationis canonum Sardicensium. Eam quippe hausi ex illustri quodam loco Hincmari Remensis Archiepiscopi. Scribit is in epistola ad Ioannem octavam Papam, quæ nomine Caroli Calvi Imperatoris scripta est, auctoritatem à Concilio Nicæno tributam synodis provincialibus ad judicandos Episcopos violatam non esse sed potiùs confirmatam in synodo Sardicensi, quæ præcipit ut causa Episcopi depositi terminetur in ejus provincia, secundùm sententiam nimirum eorum Episcoporum qui ipsum priùs judicaverant, itémque

Episcoporum

Episcoporum qui in finitima provincia commorantur, coram Legato Summi Pontificis: *Cujus sanctæ synodi* (Nicænæ) *constitutionem Sardicenses canones non convellunt; qui cum Pontificis Romani Vicario vel arbitrio causam Episcopi in provinciali synodo judicati, etiam Episcoporum arbitrio vel judicio qui eum judicaverunt, cum Episcopis qui in finitima & propinqua provincia sunt, præcipiunt terminatis quatenus sive in mancnda sive in immutanda sententia, juxta canones Nicænos, commune sit placitum.*

Epist. Caroli Calv ad Iomnem octavum cap. xi.

XV. Sanè vix credi potest tam promptos ac faciles fuisse Episcopos ut statim & absque ulla contradictione consenserint exui se suprema auctoritate quam possidebant ut judicia sua simplici appellationi submitterent. Faciliùs eis persuaderi poterat ut approbarent tribui Episcopo Romano jus concedendi revisionem adversùs eorum judicia, id est, jus Imperatoribus quæsitum communicari cum Pontifice Romano, eáque ratione paulatim ac sensim sine sensu adimi Imperatoribus. Neque enim Concilium in universum id jus ademit Principibus; ut colligere possumus ex verbis canonis septimi, quæ sic habent: *Si appellaverit qui dejectus est, & confugerit ad Episcopum Ecclesiæ Romanæ.* Verbis quidem illis conditionalibus datur damnato facultas implorandi auxilium Episcopi Romani. Verùm id non impedit quin etiam possit adire Imperatorem, cujus auctoritatem in hac materia satis manifestè agnoscit synodica epistola Concilij Sardicensis paulò antè laudata.

Hincmar. opp. cap. 4.

XVI. Magnum tamen discrimen intercedit inter jus quod Imperatoribus competebat & illud quod Romano Pontifici tribuitur. Imperatores enim cùm retractari negotia præcipiebant, majus Concilium congregabant; ad quod evocabant Episcopos ex diversis provinciis, prout eis libuerat. At canones Sardicenses modum adhibent auctoritati Episcopi Romani; cui nihil aliud licere volunt quàm ut novos judices donet Episcopos ex vicina provincia, qui unà cum prioribus judicibus intersint renovationi Concilij & judicij. Nam Episcopi provinciales, qui judicium tulerunt, interesse debent secundo judicio; ut docet synodus ipsa in canone tertio, his verbis, *Concilium renovetur, renovetur judicium;* itémque in septimo: *Renovetur examen.* Vnde nil mirum si Dionysius Exiguus in lemmate hujus canonis retractandi vocabulum usurpat: *De provinciali synodo retractanda per Vicarios Episcopi urbis Romæ, si ipse decreverit.* Vox autem illa, ut jam adnotatum est, revisioni competit.

XVII. Post explicatam mentem canonum Sardicensium; reliquum est ut ipsa eorum verba describamus.

CANON. III. *Osius Episcopus dixit:---- Quòd si aliquis Episcopus judicatus fuerit in aliqua causa, & putat se bonam causam habere, ut iterum Concilium renovetur, si vobis placet, sancti Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his qui causam examinarunt Iulio Romano Episcopo. Et si judicaverit renovandum esse judicium, renovetur, & det judices. Si autem probaverit talem causam esse ut non refricentur ea quæ acta sunt, quæ decreverit, confirmata erunt. Si hoc omnibus placet. Synodus respondit: Placet.*

CAN. IV. *Gaudentius Episcopus dixit: Addendum, si placet, huic sententiæ, quam plenam sanctitate protulisti, ut cùm aliquis depositus fuerit eorum Episcoporum judicio qui in vicinis locis commorantur, & proclamaverit agendum sibi negotium in urbe Roma, alter Episcopus in ejus cathedra, post appellationem ejus qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur nisi causa fuerit in judicio Episcopi Romani determinata.*

CAN. VII. *Osius Episcopus dixit: Placuit autem ut si Episcopus accusatus fuerit, & judicaverint congregati Episcopi regionis ipsius, & de gradu suo eum dejecerint, si appellaverit qui dejectus est, & confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ, si justum putaverit ut renovetur examen, scribere his Episcopis digneturqui in finitima & propinqua provincia sunt, ut ipsi diligenter omnino requirant, & juxta fidem veritatis definiant. Quòd si is qui rogat causam suam iterum audiri, deprecatione sua moverit Episcopum Romanum ut è latere suo Presbyterum mittat, erit in potestate Episcopi quid velit & æstimet. Et si decreverit mittendos esse qui præsentes cum Episcopis iudicent, habentes ejus auctoritatem à quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si verò crediderit Episcopos sufficere ut negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo consilio judicaverit.*

CAPVT IV.

Synopsis.

I. Inquiritur an canones Sardicenses recepti fuerint per universam Ecclesiam. Probabile non est tam bonos fuisse orientales ut solius Romani Pontificis auctoritatem sua superiorem esse confiterentur. Nam schisma adversùs illum recenter fecerant.

II. Contendebant ea tempestate orientales, res in Oriente judicatas non posse retractari in Occidente. Probatur ex epistola Concilij Antiocheni ad Iulium. Neque contradicit absolute Iulius; sed facto Athanasij inhæret. Ait tamen nihil adversùs statuta Nicani Concilij tentari, si quæ synodus quæpiam statuit, in posteriore retractentur.

III. Recepit quidem Iuidem Iulius Athanasium

& reliquos Episcopos in suam communionem. non tamen eis Ecclesias suas restituit, nisi per consequentiam. Sozomenus explicatus.

IV. Verba Iulij ac Sozomeni hactenus malè intellecta fuerant, ideóque explicanda fuerunt accuratè.

V. Orientales Sardicæ congregati secessionis suæ causas rejiciunt in occidentales: eo quòd illi cognoscere vellent de causis orientalium. Probatur ex synodica eorum epistola.

VI. Occidentales aliter censebant quàm orientales. Iulius scripsit depositiones Episcoporum Ecclesiarum apostolicarum, ac præcipuè Alexandrinæ, fieri non posse in Oriente inconsulta sede Romana. Explicantur verba Iulij adversùs detortas aliorum interpretationes.

VII. Magna erat per illas tempestates dignatio Ecclesiarum apostolicarum, ad quarum doctrinam hæreticos provocant antiqui patres. Vnde fiebat ut Episcopis illarum Ecclesiarum incumberet necessitas arctissimæ communionis.

VIII. Sed præcipuè causas Episcoporum Alexandriæ ad sedem apostolicam ante omnia referendas esse, juxta consuetudinem, contendit Iulius: qui consuetudini tribuit exemplum semel usurpatum. Notatur Cardinalis Perronius, & refutatur.

IX. Orientales iniquo animo ferunt Maximum Episcopum Constantinopolitanum, à secunda synodo dejectum, Romam esse profectum, ut illic causam suam refricari procuraret. Itaque soluta tunc est Ecclesiarum communio. Quæ res magnam sollicitudinem attulit occidentalibus. Quid ij sibi arrogaverint in causa Maximi.

X. Si canones Sardicenses recepti tum fuissent, inventa erat occasio qua revocarentur in usum. Sed eorum ne verbum quidem in epistola occidentalium, qui nihil aliud contendunt quàm ut unà cum orientalibus cognoscere possint de causa Maximi.

XI. Referuntur verba epistolæ Concilij Italiæ ad Theodosium.

I. EXAMINANDUM deinceps nobis incumbit an canones Sardicenses recepti fuerint per universam Ecclesiam. In antecessum autem adnotandum est iniquum omnino visum esse orientalibus si occidentales Episcopi etiam in plenario Concilio tentarent retractare judicia in synodis orientalibus facta, quòd eo pacto harum synodorum auctoritatem violari manifestum esset. Itaque vix credi potest eos ita comparatos fuisse ut solius Romani Pontificis auctoritatem sua superiorem esse confiterentur; præsertim cùm schisma recenter adversùs illum fecissent, eúmque ob hoc excommunicassent quòd caput esset eorum qui leges ecclesiasticas pessumdederant: *Vt ducem & principem malorum, qui primus januam communionis sceleratis atque damnatis aperuit, ceteríque aditum fecit ad solvenda jura divina.*

Vide lib. 1. c. 4. §. 1.

II. Orientales enim, per illas tempestates, regulam hanc certam & indubitatam ecclesiasticæ disciplinæ esse contendebant, res in Oriente judicatas retractari non posse in Occidente, nec è contrà. Ita namque affirmavit Concilium Antiochenum in epistola ad Iulium Papam: in qua Episcopi adferunt exemplum damnationis Pauli Samosateni ab Episcopis orientalibus decretæ, quam Occidens recepit consensúque suo firmavit absque novo examine; sicut etiam Oriens recepit & approbatione sua confirmavit dámnationem à synodo occidentali decretam adversùs Novatum. At Iulius Papa respondens huic epistolæ Concilij Antiocheni, non contradicit absolutè supremam esse Conciliorum orientalium auctoritatem; sed Athanasij tantùm facto inhæret explicandóque judicio quod adversùs eum latum fuerat in synodo Tyria. Ait enim illud esse irritum, quòd adversùs Athanasium Presbyterúmque ejus Macarium testimonia absentibus illis recepta fuerint à judicibus delegatis apertissimis Athanasij hostibus & ab eo ejuratis; ideóque judicium illud integrum non fuisse, sed tantùm ἐκ μονομερῶς; ex quo sequeretur illud executioni non esse mandandum. Cùm itaque Athanasium in suam communionem susceperit, nihil se canonibus adversum egisse; quoniam sententia excommunicationis nulla erat. Quibus addidit momenta ex visceribus causæ petita, falsitatem nimirum accusationis probatam auctoritate actorum, quamplures Orientis Episcopos à communione sua non abstinuisse Athanasium, tametsi damnationis sententia in eum lata fuisset; tum nolle Episcopos orientales in unum convenire, quamvis per Legatos consensissent ut Papa Iulius universos Episcopos Romam evocaret pro discutienda causa Athanasij. Ait postremò, nihil adversùs statuta Nicæni Concilij tentari, si quæ synodus quæpiam statuit, in posteriore retractentur. Alludit autem ad synodum Alexandrinam, cui centum Episcopi interfuerant, in qua damnatus fuit Arrius; cujus causa deintegro discussa est in Concilio Nicæno.

Epistola Iul. apud Athanas. apol. 2.

III. Sed adnotandum est non dicere Iulium redditas à se fuisse Ecclesias Athanasio & reliquis Episcopis. Nam ea erat quæstio principalis; quæ reservata erat cognitioni synodi quam Iulius convocaverat rogantibus orientalium Legatis; tametsi negarunt dein orientales id se Legatis suis dedisse in mandatis. Sanè iidem orientales in sua epistola synodica sub nomine Concilij Sardicensis edita illud tantùm conqueruntur, receptos à Iulio in communionem Athanasium & reliquos Episcopos damnatos: *Ad Iulium Romam perrexit, sed & ad Italiæ quosdam ipsius partis Episcopos; quos seduxerit per epistolarum falsitatem, ab eisdem perfacile in*

Sozom. lib. 3. c. 7. Διὰ τὴν ἀξίαν τῆς πρώτης ἕδρας τῶν ἰδίων ἐκκλησιῶν ἀεὶ ἦσαν.

communionem receptus est. Quare cùm legis apud Sozomenum, Iulium recepisse in suam communionem Athanasium, ac reliquos Episcopos, & unicuique eorum Ecclesiam suam reddidisse, ob curam videlicet universalis Ecclesiæ quæ ei incumbit propter dignitatem sedis suæ, existimare debes restitutionem illam Ecclesiarum non fuisse factam directè, sed per consequentiam, eò quòd Episcopi illi à Iulio in communionem recepti fuerint velut Episcopi hujus & hujus sedis. *Hominémque non condemnaremus, sed reciperemus, eúmque pro Episcopo, quemadmodum est, haberemus,* inquit Iulius in epistola ad orientales apud Athanasium.

IV. Necessariam esse arbitratus sum discussionem præcipuorum capitum hujus epistolæ, quòd ea, æquè ac verba Sozomeni, perperam hactenus accepta sint ab iis qui ea laudavere. Contendunt quippe factum Iulij, quod nihil aliud est quàm velut quoddam obsequij genus ad retinendam communionem, à suprema ejus jurisdictione profectum esse, atque illum ea auctoritate cassasse judicia Conciliorum orientalium.

V. Orientales Sardicæ congregati pertinaciter adhærent sententiæ Concilij Antiocheni; causásque secessionis suæ rejiciunt in occidentales, qui adversùs veterem Ecclesiæ consuetudinem cognoscere vellent de causis orientalium. Sic enim aiunt in epistola sua synodica, quæ habetur in Fragmentis Hilarij: *Hanc novitatem moliebantur inducere quam horret vetus consuetudo Ecclesiæ, ut in Concilio orientales Episcopi quod fortè statuissent, ab Episcopis occidentalibus refricaretur; similiter quidquid occidentalium partium Episcopi, ab orientalibus solveretur. Verùm omnium Conciliorum justè legitimèque actorum decreta firmanda majorum nostrorum gesta consignant. Nam in urbe Roma sub Novato & Sabellio & Valentino hæreticis factum Concilium, ab orientalibus confirmatum est; & iterum in Oriente sub Paulo Samosateno quod statutum est, ab omnibus est signatum.*

Sed quænam fuerit orientalium mens manifestè docet epistola Imperatoris Constantij data ad Concilium Ariminense, quod constabat ex Episcopis Occidentis. *Non enim,* inquit, *de orientalibus Episcopis in Concilio vestro patitur ratio aliquid definiri. Proinde super his tantùm quæ ad vos pertinere cognoscit gravitas vestra tractare debetis.* Infrà: *Quæ cùm ita sint, adversùs orientales nihil statuere vos oportet; aut si aliquod volueritis contra eosdem prædictis absentibus definire, id quod fuerit usurpatum, irrito evanescet effectu. Non enim illa vires habere poterit definitio cui nostra statuta testantur jam nunc robur & copiam denegari.*

VI. Negari certè non potest quin aliter ea tempestate visum sit occidentalibus. Verùm longè aberant ab opinione eorum qui nostra ætate tractarunt de controversiis fidei, qui pronuntiant appellationes Episcoporum orientalium judicandas esse apud urbem Romam à Summo Pontifice. Nituntur illi, ut ipsi existimant, præjudicio epistolæ Iulij Papæ, quæ extat apud Athanasium, cujus sensum detorquent ad mentem suam, cùm tamen ex ea constet jura sedis apostolicæ temperamento quodam prudenter adhibito per eas tempestates explicari solita. Nihil enim aliud ab orientalibus exigebant Iulius & Romana synodus quàm ut causæ Ecclesiarum apostolicarum, in primis verò Alexandrinæ, quoties de depositione Episcoporum earum sedium ageretur, cum Papa & synodo Romana communicarentur antequam synodi orientales cognitionem de iis instituerent, ut communi consensu componi possent magnæ Ecclesiæ. Quòd si post judicium orientalium querela manifestæ oppressionis deferretur ad synodum occidentalem, tum retractandum esse negotium in Concilio occidentalium & orientalium. Vnde constat in ea epistola non agi de appellatione, sed de prima tantùm causæ cognitione, aut revisione, neque excitatam controversiam de omnibus Episcopis, sed de iis tantùm qui apostolicis Ecclesiis præsiderent, in primis autem de Alexandrino, ac tamen judicium reddi non debere à solo Episcopo Romano cum Episcopis occidentalibus, sed ab Episcopis Occidentis & Orientis in unam sententiam conspirantibus. Ista enim colliguntur ex epistola Iulij, qua orientales objurgat in causa Athanasij Episcopi Alexandrini & Marcelli Ancyrani, quos Orientis Concilia damnaverant inconsulto Episcopo Romano. *Oportuit,* inquit, *scribere omnibus nobis, ut ita ab omnibus quod justum esset decerneretur. Episcopi enim erant, & non vulgares Ecclesiæ, qui ista patiebantur, sed quas ipsi Apostoli suamet opera ad fidem instruxerant. Cur igitur, & in primis de Alexandrina civitate, nihil nobis scribere voluistis? An ignari estis hanc consuetudinem esse ut primùm nobis scribatur, ut posteà quod justum est definiri possit. Quapropter si isthic hujusmodi suspicio in Episcopum concepta fuerat, id huc ad nostram Ecclesiam referri oportuit.*

Baronius, Bellarminus, & Perronius in variis capitibus Replicæ.

Vide Addit. ad cap. 12. lib. 5.

VII. Magna erat per illas tempestates dignatio Ecclesiarum apostolicarum, id est, earum Ecclesiarum quas Apostoli fundaverant, Alexandrinæ nimirum, Antiochenæ, Ephesinæ, Ancyranæ, quæ metropolis erat Galatiæ, Corinthiensis in Achaïa,

Theſſalonicenſis in Macedonia, in primis verò Romanæ, quam principes Apoſtolorum ſanguine ſuo conſecraverant. Hinc factum ut quoties Irenæus, Tertullianus, Optatus, & Auguſtinus novitatem objiciunt hæreticis, adducant diſcrimen quod intercedit inter novam eorum doctrinam & traditionem Eccleſiarum apoſtolicarum, præcipuè autem Romanæ; ac præterea adversùs hæreticos adferunt ſucceſſionem perſonarum & doctrinæ illarum Eccleſiarum. Vnde fiebat ut Epiſcopis illis incumberet neceſſitas arctiſſimæ communionis, ſcriptis videlicet ultrò citròque communicatoriis epiſtolis pro conſervatione fidei.

VIII. Quamobrem cùm ageretur de cauſa Athanaſij Epiſcopi Alexandrini & Marcelli Ancyrani in Galatia, quorum Eccleſiæ erant apoſtolicæ, æquum prorsùs videbatur ut accuſatio adversùs eos inſtituta judicaretur ab Epiſcopis Occidentis & Orientis. Sed in primis cauſam Athanaſij urget Iulius; adfértque conſuetudinem jam introductam, à Dionyſio nimirum Epiſcopo Alexandrino: quem cùm Clerici ejus hæreticum eſſe ſuſpicarentur, & ob id querelam adversùs eum detuliſſent ad apoſtolicam ſedem, ipſe accuſationem hanc purgavit ſcripta ad Summum Pontificem epiſtola. Vnde concludit Iulius monendum ſe fuiſſe ſi quid ſuſpicionis exortum eſſet Alexandriæ adversùs Athanaſium. Huc enim tendit oratio Iulij; jus verò ſuum arceſſit à facto Dionyſij. Ceterùm cauſam judicari debere ſcribit ab omnibus, ὑπὸ πάντων, non autem à ſe ſolo. Quare meritò reprehendendus eſt illuſtriſſimus Cardinalis Perronius, qui verum Iulij Papæ ſenſum diſſimulat in ſua Replica; locum verò hunc mutilat, omittens de induſtria quicquid ſequitur poſt illa verba, *Epiſcopi enim erant*, quòd ſequentia parum conducerent ad extollendam Summi Pontificis auctoritatem. Tum, prætextu verſionis obſcuræ, ex Græco textu in primis conatur elicere ſenſum prorsùs contrarium deſtinatis Iulij. His enim ſignificari ait nihil in cauſa Athanaſij definiri poſſe quin priùs definitum fuerit ab Eccleſia Romana. Hæc ſunt verba Græca: ἢ ἀγνοεῖτε ὅτι τοῦτο ἔθος ἐστὶν, πρότερον γράφεσθαι ἡμῖν, ἵνθεν ὅρος τοῖς δικαίοις; *An ignari eſtis*, inquit Iulius, *hanc conſuetudinem eſſe ut primùm nobis ſcribatur, ut hinc quod juſtum eſt definiri poſſit?* Attamen certum eſt nihil aliud ex his verbis elici poſſe quàm eam eſſe Eccleſiæ Alexandrinæ conſuetudinem, ut primùm ad Summum Pontificem ſcribatur, ut *dein*, ἔνθεν, decerni poſſit quod æquum videbitur, id eſt, communi omnium ſuffragio, ut antea dixerat. Ceterùm heic obſervandum eſt, ſatis audacter Iulium tribuere conſuetudini exemplum ſemel uſurpatum.

Athan. de ſentent. Dionyſij.

Ap. Athanaſ. Apol. 2.

Vide ſupra lib. 5. cap. 12. §. 2. 2.

IX. Si quis verò in dubium revocare velit interpretationem epiſtolæ Iulij à me propoſitam, quoad jus quod ſibi vendicabant occidentales, is, mea ſententia, cedere ſaltem debet auctoritati Concilij Italici, cui interfuit ſanctus Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus. Scribunt hujus Concilij patres in ſynodica ad Imperatorem Theodoſium epiſtola, Maximum, qui Conſtantinopoleos Epiſcopus fuerat ordinatus, cùm in ſynodo Conſtantinopolitana, quæ eſt ſecunda univerſalis, depoſitus fuiſſet, captata occaſione Concilij generalis quod Imperatores Romam convocaverant, ad apoſtolicam ſedem acceſſiſſe, ibíque expoſtulaſſe de ſua depoſitione ac de Nectarij ordinatione in locum ſuum. attamen occidentales, tametſi Maximum in ſuam communionem recepiſſent, nihil quoad epiſcopatum decernere voluiſſe abſentibus Epiſcopis orientalibus, qui Conſtantinopoli ſubſtiterant pro celebranda ſynodo. *Nos igitur in ſynodo ea*, inquiunt, *quæ totius orbis Epiſcopis videbatur eſſe præſcripta nihil temerè ſtatuendum eſſe cenſuimus.* angi ſe nihilominus, quòd ex ea cauſa interrupta eſſet Eccleſiarum communio. Orientales enim, cùm intellexiſſent Maximum Romam eſſe profectum, ut illic cauſam ſuam refricari procuraret in ſynodo ad quam univerſi orbis Epiſcopi invitati erant, nolle ad eam accedere. Tum adferunt vetuſtam conſuetudinem, uſurpatam ab Athanaſio, Petro Alexandrino, & à pleriſque orientalium Epiſcopis; qui judicium expetierant, non ſolùm Eccleſiæ Romanæ, ſed etiam Italiæ & totius Occidentis. Vnde concludunt, orientales, cùm Maximus ad Epiſcopos Occidentis acceſſerit, præſtolari debuiſſe eorum ſententiam in cauſa ejuſdem Maximi. Ne quis verò exiſtimet eos ſolos velle negotium iſtud terminare, declarant ſe nihil aliud cupere niſi ut hæc cauſa in Concilio judicetur ab Epiſcopis occidentalibus & orientalibus; *ut ubi una communio eſt, commune judicium ſit.*

Prosper Aquit. in Chronic. ann. 41.

X. Quòd ſi tum temporis auctoritas Concilij Sardicenſis valuiſſet, occaſio videlicet opportuniſſima reperta erat qua revocaretur in uſum. Nullam autem ejus mentionem faciunt Epiſcopi occidentales; nihílque aliud contendunt quàm ut unà cum orientalibus cognoſcere poſſint de cauſa depoſitionis Epiſcopi Conſtantinopolitani. Eam ob cauſam Theodoſium orant ut Concilium univerſale apud urbem Romam celebrari jubeat, eámque ſibi videri unicam

rationem revocandæ communionis inter occidentales & orientales. Attamen occidentalibus satisfactum est epistola synodica orientalium, quam ex Concilio Constantinopolitano scripserunt ad Damasum & ad synodum Romanam; qua Italos orant, non ut confirment ea quæ in hac synodo Constantinopolitana acta erant, sed ut caritate spirituali ipsis gratulentur propter ordinationes Ecclesiarum Constantinopolitanæ, Antiochenæ, & Hierosolymitanæ, quibus præfecti fuerant Nectarius, Flavianus, & Cyrillus.

Vide supra lib. 5. cap. 21. §. 9.

XI. Nunc referenda sunt verba epistolæ Concilij Italiæ ad Theodosium, quæ edita est à clarissimo viro Iacobo Sirmondo in Appendice Codicis Theodosiani. *Nam cùm cognovissent ad hoc partium venisse Maximum*, inquiunt Itali, *ut causam in synodo ageret suam, quod, etiamsi indictum Concilium non fuisset, jure & more majorum, sicut & sanctæ memoriæ Athanasius & dudum Petrus Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopi, & orientalium plerique fecerunt, ut ad Ecclesiæ Romanæ, Italiæ, & totius Occidentis confugisse judicium viderentur, cùm eum, sicut diximus, experiri velle adversùm eos qui episcopatum ejus abnuerant comperissent, præstolari utique etiam nostram super ea sententiam debuerunt. Non prærogativam vindicamus examinis; sed consortium tamen debuit esse communis arbitrij.* Infrà: *Nec quædam nos angit de domestico studio & ambitione contentio; sed communio soluta & dissociata perturbat. Nec videmus eam posse aliter convenire nisi aut is reddatur Constantinopoli qui prior est ordinatus, aut certè super duorum ordinatione sit in urbe Roma nostrum orientaliúmque judicium. Neque enim indignum videtur, Auguste, ut Romanæ Ecclesiæ antistitis finitimorúmque & Italorum Episcoporum debeant subire tractatum, qui unius Acholy Episcopi ita expectandum esse putaverunt judicium ut de occidentalibus partibus Constantinopelim evocandum putarent. Si quid uni huic reservatum est, quanto magis pluribus reservandum est. Nos autem à beatissimo fratre tuæ pietatis admoniti ut tuæ clementiæ scriberemus imperio, postulamus ut ubi una communio est, commune velit esse judicium concordantémque consensum.*

Vide supra lib. 5. cap. 28. §. 4.

CAPVT V.

Synopsis.

I. Orientales Episcopi nihil occidentalibus licere contendebant circa administrationem & gubernationem Ecclesiarum orientalium. quod canone scripto firmarunt in secunda synodo. Hujus autem institutionis ratio ea esse debuit, quòd supremam esse contenderent Conciliorum orientalium auctoritatem.

II. Prudenter se gerunt patres Concilij Constantinopolitani. Jura provinciarum & privilegia illustrissimarum Ecclesiarum conservant. Judicia porrò de disciplina fieri jubent suprema auctoritate synodorum uniuscujusque Diœceseos. Enumerantur variæ Diœceses utriusque Imperij.

III. Prima criminum Episcoporum cognitio pertinet ad synodum provinciæ; secunda verò, ad Diœcesanam. Exarchi convocabant synodos Diœcesanas absque permissu Principum.

IV. Ecclesia hoc pacto liberata est à necessitate postulandorum ab Imperatore Conciliorum. Synodi itaque Diœcesanæ, quæ antea extraordinariæ erant, & indigebant rescripto Principis, versæ sunt in synodos ordinarias. Hujus institutionis, quæ nova erat, confirmationem ab Imperatore Theodosio petiit secunda synodus.

V. Excipi potest canonem Constantinopolitanum non constituere diserte duos gradus jurisdictionis in accusationibus Episcoporum. Solvitur hæc objectio, explicato canone.

VI. Ab una synodo Diœcesana ad aliam provocare non licebat.

VII. Nihil tamen derogatum est juribus Imperatorum; qui, etiam post hunc canonem editum, Concilia ex diversis Diœcesibus congregarunt ad judicandas Episcoporum causas. At Theodosius Imperator confirmare noluit institutionem synodi Constantinopolitanæ, quæ supremam potestatem in judiciis de disciplina ferendis tribuebat synodis uniuscujusque Diœceseos.

VIII. Suprema synodorum uniuscujusque Diœceseos auctoritas colligitur etiam ex epistola Cyrilli Alexandrini ad Domnum Antiochenum.

IX. Concilium Chalcedonense novam in Oriente distinctionem introduxit. Jubet enim ut prima de crimine Episcopi cognitio instituatur in synodo provinciali; Metropolitani verò, apud Exarchum Diœceseos, aut thronum Constantinopolitanum. De dignitate sedis Constantinopolitanæ; quæ valde amplificata est in hac synodo. Græca collectio non complectebatur canones Sardicenses, neque etiam Africanos.

X. Distinctionem à Concilio Chalcedonensi introductam amplexus est Justinianus. Eo verò jure Græci semper usi sunt.

XI. Ex his quæ dicta sunt constat canones Sardicenses nondum receptos fuisse in Oriente. Eos tandem synodus Trullana recepit, sed cum modificatione quadam; tum ut ostenderet auctoritatem quæ Summo Pontifici tributa erat in his canonibus, à Concilio Sardicensi profectam, non autem à Nicæno; tum etiam ut ostenderet eam restringi ad solum Occidentem.

XII. Eam tamen in universum orbem extendi debere contendebant Summi Pontifices.

I. HACTENUS manifestè probavimus in ea sententia fuisse occidentales Episcopos ut existimarent communibus Orientis & Occidentis suffragiis definiendas esse querelas ab Episcopis illustrissimarum Orientis Ecclesiarum delatas in Occidentem. At isti semper obstinatis animis contenderunt nihil occidentalibus Episcopis permittendum esse circa administrationem & gubernationem Ecclesiarum orientalium. Quæ auctoritas ut valentior

esset, eam canone scripto firmarunt in secunda synodo Oecumenica, quæ prima est Constantinopolitana. Primùm enim orientales Romam accedere noluerunt, tametsi per Imperatoris Theodosij literas accersiti essent, postquam Constantinopoli in unum conventum esset. Cur autem ita ipsis placitum fuerit, nulla alia probabilis ratio occurrit quàm quòd supremam esse contenderent Conciliorum orientalium auctoritatem. Vnde in epistola synodica ad Damasum & ad synodum occidentalem non dubitant scribere se anno superiore Concilium generale celebravisse, tametsi illud constaret ex solis Episcopis orientalibus. Quapropter in Concilio Aquileiensi rectè dicebat Ambrosius esse *consuetudinem hujusmodi ut in Oriente orientalium esset Concilium, intra Occidentem occidentalium.*

II. Robustiùs urget canon secundus Concilij Constantinopolitani, cujus auctoritas ab Ecclesia universa recepta est. Decernit itaque quonam modo peragenda sint judicia canonica apud orientales, sive pro depositione Episcoporum, sive etiam pro reliquis causis quæ incidunt. Ordo autem quem in his rebus præscribit, plenus prudentiæ est, ac mirabili temperamento conditus. Nam primùm jura provinciarum & privilegia illustrissimarum Ecclesiarum eo canone conservantur, juxta canones Nicænos. Tum Episcopis damnatis nova remedia tribuuntur, multò commodiora & faciliora quàm ea quæ Concilium Antiochenum invenerat, cùm se vota judicum diviserant, sive accedendo ad Imperatores ad obtinendum novum Concilium. Nam in eo Concilio jurisdictionum limites constituuntur juxta divisionem Diœceseon Imperij, & suprema esse decernitur auctoritas uniuscujusque Diœceseos in universis judiciis de disciplina latis. Diœcesim cùm dico, eo sensu eam dictionem usurpo quem obtinet in legibus Imperatorum & in canonibus hujus Concilij Constantinopolitani, scilicet pro tractu quodam & diversarum provinciarum collectione, quæ Præfecto prætorio aut ejus Vicario parebat in causis civilibus, Exarcho verò in causis ecclesiasticis. Itaque cùm Imperium Orientis divisum esset illa tempestate in quinque Diœceses, Ægyptiacam videlicet, orientalem, Thracicam, Ponticam, & Asianam, Concilium Diœceses ecclesiasticas partitur in totidem synodos. Ex Notitia porrò Imperij constat quinque in Ægypto provincias fuisse, quarum caput erat Alexandria; in Oriente, undecim, sub Antiochensi civitate; in Ponto, decem, sub civitate Cæsareæ Cappadociæ, quæ urbs regia Ponti fuerat. Asiana, cujus metropolis erat Ephesus, in Asia proconsulari sita, constabat pariter ex undecim provinciis. Thracica verò sex provincias complectebatur, & in his, provinciam Europam, in qua Heraclea metropolis Diœceseos Thracicæ. At Byzantiorum civitas, quæ quondam metropolis fuerat, amissam dignitatem recuperavit; quæ in civitatem Heracleensem translata fuerat ab Imperatore Severo post excisum ab eo Byzantium. Amplificata dein fuit ejus majestas post Constantinum magnum, cùm felicibus nominis ejus auspiciis reædificata fuisset civitas, in eáque posita sedes Imperij orientalis, ornatáque fuit privilegiis antiquæ Romæ.

III. Diœceses itaque ecclesiasticæ ordinatæ sunt ad exemplum dispositionis civilis Diœceseon; ita ut prima criminum Episcoporum cognitio pertineret ad synodum provinciæ; si verò de injusto judicio querela moveretur, deferri illa debebat ad synodum Diœcesanam, quam Exarchus convocabat absque speciali permissu Imperatoris. Itaque Patriarcha Alexandrinus convocabat synodum Diœceseos Ægyptiacæ, id est, synodum sui patriarchatus. Patriarcha Antiochenus convocabat Diœcesim orientalem, hoc est, patriarchatum Orientis. Episcopus verò Cæsareæ Cappadociæ, quæ caput erat universæ Diœceseos Ponticæ, synodum ejus Diœceseos congregabat, ut constat ex Gregorio Nazianzeno in vita Basilij. Episcopus Ephesinus Asianæ Diœceseos Exarchus erat, synodóque generali ejus Diœceseos præsidebat. Quod attinet ad Diœcesim Thracicam; ea speciali curæ Episcopi Constantinopolitani commissa est in hoc Concilio, ut diserte adnotavit Socrates. Sed præter administrationem illam, privilegium honoris ei tributum est post Episcopum Romanum, ante ceteros Exarchos, eò quòd Constantinopolis esset nova Roma.

IV. In hac divisione conservata sunt privilegia provinciarum & magnarum Ecclesiarum, quæ in Concilio quoque Nicæno confirmata fuerant, ut inquiunt patres Constantinopolitani. Omnia heic magnifica esse video pro dignitate Ecclesiæ; quæ auctoritate hujus canonis liberata est à petendis ab Imperatore Conciliis ad judicandas Episcoporum depositorum querelas; adeo ut synodi Diœcesanæ in synodos ordinarias versæ sint, cùm antea extraordinariæ essent, neque convocari possent absque literis Imperatoris. Sanè cùm hi canones novam politiæ exterioris formam constitue-

rent in Ecclesia, tametsi in melius mutaretur, Concilium hujusmodi innovationis confirmationem petiit ab Imperatore Theodosio, ut constat ex epistola synodica; non autem à Concilio Romano, tametsi aliam quoque synodicam epistolam ad illud dederit.

V. Video quidem opponi posse adversùs hæc quæ diximus quoddam velut silentium hujus canonis, qui disertam mentionem non facit horum duorum graduum jurisdictionis in accusationibus Episcoporum, ideóque videri non introductum fuisse ab hac synodo Constantinopolitana ut prima harum accusationum cognitio pertineat ad Episcopos provinciæ, secunda verò ad synodum generalem Diœceseos. Sanè non diffiteor quin argumentum illud in speciem sit fortissimum. Contendo tamen satis mentem suam explicare patres Constantinopolitanos, ex eo capite, quòd harum quinque Diœceseon limites assignent ad tractandas causas ecclesiasticas, & quòd nihilominus intactam esse velint synodorum provincialium auctoritatem canone Nicæno constitutam. Harum autem potestatem hanc esse volunt ut causas suo jure definiant, ea tamen lege, ut causæ quæ synodorum Diœcesanarum cognitioni tributæ erant, velut depositiones Episcoporum, in synodo Diœcesana retractentur; in ceteris verò capitibus, nihil derogetur supremæ provincialium synodorum auctoritati. *Servata verò*, inquit canon, *quæ scripta est de gubernationibus regula, manifestum est quòd illa quæ sunt per unamquamque provinciam, ipsius provinciæ synodus dispenset, sicut Nicæno constat decretum esse Concilio.* Hi gradus jurisdictionis luculentiùs explicantur in canone sexto ejusdem Concilij; qui extat in collectione Græca, licèt desideretur in Dionysiana: *Iubet sancta synodus, primùm quidem apud provinciæ Episcopos accusationem persequi, & apud eos probare crimina Episcopi qui accusatur. Quòd si evenerit ut provinciales Episcopi crimina quæ Episcopo intentata sunt corrigere non possint, tunc ipsos accedere ad majorem synodum Diœceseos illius Episcoporum pro hac causa convocatorum.*

Canon VI. Concilij C. P.

VI. Quæri potest an judicia sic definirentur in his synodis Diœcesanis ut locus non fuerit appellationi aut querelæ ab una ad aliam. Verùm inutilis est hæc quæstio, cùm institutio illa synodorum Diœcesanarum non ob aliud facta fuerit quàm ut confusioni illi iretur obviam, & ut caveretur ne quis Exarchorum, aut ipsius synodus, causas alienæ Diœceseos ad se traheret; ut disertè scriptum est in initio hujus canonis: *Qui sunt super Diœcesim Episcopi, nequaquam ad Ecclesias quæ sunt extra terminos sibi præfixos accedant, nec eas hac præsumptione confundant.* Qui in hac Dionysij versione vocantur *Episcopi qui sunt super Diœcesim*, ij in contextu Græco dicuntur Ἔξαρχοι τῆς διοικήσεως, *Exarchi Diœceseos*, & in versione Latina *Primates*.

VII. Apertiùs & luculentiùs explicatur suprema Conciliorum Diœcesanorum in judiciis faciendis auctoritas eodem canone sexto; quo decernitur eos ad accusationem admittendos non esse qui ad Imperatores vel ad tribunalia magistratuum accederent, vel universalem synodum perturbare conarentur, contemptis universis Diœceseos Episcopis, πάντας ἀτιμάσας τοὺς τῆς Διοικήσεως ἐπισκόπους. Constat sanè ex historia ecclesiastica canones illos (qui jus suum Imperatoribus auferre non poterant, sicuti nec volebant, cùm nihil in eis contineatur quod Principes removeat ab hac cura) non obstitisse deinceps quin Imperatores Concilia ex diversis Diœcesibus congregaverint ad judicandas Episcoporum causas. Verum nihilominus semper est eam Concilij Constantinopolitani patribus mentem fuisse ut perpetuam regulam ederent quæ synodis uniuscujusque Diœceseos conservaret supremam potestatem in judiciis de disciplina ferendis. At Theodosius Imperator institutionem illam approbare noluit, ne juribus Imperij vulnus inferri consensisse videretur. Vnde factum est, ut ego quidem arbitror, ut cùm synodus ab eo petivisset confirmationem suorum canonum, ipse eam concedere noluerit. quod colligi posse existimo ex collectione Græca à Dionysio Latinè versa, in qua omissus est hic canon; tametsi postea Græci eum descripserunt in ultima collectione sua edita in synodo Trullana.

VIII. Eadem synodorum uniuscujusque Diœceseos suprema in ferendis judiciis auctoritas colligitur ex epistola quam Cyrillus Episcopus Alexandrinus ad Domnum Episcopum Antiochenum scripsit in gratiam Petri Episcopi; quem Domnus inauditum deposuerat, negata etiam licentia defensionis. Is ergo Cyrillum & Proclum Constantinopolitanum adiens, querelam suam ad eos detulit, oravitque ut se gratia & favore suo juvarent apud Domnum. Ea de causa Cyrillus epistolam dedit ad Domnum, quam Græci posuerunt inter epistolas canonicas. In ea verò Domnum monet ut senis istius lacrymas temperet, eique defensionis locum præbeat secundùm morem, id est, Domno coram & Episcopis qui ei subsunt; iis tamen exceptis quos velut suspectos Petrus recusabit, ad vitandam judicij nullitatem. Vnde

discimus à Patriarchis illis susceptam non fuisse hujus Episcopi querelam, ut de ea cognoscerent; sed eam ad synodum patriarchalem Antiochenam dimisisse, illic judicandam secundùm morem.

IX. Concilij Constantinopolitani regulæ confirmatæ sunt duobus canonibus Concilij Chalcedonensis Oecumenici quarti; quod tamen novam in Oriente distinctionem introduxit, quoad judicia Episcoporum. Distinguit enim inter Episcopum & Metropolitanum. Iubet autem in canonibus IX. & XVII. ut prima de crimine Episcopi cognitio instituatur in synodo provinciali, Metropolitani verò ab Exarcho Diœceseos, sive throno Constantinopolitano. Nihil in his canonibus obscurum, si disjunctivæ explicationem excipias: *Quòd si quis à Metropolitano læditur, apud Primatem Diœceseos aut apud Constantinopolitanam sedem judicetur.* Sed ut vim hujus difficultatis faciliùs assequamur, observandum est hos duos canones fuisse decretos ante constitutionem patriarchatus Constantinopolitani, & antè quàm Pontica & Asiana Diœceses ei subjicerentur. Id autem non contigit nisi in actione ultima Concilij, quòd Legati apostolicæ sedis ei novitati intercessissent. At canones IX. & XVII. qui sedi Constantinopolitanæ tribuunt auctoritatem judicandi Metropolitanos, nullo refragante decreti sunt, extántque in collectione Dionysij. sed XXVIII. canon, cui contradictum est à Legatis, in ea omissus est. Interpretes Græci Zonaras & Balsamo non agnoverunt istam difficultatem. Quapropter non excurrunt ultra interpretationem quæ statim occurrit, eo nempe canone tributam unicuique Exarcho potestatem judicandi Metropolitanos qui ad ejus Concilium aut Diœcesim pertinent, exempli causa, sedi Constantinopolitanæ tribui jus judicandi Metropolitanos ad Concilium Constantinopolitanum pertinentes. Supereſt igitur ut intelligamus quinam Metropolitani ei subjecti essent antequàm Diœceses Asiana & Pontica ad ejus Diœcesim patriarchalem accessissent. Non me latet ei competivisse jus præsidendi synodo generali Thraciæ; quòd sedes Constantinopolitana, quæ erat in provincia Europa una ex provinciis Thraciæ, ad honorem secundæ sedis evecta esset. Sed ne quid dissimulem, magnificum prorsùs est quod ex ipsis verbis canonis colligitur. Nam sedi Constantinopolitanæ, quæ certam Diœcesim patriarchalem nullam habebat, tametsi prærogativam Patriarcharum obtineret, jus tribuunt judicandi Metropolitanos totius Orientis; atque id quidem n[illegible]post appellationem à judiciis reliquorum Patriarcharum, ut p'acuit Hincmaro, sed præveniendo Patriarchas, ad arbitrium conquerentium. Patriarcha verò Constantinopolitanus causas illas judicabat in Concilio extraordinario. qua de re nos alibi accuratè disseruimus. Cetera Græca collectio canonum, quæ canone primo Concilij Chalcedonensis firmata est, quæque Latinè versa est à Dionysio Exiguo, non complectebatur canones Sardicenses, neque etiam Africanos, quos à se collectioni Græcæ additos fatetur Dionysius. Hæc sunt ejus verba in epistola ad Stephanum Episcopum: *Tum Concilij Calcedonensis decreta subdentes, in his Græcorum canonum finem esse declaramus. Ne quid præterea notitiæ vestræ credar velle subtrahere, statuta quoque Sardicensis Concilij atque Africani, quæ Latinè sunt edita, suis à nobis numeris cernuntur esse distincta.*

Hincmar. de Opusc. c. 15.

Vide suprà lib. 3. cap. 3. §. 4.

X. Distinctionem à Concilio Chalcedonensi introductam amplexus est Imp. Iustinianus, qui illam in Novella constitutione CXXIII. cap. XXII. itémque in CXXXVII. confirmavit. Iubet autem conceptis verbis ut Episcoporum causas judicent Metropolitanus & synodus provinciæ; in casu verò appellationis, Patriarcha uniuscujusque Diœceseos. Eidem tribuitur prima cognitio causarum eorum Metropolitanorum qui ad patriarchatum ejus spectant, interdicta prorsùs appellatione à judicio Patriarcharum: *Nullo iis quæ ab eo constituuntur valente resistere,* οὐδενὸς τοῖς παρ' αὐτοῦ τυπωθεῖσιν ἀντιλέγειν δυναμένου. Græci semper eo jure usi sunt; ut colligitur ex titulo IX. Nomocanonis Photij, & ex Zonara & Balsamone in commentariis ad hos canones.

XI. Ex his autem quæ huc usque diximus constat canones Sardicenses, qui Pontifici Romano tribuunt potestatem decernendi revisionem in gratiam Episcoporum depositorum, nondum receptos fuisse in Oriente, neque à Concilio Constantinopolitano, nec à Chalcedonensi, nec etiam ab Imperatore Iustiniano; cùm manifestum sit Patriarcham uniuscujusque Diœceseos solitum judicare de his depositionibus definitivo decreto, æquè ac de ceteris omnibus causis quæ ad disciplinam pertinebant. Attamen synodus in Trullo, quæ anno sexcentesimo nonagesimo secundo congregata est Constantinopoli, in sua collectione describi jussit canones Sardicenses, & inter hos, etiam illos tres qui ad Episcopi Romani auctoritatem pertinent. Verùm non ea fuit hujus synodi mens ut propterea jurisdictioni Episcopi Romani submittere voluerit appellationes Episcoporum, cùm in eadem collectione

lectione extent canones secundæ synodi Oecumenicæ, atque item quartæ, quæ unicuique Patriarchæ supremum harum causarum judicium commiserunt. Nihil ergo aliud voluit Trullana synodus quàm ostendere quænam auctoritas Pontifici Romano competat in suo patriarchatu, cujus limitibus circumscribit potestatem ei quæsitam in canonibus Sardicensibus, tum etiam ut ostendat eam auctoritatem illi tributam esse, non à Concilio Nicæno, sed à Sardicensi. Ea namque est observatio Zonaræ ad canonem quintum Sardicensem: *Neque igitur hic canon à Nicæna synodo editus fuit, neque ad ipsum* (id est, Romanum Pontificem) *provocationes ab omnibus Episcopis, sed ab iis tantummodo qui eidem subjecti erant, dari oportere decernit.* Ὅτε δὲ τῆς ἐν Νικαίᾳ συνόδου ἔδοξε κανὼν, ὅτε πάσας τὰς ἐκκλήτους τῆς ἐπισκόπων ἀναφήνοιν αὐτῷ, ἀλλα τῆς ὑποκειμένων αὐτῷ.

XII. Verùm licèt ea Græcis mens esset ut effectus canonum Sardicensium egredi Occidentem non posset, Pontifices tamen Romani contendebant eos obtinere debere in universa Ecclesia; ut constat ex epistola Papæ Leonis primi inferiùs laudata, & ex commonitorio Gelasij Papæ ad Faustum, cujus verba necessariò intelligenda sunt de canonibus Sardicensibus: *Ipsi sunt canones*, inquit Gelasius, *qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus sedis examen deferri voluere, ab ipsa verò nusquam prorsùs appellari debere sanxerunt, ac per hoc illam de tota Ecclesia judicare, ipsam ad nullius commeare judicium, nec de ejus unquam præceperunt judicio judicari, sententiámque illius constituerunt non oportere dissolvi, cujus potiùs decreta sequenda mandarunt.*

CAPVT VI.

Synopsis.

I. Concilia orientalia poterant tantùm decernere de causis disciplinæ, ad procurandam executionem canonum. Causas autem fidei vel regulas generales Ecclesiæ universa tractare non poterant absque interventu auctoritatis Episcopi Romani.

II. Hunc Romani Episcopi primatum agnoscebant orientales. Nihil in causis fidei aut de regulis generalibus definiri poterat absque ejus sententia. Socrates explicatus.

III. Hæc explicari debere visum est, ne quis existimet tentatam fuisse in superioribus capitibus Romani Pontificis auctoritatem. Episcopi orientales, qui Romanam sedem appellarunt, exagitati fuerant propter causam fidei. Quo casu poterant apostolicam sedem appellare.

IV. Eustathius Episcopus Sebastenus depositus ab Arrianis, literas à Liberio Papa obtinuit, quarum auctoritate restitutus est in sedem suam. De fide agebatur. Quare magni ponderis fuit epistola illa Liberij.

V. Eutyches non appellavit ad solum Pontificem Romanum. Appellavit enim synodos Romanam, Alexandrinam, Hierosolymitanam, & Thessalonicensem. Appellatio facta ad Patriarchas, censetur etiam facta ad eorum synodos. Cardinalis Perronius refutatus.

I. AUCTORITAS itaque Conciliorum orientalium his limitibus circumscribi debet ut decernere tantùm potuerint de administrationibus & gubernationibus provinciarum, ut loquuntur canones, id est, de controversiis quæ incidunt in executione canonum de disciplina ecclesiastica latorum. Nam quoad causas quæ ad fidem spectant aut regulas generales Ecclesiæ universæ, certum est eas definiri non potuisse absque interventu auctoritatis Episcopi Romani. Quoniam cùm cathedra Petri ea sit ex qua unitas sacerdotalis exorta est, ut loquitur Cyprianus, par erat ut reliquæ Ecclesiæ necessitate communionis unirentur cum Ecclesia Romana, eámque colerent tanquam caput & centrum unitatis, ut verbis Optati utamur. Constituto namque capite in Ecclesia, quemadmodum in collegio apostolico fuerat constitutum, sublatæ erant occasiones schismatum & hæreseon, ut observavit Hieronymus: quoniam ea ratione constitutus erat thronus qui radix & origo erat communionis omnium Episcoporum Ecclesiæ Dei; *unde in omnes venerandæ communionis jura dimanant*, ut aiebat Concilium Aquileiense generale sub Ambrosio. Huic enim sedi omnes Christiani adhærebant inter factiones & dissidia aliarum Ecclesiarum, exemplo Hieronymi, qui in trium Patriarcharum schismate, quo Antiochena Ecclesia laborabat, ad Damasum scribens, ait: *Beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri, communione consocior.* Hunc Romani Pontificis primatum agnoscebant orientales; ut constat ex epistola synodica Concilij Chalcedonensis ad Leonem Papam, in qua eum disertis verbis vocant caput universalis Ecclesiæ. At ex primatu illo jus quoddam eximium sequebatur, quod Romano Pontifici competebat, absque cujus interventu non licebat causas fidei definire nec generales regulas condere pro Ecclesia universa. Hic enim sensus est ejus legis ecclesiasticæ cujus mentionem facit Socrates, quámque Iulius allegabat adversùs orientales, nimirum Ecclesias non posse canonizari absque sententia Episcopi Romani, id est, novas regulas, & canones generales, à quibus aliquid introduceretur adversùs vetustam consuetudinem, decerni non posse quin Romanus Pontifex deliberationi in-

Vide suprà lib. 1. c. 2.

Vide suprà lib. 5. cap. 10. §. 2. in margine.

Vide suprà lib. 5. cap. 12. §. 1. & in Additione.

terveniat aut per se aut per Legatos. Huic legi magis obnoxiæ erant definitiones in materia fidei. Oriens itaque nullam unquam hæresim damnavit quin statim decretum ad apostolicam sedem missum sit & in reliquas provincias. Sic damnationes in synodis occidentalibus decretæ ad synodos Orientis mittebantur, ut adnotat sanctus Hilarius; ea videlicet mente, ut causæ communes, cujusmodi erat materia fidei, tractarentur ex communi omnium consensu. Sed magnificum erat pro Romana sede quòd cùm ipsa prima esset, ubi florebat principatus apostolicæ sedis, ut cum Augustino loquar, ejus auctoritas juncta synodis occidentalibus magni momenti erat ad commendandam damnationem hæreticorum & anathemata adversùs eos decreta, quæ faciliùs ob hoc ipsum executioni mandabantur. cujus moris clara documenta extant in actis Conciliorum Ephesini & Chalcedonensis aliorúmque posteriorum.

III. Necessarium autem visum est hæc per transennam adnotare; ut si qua fortè suspicio in quorundam animis suborta esset adversùs ea quæ superiùs dicta sunt, quasi illa convellerent reverentiam quæ sedi apostolicæ debetur, iis scrupulus omnis eximatur; tum etiam ut hinc occasionem peteremus heic agendi de quorundam orientalium Episcoporum in synodis suis depositorum appellationibus ad sedem Romanam. Constat enim Episcopis illis irrogatas esse injurias ob causam fidei. Quoniam verò conservatio veræ religionis adversùs hæreses præcipuè spectabat ad sedem apostolicam urbis Romæ, hinc factum ut quoties Episcopi illi literas Episcopi Romani in Orientem deferrent, in quibus contineretur eos in communionem fuisse receptos, sedibus suis restituerentur ab Episcopis catholicis. cujus rei extant exempla valde illustria. Non loquor de Athanasio aliisque Orientis Episcopis, quorum suprà mentionem feci, quoniam causa eorum examinata fuit tanquam ad disciplinam pertineret; tametsi fatendum est habitam quoque fuisse ab occidentalibus rationem oppressionis quam Episcopi illi patiebantur ob causam fidei. De Eustathio Sebasteno Episcopo loquor, Flaviano, & Theodoreto.

IV. Sebastenus ille depositus fuit ab Arrianis in Concilio Melitino, quæ civitas est Armeniæ inferioris. Dein catholici Orientis Episcopi Lampsacum convenerunt anno CCCLXIV. ibique synodum celebrarunt, cui Eustathius interfuit. Quin etiam cum nonnullis Episcopis in Occidentem missus est cum formulis fidei quæ decretæ erant pro restitutione veræ fidei adversùs perturbationem quam Constantij Imperatoris auctoritas invexerat. Receptus itaque est in communionem ab Episcopo Romano & occidentalibus; literásque à Liberio Pontifice obtinuit, quarum auctoritate restitueretur in sedem suam. Cùm autem Cappadociam remeasset, literas illas obtulit synodo Diœceseos Ponticæ, quæ apud Tyanam habebatur, ad quam synodum pertinebat provincia Armenia secunda, à qua synodo redditus est Ecclesiæ Sebastenæ. Restitutionem illam auctoritate literarum Episcopi Romani factam fuisse testatur sanctus Basilius in epistola LXXIV. quæ data est ad Episcopos occidentales. Certum quidem est Eustathij depositionem irritam & nullam fuisse, eò quòd ab hæreticis facta esset, tum etiam ita sensisse synodum Lampsacenam, quæ, spreto judicio illo, Eustathium in suam communionem recepit, & synodo interesse consensit, ac præterea in Occidentem miserat legatione functurum pro synodo Lampsacena. Quia tamen suspicio adversùs eum orta erat in causa fidei, magni ponderis ad confirmandam executionem rerum decretarum fuit epistola illa Liberij & jussio ejus pro restituendo Eustathio data post judicium synodorum Orientis & Occidentis. Ob hoc igitur synodus Tyanensis, cujus judicio suberat Eustathius in causa disciplinæ, eum insuperhabitis suspicionibus de fide recepit in vim decreti pontificij, tametsi ignoraret quibus conditionibus eum Liberius recepisset in suam communionem. Hæc sunt verba Basilij ex eadem epistola LXXIV. *Quæ verò sint illi à beatissimo Episcopo Liberio proposita, & ad quæ consenserit, nobis clam est; nisi quòd epistolam attulit, per quam restitueretur. Eam ubi Tyanensi synodo exhibuit, in suum locum restitutus est.*

V. Locum inter appellationes ad Episcopum Romanum non tribuo ei quæ sub nomine Eutychetis Archimandritæ circumfertur post damnationem ejus à Flaviano Episcopo Constantinopolitano peractam; tametsi ea vulgò obtrudatur, quoties controversiæ de causis religionis agitantur. Nolim tamen negare quin Pontificem Romanum appellaverit; sed tamen contendo non ad solum Romanum Pontificem provocasse. Exemplum hoc variis in locis Replicæ suæ laudat illustrissimus Cardinalis Perronius, & appellationem illam Eutychetis probare se putat auctoritate epistolæ sancti Leonis ad Flavianum. Ait enim Leo se libellum Eutychetis recepisse; in quo continebatur eum *evocatum sui præsentiam non denegasse, adeo ut in ipso judicio libellum appellationis se asserat obtulisse, nec tamen fuisse susceptum; qua ratione compulsus sit ut contestatorios libellos in urbe Constantinopolitana*

proponeret. Verùm quia appellatio illa non dicitur facta esse ad apostolicam sedem, ut probationem impleat Perronius, addit auctoritatem Flaviani Leoni respondentis, cujus hæc sunt verba: *Quia idem Eutyches libellos direxit vobis plenos omni fallacia & calliditate, dicens judicij tempore libellos se dedisse appellationis nobis & hîc convenienti sancto Concilio, & appellasse vestram sanctitatem. quod nequaquam factum est.* Sed ex verbis illis colligi non potest appellatas non fuisse reliquas sedes. Sanè dissimulanda non est veritas. Appellavit enim Eutyches synodos Romanam, Alexandrinam, Hierosolymitanam, & Thessalonicensem, sed clanculum, & in aurem Patricij Florentij, post judicium factum, & post solutam synodum. Vnde colliguntur duæ egregiæ regulæ. Prima, causam fidei, cùm communis sit & generalis, judicandam esse à synodis Ecclesiæ universæ, præcipuè verò à Romana, quæ omnium prima est, tum depositionem hæretici, quæ sequitur ex decisione fidei, definitivo decreto judicandam esse ab omnibus, si nova sit hæresis, neque hactenus damnata fuerit ab Ecclesia. Secunda verò regula hæc est, appellationes factas ad Patriarchas, censeri etiam factas ad eorum synodos; ut constat ex formula appellationis Eutychetis. Non appellavit autem ad synodos Orientis, quòd Patriarcha Antiochenus subscripsisset sententiæ Flaviani, & quòd plures Metropolitani Diœceseon Asianæ, Ponticæ, & Thracicæ adessent in Concilio Constantinopolitano. Ea verò quæ huc usque dicta sunt de appellatione Eutychetis, desumpta sunt ex actis Concilij Constantinopolitani habiti jussu Imperatoris Theodosij post damnationem Eutychetis ad convincendas falsitates quas hæreticus ille contendebat admissas esse in actis superioris Concilij. Inter ceteras querelas, Constantinus monachus, Eutychetis procurator, dixit eum, cùm sententia depositionis legeretur, provocasse ad synodos Romanam, Alexandrinam, Hierosolymitanam, & Thessalonicensem, verùm ejus appellationem actis non esse insertam. Hæc sunt enim Constantini verba in actis hujus secundi Concilij Constantinopolitani, quæ referuntur in actione prima Concilij Chalcedonensis: ἀναγνωσθεμένης δὲ καθαιρέσεως ἐπεκαλέσατο τὴν ἁγίαν συνόδον τοῦ ἁγιωτάτου ἐπισκόπου Ρώμης, καὶ Αλεξανδρείας, καὶ Ιεροσολύμων, καὶ Θεσσαλονίκης. Tum verò Patricius Florentius dixit Eutychetem, post solutam synodum, sibi in aurem dixisse provocare se ad synodum Romanam, Ægyptiacam, & Hierosolymitanam, déque ea provocatione commonefactum à se esse Flavianum. Nullam synodi Thessalonicensis mentionem facit, quòd ea Diœcesis subesset tum temporis patriarchatui Occidentis. Hæc sunt verba Florentij in eisdem actis: Διαλυθείσης δὲ συνόδου, εἶπε πρόσωπον ἐμοὶ, ὑποκαλούμενος τὴν Ρώμης, καὶ τὴν Αἰγύπτου, καὶ τὴν Ιεροσολύμων συνόδον.

Vide lib. 4. cap. 1. §. 2.

CAPVT VII.

Synopsis.

I. Flavianus Episcopus Constantinopolitanus depositus in synodo Ephesina sub Dioscoro. Cùm Dioscorus sententiam promeret, recusatus est à Flaviano. Notata Perronij hallucinatio, qui tunc appellatum à Dioscoro fuisse putat conceptis verbis. Recusatio fiebat per modum appellationis, etiam post sententiam definitivam. Appellavit deinde, & quidem ad solum Pontificem Romanum. Ceteri enim Patriarchæ aderant in Concilio.

II. Flavianus appellavit ad Summum Pontificem, libello contestatorio oblato Legatis ejus. Valentinianus Imp. ait causam deintegro judicandam esse à Summo Pontifice, quòd de causa fidei ageretur, & quòd Flavianus ad eum provocasset secundùm solennitatem Conciliorum.

III. Censet tamen idem Valentinianus eam causam in synodo Oecumenica judicandam esse à Summo Pontifice, adhibitis suffragiis Episcoporum ex universo orbe.

IV. Haud aliter sensit ipse Leo, ac Romana synodus. Sed tamen intra Italiam convocari Concilium postulant à Theodosio.

V. Causa enim Flaviani connexa erat quæstioni fidei, ut docet idem Leo. Et Valentinianus ait Flaviani depositionem processisse ex quæstione fidei. Videbat enim non aliter revisioni consensuros orientales quàm si fidei negotium retractandum esse diceretur.

VI. Hoc etiam intellexit Leo. Itaque canones Sardicenses laudavit, sub titulo tamen synodi Nicænæ. Emendatus canon quartus Sardicensis, qui gravi mendo laborat.

VII. Quid significet Valentinianus, cùm ait Flavianum appellasse Pontificem Romanum secundùm solennitatem Conciliorum. Rejecta Cardinalis Perronij conjectura. Indicat eum appellasse per libellum, non autem viva voce, aut in aurem, ut Eutycheti contigerat.

I. VENIENDUM nunc ad appellationes Flaviani & Theodoreti, quæ magni momenti sunt. Damnatus ob novam hæresim Eutyches à Flaviano, impetravit ab Imperatore Theodosio ut Concilium generale apud Ephesum haberetur, cui Dioscorus Episcopus Alexandrinus præsideret. In eo autem minis actum est apud Episcopos, ut se accommodare cogerentur ad desiderium Dioscori. Itaque Eutychete restituto, Flavianus depositus est in hac synodo: quæ vulgò secunda Ephesina dicitur, interdum verò synodus Ephesina sub Dioscoro, aliquando prædatoria syno-

dus, & latrocinium Ephesinum. Sed cùm Dioscorus, qui primo loco censebat, sententiam promeret qua deponendum esse Flavianum pronuntiabat, iste Dioscorum recusavit, Græco verbo utens, ἀξιόπιστος εἶ. Legati verò Summi Pontificis huic sententiæ interceserunt, Latino verbo usi, *Contradicitur.* Illustrissimus Cardinalis Perronius adhærens antiquæ versioni hujus Concilij, existimat his omnino verbis Græcis significari *Appello à te.* Vnde occasionem sumit suspicandi corrupta esse acta isthæc, quòd verbis tantùm generalibus concepta sit hæc appellatio, nec ad Papam fiat disertis verbis. Verùm necessarium non est ad hæc extrema deveniri: quia, ut dixi, verba Flaviani, desumpta videlicet ex formula juris, nihil aliud significant quàm recusari à se Dioscorum. Quoniam verò per illas tempestates recusatio fiebat per modum appellationis, etiam post sententiam definitivam, non autem eo modo qui introductus dein fuit à Iustiniano, hinc factum ut Flavianus, Dioscorum recusans, ab eo quidem per consequentiam appellaverit, non tamen conceptis verbis. Nam post habitum tandem Concilium libellum appellationis tradidit Legatis Summi Pontificis, sic tamen ut ad solum Pontificem Romanum provocaverit. Necessitate autem coactus fuit ita agere, eò quòd reliqui Patriarchæ adessent in Concilio, solúsque Romanus deesset; cujus sententia ob hoc ipsum integra erat, tum quòd Legati publicè contradixissent depositioni Flaviani, tum etiam quòd epistola Leonis in causa fidei lecta non fuisset in synodo; tametsi Legati id frequenter petiissent, & decretum ter fuisset à Dioscoro, qui tamen executionis hujus decreti curam omnem abjecit. Hujus dein repulsæ pœnas luit, cùm ob hanc ipsam causam depositus est in Concilio Chalcedonensi.

L. ult. C. de sententiis l. 14. & 18. C. de judiciis.

II. Flavianum verò ad Leonem Papam provocasse, tradito Legatis libello appellationis, manifestè probatur ex epistola Imperatoris Valentiniani ad Theodosium; ex qua præterea colliguntur duo capita magni momenti, tum quoad auctoritatem Summi Pontificis, tum etiam quoad disciplinam illius ævi. Iam enim suprà observavimus in capite sexto hujus libri definitiones fidei non potuisse decerni absque sententia Pontificis Romani. Dioscorus autem in Concilio Ephesino impedivit ne Leonis epistola legeretur, & per consequentiam impedivit ne sententia Leonis adversùs hæresim Eutycheris publicaretur. Vnde concludit Valentinianus non obstare synodum Ephesinam quin necesse sit ut causa deintegro judicetur à Summo Pontifice, etiam quoad depositionem Flaviani; quòd de causa fidei ageretur, & quòd Flavianus ad eum provocasset juxta solennitatem Conciliorum. Hæc sunt verba Valentiniani ad Theodosium scribentis: *Quam* (id est, fidem) *nos à nostris majoribus traditam debemus cum omni competenti devotione defendere, & dignitatem propriæ venerationis beato Petro Apostolo intemeratam & in nostris temporibus conservare: quatenus beatissimus Romanæ civitatis Episcopus, cui principatum sacerdotij super omnes antiquitas contulit, locum habeat & facultatem de fide & sacerdotibus judicare. Hujus enim rei gratia, secundùm solemnitatem Conciliorum, & Constantinopolitanus Episcopus eum per libellos appellavit, propter contentionem quæ orta est de fide.*

Epist. Valent. ap. 1. Concil. Chalc. cap. 2. 3.

III. Verùm quemadmodum necessitas interventionis Summi Pontificis luculenter probatur auctoritate hujus epistolæ, sic ex iis quæ sequuntur (quem tamen locum laudare non consueverunt ij qui de controversiis scribunt) manifestè patet necessarium prorsùs fuisse ut quæstio illa fidei à Summo Pontifice judicaretur in Concilio Oecumenico, adhibitis suffragiis Episcoporum ex universo orbe. Ait enim Valentinianus: *Huic itaque postulanti* (id est, Leoni) *& conjuranti salutem nostram communem annuere non negavi, quatenus ad tuam mansuetudinem petitionem meam ingererem, ut prædictus Sacerdos congregatis ex omni orbe etiam reliquis Sacerdotibus intra Italiam, omni præjudicio submoto, à principio omnem causam quæ vertitur, sollicita probatione cognoscens, sententiam ferat quam fides & ratio veræ divinitatis expostulat.*

IV. Haud aliter sensit ipse Leo, ac Romana synodus. Constat quippe eos causam fidei, aut Flaviani, quæ cohærebat quæstioni fidei in Concilio Ephesino presumdatæ, non alibi judicandam censuisse quàm in Concilio Oecumenico ex Episcopis Orientis & Occidentis conflato, quod tamen intra Italiam convocari à Theodosio cupiebant. Quod liquidò patet ex epistola Leonis & synodi Romanæ, descripta in parte prima Concilij Chalcedonensis. *Cui sacramento*, inquiunt, id est, veræ dignitatis & veræ humanitatis in Christo, *quia impiè nunc à paucis imprudentibus obviatur, omnes partium nostrarum Ecclesiæ, omnes mansuetudini vestræ cum gemitibus & lacrymis supplicant Sacerdotes, ut quia & nostri fideliter reclamarunt, & eisdem libellum appellationis Flavianus Episcopus dedit, generalem synodum jubeatis intra Italiam celebrari, quæ omnes offensiones ita aut*

Patres Con. Chalced. act. 2. &c.

repellat aut mitiget ne aliquid ultra sit vel in fide dubium vel in caritate divisum, convenientibus utique orientalium prouinciarum Episcopis.

V. Sed Leonem ea de causa voluisse Flaviani negotium in Concilio generali retractare, quòd quæstioni fidei connexum esset, docent verba hæc ex eadem epistola: *Talémque ab ipso*, id est, Dioscoro, *prolatam esse sententiam, ut dum homo unus*, id est, Flavianus, *imperitur, in omnem Ecclesiam sæviretur. Quod nostri ab apostolica sede directi adeo impium & catholicæ fidei esse contrarium viderunt ut ad consentiendum nulla potuerint oppressione compelli.* Ob hoc ipsum Valentinianus Imperator in laudata superiùs epistola ait depositionem Flaviani processisse ex quæstione fidei, intelligens videlicet orientales, si ratio hæc abesset, non concessuros appellationi Flaviani, neque causæ ejus revisioni consensuros.

VI. At Leo agnoscens quanta vis esset hujus rationis, epistolæ suæ inseruit canonem Sardicensem, ut ostenderet æquum esse post appellationem Flaviani ut nova synodus Romæ haberetur, nihilque interim innovaretur. Canones enim Sardicenses ab annis plus minùs triginta in Occidente recepti erant, laudati à Zozimo tanquam à synodo Nicæna petiti. Cujus vestigiis inhærens Leo, illos ex eadem synodo laudat: *Quàm autem post appellationem interpositam*, inquit, *hoc necessario postuletur, canonum Nicææ habitorum decreta testantur, quæ à totius mundi sunt Sacerdotibus constituta, quæque subter annexa sunt.* Exemplar hujus canonis extat in calce hujus epistolæ, non quidem inter epistolas Leonis, sed in calce versionis Græcæ quæ extat in actis Concilij Chalcedonensis; ubi quoque descriptus est canon quartus Sardicensis, paraphrasticè tamen, & corruptus à librario. Et corruptionem quidem jam alij deprehenderunt. Nemo tamen hactenus ei medicinam adhibere tentavit. Perturbatus est autem sensus canonis in his præcipuè verbis: Καὶ διεμαρτύρατο ἐν πόλει τῆς χώρας κινηθῆναι τὰ ὑπ' αὐτοῦ πραχθέντα. Anxij sunt eruditi in investigando sensu horum verborum, ἐν πόλει τῆς χώρας, quæ nihil significant. Ego verò existimo legendum esse ἐν πόλει τῆς Ρωμαίων: quæ verba cùm per abbreviationem scripta essent, erroris occasionem præbuerunt. Atque secundùm hanc emendationem sic verti debet hic locus: *Et protestatus sit in urbe Roma negotium esse peragendum.* quod probatur ex ultimis verbis exemplaris hujus canonis, quæ sic habent: εἰ μὴ τοῦδε τῆς συνεδρου κελεύσῃ δέξηται τὸν ὅρον. Canon autem Sardicensis quartus jubet ne quis in locum Episcopi depositi substituatur *priusquàm Romanus Episcopus sententiam tulerit.* Itaque necessarium est ut in eo exemplari voces κελεύσῃ συνεδρου, id est, *judices qui sunt ibi*, significent judices Romanos: quos tamen cùm significare non possint nisi ratione habita verborum quæ præcesserunt, necessaria est emendatio quam proposuimus, ἐν πόλει τῆς Ρωμαίων.

VII. Quæri potest quid intellexerit Imperator Valentinianus, dum scriberet Flavianum scripto appellasse Pontificem Romanum secundùm morem Conciliorum. Illustrissimus Cardinalis Perronius hunc esse eorum verborum sensum putat, eam nimirum fuisse synodorum consuetudinem, ut appellationes admitterent ad Summum Pontificem; ac statim eam consuetudinem arcessit à canonibus Sardicensibus. Verùm verba ipsa apertè repugnant huic interpretationi. Nam cùm, ut docet Concilium Africanum, *quædam canone constent, & quædam consuetudine*, planum est Valentinianum, cùm Flaviani facinus tribuit consuetudini, ejus originem non petere à canonibus Sardicensibus. Præterea non loquitur in singulari, hanc esse consuetudinem Concilij, sed Conciliorum in plurali. quod coërceri non potest ad solum Sardicense Concilium. Verum itaque sensum indicat vetus versio Concilij Chalcedonensis, quæ habet: *Secundùm solennitatem Conciliorum eum per libellos appellavit.* Verba enim illa, *secundùm solennitatem Conciliorum*, respondent Græcis illis, κατὰ τὸ ἔθος τῆς συνόδου. Significant autem Flavianum appellasse, non solùm viva voce, & in aurem, ut acciderat Eutycheti, sed *per libellum*, hoc est, scripto, *secundùm solennitatem Conciliorum*, id est, Conciliorum provincialium, à quibus ad synodos superiores appellabatur *per libellum*, id est, libellum appellatorium. Tametsi enim juxta leges liceat appellare viva voce *inter acta*, aut etiam scripto, libello videlicet appellatorio, in quo continebantur nomina ejus qui appellabat, tum etiam alterius partis, & sententia à qua appellabatur, nihilominus secundùm morem Conciliorum appellatio fieri debebat servatis scripturæ solennibus; quemadmodum docet hic locus, qui prorsùs singularis est; retinuitque in contextu Græco vocabulum istud Latinum, *Libellus*, quod appellationibus proprium est.

Epist. Valent. ad Theodos. part 1. Conc. Chalced. c. 15. τοῦτο δὲ γέγραπται κατὰ τὸ ἔθος τῶν συνόδων, ἡ ὑπὸ τῶν Κωνσταντινουπολιτῶν ὀθείσης καὶ ἐπὶ τῆς Ἀκυλείας φιλονεικίας εἴθε τῶν πάντων.

Vide supra cap. 6. §. 5.

L. 1. & 3. ff. de appellat.

CAPVT VIII.

Synopsis.

1. Dioscori sævitia afflixit etiam Theodoretum

Episcopum Cyrensem: qui non fuit depositus in secunda Synodo Ephesina, ut visum Baronio & Perronio.

II. Damnatus fuit in Concilio Ephesino primo, quòd Nestorio favere videretur. Dejectus autem fuit invocatus & inauditus in secundo, in consequentiam sententiæ à primo latæ.

III. Oppressus Theodoretus Leonem Papam appellavit; à quo receptus est in communionem, atque ea ratione episcopatum suum recepit. Admissus dein ad Synodum Chalcedonensem, gravis controversiæ occasio fuit; quam ut sedarent Iudices, dixerunt eum venisse tantum ut accusatorem. Absoluta ergo non fuit restitutio Theodoreti.

IV. Restitutio hæc integra fuit postquam judicio Synodi & Imperatoris comprobata fuit, post anathema Nestorio dictum à Theodoreto.

V. Leo ipse agnovit definitivum decretum de restitutione Theodoreti debere fieri in Synodo.

VI. Agitur de collectione canonum à Theodoreto concinnata, in qua additi sunt canones Sardicenses. Aberant illi à collectione quam Concilium Chalcedonense probavit.

I. DIOSCORI sævitia afflixit etiam Theodoretum Episcopum Cyri in patriarchatu Antiocheno; adeo ut coactus fuerit sedis apostolicæ auctoritatem implorare, ut Ecclesiæ suæ restitueretur. Existimant Cardinales Baronius & Perronius Theodoretum à Dioscoro depositum esse in Concilio secundo Ephesino. Sed acta hujus Concilij probant institutam in eo accusationem non fuisse adversùs Theodoretum, sententiam verò latam esse solùm adversùs Flavianum & Eusebium Episcopum Dorilæi, Eutychetis accusatorem. Sanè Leo solius depositionis Flaviani meminit in suis epistolis. Itaque, ut ego quidem existimo, res suprà repetenda est.

II. Theodoretus unà cum Ioanne Episcopo Antiocheno damnatus fuerat in Concilio primo Ephesino, eò quòd scripsisset adversùs anathematismos Cyrilli & synodi Alexandrinæ, atque ideo videretur favere Nestorio. Ac licèt concordia rediisset Ecclesiis Alexandriæ & Antiochiæ, restauratáque esset earum communio, Ægyptij tamen ferre non poterant Theodoretum. Vnde factum ut Imperator Theodosius, cùm convocaret secundam synodum Ephesinam, scripserit ad Dioscorum nolle se ut Theodoretus ad eam accedat, nisi ita priùs decreverit universa synodus. Quoniam verò deinceps intellexerat futurum fortassis ut quamplures Episcopi optarent heic adesse Theodoretum, à quo alienatum se esse ait Princeps quòd in causa fidei scripsisset nonnulla Cyrillo contraria, altera epistola Dioscoro Alexandrino, Iuvenali Hierosolymitano, & Thalassio Cæsareensi maximam tribuit auctoritatem in causa Theodoreti & aliis quæ spectant ad cognitionem synodi. Dioscorus, qui tam illustri potestate ornatus erat, Theodoretum non judicavit in Concilio. Vocandus enim erat ipse, & causa ejus examinanda; cùm tamen contraria prorsùs cura Dioscoro sederit, nimirum ne Theodoretus accerseretur. Itaque Dioscorus eum habens pro damnato in prima synodo Ephesina, tanquam hæreseos Nestorij fautorem, declaravit coram synodo curaturum se ut Ephesini canones adversùs illum custodiantur, eúmque velut Nestorianum ab Ecclesia sua expulit. Huc enim alludunt Ægyptij in Concilio Chalcedonensi. *Cyrillum* inquiunt, *ejicimus, si Theodoretum acceperimus. Canones istum ejecerunt.* Vnde constat verba hæc eorundem Ægyptiorum, *coram universa synodo damnatus est*, significare eum fuisse damnatum omissis judiciorum solennibus, in consequentiam sententiæ Concilij primi Ephesini.

III. Oppressus Theodoretus, Leonem Papam appellavit. Appellatio autem ejus extat disertis verbis in epistola quam scripsit ad Leonem, itémque in epistola ad Renatum Diaconum: in quibus explicat fidem suam, ostendítque se non esse Nestorianum. Eum itaque Leo recepit in suam communionem, ut ait Paschasinus Legatus in actione prima Concilij Chalcedonensis, atque ea ratione episcopatum illi suum restituit. Eum porrò in actione prima Concilij interesse jusserunt Iudices imperiales, ob eam videlicet causam, ut ipsi inquiunt, quòd sanctissimus Archiepiscopus Leo ei episcopatum suum reddidisset, & quòd divinissimus & piissimus Imperator præcepisset eum adesse in Concilio. Attamen quoniam Ægyptij, Palæstini, & Illyriciani gravissimos tumultus excitabant adversùs susceptionem Theodoreti, contrà, Orientalium, Thracicorum, Ponticorum, & Asianorum studiis idem attollebatur, Iudices in his angustiis constituti eò confugere coacti sunt ut dicerent Theodoretum, tametsi locum suum recepisset auctoritate Leonis, venisse tamen ut accusatorem tantùm, injurias suas ulturum, & expurgaturum si quid adversùs eum proponeretur. nam uniuscujusque partis jus integrum esse. Vnde colligere licet absolutam non fuisse restitutionem Theodoreti, sed interim tantùm valituram donec quæstio principalis, ex qua profecta erat ejus depositio, retractata fuisset. quod factum est in Concilio Chalcedonensi.

IV. Hic modus agendi repugnat aliquatenus canonibus Sardicensibus; quibus appellatio quidem ab Episcopum Romanum conceditur, non tamen restitutio ante

judicium. Quare necessaria fuit auctoritas Imperatoris, non solùm pro juvanda executione decreti pontificij, sed etiam ut jure à prædecessoribus suis ad se transmissò propria auctoritate decerneret. Quoniam tamen, ut dixi, restitutio illa nihil detrimenti afferebat quæstioni principali, Concilium in actione octava retractans causam Theodoreti, ab eo exegit ut conceptis verbis anathema diceret Nestorio & Eutycheti. Ac res eò processit ut parum abfuerit quin is cum ignominia & dedecore pelleretur à synodo, eòquòd cùm desideriis patrum statim satisfacere debuisset, damnando apertè & uno verbo hæresim Nestorij, orationem orsus est ut fidem suam explicaret. Post emissam itaque à Theodoreto fidei professionem, Paschasinus Leonis Papæ Legatus dixit: *Hoc judicio sanctissima & venerandissima synodus, insuper verò & nostra humilitas, reddi ei Ecclesiam propriam definivit*; ea tamen conditione, si in fide constans esset. quod omnium Episcoporum suffragiis comprobatum est, & imperiali auctoritate confirmatum à judicibus: *Gloriosissimi Indices dixerunt: Secundum decretum sancti Concilij Theodoretus sanctissimus Episcopus Ecclesiam civitatis Cyri recipiat*. Mentionem autem hoc loco faciunt decreti Concilij, quod definitivum erat.

V. Quare Leo ipse, tametsi scribat primam causæ Theodoreti cognitionem ad se pertinere, agnoscit tamen definitivum decretum debere fieri in synodo. Hæc sunt ejus verba in epistola LXIII. ad Theodoretum, in qua agit de restitutione ejus: *Gloriamur in Domino --- qui nullum nos in fratribus detrimentum habere permisit, sed quæ nostro priùs ministerio definierat, universæ fraternitatis irretractabili firmavit assensu, ut verè à se prodiisse ostenderet quod priùs à prima omnium sede formatum, totius Christiani orbis judicium recepisset, ut in hoc quoque capiti membra concordent.*

VI. Sed hoc loco observandum est Theodoretum, qui Romanum Episcopum appellaverat, cupientem patrocinari huic sedi quæ restitutionem suam procuraverat, collectioni canonum à se adornatæ inseruisse XXI. canones Sardicenses. Extat enim in Bibliotheca regia vetus codex MS. Theodoreti nomine insignitus, quo canonum collectio continetur in quinquaginta Titulos distributa. Constat autem ex canonibus Nicænis, Ancyranis, Neocæsarienſibus, Sardicensibus, Constantinopolitanis, Ephesinis, & XXVII. Chalcedonensibus; præter canones Basilij & LXXXV. apostolicos. In calce hujus collectionis extat collatio Novellarum Iustiniani, quam Ioannes Scholasticus Patriarcha Constantinopolitanus elaboravit. Sed collectio illa cùm privato Theodoreti usui concinnata esset, confirmata non fuit à Concilio Chalcedonensi. Certum quidem est Concilium illud in canone primo tribuisse auctoritatem cuidam canonum collectioni, ex qua nonnulli canones laudantur in actis Concilij. Verùm ea non complectebatur canones Sardicenses; ut constat ex collectione Latina Dionysij Exigui, quæ nihil aliud est quàm versio Græcæ collectionis à Concilio Chalcedonensi approbatæ, quemadmodum observavimus in capite quinto hujus libri.

Vide lib. 3. cap. 3. §. 8.

CAPVT IX.

Synopsis.

I. De appellatione sancti Ioannis Chrysostomi Episcopi Constantinopolitani. Eam non judicavit Summus Pontifex, ut vulgò existimant.

II. Chrysostomus vocatus in jus à Theophilo Episcopo Alexandrino, eum recusavit. Tum provocavit ad Concilium Oecumenicum. Factione quorundam Episcoporum repellitur ab Arcadio Imperatore, qui primam sententiam jubet mandari executioni. De hoc agendi modo expostulat Chrysostomus apud Innocentium Papam, Venerium Episcopum Mediolanensem, & Chromatium Aquileiensem. Eum in communionem suam recipit Innocentius. Tum ad extinguendum hoc malum necessariam esse ait universalem synodum. quæ coacta non est. Tum soluta communio Ecclesiarum.

III. Itaque Chrysostomi appellatio interposita fuit ad Concilium Oecumenicum; & susceptа ab Imperatore, à Summo Pontifice, & ab Episcopis Italis. Censuit Innocentius Papa appellationem & cetera quæ interim contigere suspendisse effectum judicij lati adversùs Chrysostomum. Implicata est hac causa ob præcipitem damnationem Chrysostomi factam ante responsionem Episcoporum occidentalium.

IV. Schisma duravit donec orientales Chrysostomi nomen reposuerunt in diptychis Ecclesiæ. Explicatus Damasi locus, qui ait sedem apostolicam, etiam solam, absolvisse Chrysostomum. Tum vulgata persuasio destruitur.

I. EXEMPLA appellationum suprà allata pertinent ad depositiones ob causam fidei decretas. Sed prætermittendum non est exemplum valde illustre, quod ad solam disciplinam pertinet, editum in magno viro ac sanctissimo Ioanne Chrysostomo Episcopo Constantinopolitano. Vulgò scribitur appellatum ab eo fuisse Innocentium primum Pontificem Romanum, hunc verò cassasse judicium à synodo orientali latum adversùs Chrysostomum. Sed si negotium istud penitiùs introspiciatur, constabit eam in hac causa fuisse Romani Pontificis auctoritatem, ut egressa non fue-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

rit modum qui per illas tempestates illi præscripus erat, sed auctoritatem illum suam totam integram retinuisse; non ita tamen ut appellationem judicaverit tanquam devolutam ad apostolicam sedem, ut vulgò existimant.

Vide supra cap. 2. §. 11.

II. Dicta Chrysostomo dies est à Theophilo Episcopo Alexandrino & triginta Episcopis Ægyptiacis, à quibus vocatus est in jus apud suburbium quoddam urbis Chalcedonensis. Chrysostomus Theophilum recusavit, ob inimicitias capitales; & judicari se ab eo non posse pronuntiavit, quòd judex esset incompetens. Præceperat enim canon secundus synodi Oecumenicæ secundæ ne Ægyptij Episcopi judicent Thracicos, in quibus erat Constantinopolitanus. Tum provocavit ad Concilium Oecumenicum, expurgaturum asseverans si notitiam criminum & copiam diluendi habuerit. At illi, nulla habita ratione appellationis, sententiam depositionis in eum tulerunt. Dein ab Imperatore Arcadio pellitur; sed biduo pòst revocatur. In Ecclesiam autem regreditur majori Episcoporum numero stipatus quàm essent illi à quibus fuerat condemnatus. Vrget verò celebrationem Concilij, appellationi suæ insistens; quæ suscipitur ab Imperatore, à quo literæ exeunt pro convocatione Concilij. Interim turbulenti aliquot Episcopi, quibus gratia Imperatricis Eudoxiæ præstò erat, pronuntiant restitui non posse Chrysostomum adversùs primam depositionem, quòd in Ecclesiam regressus foret in expectata sententia majoris synodi, contempto videlicet canone duodecimo Antiocheno, cui pravam omnino interpretationem adhibent. Dein ab Arcadio Imperatore obtinent ut prima sententia custodiatur, & publica auctoritate mandetur executioni. De hoc agendi modo expostulat Chrysostomus apud Innocentium Papam, Venerium Episcopum Mediolanensem, & Chromatium Aquileiensem; ut scribit Palladius in vita Chrysostomi. Extat autem ejus epistola ad Innocentium: qua Pontificem rogat ut insuperhabito judicio illo, quod omni ex parte irritum est, eum conservet in communione sua & Episcoporum occidentalium, scribátque in orientem hæc iniquè facta non habere robur, sicut neque ex sua natura habent. At Pontifex Chrysostomum recipit in suam communionem. In epistola verò ad clerum & populum Ecclesiæ Constantinopolitanæ data ait indignum & intolerabile prorsùs videri facinus illud, dejectum per vim Episcopum, non servato judicij specimine, & adversùs canones. Addit, ad sopiendos talium procellarum motus necessarium sibi videri ut universalis synodus congregetur, quam dudum etiam cogendam esse censuerat. Eam ob rem Honorius Imperator Occidentis fratrem suum Arcadium orat ut orientales Episcopos congregari jubeat apud Thessalonicam, quæ Occidentis urbs erat. Negat Arcadius. Tum occidentalium & orientalium Ecclesiarum communio solvitur & dissociatur; quæ redintegrari non potest, nisi orientales in communionem suam recipiant memoriam sancti Ioannis Chrysostomi, qui interim obierat in exilio.

Epist. Ioannis Chrys. ad Innoc. & epist. Innoc. ad clerum C. P.

Sgrommens.

III. Ex hac narratione colligitur, non quidem Chrysostomum provocasse ad Summum Pontificem, aut appellationem ejus à Papa judicatam fuisse, sed appellationem ab eo interpositam ad Concilium Oecumenicum, susceptam esse ab Imperatore pro more illius seculi, ei porrò appellationi consensisse Papam & Episcopos Italos, qui cura sua id dein egerunt apud Imperatores ut Concilium convocaretur. Sed non eo loci substitit Innocentius. Censuit enim cum Episcopis Italis appellationem interpositam ante depositionem, ac postea renovatam, & manifestas judicij hujus nullitates, judicij effectum suspendisse; communionemque suam subtraxit orientalibus, donec illi sententiæ suæ accederent. Congruit aliquatenus ea historia cum causa Athanasij; imò validior est causa Chrysostomi, ex eo capite, quòd appellatio ejus ad futurum Concilium suscepta sit ab Imperatore & à Pontifice Romano. Rursum altera quoque nullitas proferebatur adversùs secundam depositionem; quæ occidentalium animos iriritavit, qui contumeliam hinc sibi irrogari censuerunt. Theophilus eum Episcopus Alexandrinus & Ioannes Chrysostomus Legatos suos miserunt ad Episcopos Romæ & Italiæ, ut communi consensu huic perturbationi remedium adhiberi posset. Et tamen inexpectata responsione Episcoporum occidentalium, qui ab utraque parte per Legatos consulti fuerant, præcipitatum in Oriente fuit Chrysostomi judicium, post quod pulsus est in exilium. Interim synodus Episcoporum Romæ & Italiæ censuit terminandas esse controversias illas in Concilio generali, nullam verò partium abstinendam esse à communione ante judicium ejusdem Concilij. Isthæc quidem docet Palladius. Sed præterea extat Honorij Augusti epistola ad Arcadium fratrem, quæ idipsum docet; cujus verba magni momenti sunt. Sic autem habet: *Erat inter Episcopos causa quæ collato tractatóque consilio deberet absolvi. Missi ad sacerdotes urbis æternæ atque Italiæ utraque*

que ex parte Legati. Expectabatur ex omnium, id est, orientalium & occidentalium, *auctoritate sententia informatura regulam disciplinæ. Integrum nempe esse debuerat, nec quicquam novari, dum definitio deliberata procederet; cùm interea mirum quoddam præcipitium festinationis exarsit, ut non expectatis literis Sacerdotum qui fuerant mutua partium legatione consulti, non examinatis rebus, in exilium truderentur antistites, animadversioni priùs addicti quàm sententiam judicij episcopalis experti. Denique quàm immatura illa damnatio fuerit, res probavit. Namque hi quorum expectabatur auctoritas, pacifica Ioanni Episcopo communione permissa, faciendam concordiam censuerunt, nec quemquam putarunt ante judicium consortio repellendum. Quid nunc aliud supereſt quàm ut catholicam fidem schismata in diversum dissociata dilacerent?*

IV. Sanè schisma inter Ecclesias duravit donec Episcopi Constantinopoleos & Antiochiæ nomen Chrysostomi reposuerunt in diptychis Ecclesiæ, id est, in libris in quibus descripta erant nomina Episcoporum defunctorum; quæ in Liturgia recitabantur, ut eorum memoriæ communicaretur, precésque pro eis fierent. Cyrillus Episcopus Alexandrinus, Theophili successor, acriter contendit id fieri non debere, scripta ad Atticum Episcopum CP. gravissima epistola, qua aiebat id contra canones esse & adversum auctoritati judicij pro depositione lati, neque ea ratione revocandam esse pacem Ecclesiæ ut interim vulnus atrocissimum canonibus infligatur. Attamen rediit occidentalibus & orientalibus concordia post restitutionem nominis Chrysostomi. Quare non sine causa scribere hæc potuit Papa Gelasius in epistola ad Episcopos Dardaniæ: *Ioannem Constantinopolitanum synodus etiam catholicorum Præsulum certè damnarat; quem simili modo sedes apostolica, etiam sola, quia non consensit, absolvit.* Quæ tamen verba non ita intelligenda sunt, tametsi ea sit multorum persuasio, ut hinc colligi videatur synodum non esse executoriam absque confirmatione Summi Pontificis. Nam nihil aliud hinc erui potest quàm sedem apostolicam non consensisse executioni hujus judicij adversùs Chrysostomum lati, tum quia ipse appellaverat, tum etiam quòd irritum prorsùs & nullum censendum illud esset, orientales verò, cùm nihil ex obstinata severitate Pontifex Romanus remitteret, necessitate quadam coactos cessisse ejus voluntati, ut pacem Ecclesiarum ea occasione interruptam restituerent.

Videlib. 5. cap. 7. §. 2.

Tom. II.

CAPVT X.

Synopsis.

I. Ioannes Patriarcha Alexandrinus à Petro Moggo dejectus, Papam Simplicium appellavit.

II. Summi Pontifices non solùm cognoscebant de appellationibus orientalium, sed etiam primam causæ cognitionem in se trahebant, si de hæresi ageretur. Materia enim fidei est causa communis. Eo jure usus est Celestinus adversùs Nestorium.

III. Si post damnatam hæresim Patriarchæ adhærerent hæreticis, deponi poterant à Summo Pontifice & synodo Romana, absque Concilio Oecumenico. Tunc enim Papa se præstat executorem sententiæ latæ adversùs hæresim. Probatur ex Gelasio.

IV. Gregorius magnus judicavit appellationes interpositas à sententiis Patriarchæ Constantinopolitani.

I. MAGNI etiam momenti est appellatio Ioannis Patriarchæ Alexandrini, quem Petrus Moggus hæreticus, jubente Imperatore Zenone, & consentiente Acacio Episcopo Constantinopolitano, episcopatu deturbavit. Imploravit dejectus ille auxilium Calendionis Patriarchæ Antiocheni; ex cujus & synodi Orientis sententia Papam Simplicium appellavit, ut scribit Liberatus Archidiaconus Ecclesiæ Carthaginensis in capite XVIII. Breviarij: *Ioannes ingressus est ad Calendionem Patriarcham; & sumptis ab eo intercessionis synodicis literis, Romanum Pontificem appellavit, sicut fecit & beatus Athanasius; & suasit scribere pro se Acacio Constantinopolitano.*

II. Non solùm autem Summi Pontifices cognoscebant de appellationibus Episcoporum & Patriarcharum Orientis, quando agebatur de fide, sed etiam primam causæ cognitionem ad se trahebant, si fortè in hæresim incidissent. Nam quia materia fidei est causa communis & generalis, quæ ad universam Ecclesiam pertinet, ut suprà dixi, necesse est ut hæresis ab omnibus Episcopis damnetur, præcipuè verò à Romano, qui caput est unitatis, & qui cùm primam sedem obtineat, ferre debet primam sententiam; *cujus debet esse prima sententia*, ut loquitur Facundus Hermianensis. Eóque jure vsus est Celestinus Papa adversùs Nestorium.

III. At si jam hæresis in synodo damnata fuisset, quemadmodum Eutychiana in Concilio Chalcedonensi; tum, si Patriarchæ communionem hæreticorum amplecterentur, deponi poterant à Summo Pontifice & synodo Romana, neque necessaria erat synodus Oecumenica. Eo enim casu Papa

Tt

se tantùm præstat executorem sententiæ latæ adversùs auctores hæreseos & eorum complices. Ei fundamento innixus Gelasius Papa, Acacij Patriarchæ Constantinopolitani, qui à Felice Papa dejectus fuerat in synodo Romana, depositionem tuetur adversùs exceptionem Euphemij Patriarchæ Constantinopolitani, qui aiebat decessorem suum non potuisse damnari ab uno, id est, à Summo Pontifice, absque congregatione synodi. Respondet itaque Gelasius in commonitorio ad Faustum: *In qua*, id est, in synodo Chalcedonensi, *per numerosam sententiam Sacerdotum erroris hujus auctores constat fuisse damnatos, decessorémque meum executorem fuisse veteris constituti, non novæ constitutionis auctorem.*

Vide lib. 4. c. 17. §. 1.

IV. Auctoritatem judicandi de appellationibus interpositis à sententiis à Patriarcha CP. latis in causa fidei retinuit Gregorius magnus: cujus rei exempla extant in causa cujusdam Presbyteri Chalcedonensis, & monachi cujusdam Lycaoniæ, qui à Ioanne Patriarcha Constantinopolitano appellaverant.

CAPVT XI.

Synopsis.

I. Inquiritur an canones Sardicenses in Occidente obtinuerint in gratiam Episcoporum dejectorum. Quid Occidentis nomine significetur. Variæ Occidentis Diœceses enumerantur.

II. Serò itaque canones Sardicenses recepti sunt in Occidente. Nam Principes causas retractari jubebant jure suo; quo eos privare noluit Concilium Sardicense.

III. Ex constitutione Gratiani, qua valde amplificata est auctoritas Episcopi Romani, colligitur eos canones nondum fuisse receptos in usum.

IV. Ei constitutioni edendæ occasionem præbuit Romana synodus, quæ ægrè ferebat Episcopos in singulis occasionibus accedere ad Imperatores pro impetranda revisione. Ordo itaque judiciorum nova lege explicatus est à Gratiano, qua plurimum auctoritatis tribuit Episcopo Romano.

V. Referuntur verba rescripti hujus Principis.

VI. Missum est illud in executionem quadriennio pòst, in causa Priscilliani & sectatorum ejus: qui cùm damnati fuissent in synodo Cæsaraugustana, Romam accesserunt, ut Damaso coram objecta purgarent. Sed ne in conspectum quidem ejus admissi sunt.

VII. Redditi sunt postea Ecclesiis suis à Gratiano. Sed rursum damnati sunt, post mortem Gratiani, studio Ithacij Episcopi.

VIII. Sulpitius Severus ægrè fert appellationem Priscilliani non cohibitam fuisse ab Episcopis qui sententiam adversùs eum tulerant. Loquitur autem de appellatione ad Imperatorem. Explicatur locus Sulpitij Severi.

I. SATIS, ut arbitror, Orientem spectavimus. Redeamus itaque ad Occidentem; & videamus an illic obtinuerint canones Sardicenses in gratiam Episcoporum dejectorum. Occidentis nomine per eas tempestates comprehendebantur universæ Ecclesiæ quæ tum continebantur intra terminos Imperij occidentalis, à confinio Thraciæ usque ad Oceanum. Distinctio illa Orientis & Occidentis introducta fuit in Imperio temporibus Vespasiani, tametsi corpus Imperij divisum non esset. Sed divisionem illam peregit Diocletianus: cujus exemplum imitatus Constantinus Imperium divisit inter filios suos, iis limitibus Imperiorum constitutis qui dein Ecclesiarum quoque limites fuere. Divisus autem erat Occidens, æquè ac Oriens, in Tractus & Diœceses numero septem. In Italia quippe duæ Diœceses erant; quarum una urbi Romanæ contributa erat, & decem provincias complectebatur; altera verò, quæ constabat ex septem provinciis, civitati Mediolanensi suberat. In Illyrico provinciæ erant XVIII. quarum caput erat Sirmium. Cùm autem divisum illud fuisset in orientale & occidentale, Thessalonica constituta est caput Illyrici orientalis; reliqua verò Illyrici pars Præfecto prætorio Italiæ subjecta fuit. Africana Diœcesis sex provincias complectebatur, quarum caput erat Carthago. Diœcesis verò Gallicana ex XVII. provinciis constabat. Britannica quinque provincias numerabat; Hispanica verò, sex. Hæc in antecessum monenda erant, ut faciliùs intelligi possent ea quæ heic dicturi sumus.

II. Canones Sardicenses, qui in schismate Ecclesiæ conditi fuerant, serò in Occidente recepti sunt: quoniam Imperatores rescriptis suis decernebant celebrationem synodorum ad judicandas causas Episcoporum, tum etiam rescripta concedebant pro retractatione causarum. Eo autem jure privare Principes noluit synodus Sardicensis; sed tantùm in Episcoporum depositorum arbitrio positum esse voluit Episcopum Romanum vel Imperatoratorem appellare pro obtinenda causæ revisione.

III. Confusio quæ in his synodis occurrebat, & lentitudo negotiorum quas invehebant rescripta Principum, novæ constitutioni occasionem præbuerunt, quæ ab Imperatore Gratiano edita est juxta postulata cujusdam synodi Romanæ. Gratianus ergo jurisdictionem ecclesiasticam ordinavit quoad judicia Episcoporum de hæresi suspectorum; & in ea lege magna ratio habetur Summi Pontificis, sed alio prorsùs modo quàm eo qui fuerat præscriptus in synodo Sardicensi. Vnde colligitur eos

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

canones nondum fuisse receptos in usum. Nam aut eundem ordinem tenuisset Gratianus, aut saltem eorundem canonum mentionem fecisset.

IV. Synodus Romana congregata anno CCCLXXVIII. ex omnibus Episcopis Italiæ, oravit Gratianum & Valentinianum Impp. ut constitutionem ea de causa generalem ederent, in eum sensum quem ipsa suggerebat, ne Episcopi deinceps cogerentur ad Principem accedere in singulis occasionibus. *Quæsumus*, inquiunt Episcopi, *clementiam vestram ne rursus in plurimis causis videamur onerosi, ut jubere pietas vestra dignetur.* Itaque rogante synodo, triginta annis post habitum Sardicense Concilium, auctoritate imperiali decretum est ut Papa Damasus apud Romam judicet accusationes cum consilio quinque aut septem Episcoporum, & ut accusati compellantur à Præfectis prætorio, Proconsulibus, aut Vicariis eas Ecclesias dimittere à quibus dejecti fuerint, aut Romano se Pontifici sistere ad subeundum judicium. Si verò accusati consistant in longinquioribus provinciis, omnis ejus causæ cognitio pertinebit ad Metropolitanum illius provinciæ. Sed si accusatus fuerit Metropolitanus; tum is debet necessariò Romam venire, illic judicandus, aut ad Episcopos accedere quos Papa judices dederit. At si fortasse Metropolitani suspecti essent accusatis, tum eis pro libito licebit provocare ad Romanum Pontificem aut ad Concilium quindecim finitimorum Episcoporum. Statuunt autem Imperatores ut quicquid à Pontifice Romano, sive à judicibus ab eo datis, sive à Metropolitano, aut etiam à Concilio quindecim Episcoporum fuerit statutum, prorsùs obtineat; adeo ut in controversiam deduci non possit, etiam prætextu revisionis, aut alio quovis modo.

V. Vir clarissimus Sirmondus epistolam Concilij Romani itémque rescriptum Gratiani edidit in appendice Codicis Theodosiani. Quanquam rescriptum illud editum fuerat à Baronio in tomo quarto annalium, sed minùs emendatè. Ea autem quæ ex ea constitutione retulimus, habentur in his verbis: *Volumus autem ut quicunque judicio Damasi, quod ille cum consilio quinque vel septem habuerit Episcoporum, vel eorum qui catholici sunt judicio vel consilio condemnatus fuerit, si injustè voluerit Ecclesiam retentare, ut qui evocatus ad sacerdotale judicium per contumaciam non iviſſet, aut ab illustribus viris Præfectis prætorio Galliæ atque Italiæ, sive à Proconsulibus, vel Vicariis, auctoritate adhibita, ad episcopale judicium remittatur, ut ad urbem Romam sub prosecutione perveniat. Aut si in longinquioribus partibus alicujus ferocitas talis emerserit, omnis ejus causæ dictio ad Metropolitæ in eadem provinciæ Episcopi deducatur examen. Vel si ipse Metropolitanus est, Romam necessariò, vel ad eos quos Romanus Episcopus judices dederit, sine dilatione contendat.* Infrà: *Quò si vel Metropolitani Episcopi vel cujuscunque Sacerdotis iniquitas est suspecta aut gratia, ad Romanum Episcopum vel ad Concilium quindecim finitimorum Episcoporum liceat provocare; modò ne, post examen habitum, quod definitum fuerit integretur.*

VI. Executionis hujus rescripti exemplum extat anno CCCLXXXI. in causa Priscilliani hæretici, hominis Hispani, Instantiique Episcopi & Salviani sectatorum ejus, qui damnati fuerunt in Concilio Cæsaraugustano. Hi ergo, post sententiam synodi, Romam accesserunt, ut Damaso coram objecta purgarent; sed ne copiam quidem sui facere voluit Pontifex, ut Sulpitius Severus adnotavit in libro secundo historiæ sacræ. *Instantius*, inquit, *Salvianus, & Priscillianus Romam profecti, ut apud Damasum Vrbis ea tempestate Episcopum objecta purgarent.* Infra: *Hi ubi Romam pervenere, Damaso se purgare cupientes, ne in conspectum quidem ejus admissi sunt.*

VII. Sed postea rescriptum ab Imperatore Gratiano impetrarunt, quo missa est in irritum sententia adversùs eos lata in Concilio Cæsaraugustano, Ecclesiisque suis redditi sunt. Post mortem Gratiani, Ithacius Episcopus Hispanus, qui primum judicium adversùs Priscillianum procuraverat, Imperatorem Maximum adiit, qui Gallias, Hispanias, & Britanniam sub imperium acceperat: à quo synodum Burdigalæ in Aquitania secunda cogendam impetravit, in qua Instantius ab episcopatu suo dejectus est. Priscillianus verò cùm jurisdictionem Episcoporum refugeret, provocavit ad Imperatorem; auditúsque apud urbem Treverensem, capite damnatus est à Præfecto prætorio, unà cum quibusdam sectatoribus suis.

VIII. Sulpitius Severus, cui narrationem hanc debemus, ægrè fert quòd Episcopi acquieverint appellationi Priscilliani, quem potiùs damnare debuerant velut contumacem; vel si ipsi reo suspecti essent, judicium illud reservare debuerant aliis Episcopis, non autem Imperatori, ut ipse ait; idque eam hauddubiè ob causam, quòd judicium de hæresi ad jurisdictionem ecclesiasticam pertineret post editam Gratiani constitutionem. *Priscillianus verò ne ab Episcopis audiretur*, inquit Severus, *ad Principem provocavit. Permißúmque id nostrorum incon-*

stantia : quia aut sententiam in refragrantem ferre debuerant, aut se sibi ipsi suspecti habebantur, aliis Episcopis audientiam reservare, non causam Imperatori de tam manifestis criminibus permittere. Arbitror autem temperamentum illud, à Sulpitio Severo propositum, nimirum ut rei ad aliud Episcoporum Concilium dimittantur ob suspicionem primorum judicum, ex rescripto Gratiani petitum esse; nisi si id factum est ob receptum ea tempestate morem, ut si fortè synodus cuipiam suspecta videretur, Princeps reum & actorem ad aliud Concilium dimitteret, quod literis imperialibus contrahebatur, ut constat ex actis Concilij Berytensis relatis in actione nona Concilij Chalcedonensis. Vnde sequi videatur eam Severo mentem fuisse ut existimaverit potuisse Maximum congregare aliam synodum, eò quòd Episcopi Burdigalæ congregati reo suspecti forent.

CAPVT XII.

Synopsis.

I. Ætate Innocentij primi canones Sardicenses nondum recepti erant. Is enim jura sedis suæ arcessit à Concilio Nicæno.

II. Canon sextus Nicænus conservavit privilegia Ecclesiæ Romanæ. Inquiritur in privilegia illa. Duæ Diœceses Italicæ prorsùs parebant constitutis apostolicæ sedis. Cetera verò Occidentis Ecclesiæ tenebantur ad eam mittere relationes.

III. Tenebantur ergo referre ad apostolicam sedem de quæstionibus difficilioribus & ambiguis. In quo Summus Pontifex utebatur jure quodam imperiali.

IV. Duplex relationum genus in Ecclesia. Vel quando de fide agebatur, vel de quodam disciplinæ capite nondum apertè definito in canonibus. Inferioris ordinis Episcopi referre ad Patriarchas debebant de causis fidei. Probatur ex Hieronymo.

V. Causæ ergo fidei referebantur ex utraque Ecclesia ad Pontificem Romanum, ut deintegro examinarentur in synodo Romana. Relationes Orientis non mittebantur ad apostolicam sedem nisi post examen synodi patriarchalis. Relationes verò Occidentis rectà ex provinciis ad eam sedem deferebantur.

VI. Jus illud apostolicæ sedis canonibus & vetustæ consuetudini tribuit Innocentius primus. Quoad canones, probatur ex illius epistola ad Concilium Milevitanum.

VIII. Quoad antiquam verò traditionem, eam ille obtendit in epistola ad Concilium Carthaginense. Referuntur verba illius epistolæ, & explicantur. Gelasius Papa docet in causis fidei summam totius judicij deberi apostolicæ sedi. Justinianus Imp. relationem ad Ioannem secundum Papam misit in causa fidei.

I. NONDUM etiam recepti erant canones Sardicenses ætate Innocentij primi, id est, ad annum quadringentesimum. Jus enim quod ille vindicat sedi suæ, prorsùs petit à canonibus synodi Nicænæ: quorum sensum, quoad jura Romani Pontificis in Occidente, primus ille aperuit in epistola ad Victricium Episcopum Rothomagensem. Quoniam verò hic locus nondum satis explicatus est, ut ego quidem arbitror, ei explicando nostra quoque cura non deerit; præsertim cùm res ista pertineat etiam ad materiam quam tracto, ad depositionem videlicet Episcoporum.

II. Canon sextus Nicænus privilegia sua, in quorum possessione tunc erat Ecclesia Romana, ei conservavit, æquè ac Ecclesiis Alexandriæ & Antiochiæ, aliisque quarum magna dignitas erat. Verùm non explicat quænam fuerint illa privilegia, aut ad quas provincias porrigerentur; quin imò cuncta consuetudini adscribit, quæ facilè deprehendi non potest in illa antiquitate, eò quòd novi canones prorsùs mutaverint antiquam formam. Vnde fit ut hodie multùm laboremus in detegendis juribus illis. Attamen affirmare licet duas Diœceses Italicas sedis apostolicæ constitutis omnino paruisse per illas tempestates; quòd synodum ejus patriarchalem constituerent, ut alibi ostendi. At ceteræ Occidentis provinciæ tenebantur mittere ad eam relationes, tanquam ad sedem in qua residebat principatus sedis apostolicæ, & unde fides manaverat in provincias. Roma ergo erat velut matrix fidei. Ecclesiæ verò ceterarum Occidentis provinciarum erant velut coloniæ quædam ab ea urbe pendentes. in quo similes erant Ecclesiis Italicis. Hic est sensus epistolæ Innocentij primi ad Decentium Episcopum Eugubinum: *Præsertim cùm sit manifestum*, inquit, *in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, insulásque interjacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos quos venerabilis Apostolus Petrus aut ejus successores constituerunt Sacerdotes.* Infrà: *Oportet eos hoc sequi quod Ecclesia Romana custodit, à qua eos principium accepisse non dubium est; ne dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videantur omittere.*

III. Subjectio illa provinciarum Occidentis quæ ad synodum patriarchalem Romanam non pertinebant, non versabatur tantùm in reverentia quadam & obsequio erga sedem apostolicam, sed in eo præcipuè quòd illæ tenerentur referre ad Pontifices Romanos de quæstionibus difficilioribus & ambiguis quæ incidebant. In quo Summus Pontifex utebatur jure quodam imperiali, quod probat supremam ejus auctoritem. Frustra enim sunt qui eam

quærunt in appellationibus Episcoporum, quæ in veteri Ecclesia non recipiebantur.

Vide lib. 1. cap. 10

IV. Sed ut meliùs intelligamus quid eximium habeat jus illud relationis, observandum est nomen illud ex jure civili sumptum esse : ubi legimus Præsides provinciarum relationes ad Principem misisse, quando dubiæ litis occasio id exigebat. cujus rei exempla extant in Codice Theodosiano & Iustinianeo. Quem relationum morem à Plinio Secundo, cùm ad ordinandam Bithyniam & Pontum à Trajano Principe missus esset, frequenter usurpatum fuisse legimus. In Ecclesia verò duo causarum genera erant in quibus necessarius erat usus relationum. Nimirum quoties agebatur de fidei controversæ capitibus, vel de quopiam dubiæ disciplinæ capite nondum satis apertè definito in canonibus. Nam quoad materiam fidei, extat insignis locus apud Hieronymum in epistola LXI. quæ data est ad Ioannem Episcopum Hierosolymorum; ex qua patet eam necessitatem inferioris ordinis Episcopis incubuisse, ut ab iis referendum esset ad Patriarchas de causis fidei. Scribens enim, ut dixi, ad Ioannem Episcopum Hierosolymitanum, cum eo graviter expostulat quòd obortis in Palæstina controversiis de erroribus Origenis, de iis retulisset ad Theophilum Episcopum Alexandrinum; cùm potiùs juxta Nicæni canonis præscriptum referre debuisset ad Metropolitanum suum, Episcopum videlicet Cæsarienſem, aut ad Episcopum Antiochiæ, qui Orientis atque adeo Palæstinæ Metropolitanus erat. *Antiochiam*, inquit, *quæ est metropolis Orientis, referre debueras.*

V. Causæ ergo fidei ad Summum Pontificem referebantur post judicia synodorum provincialium, non solùm ex Occidente, sed etiam ex Oriente, ut deintegro examinarentur in synodo Romana. Sed illud discrimen intercedebat, quòd relationes Orientis non mittebantur ad apostolicam sedem nisi postquam examinatæ fuerant in synodo patriarchali; cùm è contra relationes Occidentis rectà ex provinciis ad sedem Romanam commearent. Sic post damnatam Pelagij & Celestij hæresim Concilium Carthaginense & Milevitanum relationem ad Innocentium primum miserunt anno quadrigentesimo secundo, ut judicium ab ipsis latum sedis apostolicæ auctoritate firmaretur. Hæc sunt verba epistolæ Concilij Milevitani ad Innocentium : *Hoc itaque gestum, Domine frater, sanctæ caritati tuæ intimandum duximus, ut statutis nostræ mediocritatis etiam apostolicæ sedis adhiberetur auctoritas.* De relationibus utriusque Concilij habita cognitio est in Concilio Romano. Sic enim eorum synodicas epistolas vocat Innocentius in epistola XXVII. ad Aurelium Episcopum Carthaginensem, missa per Iulium Episcopum, quem ad eundem Aurelium redire jussit *cum apostolicæ sedis ad relationem duplicis synodi judicatis.* Idem quoque relationis vocabulum usurpat ipse Innocentius in epistola ad eundem Aurelium & Augustinum Hipponensem Episcopum, quæ est XCVI. inter epistolas Augustini: *Vestris relationibus respondentes rescripsimus.* Itémque in responsione ad Concilium Milevitanum, epistola XCI. inter epistolas ejusdem Augustini : *Fiant enim necesse est cautiores, cùm inventores malorum ad duplicis relationem synodi, sententiæ nostræ statutis viderint ab ecclesiastica communione sejunctos.*

VI. Ius illud apostolicæ sedis, recipiendi nimirum relationes synodorum, canonibus & vetustæ consuetudini tribuit idem Innocentius. Nam quoad canones, illos laudat in epistola quam diximus ad Concilium Milevitanum, quam iis verbis conceptam esse ait Augustinus in epistola CVI. quæ sedis apostolicæ Sacerdotem decebant. Nam postquam synodum illam laudibus prosecutus est quòd eo officio defuncta esset erga sedem apostolicam, exemplo aliarum provinciarum, addit Africanos ita agentes, canonum constituta servasse, & universo orbi profuisse quòd hæresim damnaverint. *Neque enim*, inquit Innocentius, *hoc vestram credo latere prudentiam, qui id etiam actione firmastis, scientes quòd per omnes provincias de apostolico fonte petentibus responsa semper emanent; præsertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres & coëpiscopos nostros nonnisi ad Petrum, id est, sui nominis & honoris auctorem, referre debere, velut nunc retulit dilectio vestra, quod per totum possit Ecclesiis omnibus in commune prodesse.* Infrà : *Gemino igitur bono caritas vestra fungetur. Nam & canonum potiemini gratia servatorum, & beneficio vestro totus orbis tutabitur.*

VII. Quoad antiquam verò traditionem, disciplinam ecclesiasticam, ac decreta patrum, laudantur ab eo isthæc omnia ad asserendum Romanæ sedis privilegium in epistola ejus ad synodum Carthaginensem, quæ est XCII. inter epistolas Augustini. *Antiquæ traditionis exempla servantes*, ait idem Innocentius, *& ecclesiasticæ memores disciplinæ, nostræ religionis vigorem non minùs nunc in consulendo, quàm antea cùm pronuntiaretis, veneratione firmatis, qui ad nostrum referendum approbastis esse judicium, scientes quid apostolicæ sedi debeatur; cùm omnes hoc loco positi, ipsum sequi desideremus Apostolum, à quo ipsè*

episcopatus & tota auctoritas nominis hujus emersit. Quem sequentes, tam mala jam damnare novimus quàm probare laudanda, vel id verò quod patrum instituta sacerdotali officio custodientes, non censetis esse calcanda; quod illi non humana, sed divina decrevere sententia; ut quidquid quamvis de disjunctis remotisque provinciis ageretur, non priùs ducerent finiendum, nisi ad hujus sedis notitiam perveniret, ut tota hujus auctoritate justa quæ fuerit pronuntiatio firmaretur. Clausula illa generalis, QUIDQUID, coërceri debet ad materiam qua de agitur, juxta vulgatam juris definitionem. Atque adeo restringenda est ad causas fidei; ut docet Innocentius ipse in epistola ad Concilium Milevitanum: *Præsertim*, inquit, *quoties fidei ratio ventilatur.* Quare rectè Gelasius Papa in commonitorio ad Faustum scripsit principalem auctoritatem, licèt non totam, deberi juxta canones sedi apostolicæ in causa fidei: *Quantum ad religionem pertinet, nonnisi apostolicæ sedi, juxta canones, debetur summa judicij totius.* Extat autem in Codice Iustinianeo relatio in causa fidei à Iustiniano Augusto facta ad Ioannem secundum Pontificem Romanum.

L. Inter claras. C. De sum. Trin.

CAPVT XIII.

Synopsis.

I. Referebatur etiam ad sedem apostolicam de causis dubiæ disciplinæ. Ratio hujus instituti proponitur, petita ex necessitate communionis cum Ecclesia Romana. Relatio & consultatio promiscuè accipiuntur. Probatur multis auctoritatibus.

II. Relationes itaque & consultationes ad apostolicam sedem mittebantur in capitibus dubiæ disciplinæ. Quod ostenditur exemplo Himerij Episcopi Tarraconensis; qui Siricium Papam interrogavit de quindecim capitibus disciplinæ, quæ magni momenti erant.

III. Probatur etiam ex Innocentio primo, qui morem illum arcessit ab institutione majorum.

IV. Ea autem mens fuit Romanis Pontificibus, quum consultationibus provincialium respondebant, non ut novas leges præscriberent, sed ut eos revocarent ad observationem canonum & antiquæ traditionis. Probatur ex eodem Innocentio, & Leone primo.

V. Episcopi adstricti erant ad observationem harum responsionum, quòd decisiones essent ex canonibus aut ex traditione petitæ. Quare Siricius epistolam suam ad Himerium significari jubet omnibus Episcopis Hispaniarum.

VI. Locus ex epistola Innocentij ad Victricium Rothomagensem explicatus. Synodus illic memorata, non est Sardicensis, sed Nicæna. Sardicensis enim nihil statuit de relationibus ad Summum Pontificem mittendis in causa fidei.

VII. Canonibus tamen Nicænis modum quendam præscribit Innocentius; qui petitus est ex canone sexto ejusdem Concilij Nicæni. Explicatur locus Innocentij contra pravas aliorum interpretationes, qui de depositionibus Episcoporum tantùm hoc agi existimant, quòd majores causæ ad apostolicam sedem referri hoc jubeantur.

VIII. Quæ sint causæ majores. Priscis illis temporibus depositiones Episcoporum non referebantur inter causas majores. id quod manifestum est, & probatur variis auctoritatibus. Majores causæ, id est, difficiles quæstiones, ex Pelagio secundo Papa.

IX. Causæ simplicium Presbyterorum ad sedem apostolicam referebantur quando de fide agebatur. Probatur multis exemplis. Ergo causæ quoque Presbyterorum possunt esse majores.

X. Existimat tamen Hincmarus Innocentium alludere ad Concilium Sardicense, tametsi solius Nicæni mentionem faciat. Relationem autem ad eum casum coërcet, si Episcopi appellaverint. Refellitur Hincmarus multiplicibus argumentis. Siricius & Innocentius nullos canones, præter Nicænos, in auctoritatem receperunt. Nullos enim alios canones tunc admittebat Ecclesia Romana.

I. PRÆTER causas quæ ad fidem pertinebant, relationes etiam fiebant ad sedem apostolicam in causis dubiis disciplinæ canonicæ. Ea quippe tempestate Romana Ecclesia ac ceteræ Occidentis nulla alia lege tenebantur quàm Nicænis canonibus & more majorum; quarum institutionum auctoritas sanctiùs observabatur in Ecclesia Romana, ubi quoque apertior erat earum sententia. Quare cùm provinciis Occidentis ea necessitas incumberet ut capiti suo consentire deberent tam in capitibus disciplinæ quàm fidei, relationes ea de causa suas ac consultationes ad apostolicam sedem mittebant. Consultationes voco, quòd hæc duo vocabula promiscuè accipiantur in Digestis, Codice Theodosiano, & Iustinianeo. Quo exemplo scriptores quoque ecclesiastici promiscuè his vocibus usi sunt. Inde factum ut Hieronymus in epistola ad Ageruchiam, de se loquens, dicat se apud Damasum operam dedisse ut *Orientis atque Occidentis synodicis consultationibus* responderet. Et Innocentius primus ad Concilium Milevitanum scribens, hujusmodi relationes, *Consulta* vocat; ac testatur eam fuisse unam ex occupationibus ordinariis apostolicæ sedis ut hujusmodi: consultationibus responderet: *Inter ceteras Ecclesiæ Romanæ curas & apostolicæ sedis occupationes, quibus diversorum consulta fideli ac medica disceptatione tractamus.* Si quis tamen argumentum requirat manifestius ad probandum voces relationis & consultationis promiscuè accipi consuevisse, proferenda sunt verba Siricij Papæ in epistola ad Himerium Episcopum Tarraconensem in Hispani citeriori. *Directa*, inquit, *ad decessorem nostrum sanctæ recordationis Damasum sanctitatis tuæ relatio me jam in sede ipsius constitutum invenit: quam cùm in conventu fratrum sollici-*

tiùs legeremus &c. Infrà : *Ad singula consultationi tuæ responsum competens non negamus.* In libris quoque juris civilis hæ voces promiscuè etiam accipiuntur. L. 3. C. de relat.

II. Adnotavi suprà, mitti solitas ad sedem apostolicam relationes sive consultationes in capitibus dubiæ disciplinæ. Hujus rei exemplum extat in consultatione Himerij Tarraconensis Metropolitani ad Siricium Papam missa; qua eum interrogavit de quindecim capitibus disciplinæ, quæ magni momenti erant, de baptismo nimirum, pœnitentia, Clericis, eorúmque cœlibatu, ac de monachis. Siricius verò, priscæ ætatis Pontifex, qui anno CCCLXXXV. & deinceps sedebat, consultationem illam profectam esse pronuntiat ex mero jure obsequij quod sedi apostolicæ debetur. Sic enim scribit in calce epistolæ ad Himerium: *Ad singulas causas de quibus ad Romanam Ecclesiam, utpote ad caput tui corporis, retulisti, sufficientia, quantum opinor, responsa reddidimus.*

III. Earum consultationum usus in dubiis disciplinæ causis, disertis verbis expressus habetur in epistolis Innocentij primi, qui eum arcessit ab institutione majorum in epistola ad Felicem Episcopum Nucerianum. *Mirari non possumus*, inquit, *dilectionem tuam sequi instituta majorum, omniáque quæ possunt aliquam recipere dubitationem ad nos quasi ad caput atque ad apicem episcopatus referre; ut consulta videlicet sedes apostolica ex ipsis rebus dubiis certum aliquid faciendum pronuntiet.* Excipi posset Felicem illum Episcopum Nucerianum pertinuisse ad Diœcesim Romanam, quòd Nuceriana civitas esset in provincia Capuana. Itaque rei hujus probatio aliunde petenda est. Eam autem valde illustrem exhibet altera ejusdem Innocentij epistola data ad Exuperium Episcopum Tolosanum, à quo consultus fuerat Innocentius. *Et quidem dilectio tua*, inquit, *institutum sequuta prudentium, ad sedem apostolicam referre maluit quid de rebus dubiis custodire deberet, potiùs quam usurpatione præsumpta quæ sibi viderentur de singulis obtinere.*

IV. Verùm illustriora hujus moris exempla petenda sunt primùm ex epistola Innocentij ad universos Episcopos Macedoniæ, in qua missæ ab eis relationi de dubiis disciplinæ respondet : *Ad quam*, id est, sedem apostolicam, *relatio quasi ad caput Ecclesiarum missa currebat.* Tum ex ejusdem epistola ad Victricium Episcopum Rothomagensem, qua ejus consultationi respondet. Ex ea autem colligitur regula valde illustris, eam nimirum Romanis Episcopis mentem non fuisse, quum responsa dabant post consultationes, ut novas leges his responsis præscriberent, aut nova statuta inveherent, sed tantùm ut Christianorum mentes revocarent ad observationem canonum & antiquæ traditionis. *Non quòd*, ait Innocentius, *nostra præcepta aliqua imperentur, sed ea quæ per desidiam aliquorum neglecta sunt, ab omnibus observari cupiamus, quæ tamen apostolica & patrum constitutione sunt constituta.* Ex eo porrò fonte manat quod Leo primus alicubi scribit, decreta sua ac decessorum suorum ex canonum disciplina esse petita; *De canonum*, inquit, *sunt promulgata disciplinis.*

V. Responsa tamen illa non ita accipienda sunt ac si simplicis tantùm consilij vicem subirent, sed velut decisiones ex canonibus aut ex traditione petitæ, ad quarum observationem Episcopi erant adstricti. Eam ob causam Siricius Himerio mandat ut responsa sua deferri curet ad Episcopos provinciæ Tarraconensis, itémque ad eos qui in reliquis quatuor Hispaniarum provinciis morabantur, in Carthaginensi nimirum, quæ nunc Toletana dicitur, Bætica sive Andalusia, Lusitania, & Gallæcia. *Nunc fraternitatis tuæ animum*, inquit Siricius, *ad servandos canones & tenenda decretalia constituta magis ac magis incitamus, ut hæc quæ ad tua consulta rescripsimus, in omnium coëpiscoporum nostrorum perferri facias notionem.*

VI. In eadem epistola Innocentij ad Victricium extat illius Pontificis perscriptum desiderium quoad causas Episcoporum, sed iis verbis quæ molestos hactenus habuerunt eruditos. Contendebat quippe Innocentius majores causas esse referendas ad sedem apostolicam post judicium Episcoporum uniuscujusque provinciæ, juxta synodi constitutum & vetustam consuetudinem. *Si autem*, inquit, *majores causæ in medium fuerint devolutæ, ad sedem apostolicam, sicut synodus statuit, & vetus consuetudo exigit, post judicium episcopale referatur.* Ex epistola porrò Innocentij ad Concilium Milevitanum, in qua contendit jus relationis in materia fidei ad sedem apostolicam pertinere juxta canones, & ex hoc epistolæ ad Victricium loco, qui synodo tribuit auctoritatem referendi de causis majoribus, ex his inquam locis colligitur heic agi de causis dubiis fidei & disciplinæ, non autem simpliciter de depositionibus Episcoporum, aut in universum de omnibus causis, ut vulgo putant. Synodus verò cujus hoc loco mentionem facit Innocentius, & canones in epistola ad Milevitanum Concilium laudati, omnino sunt alij præter Sardicenses. Innoc. in ep. ad Victric. c. 3.

Synodus enim Sardicensis nihil statuit de relationibus ad Summum Pontificem mittendis in materia fidei. Itaque synodus illa ab Innocentio laudata non alia est quàm Nicæna, cujus ipse mentio facit in initio hujus capitis tertij; ubi ait causas Clericorum, tam superioris ordinis, quàm etiam inferioris, terminandas esse secundùm Nicænam synodum ab Episcopis provinciæ, adeo ut non liceat ad alias convolare provincias.

Vide lib. 1. c. 10. §. 6.

VII. Canonibus tamen Nicænis modum quendam præscribit Innocentius his verbis: *Sine præjudicio tamen Ecclesiæ Romanæ, cui in omnibus causis debet reverentia custodiri.* Clausula illa petita est ex canone sexto ejusdem Concilij Nicæni; quo vetus consuetudo confirmatur pro conservatione jurium Patriarcharum & ceterorum Metropolitanorum, præcipuè verò pro juribus Episcopi Romani conservandis, qui illic expresè nominatur. Quare cùm Innocentius pronuntiat synodum Nicænam causas Clericorum superioris ordinis commisisse judicio synodorum uniuscujusque provinciæ, rectè addidit salvam tamen esse in omnibus debere reverentiam sedi Romanæ debitam, id est, servandam esse auctoritatem primatus Romani ab eadem Nicæna synodo confirmati. Quoniam verò exceptio illa vaga est & generalis, & ad causas Episcoporum & reliquorum Clericorum porrigitur, (hic est enim genuinus sensus horum verborum *in omnibus causis*) eam Innocentius apertè explicat in iis quæ sequuntur, quæ duo quædam probant, nimirum reverentiam illam versari in jure relationis, & relationem tamen fieri tantùm debere in causis majoribus, id est, in controversiis fidei & in dubiis disciplinæ causis. Et quia duo illa capita respicere possunt non solùm Episcopos, sed etiam reliquos Clericos, & laïcos, rectè scriptum est in initio capitis tertij servandam esse reverentiam Ecclesiæ Romanæ debitam, id est, mittendam esse relationem ad apostolicam sedem *in omnibus causis*, id est, in causis & contentionibus *quæ inter Clericos tam superioris ordinis quàm etiam inferioris fuerint exortæ.* Existimo autem eam explicationem multò meliorem esse ea quæ vulgò huic loco affingitur, verba nempe illa, *in omnibus causis*, nihil aliud significare quàm depositiones Episcoporum, quæ dein explicantur, ut aiunt, sub nomine causarum majorum. Nam interpretatio illa violenta est, ac verbis ipsis contraria; quæ, ut dixi, complectuntur causas Episcoporum & Clericorum, quoties eas contingit esse majores.

VIII. Ad faciliorem autem intelligentiam hujus materiæ, observandum est causas majores sedi apostolicæ reservatas ea tempestate restrictas fuisse ad duo capita superiùs allata, ad dubia videlicet fidei & disciplinæ, tum depositiones Episcoporum inter causas majores non fuisse relatas tempore Concilij Nicæni, neque deinceps per multum ævi. Harum observationum probatio in promptu est, & manifesta. Constat enim depositiones Episcoporum peragi olim solitas unica Episcoporum auctoritate, juxta canones Nicænos itémque Sardicenses, qui prorsùs obtinuerunt in Occidente usque ad tempora Nicolai primi; adeo ut si appellatio non interponeretur, depositiones illæ mandarentur executioni absque auctoritate Summi Pontificis. Præterea Pelagius secundus ad Ioannem Patriarcham CP. scribens circa annum DLXXVIII. locum hunc ex epistola Innocentij laudans & interpretans, ait unamquamque provinciam habere debere suos judices, Episcopos nimirum, ut in sua quælibet synodo causas terminet, tam Episcoporum quàm aliorum Clericorum, si appellatio non interponeretur. Tum addit majores & difficiles quæstiones referri semper debere ad apostolicam sedem, sicut synodus statuit, & consuetudo exigit. *Majores verò*, inquit, *& difficiles quæstiones, ut sancta synodus statuit, & beata consuetudo exigit, ad sedem apostolicam semper referantur.* Quibus verbis explicat verba Innocentij: *Majores causæ*, id est, *difficiles quæstiones.* In eundem sensum Leo primus, ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem scribens, tum demum causas Episcoporum referendas esse docet ad apostolicam sedem si quid inciderit admodum difficile, ita ut nec à synodo provinciali definiri potuerit, nec à synodo Illyriciana: *Si fortè inter ipsos qui præsunt de majoribus (quod absit) peccatis causa nascatur quæ provinciali nequeat examine definiri, fraternitatem tuam de totius negotij qualitate Metropolitanus curabit instruere; & si coram positis partibus nec tuo fuerit res sopita judicio, ad nostram cognitionem quidquid illud est transferatur.* Sanè Vigilius Pontifex Romanus ad Eutherij consulta respondens, ac causas commemorans sedi apostolicæ reservatas, judicia appellationum Episcoporum & majores causas velut quasdam res prorsùs diversas recenset. *Omnium appellantium apostolicam sedem Episcoporum judicia*, inquit, *& cunctarum majorum negotia causarum eidem sanctæ sedi reservata esse liquet.*

Pelag. 1. ep. 5.

Vide Anton. epist. 14.

IX. Præterea, causæ simplicium Presbyterorum, quando de fide agebatur, ad sedem apostolicam referebantur; ut patet ex causa

causa Pelagij & Celestij. Idem constat etiam ex causa Eustathij Diaconi, quem de hæresi suspectum esse censuerant Episcopi Macedoniæ: quem tamen gradu suo dejicere noluit Innocentius, tametsi ab Episcopis illis fuisset damnatus. Tum etiam proferri potest exemplum Eutychetis Archimandritæ Constantinopolitani. Vnde colligitur causas quoque Presbyterorum posse esse majores, æquè ac causas Episcoporum.

X. Ea est sententia Hincmari ut existimet Innocentium, tametsi Nicæni Concilij mentionem faciat in initio hujus capitis tertij epistolæ ad Victricium, alludere nihilominus ad Concilium Sardicense, cùm ait, *ad sedem apostolicam, sicut synodus statuit, referatur*, ac relationem illam tum demum fieri debere si Episcopi appellaverint. Hincmar. ep. 9. c. 12. & alibi. Hæc sunt verba Hincmari. *Beatus quoque Innocentius*, inquit, *ad Victricium Rothomagensem Episcopum duo capitula magni Concilij Nicæni & capitulum Sardicensis Concilij de Episcoporum ad sedem apostolicam appellatione uno capitulo sagaciter atque patenter explicat.* Hæc est sententia Hincmari, ut dixi. Sed multa sunt quæ me ab eo discedere cogunt. Primùm enim propositio Innocentij puris & manifestis verbis concepta est, nulla conditione adjecta. Decernit autem ut ad sedem apostolicam referatur in omnibus causis majoribus, absque ullo discrimine. Et tamen Hincmarus eas relationes coërcet ad solas Episcoporum depositiones, si fortè provocaverint. Deinde, causæ majores propriè sunt illæ quas commemoravi, non autem judicia Episcoporum; nisi si in judiciis illis incideret difficilis quæpiam quæstio nondum à canonibus definita, ut adnotavit Hincmarus ipse in epistola ad Nicolaum primum, quæ extat apud Flodoarduin, cujusque infrà mentionem faciam in capite XXI. hujus libri. Tertiò, verisimile non est ut Innocentius alterius Concilij meminisse voluerit in fine capitis quàm cujus mentionem fecit in initio, quin discrimen adnotare etiam voluerit, si ullum fuisset. Demum adnotandum heic est (& hæc observatio multùm confert ad decisionem propositionis principalis) Siricium & Innocentium nullos canones in auctoritatem recepisse quàm Nicænos. Neuter enim aliorum canonum observationem imperat quàm Nicænorum, id quod eorum ex epistolis liquet. Quin & Innocentius in epistola ad clerum Constantinopolitanum, quæ extat apud Sozomenum, disertis verbis scribit nullos esse canones, præter Nicænos, ad quorum observationem Ecclesia teneatur. *Canonibus porrò obsequendum esse scribimus*, inquit, *qui Nicææ sunt decreti: quos solus consectari decet Ecclesiam catholicam, & juxta eos judicare.* Idipsum scribit Innocentius in epistola ad Theophilum Episcopum Alexandrinum, quæ extat apud Palladium in vita Chrysostomi; ubi ait Romanam Ecclesiam nullos canones admittere præter Nicænos: *Alios quippe canones Romana non admittit Ecclesia.*

Hincmar. ep. 9. c. 12. & alibi.

Siricius ep. 1. & 3. Innoc. ep. ad Victric. ad Alexandr. ad Episcopos Macedoniæ, & ad synod. Tolet.

CAPVT XIV.

Synopsis.

I. Relationes etiam à Conciliis generalibus & nationalibus fiebant ad apostolicam sedem, tanquam ad caput omnium Ecclesiarum, ut ejus auctoritate consequeretur executio constitutorum, neque tamen eorum confirmatio petebatur. Probatur ex epistola synodica Concilij Sardicensis.

II. Concilium Arelatense statutorum suorum publicationem delegat Papæ Silvestro. Secunda synodus Oecumenica relationem ad Damasum Papam misit de rebus in synodo gestis, procul à petitione confirmationis.

III. Concilia provincialia Occidentis referebant ad sedem apostolicam de depositionibus Episcoporum: ne videlicet Episcopus Romanus & reliqui occidentales deciperentur ab Episcopis dejectis.

IV. Innocentius primus atrox vulnus inflixit auctoritati synodi provincialis Macedoniæ in causa Bubalij & Tauriani. Conquerentibus autem Episcopis Macedoniæ, non attulit Sardicenses canones, aut Nicænos, sed æquitatem.

I. POST explicata duo relationum genera quæ sedi Romanæ tribuebant jus cognoscendi de causis provinciarum post judicia synodorum, superest ut tertium relationis genus usurpatum fuisse ostendamus, quæ ad sedem apostolicam tanquam ad caput omnium Ecclesiarum fiebat à Concilio generali aut nationali, ut rerum constitutarum executio consequeretur auctoritate Pontificis Romani. Genus illud relationis illustriori exemplo probari non potest quàm ex epistola synodica Concilij Sardicensis, in qua patres fatentur se relationem illam ad Papam Iulium mittere tanquam ad caput; sed ita tamen ut ab eo non petant confirmationem rerum à se constitutarum, sed tantùm ut certiores de his faciat Episcopos Italiæ, Siciliæ, & Sardiniæ. *Hoc enim optimum*, inquiunt, *& valde congruentissimum esse videbitur, si ad caput, id est, ad Petri Apostoli sedem, de singulis quibusque provinciis Domini referant sacerdotes.* Infrà: *Tua autem excellens prudentia disponere debet ut per tua scripta qui in Sicilia, qui in Sardinia, & in Italia sunt fratres nostri, quæ acta sunt & quæ definita cognoscant, & ne ignorantes eorum accipiant literas communicatorias quos extra episcopatum juxta sententia declaravit.* Epist. Synod. Conc. Sardic. ap. Hilar. in Fragm.

II. Concilium Arelatense primum, congregatum ex provinciis Occidentis, ad Silvestrum Papam retulit de iis quæ in synodo gesta fuerant; non tamen ut eorum confirmationem petat, sed ut eorum illi publicationem mandet; Imperatorum more Romanorum, qui rescripta sua mittebant ad Præfectos prætorio; vel ad eum modum qui hodie apud nos obtinet, ut Rex ad Curias Parlamenti sua pariter rescripta mittat. *Placuit à te*, inquiunt patres Concilij Arelatensis, *qui majores Diœceses tenes, per te potissimùm omnibus insinuari.* Sic secunda synodus Oecumenica ad Papam Damasum & ad synodum Occidentis retulit de his quæ in synodo gesta fuerant adversùs hæreses, tum etiam de his quæ de tribus Ecclesiis patriarchalibus decreta fuerant; non quidem ut ea confirmari petant à Damaso, sed ut ipse de his instruatur, patribúsque synodi gratuletur: *Quibus rebus*, inquiunt, *tanquam legitimè & secundum Ecclesiæ canones à nobis constitutis obsecramus vestram reverentiam ut gratuletur.* τὴν ὑμετέραν συγχαίρειν θρησκόμεθα ὁλάβειαν.

Locus iste Concilij Arelat. explicatur suprà lib. 1. c. 5. §. 1.

III. Concilia provincialia, quorum suprema erat auctoritas quoad depositionem Episcoporum, adeo ut nondum ea tempestate permissa esset in Occidente provocatio, relationes tamen interdum suas mittebant ad sedem apostolicam, quibus continebantur ea quæ adversùs Episcopum dejectum decreta fuerant. Quod ea de causa fiebat, ne Romanus Pontifex vel reliqui Occidentis Episcopi incauti deciperentur ab Episcopo depositio recipientes aut ad eum mittentes literas communicatorias, quarum usus frequentissimus erat per illas tempestates. In quo imitabantur cautionem à Concilio Sardicensi adhibitam, quod Iulium Papam monuit quinam Episcopi in Concilio depositi fuissent.

IV. At Innocentius primus, audaciæ subsidium à dignitate sedis suæ petens, atrox vulnus inflixit auctoritati synodi Macedoniæ, cujus judicium retractavit in causa Bubalij & Tauriani ab ea synodo damnatorum. Id ægrè tulerunt Episcopi per Macedoniam constituti, qui de ea novitate apud Innocentium questi sunt. Quid faceret Summus Pontifex? Erat heic sanè locus proferendi auctoritatem canonum Sardicensium, si tunc illi in usu fuissent; nec sanè eos omisisset Pontifex. Sed neque Concilium Nicænum laudavit: quod tamen non omisisset, si canone aliquo synodus illa Romanæ sedi jus tribuisset retractandi judicia provinciarum. At fortassis attulit consuetudinem antecessorum suorum, quemadmodum ab eo usurpatum videmus in plurimis occasionibus? Non ita sanè. Solam ergo æquitatem prætendit, aiens veritatem magis splendescere cùm exagitatur, fructúmque divinum esse cùm veritas sæpe examinatur. Hæc enim sunt ipsissima ejus verba in epistola septima ad Episcopos per Macedoniam constitutos: *Grave non oportuit videri piissimis mentibus vestris cujuscunque retractari judicium: quia veritas exagitata sæpius, magis splendescit in luce; & pernicies revocata in judicium, gravius & sine illius qui primus judicavit pœnitentia condemnatur. Nam fructus divinus est justitiam sæpius recenseri.*

CAPVT XV.

Synopsis.

I. Primus omnium Zozimus canones Sardicenses protulit. Quo consilio id factum. Negant Africani eos canones, Nicænos esse. Itaque missa legatio Constantinopolim & Alexandriam ad perquirenda vera exemplaria Concilij Nicæni. Interim tamen servaturos se pollicentur canonem Sardicensem de appellationibus.

II. Ei legi subditas non fuisse provincias, si Italiam excipias, patet ex epistola Concilij Africani ad Bonifacium. Notatus Cardinalis Perronius.

III. Redeuntibus Legatis Africanis, patuit canonem à Faustino Legato sedis apostolicæ prolatum non extare in synodo Nicæna. Parum id profuit. Nam Cœlestinus Papa paulò post admisit appellationem Apiarij Presbyteri. Irritus tamen fuit Faustini conatus, qui Apiarium in communionem recipi ab Africanis urgebat. Rejecta Cardinalis Perronij sententia in explicatione hujus loci. Nolunt Africani Legatum à Pontifice in Africam mitti posse pro arbitrio. Tum aiunt Africam non pasturam ulteriùs præsentiam Faustini. Indicatur lapsus Cardinalis Perronij.

IV. Repetuntur in aversione quæcunque dicta sunt in superioribus paragraphis. Canones Sardicenses ignoti fuerunt Africæ & aliis provinciis extra Italiam usque ad tempora Zozimi. Profitentur Africani nolle se in posterum tolerare appellationes ad sedem apostolicam.

V. Cessere tamen dein Pontificum Romanorum desideriis, admissis canonibus Sardicensibus. Quonam tempore id factum.

I. PRIMUS omnium Zozimus Papa, qui anno quadringentesimo decimo septimo sedebat, canones Sardicenses protulit, contenditque ut in Occidente vim legis obtinerent. Arbitror autem eum id consilium cepisse, quòd Honorius & Arcadius Impp. paulò antè abjecissent jus concedendi rescripta pro retractando judicio Episcoporum depositorum; quemadmodum suprà ostendi in capite secundo, adductis verbis legis. Existimavit itaque Zozimus gratum

Episcopis futurum si revisiones non omnino abolerentur, sed contrà decernerentur auctoritate sedis apostolicæ. Tentatum id in Africanis ingeniis voluit Pontifex. Itaque anno quadringentesimo decimo octavo Faustinum Episcopum Legatum suum misit ad Concilia Africæ, qui omni studio in id incumberet ut Episcopi Africani sinerent Romanam sedem appellari ab Episcopis damnatis. Integra negotij istius series extat in codice canonum Ecclesiæ Africanæ; quæ in codicem canonum Ecclesiæ transcripta est à Dionysio Exiguo, qui sub Imperatore Iustiniano floruit. Datum est in mandatis Legato ut Episcopos Africanos hortaretur ad observationem septimi canonis Sardicensis, in quo agitur de appellationibus ad sedem apostolicam, sed ea dignitate ut canon ille laudetur quasi ad Nicænam synodum pertineret. Verùm Episcopi, qui canonem illum non reperiebant in exemplaribus Concilij Nicæni à Cæciliano Carthaginensi Episcopo, qui ei synodo interfuerat, in Africam delatis, pronuntiarunt dubios esse canones à Faustino prolatos. Decreverunt autem mittendos esse Legatos ad Episcopos Alexandriæ & Constantinopoleos, ubi authenticum Concilium Nicænum esse dicebatur, ut agnosci dein posset an revera hi canones ad Nicænam synodum pertinerent. Tum etiam decreverunt monendum de hoc esse Bonifacium Papam, Zozimi successorem, ut & ipse curam quoque suam adhibeat in conquirendis veris exemplaribus Concilij Nicæni. Pollicentur tamen obedituros se huic canoni, si constiterit eum pertinere ad synodum Nicænam; si verò aliter eveniret, tractaturos dein in sequenti synodo de hoc negotio. Interim statuunt, juxta quod censuerat sanctus Augustinus, ut canon de appellationibus Episcoporum à Faustino propositus executioni mandetur, quemadmodum ipsi anno præterito scripserant ad Zozimum. *Iam priore anno*, inquiunt, *etiam literis nostris ad eundem venerabilis memoriæ Zozimum Episcopum datis insinuare curavimus ut ea servare sine ulla ejus injuria paulisper sineremus usque ad inquisitionem statutorum Concilij Nicæni.*

Vide lib. 4. cap. 5. §. 9.

Epist. Concil. Afric. ad Bonifacium PP.

II. Attamen in antecessum admonent Bonifacium, intelligere etiam sanctitatem ejus æquum non esse ut Afri typhum istum patiantur, si constiterit canones illos abesse à synodo Nicæna; tametsi, ut aiunt, in Italia custodiatur id quod in canonibus prolatis statutum est. Vnde colligi potest ei legi nondum subjacuisse reliquas provincias. *Hæc utique usque ad adventum verissimorum exemplariorum Nicæni Concilij inserta gestis sunt: quæ etsi quemadmodum ipso quod apud nos fratres ex apostolica sede directi allegaverunt commonitorio continerentur, eóque ordine vel apud vos in Italia custodirentur, nullo modo nos talia qualia commemorata jam nolumus vel tolerare cogeremur, vel intolerabilia pateremur. Sed credimus, adjuvante misericordia Domini Dei nostri, quòd tua sanctitate Romanæ Ecclesiæ præsidente, non sumus jam istum typhum passuri, & servabuntur erga nos ea quæ nobis etiam non diffserentibus custodiri debeant, cum fraterna caritate, quæ secundùm sapientiam atque justitiam quam tibi donavit altissimus etiam ipse perspicis esse servanda, si forte aliter se habent canones Concilij Nicæni.* Hunc locum aliquatenus emendatum proferre placuit, ut manifestior fieret ejus sententia; quæ alioqui obscura est in editis, vitio interpunctionum. Hinc enim data errandi occasio Cardinali Perronio, qui in cap. LII. Replicæ immensùm aberrat à vero sensu hujus epistolæ, adducta interpretatione quam fulcire nititur auctoritate versionis Græcæ, quæ & ipsa quoque multùm discrepat à genuino sensu.

III. Effectus legationis ab Africanis in Orientem missæ is fuit ut Cyrillus Episcopus Alexandrinus & Atticus Constantinopolitanus ad Africanos miserint exemplaria viginti canonum Concilij Nicæni, inter quos non extabat ille quem jussu Zozimi Faustinus protulerat. Parum tamen id profuit. Celestinus enim, Bonifacij successor, haud multò pòst admisit appellationem Apiarij Presbyteri ab Episcopo suo depositi; eúmque restituens, Legatum in Africam pro executione restitutionis misit Faustinum; tametsi appellatio Presbyterorum prohibita fuisset in Conciliis Nicæno & Sardicensi. Congregata synodo Africana, nullum non lapidem movit Faustinus ut Apiarium in communionem recipi ab Afris procuraret, *volens eum reddi communioni*, Ecclesiæ Romanæ asserens privilegia. Quod intelligi debet de Faustino; non autem de Apiario, ut Perronio visum. At Faustinus, tametsi multùm moverit, nihil promovit. Contrà, cùm Concilium cognitionem accusationis in se susceptisset, convictus est Apiarius præsente Faustino. Quapropter patres Celestino supplicant ne deinceps facilè suscipiat eos qui ex Africa Romam veniunt, néve in suam communionem admittat eorum excommunicatos, quia hoc etiam Nicæno Concilio definitum est. Tum etiam orant ut Presbyterorum improba refugia repellat: *quia*, inquiunt, *& nulla patrum definitione hoc Ecclesiæ derogatum est Africanæ.* Addunt autem synodum Nicænam Presbyteros & Episcopos commisisse suis Metropolitanis, ut universæ

eorum causæ in provinciis eorum definirentur; ita tamen ut unicuique concessum sit, si judicio cognitorum se putat offensum, ad universale Concilium Africæ provocare. Causas enim illic seriò & diligenter examinandas iri, in plenario videlicet Episcoporum conventu; qui hauddubiè veritatem rerum deprehendent, facilèque agnoscent an testimonia vera sint, adductis videlicet coràm testibus, qui *ad transmarinum judicium* adduci non possunt. Rejiciunt etiam temperamentum quod ipsis, ut conjectura suadet, à Faustino propositum fuerat, quo exigebatur eorum consensus pro mittendo Legato ad synodos Africanas: *Nam ut aliqui tanquam à tuæ sanctitatis latere mittantur, nulla invenimus patrum synodo constitutum.* Orant etiam Celestinum ne in posterum Clericos Romanos mittat executores; (id enim usurpatum fuerat, misso Faustino, qui communionem Apiario restitui procuraret) *ne fumosum typhum seculi in Ecclesiam Christi, quæ lucem simplicitatis & humilitatis diem Deum videre cupientibus præfert, videamur inducere.* Nam quoad Faustinum, securos se esse aiunt quòd ob probitatem & moderationem Summi Pontificis, qui etiam rationem habebit fraternæ caritatis, eum ulteriùs Africa non patietur. De Faustino enim heic loquuntur patres; non autem de Apiario, ut existimat Cardinalis Perronius, vim apertam inferens verbis epistolæ ad Celestinum scriptæ.

IV. Ex hac narratione, quæ ex fide actorum descripta est, prout extant in contextu Latino, quem Cardinalis Perronius prætextu emendationis corrupit, ex hac inquam narratione colligitur Africæ & aliis provinciis, si Italiam excipias, ignotos fuisse canones Sardicenses usque ad tempora Zozimi Papæ, tum in usu non fuisse appellationes Episcoporum ad sedem apostolicam, eásque esse contrarias canonibus synodi Nicænæ, demum Episcopos Africanos in ea esse sententia ut profiteantur nolle se in posterum tolerare hujusmodi appellationes, licèt eis adquievissent quandiu obscurum fuit an canones ab apostolica sede directi in Nicæna synodo conditi fuissent.

V. Fatendum tamen est eos tandem cessisse desideriis Pontificum Romanorum, non quidem in isto Concilio, tametsi ita visum Bellarmino, Perronio, & Baronio. huic enim sententiæ manifestè repugnant eorum oppositiones verbis minimè ambiguis conceptæ in eorum epistola ad Celestinum. Cessere ergo tandem ob pertinaciam sedis apostolicæ Pontificum, qui nihil remittere voluerunt ex jure sibi legitimè quæsito in Concilio generali Occidentis, Sardicensi nimirum; præsertim cùm possessioni eorum consensissent Africani Episcopi, qui ad certum tempus morem gesserant desideriis Summorum Pontificum. Subsidio fuit exemplum Galliarum & Hispaniarum, apud quas in usum revocatum est privilegium illud. Tum etiam Novella constitutio Valentiniani suggerente Leone primo data anno quadringentesimo quadragesimo quinto, quæ Summo Pontifici supremam auctoritatem tribuit in judiciis Episcoporum, sive ij Galli sint, aut ex aliis provinciis. quod Africanos coëgit ad observationem canonum Sardicensium. Præterea, incursio Vandalorum, qui Arriani erant, & in Africa dominabantur, Africanos necessitate adigebat ad arctissimam unionem cum Ecclesia Romana. Vestigia tamen quædam contradictionis extant in epistolis Papæ Leonis, in causa Lupicini. Sed adquievisse eos constat ex Ferrando Diacono Ecclesiæ Carthaginensis, qui sub Iustiniano Imperatore floruit; ut patet ex capitibus LIX. & LX. Breviarij canonum ejusdem Ferrandi.

CAPVT XVI.

Synopsis.

I. Investigatur quamnam ob causam Zozimus canones Sardicenses protulerit sub titulo Concilij Nicæni. Fieri id ita potuit, quòd Innocentius pronuntiasset Ecclesiam nullis canonibus uti præterquam Nicænis; tum etiam quòd Afris nulla synodus Sardicensis nota erat præter eam quæ ab Arrianis habita fuerat. Necessarium itaque erat eos Nicæno Concilio tribui, ut contradictioni Africanorum occurreretur.

II. De ordine judiciorum in Africa, quoad Episcoporum peccata. Judicabantur à Primatibus & synodis suarum provinciarum; in casu verò appellationis, à Concilio universali Africæ. Africa tum divisa erat in sex provincias.

III. Decretum dein ut duodecim judices eligerentur à reo & ab accusatore, ab eorum verò judicio appellari non posse.

IV. Episcopus enim judicari debet à duodecim Episcopis. Decimum tertium constituebat Primas; qui necessarius erat. Quare Lucas Patriarcha (P. depositionem cujusdam Episcopi à Metropolitano Cyprio decretam ex eo capite irritam esse pronuntiavit quòd ab undecim tantum Episcopis cum Metropolitano peracta fuisset. Attamen ex consensu partium minor judicum numerus sufficere poterat, ex canone Africano XV.

V. In causis Episcoporum ac Presbyterorum non licebat provocare ad judicia transmarina. Manifestè id scriptum in canone XXVIII. collectionis Africanæ, adjecta videlicet clausula canoni Milevitano. Adversùs hanc clausulam pugnant acriter Baronius & Perronius: quorum sententia refellitur. Africa existimabat apostolicam sedem appellari non posse à judicibus electis, neque à Concilio universali Africæ. Placitum etiam id Gallis nostris ævo Hincmari.

VI. Illustrissimus Cardinalis Perronius existimat appellationes Episcoporum Africanorum recipi solitas

ab apostolica sede ante habita hæc Concilia Africana. quod probari putat auctoritate Augustini.

VII. Explicatur locus Augustini ; & ostenditur eum malè intellectum esse à Cardinale Perronio. Neque enim probat apostolicam sedem fuisse appellatam à Cæciliano Carthaginensi & collegis ejus. De dignitate Ecclesiæ Romanæ.

VIII. Ecclesiarum apostolicarum dignitas tandem coërcita est ad patriarchales. Justinianus Imp. decernit eos esse hæreticos qui neque communicant neque consentiunt professioni fidei quæ summo consensu prædicatur à Patriarchis. Rursum explicatus Augustini locus.

IX. Quæritur cur Augustinus causas Presbyterorum distinguat à causis Episcoporum.

I. QVÆRI potest hoc loco quamnam ob causam Zozimus protulerit canones Sardicenses sub nomine Concilij Nicæni, & quinam per eas tempestates esset in Africa judiciorum ordo quoad Episcoporum peccata.

Prima harum quæstionum acriter & animosè tractatur à Novatoribus, qui Zozimum arguunt falsitatis & impostura. Contrà nostri id ex eo profectum aiunt quòd ea tempestate canones Nicæni & Sardicenses in eodem volumine descripti essent, nullo discrimine adhibito, sub titulo canonum Nicænorum. Probabilis quidem conjectura, si vetusti codicis auctoritate niteretur ; qui * nondum emersit è tenebris. Adde Nicænos canones semper in titulo prænotari solitos numero viginti. quo unico argumento prohiberi potuit ne XXI. canones Sardicenses Nicænis annumerarentur. Fortassis igitur propiùs accedemus ad verum, si dicamus Zozimum aliqua necessitate adactum ut canones Sardicenses sub nomine Concilij Nicæni laudaret, quòd Innocentius primus apertè dixisset Ecclesiam nullis aliis canonibus uti præterquam Nicænis in judiciis causarum ecclesiasticarum, tum etiam quòd Afris nulla synodus Sardicensis nota esset præter eam quæ ab Arrianis habita fuerat, ut in epistola CLXIII. testatur Augustinus. Quare necessarium erat ut Zozimus hos canones Concilio Nicæno adscriberet, ut contradictioni Africanorum occurreret. Nam quod ad rem ipsam attinet, existimabat hauddubiè Zozimus nullam Africanis injuriam fieri, qui sedis apostolicæ auctoritati jam tum subeant, si canones Sardicenses pro Nicænis laudarentur. Quippe Nicæna Synodus Ecclesiæ Romanæ privilegia confirmaverat. Sardicensis verò, quæ verè occidentalis synodus fuit, eadem privilegia primatus Romani explicaverat tantùm, quamvis magnificè. Igitur sic accipienda sunt Zozimi verba : Canon Nicænus, id est, interpretatio canonis Nicæni. Eosdem canones Sardicenses, ac si Nicæni essent, ex fide decessoris sui laudavit Leo primus ad Theodosium Imperatorem scribens. qua de re suprà dixi in capite VII. §. VI. hujus libri.

II. Secunda quæstio facilis est. Nam ex epistola Africani Concilij ad Celestinum discimus eum in Africa morem obtinuisse ut Episcopi judicarentur à Primatibus & synodis suarum provinciarum, & in casu provocationis, à Concilio universali totius Africæ : *Maximè quia unicuique concessum est, si judicio offensus fuerit cognitorum, ad Concilia suæ provinciæ vel etiam universale provocare.* Ex canone autem vigesimo codicis canonum Ecclesiæ Africanæ patet accusationem adversùs Episcopum proponendam esse ab accusatore apud Primatem provinciæ : *Quisquis Episcoporum accusatur, ad Primates provinciæ ipsius causam deferat accusator.* Sed adnotandum est hoc loco, Africam ea tempestate divisam fuisse in sex provincias, Proconsularem nimirum, sive Carthaginensem, vel Africam propriè dictam, Mauritanias duas, Numidiam, Tripolitanam, & Byzacenam. Nam quoad provinciam Tingitanam ; illa pertinebat ad Hispanias, tametsi freto ab iis disjuncta.

III. Ex eodem canone vigesimo colligitur permissum fuisse Episcopo accusato arbitrium sistendi se coram Primate, vel primam causæ cognitionem deferendi ad Concilium universale Africæ, quod ex universis Africanis provinciis congregabatur cura Episcopi Carthaginensis ; cui hanc auctoritatem procuraverat dignitas sedis Carthaginensis, ut jure suo & generalia ista hæc Concilia convocaret, & in eis præsideret. Quoniam verò frequenter eveniebat ut appellationes in synodo generali judicari non possent, decretum fuit in arbitrio ejus qui provocat futurum utrum causam suam à duodecim Episcopis judicari velit, quorum sex reus eligeret, accusator verò reliquos, ab eorum verò Episcoporum judicio appellari non posse. Sic enim scriptum est in canone decimo quinto : *Sanè si ex consensu partium electi fuerint judices, etiam à pauciori numero quàm constitutum est non liceat provocari.* Et in canone XCVI. collectionis Africanæ : *Si autem fuerit provocatum, eligat qui provocaverit judices, & cum eo & ille contra quem provocaverit ; ut ab ipsis deinceps nulli liceat provocare.* Item in canone CXXII. *A judicibus autem quos communis consensus elegerit non liceat provocare.* Institutio illa consentanea erat legibus Romanis, quæ edicunt appellari non posse à judicibus electis.

IV. Constitutum itaque dixi ut judices electi forent duodecim, quod Canon duode-

* Hele adnotandum est rum Matæ ignorum fuisse codicem Christophori Justelli, cùm hic liber septimus scriptus est.

Vide lib. 3. cap. 2. §. 1.

Vide Augustin. lib. 3. contra Cresconium Grammat. cap. 34. & lib. 4. cap. 44.

cimus jubeat Episcopum judicari à duodecim Episcopis. Et in canone duodecimo collectionis Africanæ scriptum est Episcopum Maurentium, cùm se de objectis peccatis purgare vellet, septem judices postulasse, quos nominavit, & in his Xantippum Primatem, & Augustinum Episcopum Hipponensem. *Sanctum Concilium concessit judices postulatos. Reliquos autem judices ad complendum numerum necessarios, eligentibus ipsis senioribus à nova Germania*, id est, accusatoribus, *senex Xantippus curabit decernere.* Xantippus erat Primas, & decimum tertium judicem constituebat. Vnde occasionem sumpsit Lucas Patriarcha CP. mittendi in irritum depositionem cujusdam Episcopi à Metropolitano Cyprio decretam, quòd eam peregisset cum undecim tantùm Episcopis, ipse verò, qui Primas erat, duodecimi locum impleret, cùm juxta canones idem præsidere duodecim omnino Episcopis debuisset; ut refert Balsamo. Attamen si partes communi consensu minorem judicum numerum elegissent, declaravit canon decimus quintus Africanus vel minorem illum numerum sufficere.

Balsamo in can. 12. Concil. Afric. sub Zozimo.

V. Quòd si quis quærat utrum à sententia judicum electorum provocare liceret ad Summum Pontificem, huic respondeo non solùm causas Presbyterorum, sed etiam Episcoporum, ita in provinciis finiendas fuisse ut appellari ad transmarina judicia licitum non esse existimarent Afri; quemadmodum suprà ostendimus. Hinc factum ut cùm illi mentem suam apertiùs explicare vellent, (nondum enim satis explicatam rebantur in epistola Concilij Africani ad Celestinum, tametsi non admodum obscurè scripsissent) cùm canonum suorum collectionem adornarent, clausulam addiderunt canoni XXII. Concilij Milevitani, quæ vetat ne ad transmarina judicia appellent Episcopi, neque etiam Presbyteri; *sicut & de Episcopis sæpe constitutum est*, ut inquit canon XXVIII. ejusdem collectionis. Digladiantur autem heic scriptores. Cardinales enim Baronius & Perronius contendunt eam clausulam esse delendam, pluribus argumentis. Primùm enim aiunt eam non extare in canonibus Concilij Milevitani. Verum id quidem. Addita enim de industria fuit quo primùm tempore adornata est hæc collectio. Itaque spectari debet hic canon tanquam XXVIII. istius collectionis, non autem tanquam XXII. Concilij Milevitani. Deinde aiunt eo in primis argumento evinci delendam esse hanc clausulam, quòd prohibitio illa nuspiam extet in Conciliis Africanis; quod tamen ut rem certam tradit collector. Gravis sanè accusatio, si extarent canones omnium Conciliorum Africæ, nec quicquam simile in eis reperiretur. Verùm caremus multis Conciliis Africanis; quibus, si extarent, major habenda fides esset quàm iis qui eorum scriptioni contradicunt. Nam præterea Concilium Africanum anni CCCCXVIII. apertè pronuntiavit non toleraturos se appellationes ad sedem apostolicam, si constiterit jus illud sedi Romanæ tributum non fuisse à synodo Nicæna. Prohibitio autem illa antecedit tempora collectionis canonum Africanorum; quamvis Concilium Milevitanum, in quo addita est hæc clausula, sit antiquius illa prohibitione. Constat ergo in ea sententia fuisse Afros ut existimaverint ad apostolicam sedem provocari non posse à judicibus electis, neque etiam à Concilio universali Africæ. Eo præjudicio usi sunt Galli ætate Hincmari; ut ostendam infrà cap. XXIII.

VI. Sed dissimulanda non est hoc loco opinio illustrissimi Cardinalis Perronij existimantis appellationes Episcoporum Africanorum recipi solitas ab apostolica sede ante habita hæc Concilia Africana; cujus rei probationem petit ex quadam Augustini epistola. Hic enim loquens de Cæciliano Carthaginensi Episcopo & de Episcopis qui Cæciliani partes fovebant, adversùs quos, licèt absentes, synodus Donatistarum sententiam damnationis protulerat, ait eos posse causam suam reservare judicio aliorum collegarum, præsertim Ecclesiarum apostolicarum, & ostendere sententias latas adversùs absentes nullius esse roboris. non enim agebatur de Presbyteris, aut Diaconis, sed de collegis. *Non de Presbyteris*, inquit, *aut Diaconibus, aut inferioris ordinis Clericis, sed de collegis agebatur, qui possent aliorum collegarum judicio, præsertim apostolicarum Ecclesiarum, causam suam integram reservare; ut contra eos sententiæ datæ in absentes nullo modo aliquid valerent.* Tum addit nullius momenti apud Cæcilianum esse debere multitudinem inimicorum ipsi insidiantium, quandoquidem communione junctus erat Ecclesiæ Romanæ & aliis Ecclesiis unde evangelij fides fluxerat. Aug. ep. 166.

VII. Verùm id non probat provocatum fuisse ad Summum Pontificem, sed tantùm expostulatum apud omnes Ecclesias de injuria Cæciliano irrogata. Nam Augustinus eam cognitionem aliis collegis reservat indefinitè, præsertim verò Ecclesiis apostolicis; inter quas Romana prima erat, non tamen unica. Iam antea in capite quarto hujus libri adnotavi quænam essent Ecclesiæ apostolicæ, & quanta esset earum dignitas. Sapienter porrò heic Augustinus mentionem facit

Ecclesiarum apostolicarum in controversia quæ Africam turbabat, divisam in Donatistas schismaticos & in Cæcilianum & Ecclesias catholicas ei adhærentes. Nam ad ostendendum quinam ex illis schisma facerent, ratio habenda non erat damnationum quæ ab utraque parte in adversarios decernebantur, neque ex eis peti poterat præjudicium bonæ causæ; sed inspiciendum erat quinam communione consociati essent Ecclesiæ Romanæ & ceteris Ecclesiis apostolicis. Nam regula illa constans est & certa, unitatem consistere in communione Ecclesiarum apostolicarum; contrà, schisma fieri si quis se ab eis separet. Ita namque observatum est à Pelagio primo, itémque à Pelagio secundo; quorum hic scribit ad Episcopos Istriæ, ille verò ad Episcopos Tusciæ, qui schisma adversùs Romanam Ecclesiam & Orientis Ecclesias fecerant propter Tria Capitula in Concilio quinto generali damnata: *Vbinam Ecclesia sit constituta, licèt ipsius Domini voce in sancto evangelio sit apertum, quid tamen beatus Augustinus ejusdem memor sententiæ definierit audiamus. In his namque ait esse Dei Ecclesiam constitutam qui sedibus apostolicis per successionem Præsulum præsidere noscuntur. Et quicunque ab earundem sedium se communione vel auctoritate suspenderit, esse in schismate demonstratur.*

VIII. Ecclesiarum apostolicarum dignitas tandem restricta est ad patriarchales, quòd aliæ continerentur in Diœcesibus Patriarcharum in Oriente. Nam in Occidente nulla Ecclesia apostolica fuit præter Romanam. Quapropter Iustinianus Imperator in usum revocans regulam ab Augustino propositam, decernit in Novella constitutione CIX. eos esse hæreticos qui neque communicant neque consentiunt professioni fidei quæ summo consensu prædicatur à Patriarchis Occidentis & Romæ, Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, & Hierosolymitano, & ab Episcopis qui sunt sub eorum potestate. Optimè igitur aiebat Augustinus posse Cæcilianum in hac schismatis causa spernere hostes suos, cùm communione junctus esset Ecclesiæ Romanæ & ceteris Ecclesiis unde fluxerat evangelium, ac posse illum reservare causam integram aliorum collegarum judicio, præsertim apostolicarum Ecclesiarum. Ostendit autem id quidem auctoritatem illarum Ecclesiarum, ac præsertim Romanæ, pro conservatione unitatis & communionis; sed non probat appellari posse à judicio Episcoporum Africanorum ad Romanam sedem vel ad alias Ecclesias apostolicas in causa disciplinæ, quando Episcopi sunt catholici.

IX. Si quis verò quærat cur in hac causa schismatis & communionis Augustinus distinguat Presbyteros ab Episcopis, huic respondeo rectè & ex ordine id agi ab Augustino: quoniam Episcopi sunt caput communionis suarum diœceseon, quam cum aliis Ecclesiis conservant, Presbyterorum verò communio pendet ab Episcoporum suorum communione. Eam ob causam prohibitum erat Presbyteris ne literas formatas aut communicatorias darent.

CAPVT XVII.

Synopsis.

I. Bonifacius & Celestinus, Zozimi successores, canonum Sardicensium executionem quaquaversùm introducere tentarunt. Neque tamen Zozimus eorum auctoritate damnavit Proculum Massilienſem, qui se Metropolitanum in provincia Arelatensi institui procuraverat in synodo Taurinatensi. Nam damnatio ejus decreta est post promulgatam legem Gratiani. Nondum autem habitum fuerat Concilium Chalcedonense, cujus auctoritate Metropolitanorum judicia Patriarchis reservata fuerunt.

II. Romanus Pontifex Episcoporum Gallicanorum causas remittebat ad synodos provinciarum. Probatur ex epistola Bonifacij primi ad Episcopos Galliarum in causa Maximi Episcopi Valentini. Sed tamen Bonifacius auctoritatem suæ sedis conservavit, jubendo ut acta synodi ad se post judicium mitterentur.

III. Celestinus causam Episcopi Massiliensis commisit Episcopis provinciæ Viennensis, & Narbonensis, id est, finitimæ. Causa tamen Danielis, qui in altera earum provinciarum Episcopus fuerat ordinatus, cognitionem ad se traxit, ob flagitia in Oriente commissa, de quibus ad apostolicam sedem retulerant orientales. Quod ideo explicandum fuit, ne quis hinc colligeret Romanum Pontificem ad se ea tempestate traxisse primam cognitionem criminum Episcoporum Gallicanorum.

IV. Quid de relationibus & appellationibus senserit Leo primus.

V. Idem Leo docet primam causarum Metropolitanorum cognitionem institui posse apud sedem apostolicam. Probatur exemplo Hilarij Episcopi Arelatensis, qui jure metropolitico privatus à Leone fuit in Concilio Romano. Tum Chelidonij Vesontionensis exemplo, quem eodem decreto Pontifex Ecclesiæ suæ restituit.

VI. Cùm autem intelligeret Leo difficilem fore decreti hujus executionem in Gallia, constitutionem à Valentiniano Imp. impetravit, qua imperata executio est. Magni momenti sunt verba Valentiniani; quæ expenduntur. Tribuunt autem Episcopo Romano potestatem evocandi Romam Episcopos noxios.

VII. Contendit etiam Leo Metropolitanos judicari non posse absque sententia Episcopi Romani; ut patet ex illius epistola ad Anastasium Thessalonicensem.

VIII. Successores quoque ejus incessit eadem cura quoad Gallias.

IX. Contendit insuper Leo ordinandum non esse Episcopum in loco delecti, si is apostolicam sedem appellaverit, donec causa appellationis fuerit judicata. Constitutum id fuerat in synodo Sardicensi. Sed cùm ea in auctoritatem recepta non esset apud Africanos, abstinuit Leo à proferendis his canonibus in causa Lupicini. Jus appellationum in Africam introducere voluit Leo. Sed Africani ei assentiri noluerunt.

I. POST introductos industria Zozimi Papæ canones Sardicenses, successores ejus Bonifacius & Celestinus eorum executionem quaquaversum introducere tentarunt, non solùm in Africa, sed etiam in reliquis provinciis Occidentis. Ex epistola namque Concilij Carthaginensis ad Bonifacium, quæ suprà relata est in capite decimo quinto hujus libri, patet eos canones nondum planè receptos alibi fuisse quàm in Italia. Certum quidem est Zozimum ad se traxisse primam cognitionem causæ Proculi Episcopi Massilienſis, rogante Patroclo Arelatensi: cujus cura depositus est Proculus à Zozimo, ut patet ex epistolis synodicis ab eo missis ad Episcopos Galliarum, Hispaniæ, & Africæ. Verùm ille damnatus fuit Romæ post legem Gratiani promulgatam, quæ Romani Pontificis judicio commiserat Metropolitanos, ut suprà ostēdimus in capite undecimo hujus libri. Concilium enim Chalcedonense, cujus auctoritate Metropolitanorum judicia reservata fuerunt Patriarchis, nondum habitum fuerat. Ceterùm Proculus ille per obreptionem in Concilio Taurinatensi anno CCCXCVII. obtinuerat jus metropoliticum in nonnullis urbibus provinciæ Arelatensis, ac dein duos Episcopos ordinaverat contra præscripta canonum.

Zozimus epist. 6. ep. 457.

II. Si querela à quopiam Episcopo deferretur ad Pontificem Romanum, is causæ cognitionem non suscipiebat, sed ad synodos provinciarum remittebat juxta canones Nicænos. Colligitur id ex epistola Bonifacij primi ad Episcopos Galliarum scripta anno quadringentesimo decimo nono; in qua asserit decessores suos constituisse Maximum Episcopum Valentinum, quem Clerici ejus accusaverant, judicandum esse in synodo provinciæ, *à decessoribus meis provinciali delegata cognitione*. Ac licèt Maximus detrectaret judicium Episcoporum provincialium, noluit tamen Pontifex cognoscere de hac causa; sed præcisè inhærens auctoritati canonum Sardicensium, rursum cognitionem causæ remisit ad synodum provinciæ, jubens causam illic definiri, tametsi Maximus, cui diem certam dixerat qua se synodo sistere teneretur, accedere recusaret. *Dilationem quidem dedimus*, inquit Bonifacius, *& decrevimus vestrum intra provinciam debere esse judicium, & congregari synodum ante diem Calendarum Novembrium*. Quemadmodum autem Bonifacius jurisdictionem Episcoporum provinciæ illæsam conservabat, sic juri quoque prospiciebat sedi suæ quæsito per canones Sardicenses; nimirum ut si Maximus se læsum esse existimaret, atque adeo sedis apostolicæ auxilium implo raret, in potestate Papæ esset aut primum judicium confirmare aut revisionem decernere. In hac porrò causa Maximus injuriam sibi illatam esse conquerebatur etiam ante primum judicium, & Summi Pontificis opem efflagitaverat. Itaque Bonifacius meritò petere potuit ut acta synodi ad se post judicium mitterentur, ob conquestionem sive appellationem quæ præcesserat. *Quidquid autem*, inquit Bonifacius, *vestra caritas de hac causa decernendum esse duxerit, cùm ad nos relatum fuerit, nostra, ut condecet, necesse est auctoritate firmetur.*

III. At Papa Celestinus causam Episcopi Massilienſis, adversùs quem gravis instituta accusatio erat, non solùm Episcopis provinciæ Narbonensis secundæ, in qua sita erat Massilia, commisit, sed etiam Episcopis provinciæ finitimæ, id est, Viennensis. *Vestro eum audiendum collegio delegamus*, inquit Celestinus in epistola ad Episcopos per Viennensem & Narbonensem provincias constitutos. Quoad verò Danielem, qui in altera earum provinciarum Episcopus fuerat ordinatus insuperhabita accusatione adversùs eum instituta apud sedem apostolicam, hujus causæ cognitionem ad se trahit Pontifex, haud injuria. Hic enim, cùm adhuc Clericus esset, sacrarum virginum, quarum monasterium tenuerat, pollutus incestu fuerat in Oriente, & post detecta flagitia, in Occidentem migraverat. Tum criminum ejus relatio ad Celestinum, tanquam Occidentis Patriarcham, missa fuerat ab orientalibus, ut ait Celestinus: *Missa relatione ex orientalibus ad nos partibus.* Misit verò postea epistolam ad Episcopum Arelatensem, ut Danielem vocaret ad judicium episcopale. Attamen ille *in pontificij dignitatem hoc tempore quo ad causam dicendam missis à nobis literis vocabatur obrepsit*, inquit Celestinus. Causam hujus retentionis explicandam esse existimavi, ne quis hinc colligeret Pontificem Romanum ea tempestate ad se traxisse primam cognitionem criminum Episcoporum Gallicanorum. Daniel enim accusabatur de variis criminibus non in Gallia commissis, sed in Oriente antè quàm Episcopus fieret: quorum criminum cognitio ad Episcopos Orientis pertinebat, ij verò auctoritatem in eo casu suam

ad

ad Celestinum transtulerant.

IV. Leo autem primus tria quædam nos docet. Primùm enim ostendit quonam modo se gererent Romani Pontifices, etiam quoad Gallias, postquam relationes de rebus dubiis ad eos missæ fuerant, & post appellationem à judiciis latis adversùs Episcopos, quæ aut confirmata fuerant à sede apostolica, aut retractari jussa. Hæc sunt ejus verba ad Episcopos provinciæ Viennensis: *Nobiscum itaque vestra fraternitas recognoscat apostolicam sedem pro sui reverentia à vestræ etiam provinciæ sacerdotibus innumeris relationibus esse consultam*, (hoc est antiquum jus quod à synodo Nicæna arcessit Papa Innocentius) *& per diversarum, quemadmodum vetus consuetudo poscebat, appellationem causarum aut retractata aut confirmata fuisse judicia.* Istud verò jus est à Sardicensi Concilio introductum.

V. Docet deinde Leo primam causarum Metropolitanorum cognitionem institui posse apud apostolicam sedem; ut probatur exemplo Hilarij Arelatensis Metropolitani. Evocatus is fuerat Romam ob multas Episcoporum ordinationes peractas invito clero & populo, quos manu armata instituerat in Ecclesiis. Privatus itaque jure metropolitico à Leone fuit in Concilio Romano. Eodem decreto missa est in irritum sententia lata adversùs Chelidonium Episcopum, quem Hilarius sacerdotio dejecerat tanquam viduæ maritum. Verùm cùm id probare non potuisset Hilarius *in Concilio Sacerdotum* quod tunc Leo Romæ celebrabat, Chelidonius Ecclesiæ suæ redditus est. Suspicari heic meritò aliquis posset vim juri constituto factam à Leone, quòd causam Chelidonij Romæ judicaverit, cùm eam remittere debuisset ad Episcopos provinciales, ab eis terminandam cum Episcopis provinciæ finitimæ, juxta canonem Sardicensem. Sed ex eo capite repetenda est Leonis defensio, quòd Chelidonij appellatio juncta esset accusationi adversùs Hilarium Arelatensem Episcopum institutæ, ac præterea quòd ipse quoque Metropolitanus Episcopus esset, Vesontionensis nimirum, ut præfert codex monasterij Iurensis à Sirmondo laudatus in Notis ad hanc Leonis epistolam.

Vide suprà lib. 5. cap. 32. §. 4. & seqq.

Vide Marcam in libro de Primatibus §. 78.

VI. Intellexit Leo difficilem in Gallia fore executionem judicij adversùs Hilarium facti, tum ob magnam viri dignationem ex sanctitatis ejus opinione profectam, tum etiam ob infractos canones in causa Chelidonij, quæ Romæ fuerat definita. Itaque constitutionem à Valentiniano Aug. impetravit, quæ præcipit ut judicium illud mandetur executioni. Verùm additio quæ sequitur, magni momenti est. Edicto enim perpetuo inter alia decernitur quòd si aliquis Episcopus Galliarum, aut aliarum provinciarum, Romam evocatus, Summi Pontificis judicio se sistere recuset, adesse cogatur per gubernatorem provinciæ: *Ita ut quisquis Episcoporum*, inquit Valentinianus, *ad judicium Romani Episcopi evocatus venire neglexerit, per moderatorem ejusdem provinciæ adesse cogatur.* Rescriptum autem illud non solùm ratum esse decernit decretum in causa Chelidonij factum, sed etiam novum jus introducit adversùs canones Sardicenses. Episcopo enim Romano tribuit potestatem evocandi Romam Episcopos. Sed Galli existimarunt sic obsequendum esse Pontifici ut interim nihil detraheretur de auctoritate canonum Sardicensium; quemadmodum suprà ostensum est.

VII. In alia quoque occasione contendit Leo Metropolitanos judicari non posse absque sententia Episcopi Romani. Anastasius Episcopus Thessalonicensis caput erat & primus Metropolitanus Illyrici orientalis, id est, Macedoniæ, Achaïæ, Epiri veteris & novæ, aliarúmque provinciarum; ac præterea, quò dignitatem muneris sui fortiùs retineret, vicariatu Papæ Leonis ornatus fuerat, ut ejus Legatus natus esset in his provinciis. Is ergo ad se manu armata adduci à publicis officiis præfecturæ Illyricianæ curaverat Atticum veteris Epiri Metropolitanum antistitem. Id atrociter ac vehementer factum ait Leo, Anastasium objurgans. Dein addit hæc verba, quæ probant id quod antea dixi, contendisse nimirum Leonem Metropolitanos judicari non posse absque sententia Episcopi Romani. *An fortè*, inquit, *aliquod tibi facinus fratris innotuerat, & Metropolitanum Episcopum novi apud te criminis pondus urgebat? At hoc quidem alienum ab illo esse etiam tu nihil ei objiciendo confirmas. Sed etiam si quid grave intolerandúmque gessisset, nostra erat expectanda censura; ut nihil priùs ipse decerneres quàm quid nobis placeret agnoscere.*

Vide suprà lib. 5. cap. 27. §. 1. & seqq.

Leo l. ep. 84.

VIII. Successores quoque ejus incessit eadem cura quoad Gallias. Hinc enim factum ut Papa Hilarus Hermetem Episcopum Narbonensem suspenderit à juribus metropoliticis anno quadringentesimo sexagesimo secundo. Idem Leontio Episcopo Arelatensi delegavit sollicitudinem castigandi præsumptionem Mamerti Metropolitani Viennensis, reservans tamen sedi apostolicæ judicium, postquam Leontij & synodi relationem receperit. Tum anno quadringentesimo sexagesimo quarto, post acceptam relationem, negotium illud termi-

Vide suprà lib. 5. cap. 54. §. 4. & seqq.

navit. Eam autem curam in se traxit Hilarus, quòd de Metropolitanis ageretur, & de juribus Ecclesiarum quibus illi præsidebant.

IX. Tertium caput quod ex epistolis Papæ Leonis colligitur, istud nimirum est, contendisse illum, juxta canones Sardicenses, damnati Episcopi appellationem à synodo quidem provinciæ judicandam esse, interim tamen alium Episcopum non esse ordinandum in sede dejecti; ut constat ex epistola ab eo scripta ad Episcopos Mauritaniæ Cæsariensis, quæ provincia est Africæ, in causa Lupicini Episcopi. Is, lite pendente, provocaverat ad sedem apostolicam. Episcopi tamen reum peregerant, insuperhabita appellatione, eúmque deposuerant, substituto etiam Episcopo in locum ejus. quod fieri non potuit, si canonis Sardicensis ratio haberetur. Leo itaque Lupicinum remittit in provinciam, illic judicandum ab Episcopis provincialibus, quibus superordinationem exprobrat. Sed illud observandum est, religiosum heic fuisse Leonem: qui non est ausus allegare canones Sardicenses, quibus prohibetur ne pendente appellatione ad sedem apostolicam alius Episcopus ordinetur in loco dejecti. id enim nequaquam omisisset, si tum Sardicensis synodus in auctoritatem recepta fuisset apud Africanos. Ergo regulæ generali innititur, nimirum neminem justè damnari posse nisi præsentem & convictum, aut certè confessum, alium verò in ejus loco ordinari non posse quin priùs sedes vacet. Quoniam verò excipi poterat Lupicinum deseruisse vadimonium ac suam præsentiam denegasse, atque ideo secundùm canones sententiam damnationis accipere debuisse, occurrit Pontifex huic objectioni, aiens eum appellasse, atque adeo non refugisse judicium. Vnde concludit non debuisse illum excommunicari pendente negotio, ac eam ob causam se ei sæpius postulanti communionem reddidisse. Vnde etiam colligi potest jus appellationum in Africam introducere voluisse Leonem, sed Africanos ei noluisse prorsùs assentiri:

Leo I. epist. 87. cap. 2. *Causam quoque Lupicini Episcopi illic jubemus audiri; cui multùm & sæpius postulanti communionem hac ratione reddidimus, quoniam cùm ad nostrum judicium provocasset, immeritò eum pendente negotio à communione videbamus fuisse suspensum. Adjectum etiam illud est, quòd huic temerè superordinatus esse cognoscitur, qui non debuit ordinari antè quàm Lupicinus in præsenti positus, aut confutatus, aut certè confessus, justæ posset subjacere sententiæ; ut vacantem locum, quemadmodum disciplina ecclesiastica exigit, is qui consecrabatur exciperet.*

CAPVT XVIII.

Synopsis.

I. Vigilius Papa nihil aliud reservat apostolicæ sedi præter judicia appellationum. Vnde sequitur eum synodis provincialibus relinquere potestatem deponendi Episcopos absque permissu sedis apostolicæ.

II. Eadem est mens Pelagij secundi, qui omnium Episcoporum causas in synodo provinciæ definiendas esse docet, nisi si ad apostolicam sedem fuerit provocatum.

III. Primus omnium Gregorius magnus canonum Constantinopolitanorum & Chalcedonensium instituta, à decessoribus suis non custodita, transtulit ad explicandam sedis suæ dignitatem. His autem primam de crimine Metropolitani cognitionem Patriarchis reservant. Quæ institutio in legem publicam versa est à Justiniano.

IV. Hinc factum ut Gregorius apostolicæ sedi vindicet secundùm canones jus judicandi accusationes adversùs Metropolitanos institutas. Judicabat etiam Romæ causas Episcoporum, tametsi Itali non essent. Probatur exemplo Andreæ Episcopi Thebani in Thessalia.

V. Aliquando causa definitionem remittebat in provinciam, misso etiam Legato, juxta canones Sardicenses. Probatur duobus exemplis.

VI. Aliter se gessit erga Africanos; quorum consuetudines illæsas esse concessit, modò fidei contraria non essent.

VII. Postulabant Afri ut causæ eorum definirentur secundùm canones Africanos & Sardicenses. Hi enim jam recepti erant; & vicem tum subibant privilegij, ob Novellam Justiniani. Nullam eorum causam in urbe Roma judicavit Gregorius.

VIII. Id unum contendit Gregorius ut Primas Byzacenus Romam veniret, responsurus de objectis. quod obtineri non potuit. Itaque eo tractus est Pontifex ut causam in synodo provinciæ judicari consenserit.

IX. Notatur hallucinatio Cardinalis Perronij, qui ex corrupto Gregorij loco colligit Episcopum Byzantinum, hoc est, Constantinopolitanum, Romano subjectum fuisse.

X. Ecclesia Hispanica utebatur collectione Martini Bracarensis. Canon autem XIII. jubet ut causæ Episcoporum definiantur in synodis provincialibus; si verò divisa fuerint judicum vota, tum vocandam esse provinciam finitimam.

XI. In causa Stephani & Januarij Episcoporum Hispanorum, qui Romanam sedem appellaverant, Gregorius Joannem Defensorem in Hispaniam misit, ut solus definitivo decreto cognoscere posset de appellatione. Sedes apostolica est caput omnium Ecclesiarum.

XII. Hispani, ut appellationes ad apostolicam sedem abolerent, Episcopo damnato licere voluerunt secundam synodum impetrare ad obtinendam restitutionem suam.

XIII. Ecclesiam Gallicanam Gregorius tractavit ut Africanam.

XIV. Post Gregorij magni tempora, Paulus Archiepiscopus Cretæ ausus est prohibere ne ad Vitalianum Papam provocaretur.

XV. Appellationum usus obtinebat etiam in Anglia ævo Bedæ.

I. NVNC inspiciendum est quænam mens fuerit Pontificibus subse-

quentibus. Vigilius certè nihil aliud sedi apostolicæ reservat præter judicia appellationum. Vnde sequitur eum Episcopis provincialibus relinquere jus decernendi depositiones collegarum suorum absque permissu sedis apostolicæ. *Omnium*, inquit illé in epistola ad Eutherium, quæ anno quingentesimo quadragesimo data est, *appellantium apostolicam sedem Episcoporum judicia eidem sanctæ sedi reservata esse liquet.*

II. Pelagius verò secundus, qui anno quingentesimo septuagesimo septimo sedebat, apertè pronuntiat eam esse certam provinciam quæ constat ex decem vel undecim civitatibus sub uno Rege & totidem inferioribus potestatibus, quoad civilem reipublicæ statum; cujus rei exempla hoc ævo extabant apud Reges Longobardorum, & Suevorum in Gallæcia. Tum quoad spiritualia administranda, eam etiam esse certam provinciam quæ unum Episcopum habet & decem vel undecim Episcopos suffraganeos ad judicandas causas omnium Episcoporum in plena synodo, adeo ut opus non sit ad alias convolare provincias; nisi si ad majorem sedem fuerit provocatum, vel si convenire non potuerit inter judices. quo casu, referendum esse ad majorem sedem, id est, ad sedem apostolicam. Hæc sunt verba Pelagij in epistola ad Ioannem Constantinopolitanum: *Scitote certam provinciam esse quæ habet decem vel undecim civitates, & unum Regem, & totidem minores potestates sub se, & unum Episcopum aliósque suffragatores decem vel undecim Episcopos judices, ad quorum judicium omnes causæ Episcoporum & reliquorum sacerdotum ac civitatum causæ referantur, ut ab his omnibus justè consona voce discernantur, nisi ad majorem auctoritatem fuerit ab his qui judicandi sunt appellatum &c.*

III. Inter omnes verò Pontifices nemo peritior fuit jurium sedis apostolicæ, quoad appellationes, quàm Gregorius magnus. Rebus ille gerendis admotus per multos annos, Ecclesiæ orientalis mores introspexerat, cùm sedis apostolicæ Apocrisiarium ageret Constantinopoli; ideóque melùs intellexit quàm decessores sui quænam esset secundùm canones auctoritas Summi Pontificis in patriarchatu Occidentis. Nam Concilium Constantinopolitanum itémque Chalcedonense unicuique Patriarchæ ejúsque synodo commiserant judicia appellationum ab Episcopis depositis interpositarum, itémque aliarum causarum ecclesiasticarum, Metropolitanorum verò primam cognitionem. Verùm quia versio Latina Dionysij Exigui, qua utebatur occidentalis Ecclesia, pro his canonum Græcorum vocibus *Exarchus Diœceseos*, quæ Diœceseos Patriarcham significant, habebat *Primas Diœceseos*, hinc factum ut vis hujus vocis ignota fuerit Occidenti, creditúmque fuerit eam significare Metropolitanum aliquem qui vicinus esset aut antiquior eo adversùs quem lata sententia erat. Sanè Hadrianus primus & Hincmarus Primatem Diœceseos non alium esse existimant quàm Metropolitanum. Præterea cùm canon Chalcedonensis ei qui adversùs Metropolitanum agit tribueret arbitrium implorandi opem Exarchi Diœceseos aut Thronum Constantinopolitanum, hanc dignitatem novæ Romæ collatam concoquere non poterat Ecclesia Romana. Itaque his canonibus uti noluit ad asserendam auctoritatem suam. Nam aliunde possidebat illa jus cognoscendi de appellationibus Episcoporum, quod ipsi tributum fuerat in synodo Sardicensi, itémque jus causas Metropolitanorum definiendi ante omnem appellationem, primo videlicet judicio, post rescriptum Gratiani. Quo fiebat ut parum illa sollicita esset de canonibus Chalcedonensibus. At Gregorius magnus eorum præjudicio dignitatem suæ sedis explicavit, ne quidem nominata synodo Chalcedonensi. Quippe cùm animadverteret veram horum canonum mentem in legem publicam versam esse ab Imperatore Iustiniano in Novella CXXIII. quæ præcipit appellationes judicari à Patriarchis uniuscujusque Diœceseos, ab ea arcessit jus illud sedi Romanæ quæsitum in Occidente.

IV. Hinc factum ut in epistolis suis apostolicæ sedi jus vindicet judicandi, secundùm canones, accusationes institutas adversùs Metropolitanos: *Si contra Metropolitanum aliquid causæ habuerit, ob hoc sedis apostolicæ petat judicium, quod per canones antiquorum patrum est institutione permissum.* Legimus verò in regesto Epistolarum ejus, eum quandoque apud Romam judicasse, non solùm causas Episcoporum Italiæ, sed etiam aliarum provinciarum, interdum verò causæ definitionem remisisse in provinciam, misso etiam Legato, juxta canones Sardicenses. Primi casus illustre exemplum extat in causa Andreæ Episcopi Thebani. Fuerat is depositus, nullo juris ordine servato, ab Episcopo primæ Iustinianæ, qui dein Archiepiscopus Bulgariæ dictus est: cujus auctoritas ea tempestate porrigebatur supra octo Metropolitanos Illyrici occidentalis, juxta constitutionem Iustiniani, cui Papa Vigilius consenserat. Gregorius ergo appellationem judicans in sede sua, judicij acta rescidit, Andreámque restituit, Archiepiscopum verò à communione suspendit ad sex mensium spatium.

Lib. 7. ep. 8.

Lib. 1. ep. 6.

V. Secundi verò casus exemplum subministrat epistola XLVII. libri secundi. Episcopus urbis Epidauriæ, quæ nunc Ragusa dicitur, absque synodi congregatione depositus fuerat ab Episcopo Salonitano Metropolitano provinciæ Dalmatiæ. Appellatus Gregorius decernit ut Metropolitanus synodum provinciæ congreget ad judicandam accusationem secundùm canones coram Antonio Subdiacono, cui Papa delegat executionem, ut ejus cura cuncta decernantur juxta leges & canones. In provincia quoque Corinthiaca, sive Achaïa, judicari
Lib. 4. ep. 50. jussit appellationem Anastasij Episcopi dejecti, misso in eam rem Secundino Episcopo, qui sententiam depositionis confirmavit.

VI. At licèt Gregorius ad se traxisset supremum arbitrium judicandi appellationes in urbe Roma, aut eas remittendi ad pro-
Vide lib. 3. c. 9. §. 2. vincias, cum Africanis tamen aliter se gessit quàm cum reliquis provinciis. Constat enim eum morem gessisse Episcopis Ecclesiarum Numidiæ & Carthaginis, qui eum orarent ut privilegia & consuetudines illarum Ecclesiarum illæsas præstaret in quarum
Lib. 1. ep. 75. possessione erant jam à temporibus beati Petri. Quod eis concessit Pontifex, modò ne illæ fidei contrariæ essent. *Petiistis enim,* inquit Gregorius ad Episcopos Numidiæ scribens, *per Hilarium Chartularium nostrum à beatæ memoriæ prædecessore nostro ut omnes vobis retro temporum consuetudines servarentur quas à beati Petri Apostolorum principis ordinationum initiis hactenus vetustas longa servavit. Et nos quidem juxta seriem relationis vestræ consuetudinem, quæ tamen contra fidem catholicam nihil usurpare dignoscitur, immotam permanere concedimus, sive de Primatibus constituendis, sive de ceteris capitulis.* Et ad Do-
Vide Baluzij Notas ad Agobardum pag. 44. & 140. minicum Episcopum Carthaginensem: *De privilegiis verò ecclesiasticis quod vestra fraternitas scribit, hoc postposita dubitatione teneat, quia sicut nostra defendimus, ita singulis quibusque Ecclesiis sua jura servamus.*

VII. Africanorum autem postulata huc inter alia tendebant ut causæ eorum definirentur secundùm antiquos canones Africanos & Sardicenses. Hi enim jam recepti erant ab Afris; ut constat ex collectione Ferrandi, quæ sexaginta ante Gregorium annis confecta fuerat. Privilegij autem vicem tum subibant, ob Novellam Iustiniani, quæ altiùs evehebat dignitatem Patriarcharum, atque adeo Romani Pontificis in Occidente. Ita porrò se cum Afris gessit Gregorius ut nullam eorum causam in urbe Roma judicaverit. Contrà, Columbum Episcopum Numidam delegavit, qui curaret ut singula gererentur secundùm canones in synodo provinciæ, etiam quoad causam Maximiani Episcopi; quem degradari posse ait, si nocens fuerit, *adunato Episcoporum universali Concilio.* quod & ipsum statuit de Petro & Paulino Episcopis. Lib. 1. ep. 18. lib. 5. ep. 18. lib. 10. ep. 21.

VIII. Id unum, ad conservandam auctoritatem suam, contendit Gregorius, ut Clementius Primas provinciæ Byzacenæ Romam veniret, responsurus de quodam crimine ei objecto. Quoniam verò ejus imperium detrectabat Clementius, Gregorius rescriptum à Principe impetravit. Sic enim testatur ipsemet in epistola LXIV. libri septimi: *In quodam crimine* * *Byzacenus Primas fuerat accusatus; & piissimus Imperator eum juxta statuta canonica per nos voluit judicari.* Sed quoniam Theodorus *magister militum*, id est, Gubernator Africæ, acceptis decem auri libris, executione hujus rescripti imperatorij supersederi jusserat, aliud dein impetravit Gregorius. Postea Primas ille Pontifici significat velle se subjici apostolicæ sedi; adeóque illum permulsit, ut tandem obtinuerit causam suam judicari in Concilio provinciali, juxta præceptum Pontificis. * leg. Byzacenus

IX. Sed dissimulare hoc loco non possum gravem hallucinationem Cardinalis Peronij aliorúmque qui de controversiis religionis libros scripserunt. Confessionem enim illam Primatis Byzaceni, qui se Romanæ sedi subjectum fatetur, tribuunt Ioanni Episcopo Constantinopolitano, decepti videlicet affinitate nominis, quòd in contextu epistolæ scriptum sit corruptè *Byzancenus.* quod ipsi corrigi volunt, ac reponi *Byzantinus*; cùm tamen certum sit in usu nunquam fuisse ut Constantinopolitanus Episcopus diceretur Byzantinus. *Nam quòd se dicit,* inquit Gregorius, *sedi apostolicæ subjici, si qua culpa in Episcopis invenitur, nescio quis ei Episcopus subjectus non sit. Cùm verò culpa non exigit, omnes secundùm rationem humanitatis æquales sunt.* Discrimen tamen magnum est inter utrumque. Nam secundùm eorum opinionem Patriarcha CP. agnoscit subjectum se esse apostolicæ sedi quoad correctionem morum; cùm Clementius Primas fuerat in Africa, quæ in patriarchatu Occidentis constituta erat. Et tamen ille obti-
Gregor. lib. 10. epist. 17 Primæ Episcopi Concilij Byzacij. nuit causam suam cum auctoritate Summi Pontificis judicari in sua provincia, secundùm Canones.

X. Alium ordinem tenuit idem sanctus Pontifex quoad Hispaniam; ubi disciplina quiddam speciale invexerat in judiciis Episcoporum. Ecclesiæ enim illius nationis utebantur canonibus à Martino Bracarensi collectis, itémque iis qui in synodis Hispanicis condebantur. Eam collectionem concinna-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

vit Martinus circa annum DLXXI. rogantibus Episcopis provinciæ Gallæciæ : in qua canones Græcos in epitomen redactos edidit, quos accommodavit ad usum Hispaniæ & ad canones Conciliorum Toletanorum. In canone autem XIII. causam Episcopi definiendam esse ait in synodo provinciali; si verò divisa fuerint judicum vota, tum vocandam esse provinciam finitimam, juxta canonem Antiochenum.

XI. Secundùm hanc institutionem Stephanus Episcopus, læsæ majestatis reus, judicatus fuerat & dejectus à synodo provinciæ finitimæ; Ianuarius verò Episcopus Malacitanus à collegis suis depositus fuerat. Vterque sedem apostolicam appellavit. Ob hoc itaque Gregorius Ioannem Defensorem, Romanæ Ecclesiæ ministrum, in Hispaniam misit cum summa potestate, ita ut ille solus definitivo decreto cognoscere posset de appellatione, & confirmare eorum depositionem, vel eos restituere, ac præterea aliquam pœnitentiam imponere Episcopis qui Ianuarium dejecerant, si constaret ita eos malitiosè egisse. id quod Defensor executus est quoad Ianuarium. In commonitorio autem quo petitionibus Episcoporum Hispaniæ respondetur, inter alia observatur Episcopum Stephanum non debuisse judicari ab Episcopis alieni Concilij. Quod alludit ad canonem XIII. collectionis Martini Bracarensis. Sed huic eorum desiderio opponitur Novella Iustiniani; quæ præcipit ut causæ civiles & criminales Episcoporum à suis Metropolitanis definiantur; & in casu appellationis, à Patriarcha. Si quis verò reponat, inquit Gregorius, Stephanum non habuisse neque Metropolitanum neque Patriarcham, huic dici poterit ejus causam fuisse dirimendam ab apostolica sede, quæ est caput omnium Ecclesiarum. Hæc sunt verba Gregorij : *Contra hæc si dictum fuerit quia nec Metropolitanum habuit nec Patriarcham, dicendum est quia à sede apostolica, quæ omnium Ecclesiarum caput est, causa hæc audienda ac dirimenda fuerat; sicut & prædictus Episcopus petiisse dinoscitur, qui Episcopos alieni Concilij judices habuit omnino suspectos.*

Gregor. lib. 11. ep. 50. 53. 54.

XII. Suspicor tamen Episcopos Hispanos non admodum patienter tulisse judicia isthæc Romana. Nam appellationis ad apostolicam sedem removendæ causa novam legem introduxerunt in gratiam Episcopi damnati, nimirum ut ei liceat secundam synodum impetrare ad obtinendam restitutionem suam. Colligitur id ex canone XXVIII. Concilij Toletani quarti habiti anno DCLXVI. cujus hæc sunt verba : *Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, si à gradu suo injustè dejectus, in secunda synodo innocens reperiatur, non potest esse quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram altario de manu Episcopi.*

XIII. Quoad Ecclesiam verò Gallicanam, eam Gregorius haud aliter tractavit quàm Africanam. Iussit enim ut causæ Gallorum in Conciliis Gallicanis definiantur, ut statim ostendam.

XIV. Post Gregorij magni tempora, Paulus Archiepiscopus Cretæ, quæ patriarchatui Occidentis subjecta erat, ausus est prohibere ne ad Vitalianum Papam provocaretur. Deposuerat is Ioannem Episcopum Lappensem in ea insula : qui Romam appellans, occasionem dedit synodo quæ anno DCLVIII. congregata est à Papa Vitaliano. Cùm recitata fuissent acta, revocata sententia est, tanquam contraria canonibus. Docet autem epistola Vitaliani ad Paulum, eum appellationi cedere noluisse. in quo sanè nullo jure nitebatur. *Oportebat*, inquit Vitalianus, *tuam fraternitatem secundùm canonum vigorem tempore quo se petiit ad nos venire, eum absolvere tuis literis*, id est, ei dare missionem sive literas dimissorias, *quem non solùm noluisti canonicè absolvere ad principis Apostolorum limina, sed magis respondisti ei,* * incidenter, *inquiens*, quia non competenter quæris. *Quæ ergo sancti sanxerunt patres, indecentia sunt?*

* Puto legendum esse indecenter

XV. Appellationum usus obtinebat etiam in Anglia; ut colligitur ex Beda, qui in lib. v. hist. cap. xx. refert Vvilfridum Eboracensem Archiepiscopum, cùm anno DCCV. à synodo depositus fuisset, Ioannem septimum appellasse, Romámque profectum esse, quò etiam accessere accusatores ejus, illic autem restitutum fuisse à Summo Pontifice. quæ restitutio demum peracta est in synodo Anglicana ea de causa congregata.

CAPVT XIX.

Synopsis.

I. Inquiritur quonam modo se Galli sub prima Regum dynastia gesserint circa depositiones Episcoporum. Canones Sardicenses tum recepti erant in Gallia. Synodus itaque provinciæ deponebat Episcopos. In casu appellationis, Papa causam retractari jubebat in provincia. Probatur exemplo Contumelioſi Episcopi Reiensis. Depositio tamen peragebatur, tametsi appellatum fuisset.

II. Salonius Episcopus Ebredunensis, & Sagittarius Vappincensis, damnati in Concilio Lugdunensi, licentiam appellandi sedem apostolicam petunt à Rege Guntramno, qui literas dimissionis illis concessit. Dein restituti sunt decreto Ioannis tertij.

III. Synodus à Rege convocata fuerat; & judices ecclesiastici ab eo dati. quod Principibus licere proba-

tur ex canonibus Africanis, & ex Novella constitutione Valentiniani tertij.

IV. Idem probatur ex Iustiniano; qui præterea judicium appellationis Principi reservavit. quod Gregorius magnus approbavit.

V. Reges nostri dabant judices Episcopis. Id verò non displicuit Summis Pontificibus.

VI. Salonius itaque & Sagittarius Romanum Episcopum appellarunt juxta Concilium Sardicense. Attamen regno egredi non sunt ausi absque permissu Principis. Ex quo loco colligitur vetustas hujus juris regij. Redditi sunt Ecclesiis suis à Ioanne tertio.

VII. Sed iidem iterum accusati, rursum dejecti sunt. alij verò in eorum locis ordinati. Vnde colligitur sententias synodorum mitti solitas in executionem absque auctoritate Papæ.

VIII. Probatur exemplo Saffaraci Episcopi Parisiensis.

IX. Item exemplo Ægidij Remensis Archiepiscopi. Magni præterea momenti est exemplum illud ad probandam auctoritatem regiam.

X. Probatur etiam exemplo Desiderij Viennensis Archiepiscopi.

XI. Tum etiam Didonis & quorundam aliorum Episcoporum sub Theodorico Rege damnatorum.

XII. Gregorius magnus vicariatum suum concessit Virgilio Episcopo Arelatensi, edicto ut ille causas Episcoporum judicaret congregatis duodecim Episcopis. Sed difficiles quæstiones ad sedem apostolicam referri jussit. Episcopi Arelatenses, tametsi Vicarij essent sedis apostolicæ, nullam synodum congregarunt, si Arelatenses excipias.

XIII. Gregorius magnus nihil aliud optat quàm ut Legatus apostolicæ sedis adsit in synodo quæ propter Episcopi peccata fuerit congregata; adeóque non cogitabat de evocandis Romam Episcopis, ut prima illic de crimine eorum cognitio haberetur. Mittere tamen Legatum non vult absque postulatione Principis.

XIV. Tum missa Romam legatio à Principe, Legatum in Gallias à Gregorio mitti postulavit: quem Pontifex pollicitus est brevi missurum. Verùm obortæ tunc bella in regno obstiterunt ne Legatus ille mitteretur.

XV. Charibertus Rex in irritum misit sententiam depositionis à Leontio Burdegalensi Archiepiscopo latam adversùs Emerium Episcopum Santonensem.

I. INSPICIENDUM itaque nunc est quænam fuerit Ecclesiæ Gallicanæ praxis in peragendis judiciis canonicis Episcoporum sub prima Regum nostrorum dynastia. Argumento sequentia erunt canones Sardicenses in usu tum fuisse apud Gallos. Synodus itaque provinciæ dejiciebat Episcopos. Si verò Pontifex Romanus appellabatur, is retractari causam in provincia jubebat, si ita expedire arbitraretur. Exemplo erit causa Contumelioſi Episcopi Reiensis, quem in plena synodo damnatum Cæsarius Arelatensis episcopatu movit. Missa dein relatio ad Ioannem secundum Pontificem Romanum, qui anno DXXXIV. judicium illud confirmavit literis datis ad Episcopos Galliæ. Attamen quoniam Contumelioſus provocaverat ad sedem apostolicam, Agapetus Papa anno DXXXVI. præcepit causam ejus deintegro examinari à judicibus delegandis in provincia, juxta canones, Sardicenses nimirum, ut patet ex verbis epistolæ Agapeti ad Cæsarium Episcopum Arelatensem. *Delegaturi enim*, inquit, *Deo nostro adjuvante sumus examen, ut secundùm canonum venerabilium constituta sub consideratione justitiæ omnia quæ apud fraternitatem tuam de hujusmodi negotio acta gestáve sunt, diligentissimæ vestigatione flagitentur.* Infrà: *Melius autem fecerat fraternitas tua si posteaquam sedis apostolicæ, appellatione interposita, desideravit examen, circa personam ejus à tempore sententiæ nihil permisisset imminui; ut esset integrum negotium quod interposita provocatione quæreretur. Nam si in executionem mittitur prima sententia, secunda non habet cognitio quod requirat.* Ex hac ultima clausula discimus solitos illa tempestate Episcopos Gallicanos exequi sententiam depositionis, tametsi ab ea appellatum esset; quamvis aliud obtinere debere censeret Summus Pontifex.

II. Verùm ut meliùs intelligamus praxim ejus seculi, expendenda sunt acta synodi habitæ adversùs Salonium Episcopum Ebredunensem & Sagittarium Vappincensem, prout extant apud Gregorium Turonensem. Accusabantur illi de violentia, homicidio, adulterio, & de gravi quodam facinore adversùs Episcopum Tricastinensem. Harum rerum certior factus Guntramnus Rex synodum Lugdunensem convocavit anno DLXVII. in qua Episcopi illi suis sedibus privati sunt à Nicetio Patriarcha, id est, Episcopo Lugdunensi, & ceteris Episcopis illic congregatis. Ij verò cùm damnati essent, Regem adeunt, de iniquo judicio conqueruntur, petúntque licentiam appellandi Papam Romanum. Annuit Princeps, deditque literas dimissionis. Ioannes dein tertius eos sedibus suis restituit, scripta ob eam rem epistola ad Guntramnum Regem. Disertis hæc verbis docet Gregorius Turonensis: *Sibi tradi licentiam*, inquit, *ut ad Papam urbis Romanæ accedere debeant. Rex verò annuens petitionibus eorum, datis epistolis eos abire permisit. Qui accedentes coram Papa Ioanne, exponunt se nullius rationis existentibus causis dimotos. Ille verò epistolas ad Regem dirigit, in quibus locis suis eosdem restitui jubet. Quod Rex sine mora, castigatis priùs illis verbis multis, implevit.* Greg. Turon. lib. 5. Hist. c. 20.

III. Si quis autem penitùs introspiciat negotium istud, intelliget primò Regem convocasse synodum ad procurandam Episcoporum punitionem. in quo jus imperatorium renovat. Ius autem illud in eo versabatur, ut Principi liceret dare judices ecclesia-

sticos in causis Episcoporum & Clericorum. quod jus approbatum est in canone Africano centesimo quarto, qui extat in collectione canonum quæ tum in usum recepta erat in Gallia. Præterea, nota illis erat Valentiniani III. constitutio, quæ extat in Codice Theodosiano, qua Patroclum Metropolitanum Arelatensem delegavit anno cccxxv. ad judicandos nonnullos Episcopos Galliarum qui Pelagij hæresim fovebant. *Diversos verò Episcopos*, inquit, *nefarium Pelagiani & Celestiani dogmatis errorem sequentes per Patroclum sacrosanctæ legis antistitem præcipimus conveniri.*

L. 47. C. Theodos. de Epis. & Cler.

IV. Sanè Novella CXXIII. Imperatoris Justiniani non solùm admittit praxim illam, ut Imperatori liceat cujuslibet causæ cognitionem Episcopo delegare, sed etiam judicium appellationis Principi reservat in capite quarto. Id autem Gregorius magnus approbat lib. II. epist. VII. in qua mentionem facit accusationis adversùs Hadrianum Episcopum Thebanum in Thessalia, cujus cognitionem Mauritius Imperator delegavit Ioanni Metropolitano Lariſſææ civitatis, tum etiam judicij absolutionis ab Imperatore lati post appellationem in gratiam Episcopi damnati.

V. Non displicuit Pontificibus Romanis Regum nostrorum consuetudo, qui judices dabant Episcopis, modò tales darentur quibus objici incompetentia non posset. Nam si competentes non essent, tum poterant Pontifices expostulare de hoc facto; quemadmodum usurpatum est à Pelagio primo Papa. Expostulavit is anno DLVII. cum Childeberto Rege quòd causam Sapaudi Metropolitani Arelatensis & Primatis Galliarum delegasset Episcopo cuidam qui dignitate inferior erat Sapaudo. *In judicium sequentis civitatis Episcopi*, inquit Pelagius ad Childebertum scribens, *quod nulla ecclesiastica lege vel ratione conceditur, judicandum juberetis occurrere; ut ipso de conculcato loci sui præjudicio conquerente, illum qui usurpavit necesse sit de illicita præsumptione culpari.* Synodus verò quæ convenit ad judicandam causam Prætextati Episcopi Rothomagensis, à Rege Chilperico convocata fuit. Itémque ea à Rege convocata est in qua Gregorius Turonensis expurgavit calumniam sibi impactam, quasi probrosa adversùs Reginam Fredegundem verba dixisset. *Rex arcessitis regni sui Episcopis, causam justit diligenter inquiri.*

Gregor. Tur. lib. 5. hist. c. 20.

Hem. lib. 5. c. 49.

VI. Rursum ex relatione eorum quæ gesta sunt adversùs Salonium & Sagittarium colligitur reos ab Episcopis fuisse damnato juxta auctoritatem quam ipsis tribuunt canones. Tum dejectos provocasse ad Summum Pontificem, quemadmodum constituerat Concilium Sardicense. Attamen egredi regno ausos non esse absque permissu Principis. Ex quo loco colligitur vetustas hujus regij juris, quo Episcopi tenentur ad impetrandam à Rege licentiam exeundi, etiamsi Romam proficisci velint. Abeundi autem potestatem illis facit Guntramnus. Cùm verò nullus accusator Romæ adesset qui reos coràm convinceret, eos Ioannes III. Pontifex Romanus restitui jussit suis Ecclesiis. In quo nihil iniquum à Pontifice statutum est, cùm, ut dixi, nullus Romæ adesset qui accusationem urgeret. Eam tamen legem restitutioni adjecit, ut si quis eos accusare vellet, expurgare tenerentur objecta. Et hauddubiè ea conditio continebatur in literis quas Pontifex ad Regem scripsit pro eorum restitutione.

Vide Iureum in Notis ad epist. 54. Ioann. Carnot. & Eadmerum in historia Novor.

VII. Sed iterum iidem accusati sunt anno quingentesimo septuagesimo nono. Quare Guntramnus Rex Concilium Cabilonense convocavit; in quo denuo examinata sunt vetera crimina, ea tantùm mente, ut aliqua illis propterea pœnitentia imponeretur. Sed additum est crimen læsæ majestatis. Itaque ut perfidiæ suæ pœnas darent, episcopatibus suis dejecti sunt, & in custodiam traditi in Ecclesia sancti Marcelli: ex qua cùm evasissent, per diversa loca vagati sunt, donec in sedibus eorum alij antistites ordinati sunt. Eorum fidem facit idem qui suprà Gregorius his verbis: *Illud est additum, quòd essent rei majestatis & patriæ proditores. Qua de causa ab episcopatu discincti, in Basilicam sancti Marcelli sub custodia detruduntur. Ex qua per fugam elapsi discesserunt, per diversa vagantes, donec in civitatibus eorum alij subrogati sunt.* Vnde colligere debemus sententias in Episcopos latas à synodis mandari solitas executioni, neque necessarium prorsùs fuisse ut de illis referretur ad Summos Pontifices.

Gregor. Tur. lib. 5. c. 27.

VIII. Axioma illud confirmari potest variis exemplis. Magni autem momenti est in hoc argumento causa Saffaraci Episcopi Parisiensis; qui cùm semel damnatus fuisset, causam suam in secunda synodo retractari impetravit. Illam Chilpericus Rex eam ob rem convocavit Parisiis anno DLV. & in ea depositus est Saffaracus, multorum criminum capitalium reus.

IX. Idem axioma confirmatur etiam alio exemplo valde illustri, cujus narrationem accuratè instituit Gregorius Turonensis. Ægidius Remensis Metropolitanus læsæ majestatis accusatus est à Rege Guntramno anno quingentesimo nonagesimo. Accusa-

Gregor. Tur. lib. 5. c. 19.

tionis peragendæ cura à Principe delegata est Ennodio, qui Dux olim fuerat. Rex Episcopos regni sui evocat apud urbem Metensem; ubi reus convictus, crimen suum confessus est, aiens se reum mortis esse. *At ille confusus ait: Ad sententiam dandam super culpabilem ne moremini. Nam ego novi me ob crimen majestatis reum esse mortis.* Iudicio itaque synodi depositus fuit. Cùm autem Episcopi vitæ gratiam illi fieri obtinuissent à Rege, in exilium pulsus est apud Argentoratum; Romulfus verò in ejus locum substitutus est. *Episcopi ---- obtenta vita, ipsum ab ordine sacerdotali, lectis canonum sanctionibus, removerunt. Qui statim ad Argentoratensem urbem, quam nunc Strataburgum vocant, deductus, exilio condemnatus est. In cujus locum Romulfus, filius Lupi Ducis, Episcopus subrogatus est.* Ceterùm ea depositio eò majoris momenti est quòd adversùs Episcopum Metropolitanum decreta est; cui Rex dat judices non secùs ac simplici Episcopo, tametsi cognitio causarum Metropolitanorum pertinere posset ad Summum Pontificem. Tum etiam sententia executioni mandatur, nulla prorsùs facta relatione ad apostolicam sedem.

X. Anno dein sexcentesimo tertio, ut narrat Fredegarius in Chronico, Desiderius Metropolitanus Viennensis, pridem Reginæ Brunichildi invisus, in synodo Cabilonensi depositus fuit, & in quandam insulam projectus. Domnolus verò in ejus locum substitutus est, tametsi nulla super hoc apostolicæ sedis rescripta emanassent. *Anno octavo regni Theodorici*, inquit Fredegarius, *synodus Cabillono colligitur. Desiderium Episcopum Viennensem dejiciunt; & instigante Aridio Lugdunensi Episcopo & Brunichilde, subrogatus est loco ipsius sacerdotali officio Domnolus. Desiderius verò in insulam quandam exilio detruditur.*

XI. Bella domestica quæ Gallias commoverunt sub Theodorico Rege & Ebroïno Majore domus regiæ nonnullos quoque Episcopos in partes traxerunt, reos ob hoc læsæ majestatis. Itaque cùm Rex & Ebroïnus synodum alicubi convocassent, plures Episcopi in ea dejecti sunt, ac præsertim Dido, qui dein capite plexus est; alij verò in exilium tantùm pulsi sunt jussu Principis. Cùm verò in partes quoque trangressus fuisset Leodegarius Episcopus Augustodunensis, dimissus non fuit ad judicium synodi; sed Comiti palatino traditus, ejus jussu capitis pœnam subiit. Vetus auctor vitæ sancti Leodegarij, qui hæc omnia edisserit, acerbè invehitur in eos qui sanctum hunc virum iniquo judicio morte damnarunt; sed tamen nullam querelam movet adversùs pœnam Didoni aliisve Episcopis irrogatam. *Theodoricus Rex*, inquit, *& Ebroïnus synodum in quadam villa regia convocantes, multam Episcoporum turbam adesse fecerunt; ibique inter ceteros Didonem ---- condemnatum ab ipsa synodo, calvaria accepta in capite expulsum segregant à sancta congregatione. Deinde exilio condemnatus; mortèque secuta, pœna capitis exoluit. Alij porrò Episcopi tunc à Rege per Ebroinum in ipsa synodo pœnam similem sortiti, perpetuo exilio sunt deportati.*

XII. Recurrit nunc Gregorij magni prudentia ut se delicatis Gallorum ingeniis accommodaret, interim verò sedis apostolicæ dignitatem retineret. quam prudentiam etiam adhibuerat quoad Africanos. Visum itaque expedire ut Virgilio Arelatensi Episcopo vicariatum sedis apostolicæ tribueret, edicto, ut causas ille fidei aut Episcoporum judicaret, congregatis duodecim Episcopis; ea tamen adjecta conditione, ut si causa quæpiam difficilis incideret quæ in provincia definiri non posset, ea ad sedem apostolicam referretur. *Si qua verò*, inquit, *inquisitio de fide vel fortasse aliarum rerum inter Episcopos causa emerserit quæ discerni difficilius possit, collectis duodecim Episcopis ventiletur atque decidatur. Si autem decidi nequiverit, discussa veritate ad nostrum judicium referatur.* Attamen licèt Episcopi Arelatenses vicariatum apostolicæ sedis accepissent abhinc annis centum & viginti cum auctoritate convocandorum Conciliorum, certum est eos nullam synodum congregasse, si synodos provinciæ Arelatensis excipias. Contrà, Regum illæ jussu convocatæ fuerunt; & judicia in illis lata sunt adversùs Episcopos, nulla mentione facta Episcopi Arelatensis, utplurimùm absentis à Concilio. Gregor. lib. 4 ep. 32.

XIII. Testatum fecerat Gregorius velle se ut Episcoporum & aliorum Clericorum Africanorum causæ in synodis provincialibus definiantur, delegatione in eam rem data uni ex Episcopis Africanis. Haud absimili consilio vicariatum suum concessit Episcopo Arelatensi, præcipiens item ut causæ Episcoporum ac aliorum Clericorum Gallicanorum in provinciis terminentur. Sed aperta rursum in eam rem sunt verba ejus ad Reginam Brunichildem scribentis. Neque enim aliud ad commendandam sedis apostolicæ dignitatem exigit quàm ut Regina approbet mitti in Galliam Legatum; quò habita synodo adversùs Episcopos impudicitiæ reos, pœna in eos decerneretur. Satisfieri itaque censebat auctoritati suæ si in synodo adesse sineretur Legatus à Romana sede directus; adeóque non cogitabat

bat de evocandis Romam Episcopis, ut illic prima de criminibus eorum cognitio haberetur. Idipsum Afris significari curaverat Cœlestinus; qui ejus desiderio cedere noluerunt. Ea porrò est ipsamet prærogativa quæ Gratiani rescripto quæsita est Episcopo Romano, ut si de causâ agatur Metropolitani cujuspiam in longinqua regione positi, possit Pontifex dare judices, à quorum sententia provocari non possit. Sed in primis observandum est in Gregorio magno obsequium ab eo præstitum regiæ auctoritati, dum ita se gerit, ut in Galliam mittere personam nolit cum auctoritate extraordinaria absque postulatione Principis. Ius autem illud usque ad hæc tempora conservatum fuit. Pontifices enim Romani Legatos in Galliam mittere non possunt absque consensu Regis.

Vide supra lib. 5 cap. 46. §. 2. 3. & cap. 58. §. 1.

Nunc referenda sunt verba Gregorij ex epistola ad Brunichildem Reginam: *Multorum ad nos relatione pervenit----ita quosdam sacerdotes in illis partibus impudicè ac nequiter conversari ut & audire nobis opprobrium & lamentabile sit referre.* Infrà: *Sed quoniam eos quorum est locus hæc insequi nec sollicitudo ad requisitionem nec zelus excitat ad vindictam,* (Metropolitanos intelligit) *scripta ad nos vestra discurrant, ut personam, si præcipitis, cum vestræ auctoritatis assensu transmittamus, quæ unà cum aliis Sacerdotibus hæc & subtiliter quærere & secundùm Deum debeat emendare.*

Gregor. lib. 9. ep. 64.

XIV. Morem Pontifici gesserunt Regina Brunichildis & nepos ejus Theodoricus Rex; qui duos Legatos Romam misere pro nonnullis negotiis. Inter mandata verò eis data, illud quoque præceptum est, ut Legatum in Gallias mitti postularent synodum illic habiturum. Id mirè placuit Gregorio, qui pollicitus est se illum brevi missurum. Verùm oborta tunc in regno civilia bella obstiterunt ne Legatus ille mitteretur. *Præfati autem viri magnifici filij nostri*, inquit Gregorius ad Brunichildem scribens, *dato capitulari inter cetera petierunt, quod sibi ex vestra perhibuere jussione mandatum, ut talis debeat à nobis in Galliis persona transmitti cuncta quæ contra sanctissimos canones perpetrantur omnipotenti Deo auctore possit corrigere.* Infrà: *Apto autem tempore, si Deo placuerit, venerandæ excellentiæ vestræ desideria implere curabimus.*

Gregor. lib. 11. ep. 8.

XV. Ceterùm omittendum non est hoc loco judicium latum à Rege Chariberto, qui anno DLXIII. in irritum misit sententiam depositionis à Leontio Burdigalensi Archiepiscopo & provincialibus Episcopis decretam adversùs Emerium Episcopum Santonensem. Ad episcopatum ille promotus fuerat jussu Regis Clotarij; qui præterea eum ab aliis Episcopis ordinari præceperat quàm à suo Metropolitano, Leontio nimirum. Hic, post decessum Clotarij, Episcopos provinciæ suæ congregavit in civitate Santonensi: in qua synodo dejectus fuit Emerius. Tum celebrata alterius electio, cujus confirmationem à Chariberto Leontius petiit per Legatos. At Charibertus, ægrè ferens contemptam patris sui Clotarij auctoritatem, dejecto videlicet Emerio ab episcopatu, injuriam illam ultus est propria auctoritate; missis videlicet in provinciam viris religiosis, qui Emerium restituerent Ecclesiæ Santonensi; dicta verò mulcta mille aureorum Leontio Archiepiscopo, ut temeritatem ejus hac pœna castigaret; reliquis verò Episcopis mulcta etiam indicta, sed leviori. Rem narrat Gregorius Turonensis his verbis: *Directis viris religiosis, Episcopum in loco restituit; dirigens etiam quosdam de Camerariis suis, qui exactis à Leontio Episcopo mille aureis, reliquos juxta possibilitatem condemnarent Episcopos. Et sic patris ultus est injuriam.*

Greg. Turon. l. 4. cap. 16.

CAPVT XX.

Synopsis.

I. Sub secunda Regum nostrorum dynastia novum jus introductum est in Ecclesiam Gallicanam. Petitum illud ex collectione Isidori, quæ tum primùm prodiit.

II. Epistolæ veterum Pontificum Romanorum, quæ habentur in illa collectione, sunt prorsùs apocryphæ citra omnem controversiam.

III. Ea collectio tribuitur Isidoro Mercatori. Tribuit autem non potest Isidoro Episcopo Hispalensi. Isidorum Episcopum Setubensem, ejus auctorem facit Chronicon Iuliani Toletani. Sed illud falsi suspicione laborat.

IV. Eodem tempore emerserunt Capitula Hadriani data Ingilramno Metensi Episcopo.

V. Iure illo novo statuitur nullum Episcopum posse judicari nisi in synodo convocata à Summo Pontifice.

VI. Sed jus illud contrarium est antiquis canonibus & decretis Pontificum Romanorum. Huic novitati occasionem dedit Concilium Sardicense. Collectio tamen Hadriani non egreditur alibi limites à synodo Nicæna constitutos.

VII. Appellationem Episcopi damnati judicandam esse Romæ decernunt Capitula Hadriani. Explicatur canon Sardicensis de appellationibus. Tum indicatur innovatio adversùs sententiam ejus introducta.

VIII. Præterea præcipitur ut si fortè rem existimaverit judices sibi esse suspectos, in ejus arbitrio sit an velit à Romano Pontifice causam suam judicari, an verò à Primate Diœceseos. quod haustum est è canonibus Sardicensibus malè intellectis, itemque ex lege Gratiani.

IX. Capitula Hadriani & apocryphæ Pontificum Romanorum epistolæ, tametsi in honore haberentur apud Gallos, vim tamen legis non obtinebant, si constaret eas canonibus esse adversas. Probatur ex Hincmaro.

X. Præclara sententia Hincmari de auctoritate harum epistolarum. Concilia præ illis servanda.

XI. Canon quintus Sardicensis versus est in legem publicam regni. Probatur è libris Capitularium, & ex Hincmaro.

I. SUB secunda Regum nostrorum dynastia novum Ius canonicum in Ecclesiam Gallicanam æquè ac in ceteras Occidentis provincias introduci cœptum est, inventis eam in rem suppositititis illis veterum Pontificum Romanorum epistolis, in quibus extant quamplurima constituta prorsùs adversa veterum canonum statutis. Editæ illæ fuerunt in collectione canonum quæ Isidoro Mercatori vulgò tribuitur, quam Riculfus Episcopus Moguntinus ex Hispania attulit in Galliam. Vnde factum ut in Capitularibus Regum quamplurima loca descripta fuerint ex falsis illis epistolis.

II. Certum quidem est & omnino indubitatum ex sententia omnium virorum eruditorum, ac Baronij quoque & Bellarmini Cardinalium, eas epistolas veterum Pontificum, Clementis nimirum, Anteri, Evaristi, Telesphori, Callisti, Iulij, Damasi, & in universum omnes illas quæ tempora Siricij & Innocentij antecedunt, fabricatas fuisse ab hoc Isidoro. Quod colligitur non solùm ex barbarie sermonis ac inscientia antiquitatis, sed etiam ex magno discrimine quod intercedit inter disciplinam veteris Ecclesiæ & eam quæ in his epistolis continetur. Accedit Dionysij Exigui auctoritas: qui cùm in sua collectione canonum addiderit epistolas decretales Pontificum Romanorum, nullam tamen mentionem facit earum quæ in illa Isidoriana continentur. Ac tametsi Leo & Gelasius frequenter laudent epistolas prædecessorum suorum, nullam Isidorianarum mentionem faciunt. Vide lib. 3. cap. 5.

III. Quærunt anxiè viri eruditi quisnam tandem homo fuerit Isidorus ille Mercator, cui hæc compilatio tribuitur. Neque enim tribui potest Isidoro Episcopo Hispalensi, cùm ejus ætas multùm antecedat tempus istius collectionis, tum etiam quòd nitidior sit Isidori stylus quàm tota hæc epistolarum apocrypharum farrago. Existimabat Blondellus Isidorum hunc Mercatorem fuisse fratrem Eulogij Cordubensis; qui in Germaniam confugerat, vitandæ Sarracenorum immanitatis. Verùm huic conjecturæ repugnat ratio temporum. Isidorus enim ille vivebat anno octingentesimo quinquagesimo, cùm diù antè eam compilationem ex Hispania in Gallias attulisset Riculfus Episcopus Moguntinus. Si fides habenda esset Chronico Iuliani Toletani, quod Parisiis editum est à clarissimo viro Laurentio Ramirezio, non laborandum esset de auctore hujus collectionis. Etenim juxta Chronici illius fidem Isidorus Mercator Episcopus Setubensis (quæ civitas nunc Xativa dicitur in Hispania) ope monachi cujusdam Benedictini operam dedisse dicitur huic compilationi & obiisse anno DCCCV. cùm annùm ætatis ageret centesimum. Verùm Chronicon illud falsi suspicione laborat; uti diximus in capite v. libri III. §. II.

IV. Eadem tempestate emersit collectio LXXX. Capitulorum (alij tamen LXXII. tantùm fuisse dicunt) sub nomine Capitulorum Hadriani Papæ, quæ data ab eo est Ingilramno Episcopo Metensi anno septingentesimo octuagesimo quinto. Ea autem excerpta est ex antiquis canonibus & genuinis Pontificum Romanorum epistolis, tum etiam ex legibus Codice Theodosiano comprehensis, vel potiùs ex breviario illarum legum. In his autem Capitulis interdum nonnihil additur antiquis canonibus, interdum verò detrahuntur verba magni momenti, prout conducere visum est ad extollendam Romani Pontificis auctoritatem. Attamen tanta horum Capitulorum dignatio fuit ut etiam frequenter descripta fuerint in Regum nostrorum Capitularibus; & iis usus est Isidorus Mercator in adornanda collectione epistolarum apocrypharum quas diximus.

V. Nunc penitiùs inspiciendum est quid novi juris invexerint hæ duæ collectiones quoad judicia canonica Episcoporum. Primùm enim illic statuitur nullum Episcopum posse judicari nisi in synodo à Summo Pontifice convocata: *Nullus Episcopus, nisi canonicè vocatus, & in legitima synodo suo tempore apostolica auctoritate convocata, super quibuslibet criminibus pulsatus audiatur, vel impetatur.* Hæc enim sunt ipsa verba capitis tertij collectionis Hadriani; unde sua exscripsit Isidorus Mercator, sub nomine Iulij Papæ. Hic autem Hadriani locus laudatur in secunda Additione Ludovici Pij cap. XII.

VI. Ius illud novum adversatur canonibus Nicænis, Antiochenis, Africanis, Sardicensibus, & epistolis Innocentij, Leonis, Gregorij, & reliquorum Pontificum Romanorum: qui decernunt ut prima de criminibus Episcoporum cognitio habeatur à synodo provinciæ, quam Metropolitanus convocabit, absque auctoritate Pontificis Romani. Occasionem autem huic novæ in-

ſtitutioni ſubminiſtravit Concilium Sardicenſe, quod Epiſcopum deponi præcipit in Concilio ex delegatione Pontificis congregando; ſed illud decernitur tantùm in caſu appellationis, ad retractandum primum judicium. Eo autem conſilio conditum eſt capitulum illud Hadriani ut tota dejiciendorum Epiſcoporum auctoritas ad apoſtolicam ſedem devolvatur, adeo ut etiam prima cauſæ cognitio inſtituatur auctoritate Pontificis, & quod jure ordinario competit Epiſcopis, ex delegatione tantùm Pontificis fiat. Attamen in his quæ ſequuntur collectio illa non egreditur limites à ſynodo Nicæna ſtatutos. Nam in capitulis v. IX. XII. & XX. præcipitur ut primum judicium fiat ab Epiſcopis provinciæ: quod in executionem mitti debeat, ſi Epiſcopus damnatus apoſtolicam ſedem non appellaverit. Deſcriptum autem eſt iſtud in Additione quarta Ludovici Pij cap. VIII. & in libro VI. Capitul. cap. CCLXXXVII. itémque in libro VII. cap. CCXXXIV. & CCLXXV.

VII. Secundò, ingens tentata eſt innovatio quoad Epiſcopum depoſitum provocantem ad apoſtolicam ſedem. Hunc enim capitulum XX. præcipit à Summo Pontifice judicari: *Apud Romanæ ſedis Pontificem judicetur.* Tum in XXIII. ſcriptum eſt *ſtatuendum quod ipſe cenſuerit.* quod relatum eſt in ſeptimo Capitularium libro capp. CCXXXIV. & CCXXXV. In eo autem capite facta eſt fraus non contemnenda. Quippe id in legem perpetuam verſum eſt quod antea conditio tantùm erat; hujus novæ inſtitutionis colore quæſito ex canone Sardicenſi, cujus tamen breviarium tantùm refertur, & ipſum procul aberrans à mente canonis. Nam Hadrianus primus in Epitome canonum quam anno DCCLXXIII. miſit ad Carolum magnum, canonis tertij Sardicenſis breviarium concepit his verbis: *Quòd ſi damnatus appellaverit Romanum Pontificem, id obſervandum eſt quod ipſe cenſuerit.* Et tamen canon ille Sardicenſis, tametſi ſupremam Romano Pontifici auctoritatem tribuat ſi Epiſcopus appellaverit, ea nihilominus mente id conſtituit ut ea tantùm utatur ad judicandum an prima ſententia confirmanda ſit, an verò decernenda reviſio. Quo caſu cauſam remittere debet ad ſecundam ſynodum provinciæ, miſſo etiam Legato, ſi mittendum eſſe aliquem exiſtimaverit. Porrò in Capitulis Hadriani omiſſa non eſt hæc pars canonis Sardicenſis, poteſtas nimirum decernendi ut res in ſynodo judicatæ denuo examinentur; ſed disjuncta eſt illic à materia qua de agitur, ſeparatúmque capitulum conſtituit. In capitulo enim XLII. extant verba epitomes Hadriani, ſumpta ex canone ſeptimo Sardicenſi; quæ relata etiam ſunt in libro VII. Capitul. cap. CCLXVII.

VIII. Tertiò præcipitur ut ſi fortè reus exiſtimaverit judices ſibi eſſe ſuſpectos, in ejus arbitrio ſit an velit à Romano Pontifice cauſam ſuam judicari, an verò à Primate Diœceſeos; ut patet ex capite vigeſimo hujus collectionis, quod relatum eſt in ſeptimo Capitularium libro capite CCXXXIV. Huic innovationi occaſionem præbuerunt canones Sardicenſes malè intellecti. Nam nonus & decimus permittunt ut cauſa Metropolitani judicetur apud Primatem Diœceſeos, id eſt, apud Patriarcham, aut ſedem Conſtantinopolitanam. Itaque collectio iſta in diverſum trahit mentem horum canonum, edicens ut Epiſcopi quibus Metropolitanus aliíve Epiſcopi ſuſpecti ſunt, poſſint cauſam ſuam deferre ad Primatem Diœceſeos, id eſt, juxta mentem iſtius collectoris, ad antiquiorem Metropolitanum, aut ad ſedem Romanam. Eidem innovationi occaſionem quoque præbuit reſcriptum Gratiani Imperatoris ſuprà relatum in capite undecimo hujus libri; quo tribuitur Epiſcopo accuſato facultas appellandi ad Concilium quindecim Epiſcoporum, vel ad Epiſcopum Romanum, ſi ſuſpectos ſibi eſſe crediderit aut Metropolitanum aut reliquos judices. Verùm hæc lex deinceps obtinere non debet, poſt receptos in auctoritatem canones Sardicenſes; qui aliam regulam conſtituerunt quoad Epiſcoporum judicia, appellaríque permiſerunt à ſententiis depoſitionis decretis in ſynodis; cùm è contrà lex Gratiani vetet ne is appellet à judicio ſynodi provincialis qui ſe ab ea judicari conſenſerit.

IX. Attamen obſervandum eſt honorem quidem habitum huic collectioni Hadriani & falſis Pontificum epiſtolis, adeo ut eis frequenter utantur Reges noſtri in libris Capitularium, ſed nihilominus eas vim legis non obtinuſſe apud Gallos quando conſtabat eas eſſe adverſas canonibus. Teſtatur id Hincmarus Remenſis Archiepiſcopus in opuſculo LV. Capitulorum, adversùs Hincmarum Laudunenſem Epiſcopum ſororis filium ſcribens, qui ea collectione utebatur. Ait enim apertiſſimè Hincmarus de hac collectione Hadriani, eam ſibi repugnare in pleriſque capitibus, in aliis verò contrariam eſſe ſacris canonibus. *De ſententiis verò*, inquit, *quæ dicuntur ex Græcis & Latinis canonibus & ſynodis Romanis atque decretis Præſulum ac Ducum Romanorum collectæ ab Hadriano Papa, & Engelramno Metenſium Epiſcopo datæ, quando pro ſui negotij cauſa age-* Hincmar. in Opuſc. cap. 14.

batur, quàm dissonæ inter se habeantur, qui legit satis intelligit, & quàm diversæ à sacris canonibus & quàm discrepantes in quibusdam ab ecclesiasticis judiciis habeantur. Infrà: *De istis sententiis plena est terra, scilicet & de libro collectarum epistolarum ab Isidoro, quem de Hispania allatum Riculfus Moguntinus Episcopus in hujusmodi sicut & in Capitulis regiis studiosus obtinuit, & istas regiones ex illo repleri fecit.*

X. Quid autem de veterum Pontificum epistolis ipse sentiret, apertissimè ostendit eodem loco; tametsi scribere non audeat eas esse suppositicias. Docet enim ex Innocentij, Leonis, & Gelasij receptis decretis accuratè servanda esse ea quæ in canonibus Conciliorum præscribuntur; à quibus tamen discederetur, si varia capita controversis illis epistolis comprehensa servarentur quæ sunt adversa canonibus; qui posteriores cùm sint iis epistolis, illis utpote prioribus derogare censendi sunt. Vnde tandem orationem suam hac definitione concludit, honorem quidem iis epistolis deberi ob dignitatem auctorum quorum nomina præferunt, sed Concilia servanda, quorum decreta universalis Ecclesia & sedes apostolica custodit. *In hac discretione*, inquit, *ut præmisi ex verbis Gelasij, suscipe ad instructionem illas epistolas quas beatissimi Papæ diversis temporibus ab urbe Roma pro diversorum patrum consolatione dederunt, legendas, venerabiliter; & serva sacra Concilia, quæ sedes apostolica & omnis sequitur Ecclesia, inviolabiliter.*

:mar. cap. 25.

XI. At licèt in libris Capitularium descripta fuerint Capitula Hadriani, tamen in eisdem scriptus quoque est canon quintus Sardicensis, ut vim legis in regno obtineat quoad negotia ecclesiastica; eóque solo utebatur Ecclesia Gallicana, ut testatur Hincmarus. Hæc sunt verba Capitularium. *Vt judicatus Episcopus ad apostolicam sedem, si voluerit, appellet. Ex Concilio Sardicensi Titulo quinto. Quòd si appellaverit, in cathedra ipsius alter non ordinetur.* quæ verba transcripta sunt è Breviario Ferrandi Diaconi tit. LIX. & LX. In eisdem Capitularibus descripta est pars illa epistolæ Leonis primi ad Episcopos Mauritaniæ Cæsarienſis, qua eorum judicio committit causam Lupicini Episcopi. In universum autem reliqua capitula sic accipienda sunt ut istis nequaquam derogetur; quemadmodum probavimus ex Hincmaro. Is autem nomine Caroli Calvi Imperatoris scribens ad Ioannem octavum Pontificem Romanum, quinam sit canonum Sardicensium sensus aperit in capite undecimo illius epistolæ; cujus verba suprà relata sunt in hoc libro. Tum capite XIX. docet eam fuisse praxim sui seculi, eámque semper observatam fuisse in hoc regno. *Hæc itaque transalpinis Ecclesiis*, inquit, *earúmque rectoribus à sede apostolica de appellatione Episcoporum ad sedem apostolicam ante longissimæ ætatis annos usque ad nostra tempora servata & à decessoribus ac prædecessoribus eorum secuta & executa fuerunt.* Quod eò faciliùs is credet qui observaverit canones Nicænos, Antiochenos, & Sardicenses fuisse descriptos in codice canonum quo Ecclesia Romana utebatur ævo Caroli magni, quem Hadrianus primus misit ad hunc Principem. In epistola verò quæ præfixa est huic codici Hadrianus Carolum hortatur ad observationem horum canonum. *A lege nunquam discede*, inquit, *hæc observans statuta.* Vnde Leo quartus scribit Episcopos judicari secundùm regulas à canonibus præscriptas.

Lib. 7. Capitul. cap. 325.

CAPVT XXI.

Synopsis.

I. Gregorius quartus causas Episcoporum audiri jubet à Primate Diœceseos; sed judicium tamen peragi prohibet; quod sibi reservat, vel Legatis in provinciam mittendis.

II. Leo quartus statuit Episcopum damnari non posse nisi à duodecim, nisi si Papam appellaverit. Quo casu nemo potest sententiam pronuntiare adversùs eum.

III. Hæ constitutiones contrariæ erant canonibus. Ostenditur autem in quo adversarentur canonibus.

IV. In Gallia tamen Episcopi deponebantur in synodo provinciali, non invitis Pontificibus Romanis.

V. Probatur ex Nicolao primo, qui ait sedem apostolicam eum habere debere pro damnato qui judicio Episcoporum fuerat damnatus. At si dejectus appellaverit apostolicam sedem, tum recipi eum posse in communionem, postquam causa fuerit examinata in synodo. Referuntur verba Nicolai.

VI. Agnovit Nicolaus inesse synodis provinciarum legitimam auctoritatem ad deponendos Episcopos, neque necessariam esse delegationem Summi Pontificis. Probatur ex epistola ejus ad Salomonem Regem Britonum.

VII. In Concilio Triburiensi statutum est ut Episcopus nonnisi à duodecim Episcopis deponatur, nempe in synodo provinciali.

I. GREGORIUS dein quartus infringere conatus est auctoritatem canonum Sardicensium anno DCCCXXXV. & judiciorum ordinem præscribere quoad Episcopos, arrepta occasione quadam opportunissima. Aldricus Cenomanensis Episcopus ad eum provocaverat ante sententiam Episcoporum provincialium, qui neque litis instructione neque judicio supersedere volebant. Præcipit itaque Gregorius Pontifex ut causa ejus audiatur à Primate Diœceseos; sed judicium tamen peragi prohibet; quod sibi reservat,

vel Legatis suis in provinciam mittendis. Constitutio autem hæc versa fuit à Gregorio in legem generalem, scripta videlicet epistola ad Episcopos Galliæ, Germaniæ, & Europæ, quæ extat integra in secundo tomo Conciliorum Galliæ; ejus autem excerpta extant apud Ivonem in Decreto & apud Gratianum 2. *q.* 6. Hæc sunt verba Gregorij: *Liceat illi post auditionem Primatum Diœcesios, si necesse fuerit, nos appellare, & nostra auctoritate, aut ante nos, aut ante Legatos nostro ex latere missos, juxta patrum decreta suas exercere atque finire actiones; nullúsque illum ante hæc judicet, aut judicare præsumat.*

II. Eam constitutionem imitatus est Leo quartus anno DCCCXLIX. ad Episcopos Britanniæ scribens. Ait enim Episcopum damnari non posse nisi à duodecim Episcopis: nisi si Papam appellaverit. quo casu nemo potest sententiam pronuntiare adversùs eum. *Si Episcopus*, inquit, *suam causam in præsentia Romanæ sedis Episcopi petierit audiri, nullus super illum finitivam præsumat dare sententiam; sed omnino eum audiri decernimus.* Refertur hic locus à Gratiano 2. *q.* 4. cap. *Nullam.* Epistola verò extat integra in tomo tertio Conciliorum Galliæ.

III. Hæ duæ constitutiones Gregorij quarti & Leonis quarti contrariæ erant canonibus in duobus capitibus. Tum ex eo quòd jubent ut si Episcopus accusatus appellet à synodo provinciæ ante judicium, vel si primam causæ suæ cognitionem à Romano Pontifice suscipi postulet, litis instructione supersedeatur, donec Papa statuerit quid sequendum sit. Tum etiam ex eo quòd arbitrio ejus reservant an Episcopus in urbe Roma judicandus sit, an verò dimittendus in provinciam, illic judicandus coram Legatis apostolicæ sedis. Quod sumptum est ex more usurpato à Gregorio magno; qui tamen Gallias & Africam distinguebat ab aliis provinciis, & cum eis diverso prorsùs modo se gerebat quàm cum aliis.

IV. Galli tamen ea tempestate contraria Gregorio quarto & Leoni quarto usurpabant quoad jus appellationum. Nam quoad primam causæ cognitionem dubium non erat quin Episcopi ad synodum à Principe evocati possent deponere Episcopum. Quin & ipsi quoque Pontifices novarum quas diximus constitutionum auctores, aut eorum successores, nunquam contradixerunt huic auctoritati; tametsi jam tum vulgata essent Hadriani primi Capitula & apocryphæ Pontificum Romanorum epistolæ ab Isidoro Mercatore collectæ. Sanè res ista probari potest ex adductis Gregorij quarti & Leonis quarti constitutionibus, qui ei Episcoporum auctoritati non derogant nisi in casu appellationis. Sed præterea idipsum probari potest ex duobus locis Nicolai primi valde illustribus.

V. Primus petitur ex causa Ebbonis Archiepiscopi Remensis. Anno DCCCXXXV. Ludovicus Pius Imperator synodum apud Theodonis-villam convocavit, cui interfuere octo Archiepiscopi & Episcopi triginta quinque; in qua Ebbo dejectus est. Quippe crimen suum confessus fuerat, partes nimirum Lotharij secutum se esse adversùs Ludovicum patrem, istum verò exauctorasse prætextu pœnitentiæ publicæ. Cùm autem is post dejectionem suam Romam profectus esset, à Sergio in communionem receptus non est. Vnde Nicolaus sumit occasionem scribendi sedem apostolicam eum habere debere pro damnato qui judicio Episcoporum fuerat damnatus, juxta constitutum canonis quinti Nicæni, quem laudat. At si dejectus appellaverit apostolicam sedem, tum recipi eum posse in communionem Ecclesiæ, postquam causa fuerit examinata in synodo. Vnde colligitur appellatione ad apostolicam sedem suspensum non fuisse effectum sententiæ à primis judicibus latæ, quoad depositionem nimirum & privationem communionis episcopalis, tametsi suspenderetur quoad ordinationem alterius Episcopi in loco dejecti. Magni autem momenti sunt verba Nicolai, quæ sic habent in epistola ejus ad synodum Suessionensem: *Porrò si quispiam sedem apostolicam per Sergium sanctæ memoriæ Papam Ebbonem quondam Archiepiscopum indignum clericali communione sanxisse perhibet, noverit quoniam talem sedes apostolica debuit Ebbonem, donec synodali ejus examine causa discuteretur, habere qualem ab aliis habitum non ignorabat.* Infrà: *Donec igitur auctoritate sua super hujuscemodi pusillanimitate aut contentione aut alio quolibet vitio examinatio vel dijudicatio proveniret, apostolica sedes nihil agere debuit nisi quod egit, videlicet ut ab aliis abjectum ipsa nequaquam indiscussè susciperet; præcipuè cùm prædictus Ebbo, non quasi pro depositione sua queritans, vel legitimè restitui volens examine præcedente, sedem apostolicam appellaverit, ------ à qua, jam reprobatus ab aliis, meritò debuit reprobari, donec supplex ab eo sese canonicè posceret adjuvari.*

VI. Secundum caput quod ex epistolis Nicolai primi colligitur, hoc est, agnovisse illum inesse synodis provinciarum legitimam auctoritatem ad deponendos Episcopos, neque necessariam esse delegationem Summi Pontificis. quod colligitur ex epistola ejus

ad Salomonem Regem Britonum scripta. Monet ergo Regem illum depositionem Episcoporum illius provinciæ, qui se simoniacos esse confessi erant, & ob hoc ipsum ab aliis Episcopis jubente Salomone depositi fuerant, validam non esse, quòd à duodecim Episcopis peracta non esset, ac præterea quòd ei peragendæ defuisset Metropolitanus. Addit verò Leonem quartum & Benedictum tertium prædecessores suos nihil aliud exegisse, ad hoc ut judicium adversùs Episcopos Britonum rectum esset & legitimum, quàm ut duodecim Episcopi adessent in synodo: *Quorum vestigia & ego quoque secutus, eadem censui, imò & censeo, nec ullam posse Episcopos sui honoris suscipere jacturam quos non constat fuisse à duodecim Episcopis, præsente primámque sententiam Metropolitano Episcopo obtinente, cùm examinarentur, auditos.* Verùm ea quæ sequuntur, magis urgent. Regi enim imperat ut Metropolitanum Turonensem conveniat, ejúsque judicium expetat, ac propterea ad synodum mittat Episcopos Britonum, qui sunt Ecclesiæ Turonensis suffraganei. Quo casu, nimirum postquam accusati fuerint examinati coram Metropolitano *& integro numero collegarum, id est, duodecim Episcoporum celebrato conventu*, & ipsi legitimè deponi poterunt, & alij Episcopi in eorum loco ordinari. Quia tamen intelligebat ægrè consensurum Salomonem ut Episcopi accusati Cæsarodunum Turonum mitterentur, quòd is eum Metropolitanum Britanniæ præesse nollet, Romanum iter aperit, ubi causam ait definitum iri postquam ij auditi fuerint quorum interest. Hanc autem Nicolai epistolam in Decreto suo transcripsit Gratianus 3. q. 6. cap. *Hæc quippe.*

VII. Germanos quoque ipsos incessit cupido retinendi vetustam consuetudinem deponendi Episcopos in suis synodis, ita tamen ut à duodecim Episcopis judicarentur; ut constat ex canone decimo Concilij Triburiensis, quod anno DCCCXCV. habitum est: *Statutum est in hac sancta & universali synodo ut nullus Episcopus deponatur nisi à duodecim Episcopis.*

CAPVT XXII.

Synopsis.

I. Episcopi Gallicani contendebant supersedendum non esse depositione, tametsi appellatio interposita esset ante judicium.

II. Hæc Gallicanorum regula probatur ex controversia quæ inter eos & Hadrianum secundum exarsit in causa Hincmari Episcopi Laudunensis, qui ante judicium appellavit Summum Pontificem, petiitque supersederi judicio. Notatur auctor Tractatus De delicto communi.

III. Id unum contendebat Hadrianus, judicandam esse appellationem parte utraque audita. Nihil verò aliud prohibet quàm ne quis pendente appellatione ordinetur in loco dejecti.

IV. Synodus Duziacensis ad Hadrianum rescribens se tuetur auctoritate canonum Sardicensium.

V. Si causam retractari jubeat Pontifex, existimabant Galli eam retractari debere in provincia. Cui regulæ adhæret Hadrianus.

VI. Magni momenti est hæc Hadriani adhæsio. Quippe canonum Sardicensium & Africanorum auctoritatem inviolatam præstat; ac præterea duas illas Gallorum regulas, suprà propositas, certas esse evincit. Referuntur ipsa Hadriani verba ex epistola ad Carolum Calvum.

VII. Sergius Papa causam Ebbonis Archiepiscopi Remensis retractari jussit in provincia coram Legatis sedis apostolicæ. Probatur ex epistola synodi Tricassinæ ad Nicolaum primum.

VIII. Vtraque Gallorum regula probatur etiam auctoritate Hincmari in epistola ad eundem Nicolaum.

I. ECCLESIA Gallicana robustè libertatem suam illa ætate retinuit quoad caput appellationum. Primùm enim contendebant Episcopi Gallicani appellationem interpositam ante judicium ab Episcopis provinciæ latum non esse ejus momenti ut interim supersedendum foret instructione litis aut pronuntiatione sententiæ, & per consequentiam, privatione communionis episcopalis, tametsi alterius Episcopi ordinatione supersederetur.

II. Hanc eorum fuisse regulam discimus ex controversia quæ inter Hadrianum secundum & Episcopos Gallicanos exarsit in causa Hincmari Episcopi Laudunensis. Depositus is fuit in Concilio Duziacensi decem provinciarum anno DCCCLXXI. tametsi ante judicium appellasset Summum Pontificem, petiissétque ut interim supersederetur judicio. Ea porrò Episcopis illis mens non erat ut appellationis prosecutionem prohibere voluerint, quemadmodum existimat is qui Tractatum scripsit *De delicto communi*; sed depositionem judicare volebant pendente appellatione. Sanè acta aiunt: *Salvo in omnibus judicio sedis apostolicæ.* Hadrianus verò eis exprobrat hanc præcipitationem, contendítque supersederi debuisse instructione litis post appellationem. Depositionem præterea confirmaturum se negat, donec Hincmarum Laudunensem & accusatorem ejus audiverit in plena synodo; *in præsentia nostra*, inquit, *& totius sedis Romanæ synodali collegio.* Hæc sunt ejus verba in epistola XXVII. quæ data est ad Episcopos synodi Duziacensis: *Tamen, sicut ipsius Concilij actionibus legitur, quoniam salvo in omni-*

bus judicio sedis apostolicæ illum ab Episcopis fuisse judicatum asseritis, nos, non aliqua contra quoslibet commoti invidia, nec alterius culpam in alterum retorquere cupientes, volumus, & auctoritate apostolica, nullius partis favorem aut obsequium sed rei gestæ veritatem magis invenire cupientes, jubemus ipsum Hincmarum Laudunensem Episcopum vestra fretum potentia ad limina sanctorum Apostolorum nostramque venire præsentiam. Quo sanè veniente, veniat pariter accusator idoneus, qui nulla possit auctoritate legitima respui. Et tunc in præsentia nostra & totius sedis Romanæ synodali collegio causa illius prudenti ventilata examine, ac diligenter inquisita, secundùm Deum & sacrorum canonum constitutiones spiritu Dei prolatas sine protelatione aliqua finietur.

III. Revera tamen latæ sententiæ connivet Hadrianus, id unum contendens, judicandam esse appellationem utraque parte audita; nihil verò aliud prohibet quàm ne quis ordinetur in loco dejecti, donec judicata fuerit appellatio. *Quia cùm clamaret in synodo*, inquit Hadrianus, *se ad sedem apostolicam velle incunctanter venire, atque in præsentia ejus pro objectis sibi ab adversario criminibus respondere, damnationis in eum non erat proferenda sententia.* Infrà: *Vnde quousque causa illius, sicut prætulimus, fuerit iterum refricata atque finita, alter Episcopus in ipsa Laudunensi Ecclesia nullatenus ordinetur.*

IV. Huic Hadriani epistolæ respondens synodus Duziacensis, canonum Sardicensium auctoritate se tuetur; ut patet ex eorum epistola, in qua aiunt abstineri potuisse ab hac excusatione, quam mittunt, si is qui Hadriano erat ab epistolis, diligenter inspexisset acta synodi in loco quem indicant. *Nunc nobis non esset necessarium excusare*, inquiunt, *si is quem nobis jussistis rescribere, ad locum in gestorum synodalium serie legisset, quòd ibi, antequam damnationis in Hincmarum proferretur sententia, scriptum est ita:* * *Tunc lectæ sunt in synodo ab Adalgario Diacono sententiæ canonum, ita eo dicente: Sardicenses canones decreverunt ut si aliquis Episcopus judicatus &c.*

* In Actis Concilij Duziacensis, c. 10.

V. Cùm itaque Rex Carolus Calvus & Episcopi Gallicani summopere urgerent observationem canonum Sardicensium, temperamento eo utitur Hadrianus quo utrorumque juribus consulitur. Vnde quoque elicienda est secunda Gallorum regula, nimirum in casu appellationis, si Summus Pontifex velit causam retractari, judicandam esse illam in provincia. Cui regulæ adhæret Hadrianus in epistola ad Carolum; in qua mentem ei suam aperit, postquam Episcoporum Gallicanorum ultimas literas expenderat. Ait ergo æquum esse ut quandoquidem Laudunensis Episcopus appellavit apostolicam sedem, spatium habeat accedendi ad eam, ubi ipsi ostendentur epistolæ & acta adversùs eum missa. Quòd si postquam acta cum eo communicata fuerint, pertinaciter contenderit se injustè esse damnatum, tum Papam jussurum ut causa retractetur in provincia, vel à judicibus electis, vel à synodo coram Legatis Summi Pontificis; ita tamen ut interim Laudunensis restitui non possit episcopali ordini.

VI. Hic locus magni momenti est, tum ex eo quòd canonum Sardicensium & Africanorum auctoritatem inviolatam præstat, tum etiam quòd duas Gallorum regulas suprà propositas, certas esse evincit. Hæc sunt verba Hadriani: *Sed quia non satis idonea videntur & matura nostris, & huic sanctæ sedi condigna*, id est, gesta synodalia habita contra Hincmarum, *donec ad hanc sanctissimam & apostolicam quam appellavit sedem spatium habeat veniendi, ideo veniat; & ostensis sibi literis quas nobis misistis, & libello continenti seriem synodi, libellulo etiam cleri & plebis Laudunensis proclamationem continenti, si adhuc justam putaverit habere proclamationem, asserens se injustè damnatum, tum electis judicibus, non tamen eo priùs in gradu restituto, aut ex latere nostro directis Legatis cum auctoritate nostra, refricentur quæ gesta sunt, & negotia in qua orta sunt provincia canonicè terminentur. Quòd si venire detrectaverit, clareat quòd idem ipse dederit locum damnationis in semetipsum; nec sacer ordo differendo moram patiatur, vel detrimentum.* Epist. 19. Hadr. 2. ad Carolum Regem, Tomo 3. Concil. Gall.

VII. Ad majorem autem probationem hujus secundæ regulæ Episcoporum Gallicanorum, causam videlicet in provincia retractandam fuisse si Summus Pontifex appellationem admitteret, adferam exemplum Ebbonis Archiepiscopi Remensis. Fuerat is depositus anno DCCCXXXV. ut suprà retuli. Vndecim verò pòst annis Imperator Lotharius, odio adversùs Carolum Regem fratrem suum, à Sergio Pontifice rescriptum impetravit, quo causa Ebbonis retractari jubebatur. ac tametsi magna esset ejus gratia, quòd Roma ejus imperio pareret, nihil tamen aliud obtinuit quàm ut negotium in provincia retractaretur coram Legatis quos Sergius apud urbem Treverensem missurus erat ad Imperatorem. Sanè Ebbo dein abstinuit à prosecutione hujus negotij. Sed hanc delegationem factam esse docet epistola synodi Tricassinæ ad Nicolaum primum scripta anno DCCCLXVII. qua eum synodus certiorem fecit eorum quæ acta fuerant in causa Ebbonis. *Lotharius Imperator*, inquit synodus, *epistolas à Sergio Papa exegit pro refricando*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

judicio de Ebbonis abjectione, quasi discordia esset in Remensi Ecclesia pro ejus ordinatione. Vnde idem Papa Domno Carolo, sed & Guntbaldo Archiepiscopo, & eidem Hincmaro literas misit, ut cùm post diem sanctæ Resurrectionis Missos suos in servitium Imperatoris mitteret, Trevirís cum Episcopis ad hanc discordiam sopiendam convenire studerent.

VIII. Ad probandam autem utramque regulam utar etiam testimonio Hincmari ad Nicolaum Papam scribentis. *Hinc juxta Sardicense Concilium*, inquit, *summus primæ & sanctæ sedis Romanæ Pontifex pro examinis renovatione ad se reclamantis & refugientis cum sua clamatione dejecti provincialis Episcopi non statim singularitate privilegij & auctoritatis suæ restituit, sed remittens eum ad provinciam ubi causa patrata fuerat, ------ aut finitimis Episcopis dignatur scribere, aut è latere suo mittit qui habentes ejus auctoritatem præsentes cum Episcopis judicent, & diligenter causam inquisitam definiant.*

Ap. Flodoard. lib. 3. Hist. Rem. c. 13.

CAPVT XXIII.

Synopsis.

I. Contendebant præterea Episcopi Gallicani appellari non posse à judicibus electis, etiamsi ij electi essent post appellationem. Ei Gallorum desiderio contradixit Nicolaus primus in causa Rothadi Episcopi Suessionensis. Narratur historia depositionis Rothadi.

II. Dejectionis ejus certior factus Nicolaus, excanduit, præsertim quòd intelligeret ordinatum fuisse in loco ejus Episcopum, spreta appellatione. Itaque ad Hincmarum scripsit, non occultis doloris indicijs, adeo ut suspensionem à divinis intentaverit.

III. Synodi acta confirmaturum se negat Nicolaus donec Rothadus fuisset auditus. Tum irascitur ob depositionem Rothadi peractam post appellationem. Scribendum autem fuisse ad Summum Pontificem, tametsi appellatum non fuisset, ut cognosci posset an is causam retractari vellet. quod contrarium est canoni Sardicensi.

IV. Canones violatos ait ex eo capite quòd Episcopus in loco Rothadi fuerit ordinatus post appellationem. Episcopi verò excipiunt eum post appellationem expetiisse judicium Episcoporum. Quid deinde actum à Nicolao.

V. Temperata fuit excandescentia Nicolai. Postulat ut aut Episcopi Rothadum restituant, aut aliquos Romam mittant queis coram judicium renovari possit apud sedem apostolicam.

VI. Hinc occasionem sumpsit Hincmarus scribendi celebrem illam epistolam ad Nicolaum; in qua evulgantur quinque arcana Episcoporum Gallicanorum quoad depositionem Episcoporum. Explicantur regulæ illæ.

VII. Pallium interdum tribuebatur Episcopis, tametsi Metropolitani non essent. Hi verò contendebant sibi quoque competere privilegium exemptionis à jurisdictione synodorum. Verùm exemptio illa non derogabat auctoritati synodorum. Pallium autem concedi nemini poterat, ob exemptionem illam, absque consensu Regis & Episcoporum Gallicanorum.

VIII. Gregorij igitur quarti & Leonis quarti constitutiones in usum receptæ non erant in Gallia, cùm id quod diù antè ab eis constitutum fuerat in gratiam omnium Episcoporum, ab Hadriano tribuatur Actardo Episcopo Nannetensi tanquam privilegium, ratione Pallij.

IX. Magni momenti sunt verba Hincmari ex quibus quinque illæ Gallorum regulæ colliguntur.

X. Galli pervicaciter contendunt appellari non posse à judicibus electis, contrà tendente Nicolao Papa. Mirabile temperamentum Hincmari.

XI. Ruituram prorsùs ecclesiasticam disciplinam scribit ad Nicolaum Hincmarus si sententia adversùs Rothadum à judicibus electis lata infringatur.

I. PRÆTER duas regulas Episcoporum Gallicanorum à nobis propositas capite superiori, tertia quoque prorsùs animosè propugnabatur à nostris, non posse nimirum Episcopum damnatum provocare à judicibus electis, tametsi ij electi essent post appellationem interpositam ad sedem apostolicam. Sed fatendum est Summos Pontifices se ad hanc regulam non accommodasse, licèt alias devorassent. Contrà, Nicolaus primus ei apertè contradixit in causa Rothadi Episcopi Suessionensis. Varia ei crimina objecta fuerant in synodo habita in Convicino villa propter Sylvanectum anno octingentesimo sexagesimo tertio, in primis verò depositum ab eo Presbyterum injustè, dissipata bona Ecclesiæ, oppigneratum calicem aureum, spretas Metropolitani monitiones. Cùm autem in eo res esset ut sententia jamjam in eum ferenda esset, provocavit ad sedem apostolicam, prorogaríque tantisper judicium obtinuit donec ipse Romam accessisset. Interim schedulam porrexit nonnullis Episcopis synodi, eorum opem implorans. quam schedulam sic interpretatus est Hincmarus, quasi Rothadus ad judices electos provocaret. Itaque Rex synodum transtulit ab suburbium Suessionense; ubi accusator quoque sex Episcopos elegit, quos judices esse cupiebat. Episcopi verò ad quos Rothadus scripserat, tum etiam sex qui ab accusatore electi erant, eum deponunt, ac statim Episcopum alium in loco ejus ordinant. Ipse verò in exilium pulsus, in monasterium projectus est.

II. Dejectionis ejus certior factus Papa Nicolaus, excanduit; præsertim cùm intelligeret ordinatum fuisse in loco ejus Episcopum, spreta appellatione. Statim itaque ad Hincmarum scribit ut famæ & sedi suæ Rothadum restituat intra spatium triginta dierum postquam hanc epistolam receperit; vel si sententiam existimet esse justam, aut ipse

ipse Romam veniat, aut Legatum mittat, ut jus partium agnoscere Pontifex possit. Quòd si obedire contempserit Hincmarus, eum Nicolaus *à Missarum solemniis celebrandis* suspendit.

III. Interim synodi Sylvanectensis acta Romam deferuntur ab Odone Episcopo Belvacensi; quæ confirmaturum se negat Pontifex (id enim postulabatur) donec auditus fuisset Rothadus. In epistola autem scripta ad synodum significat gravissimam offensionem sibi concitatam esse ex eo quòd Rothadus depositus sit nulla ratione habita appellationis ab eo interpositæ ad sedem apostolicam. Ait verò, secundùm canones Sardicenses permissam esse appellationem; ac tametsi Rothadus non appellasset, eam tamen juxta canones illos incubuisse necessitatem ut ad Summum Pontificem scribendum fuerit; quò sciri ac cognosci posset an is causam retractari vellet, ac judices ea de causa dare. Sed heic obiter adnotandum est Nicolai mentem in hac ultima clausula contrariam esse canoni Sardicensi, qui necessitatem synodo non imponit mittendi acta ad Summum Pontificem, nisi in casu appellationis, ut dein ipse judicare possit an judicium sit renovandum.

IV. In epistola verò XIX. ad Hincmarum manifestè peccatum esse ait ab Episcopis adversùs canones, eò quòd post appellationem Rothadi alium Episcopum in loco ejus ordinaverant. Et quoniam Episcopi excipiebant eum post appellationem ad sedem apostolicam Episcoporum judicium expetiisse, reponit Nicolaus ex Rothadi ore intelligendum esse quænam ipsi mens tunc fuerit. Quamobrem eis præcipit ut duo vel tres ex ipsis veniant ad sedem apostolicam, vel vicarios suos mittant, Rothadúmque adduci faciant, ut partium jura intelligi possint. Quòd si intra triginta dierum spatium à die receptionis hujus epistolæ paritum non fuerit, eos suspendere se ait *à Missarum solenniis celebrandis*. Declarat autem se, si illi moras nectant, ad Rothadi absolutionem processurum. *Ipsum quidem Rothadum à nobis*, inquit, *apostolicæ sedis more à damnationis vinculo fore solvendum*. Vt autem Episcopos in partes trahat, eorum quoque interesse ait ut negotium illud ea ratione terminetur. privilegia enim apostolicæ sedis multùm valere ad propulsandas injurias quas Episcopis fortè inferri contingit. quod enim nunc Rothado accidit, posse statim unicuique eorum evenire. Adferam autem ipsa verba Nicolai: *Privilegia sedis apostolicæ tegmina sunt, ut ita dicam, totius Ecclesiæ catholicæ. Privilegia inquam hujus Ecclesiæ munimina sunt circa omnes impetus pravitatum. Nam quod Rothado hodie contigit, undescitis quòd cras cuilibet non eveniat vestrum? Sic Apostolus admonet dicens: Qui putat se stare, videat ne cadat. Quod si contigerit, ut verbis utamur propheticis, ad cujus, rogo, confugietis auxilium?*

Epist. 32. ad Episc. syn. Sylvan.

V. Ex hac porrò epistola constat temperatam jam tum fuisse excandescentiam Nicolai; qui paulò commotior Rothadum restitui jusserat, scripta ad Hincmarum epistola, quòd dejici non potuisset pendente appellatione. Nam in posteriore ista ad Episcopos synodi Sylvanectensis, quæ scripta non est imprudenter, sed post maturam deliberationem, declarat non cogitare se de restituendo Rothado nisi postquam constiterit nolle eos Romam accedere, aut vicarios mittere, pro retractanda ejusdem Episcopi causa.

Itaque post epistolas Nicolai ad synodum, ad Regem, & ad Hincmarum scriptas, Rothadus monasterio egredi jussus est. Papa verò ad eum dein scripsit ut si se non existimet habere bonam causam, abstineat à profectione in Vrbem. se enim Episcopis scripsisse gratam sibi fore restitutionem ejus, si ipsi ita censuerint, vel aliquos ex ipsis Romam mittant queis coram judicium renovari possit apud sedem apostolicam. Nicol. ep. 34. ad Rothadum.

VI. Hinc occasionem sumpsit Hincmarus scribendi ad Nicolaum eam epistolam quæ apud Flodoardum extat in libro III. historiæ Remensis cap. XIII. in qua evulgantur quinque arcana Episcoporum Gallicanorum quoad depositiones Episcoporum. Primùm enim docet synodis comprovincialibus juxta canones Nicænos & aliorum Conciliorum ac decreta Pontificum Romanorum competere jus definiendi omnes causas Episcoporum vel Clericorum, neque necessarium esse ut ob eas Summus Pontifex adeatur. Tum si quid dubietatis emerserit in judiciis Episcoporum, id est, si ea causa incidat quæ definita non sit in canonibus, & quæ propterea definiri nequeat in synodo unius vel plurium provinciarum, accedendum esse ad divinum oraculum, id est, ad sedem apostolicam. Tertiò, Episcopum, postquam depositus fuerit, appellare posse, si velit, Episcopum Ecclesiæ Romanæ; id est, ejus appellationem admitti non posse antè quàm judicatus sit, & à gradu suo dejectus in synodo provinciali; juxta Concilium Sardicense. Tum verò renovandum esse judicium, si Romanus Episcopus jusserit renovari. Quartò, appellari prorsùs non posse à sententia Episcoporum quos judices elegerint accusator & reus. Quintò, Metropolitanos qui Pallium à Summo Pon-

tifice receperunt, judicandos non esse ab Episcopis provincialibus absque auctoritate sedis apostolicæ, quemadmodum à Leone Papa decretum est. Axioma illud non receptum erat absolutè in Gallia; ut adnotatum est superiùs, quum relata sunt exempla Metropolitanorum dejectorum. Veruntamen certum est potuisse Papam, si ita existimaret, sibi reservare judicium Metropolitanorum; ut suprà vidimus factitatum à Celestino, Leone, & Hilaro. At Hincmarus, ut satis Pontifici faceret, & ut sibi, qui Metropolitanus erat Remensis, patrocinaretur, regulam illam invehere conatus est.

VII. Interdum autem Episcopis, contemplatione meritorum, Pallium à sede apostolica tribuebatur, tametsi illi non essent Metropolitani. Hi verò contendebant sibi quoque competere privilegium exemptionis à jurisdictione synodorum; ut patet ex Theodulfo Aurelianensi Episcopo, qui sub Ludovico Pio depositus fuit. Ait enim:

Solius illud opus Romani Præsulis extat,
Cujus ego accepi Pallia sancta manu.

Attamen si penitiùs introspiciamus privilegium quod unà cum Pallio Hadrianus secundus concessit Actardo Episcopo Nannetensi anno octingentesimo sexagesimo octavo, facilè deprehendemus illud coërceri ad casum appellationis vel recusationis, exemptionem verò illam non derogare auctoritati synodorum. Præterea concedi Pallium nemini poterat absque consensu Regis & Episcoporum Galliæ, ob exemptionem illam à jurisdictione. Hæc sunt Hadriani verba ad eundem Actardum Episcopum Nannetensem: *Nullus Metropolitanorum antistitum vel ceterorum Episcoporum in controversia criminis, si sedem appellaveris apostolicam, vel ejus speciali expetieris audiri vel discuti fortassis examine, præsumat de te proferre, non nostro præmisso decreto, judicium; sed apostolicæ sedis tantùm reserveris examinandus vel judicandus incunctanter arbitrio.*

VIII. Ceterùm ex his Hadriani verbis petitur validissimum argumentum ad probandum constitutiones Gregorij quarti & Leonis quarti receptas tum non fuisse in Gallia; cùm id quod triginta antè annis constitutum fuerat in gratiam omnium Episcoporum, nimirum ut si sedem apostolicam appellaverint, eorum judicio supersedeatur, nunc ab Hadriano tribuatur Actardo ut privilegium, contemplatione Pallij.

IX. Magni autem momenti sunt verba Hincmari ex quibus quinque illæ regulæ colliguntur, ideóque operæ pretium fuerit ea referre. *I. Absit enim à nobis ut privilegium primæ & summæ sedis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Pontificis pro sic parvo pendamus ut controversias & jurgia tam superioris quàm etiam inferioris ordinis, quæ Nicæni & ceteri sacrorum Conciliorum canones & Innocentij atque aliorum sanctæ Romanæ sedis Pontificum decreta in synodis provincialibus à Metropolitanis præcipiunt terminari, ad vestram summam auctoritatem fatigandam ducamus. II. At si fortè de Episcopis causa nata fuerit unde certa & expressa in sacris regulis non habeamus judicia, & ob id in provinciali vel in comprovinciali nequeat examine definiri, ad divinum oraculum, id est, apostolicam sedem, nobis inde est recurrendum. IV. Si etiam de majoribus causis à provinciali Episcopo ad electorum judicium non fuerit provocatum, III. & in aliqua causa idem Episcopus fuerit judicatus, id est, à gradu suo in comprovinciali synodo dejectus, & putat se bonam causam habere, & appellaverit qui dejectus est, & confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ, ----- ad illius dispositionem secundum septimum Sardicensis Concilij capitulum renovabitur examen. V. Nam de Metropolitano per sacras regulas constituto, qui ex antiqua consuetudine ab apostolica sede Pallium accipit, sicut Leo ad Anastasium, quod & Nicænum Concilium innuit, & ceteri Romanæ sedis Pontifices in decretis suis ex sacris canonibus monstrant, sedis ipsius Pontificis etiam ante judicium est sententia præstolanda.*

X. Tanta autem erat Ecclesiæ Gallicanæ pervicatia quoad quartum caput harum regularum, ut cùm ipsa juxta canones Africanos contenderet admittendam non esse appellationem à sententia judicum electorum, videret tamen Nicolaum multùm urgere ut Rothadus Romam adduceretur, quò Episcopi mitterent vicarios, queis coram causa retractaretur, ea erat, ut dixi, Episcoporum Gallicanorum in hoc capite pervicatia, ut temperamentum quæsiverint quò utrorumque jura salva & illibata permanerent. Hincmarus enim scribit justum esse ut Rothadus Romam proficiscatur, quandoquidem ita jubebat Summus Pontifex; cùm æquum prorsùs sit ut quilibet Episcopus ab eo vocatus Romam accedat, nisi legitima excusatione præpediatur; tum æquum pariter esse ut Episcopi illuc mittant vicarios suos, cùm id Summo Pontifici placeat. in quo satisfacit dignitati sedis apostolicæ. Sed tamen eos limites præscribit potestati suorum vicariorum, ut manifestè appareat eum providere voluisse ne quid detrimenti caperent jura canonica Ecclesiæ Gallicanæ. Neque enim eos mittit ut accusatores, aut ad convincendum Rothadum, sed ut repellant accusationes

Ap Flodoard. lib. 3. hist. Rem. c. 23.

impactas Episcopis Gallicanis, ac si debitam apostolicæ sedi reverentiam contemnere viderentur repudiata Episcopi illius appellatione; tum etiam ut Nicolao supplicitèr significent judicatum ab illis fuisse Rothadum, qui ad judicium electorum provocaverat, juxta canones Africanos & decreta sancti Gregorij. Hæc sunt verba Hincmari in epistola ad Nicolaum: *Cum eo*, id est, Rothado, *quia vobis placet, cui cuncta bona placent, mittimus vicarios nostros, non ut accusatores ad confligendum, sed ut à Rothado atque à vicinis nostris, qui causam pleniter ac veraciter aut nesciunt aut scire non volunt, accusati, quòd non in contemptum sedis apostolicæ appellantem Rothadum secundùm Sardicenses canones sedem apostolicam, sed eum qui ad electorum judicium de certis capitulis provocavit, juxta Carthaginenses & Africanos canones ac decreta beati Gregorij, regulariter judicavimus, vestræ summæ auctoritati humiliter intimandum.*

XI. Demum Hincmarus orat Nicolaum ut rationem habeat canonis Carthaginensis, qui vetat appellari à judicibus electis, tametsi ij duodecim non essent; cùm præsertim in causa Rothadi integer ex consensu partium fuerit judicum numerus, à quibus dein lata sententia est. Quòd si ea sententia infringatur, pessumdari hoc unico facinore auctoritatem Metropolitanorum, funditus everti vigorem ecclesiasticæ disciplinæ,& judicia synodorum in contemptum abitura, etiam apud laïcos. Vtcunque se res habeat, si post monitiones illas Papa ex speciali gratia, & intuitu misericordiæ, Rothadum restituere velit, nolle se auctoritati ejus obsistere. malle enim se credere multa Nicolao revelata esse quæ aliis sunt abscondita & occulta.

CAPVT XXIV.

Synopsis.

I. Rothadus à Nicolao Papa restitutus est in integrum. Intentata autem Hincmaro depositionis pœna si restitutionis executionem impediat. Vult tamen ut si quid Rothado objicitur, accusatio peragatur apud sedem apostolicam.

II. Regulam prorsùs novam invehere conatur Nicolaus, synodum nempe provincialem non posse deponere Episcopum, etiamsi apostolicam sedem non appellaverit, expectandáque esse mandata specialia Summi Pontificis.

III. Contendebat Nicolaus judicia Episcoporum inter majores causas numerari. quod negabant Galli. Vrget Nicolaus, interrogátque quænam tandem causa sint majores si judicia Episcoporum in eum censum referenda non sunt.

IV. Non contradicit Nicolaus Gallorum regulæ, qui aiebant provocari non posse à judicibus electis. Sed obliquè agens, ait eis locum esse non posse in causa Rothadi. illum enim non appellasse judices electos. quod verum est.

V. Rothadus itaque sedem suam recepit. Sed tamen Galli non dicessérunt à regulis suis. Probatur ex Hincmaro, qui synodi judicium contendit non fuisse cassatum, sed Rothado humiliter poscenti veniam ab apostolica sede datam, synodum verò Gallicanam his decretis paruisse, ut præcipiunt antiquæ regulæ.

VI. Galli optimo jure contendebant appellari non posse à judicibus electis. Nicolai tamen tamen desiderium consentaneum prorsùs rationi erat. Rothadus enim non appellaverat expressè judices. Præterea, pendente appellatione nihil tentari debuit inconsulta sede apostolica.

VII. Certa est regula, appellari non posse à judicibus electis. Cui & Romani Pontifices assentiuntur. Apud Græcos vetita erat appellatio à sententia judicum electorum.

VIII. Appellari non posse à judicibus electis existimabat ætas divi Bernardi.

I. ROMAM itaque profectus Rothadus Episcopus Suessionensis juxta præceptum Nicolai, illic semestre integrum commoratus est, adventum vicariorum Episcoporum expectans. Sed cùm illi se per literas excusassent,eo prætextu, quòd Italia undique obsepta esset armis hostium, significassentque præterea impositam sibi non fuisse curam accusandi Rothadum,Nicolaus congregato Romæ Concilio anno DCCCLXV. Rothadum in eum statum restituit in quo erat ante sententiam excommunicationis & depositionis in illum latam. Tum Regem Carolum Calvum orat ut decreti hujus executionem protegat,Episcopúmque illum restitui jubeat. Hincmarum verò objurgans, depositionis pœnam intentat si decreti hujus executionem impediat. Declarat tamen eam sibi mentem esse ut si quid Rothado objicitur, accusatio institui & peragi possit apud apostolicam sedem. Nicol. ep. 44; ad Carolum.

II. Sed in primis consideranda est epistola Nicolai ad Episcopos Gallicanos; in qua rationem reddit eorum quæ à se gesta erant in causa Rothadi. Et tamen cùm contemni & atteri turpe ac sordidum arbitraretur, ac ulcisci vellet auctoritatem suam, quam in eo violatam esse existimabat quòd Episcopi dejecti appellationem admittere judices nollent, regulam invehere conatur non solùm canonibus receptis & decessorum suorum praxi contrariam, sed etiam variis suimet constitutionibus in superioribus epistolis contentis. Itaque regula ab eo proposita, pompæ nimirum plena, est hæc, synodum provincialem non posse deponere Episcopum, etiamsi apostolicam sedem non appellaverit, expectandáque esse mandata specialia Summi Pontificis. Diserta in eam

rem sunt verba ejus in ea quam diximus epistola ad Episcopos Gallicanos : *Etsi sedem apostolicam nullatenus appellâsset, contra tot tamen & tanta vos decretalia efferre statuta, & Episcopum inconsultis nobis deponere, nullo modo debuistis.* Idipsum antea viva voce dixerat in Sermone quem habuit in concilio Romano, cujus hæc sunt verba : *Quanquam etsi nunquam provocasset, nunquam omnino præter scientiam nostram deponi debuerit : quia sacra statuta & veneranda decreta Episcoporum causas, utpote majora negotia, nostræ diffiniendas censuræ mandarunt.* Decreta autem unde jus suum repetit Nicolaus non alia sunt quàm ea quæ extant in collectione Isidori Mercatoris ; quorum ipse veritatem propugnavit in epistola adversùs Hincmarum, qui dixerat eas epistolas in codicem canonum non esse relatas.

III. Addit autem Nicolaus majores causas definiri non posse *sine censura sedis apostolicæ*, ut ait sanctus Leo, & judicia Episcoporum inter majora negotia numerari. quod Galli concedere nolebant. *Sed dicitis*, inquit, *judicia Episcoporum non esse majora negotia.* Nihil autem aliud reponit quàm eas haudubiè causas esse majores, quòd Episcopi primum gradum obtineant in Ecclesia, eorúmque judicia ad se eò majori de causa pertinere quòd etiam causas Clericorum inferioris ordinis, *cùm tempus vel res exegerit*, judicare possit, juxta auctoritatem Innocentij in epistola ad Victricium, quem laudat, cujúsque nos genuinum sensum aperuimus in capite decimo tertio hujus libri. Quoniam verò Hincmarus scripserat ad Nicolaum causas Metropolitanorum judicari non posse inconsulta sede apostolica, ait Nicolaus nullum se discrimen quoad hoc constituere inter Metropolitanos ac reliquos Episcopos. Demum gravi interrogatione Gallicanos Episcopos urget Nicolaus, quærítque quænam tandem sint majora negotia sedi apostolicæ reservata si judicia Episcoporum in eum censum referenda non sint. cui interrogationi jam satisfactum est in eodem capite XIII. hujus libri.

IV. Quantum autem ad objectionem Gallorum, qui aiebant licitum non esse provocare à sententia judicum electorum, ei non contradicit apertè : sed obliquè agens, ostendit locum ei esse non posse in causa Rothadi. illum enim non appellasse judices electos. Sanè Rothadus nonnullis Episcopis scripserat, ut eorum opem imploraret, non certè in præsens, sed postquam Summus Pontifex præcepisset causam retractari in provincia. Interim verò neque numerum judicum expresserat, neque declaraverat renuntiare se appellationi ad sedem apostolicam, quò causam judicari sineret ab Episcopis electis. Contrà, perstitit postea in appellatione, quando damnatus est à prætensis judicibus. Ait deinde Nicolaus eum, postquam sedem apostolicam appellaverat, non potuisse provocare ad auctoritatem Romana minorem & inferiorem. Vnde colligi potest hæsuram illi fuisse aquam nisi appellatio ad sedem apostolicam antecessisset sententiam judicum electorum. Demum magna animi perturbatione & indignatione commotus regulam allegat à me prolatam superiùs in paragrapho secundo hujus capitis.

V. Auctoritate itaque hujus judicij Rothadus sedem suam recepit. At Episcopi Gallicani non discesserunt à regulis suis ; ut constat ex responsione Hincmari ad Episcopum Laudunensem, qui ei exprobraverat in irritum ab apostolica sede missam esse sententiã in Rothadum latam. Ait enim Hincmarus judicium synodi, quod latum fuerat & in executionem missum juxta canones, ab apostolica sede non fuisse cassatum, sed Rothado humiliter poscenti veniam ab ea sede datam, multis pro eo rogantibus. Papam verò flecti se passum esse, quòd Legati Episcoporum, qui causas judicij lati secum adferebant, Romæ se non stitissent, prohibiti nimirum fauces Alpium transire, synodum verò Gallicanam hoc sedis apostolicæ decretum reverenter suscepisse, quemadmodum præscriptum est in antiquis regulis. atque id eò magis obtinere debuisse, quòd jam vita excessisset ille qui in loco dejecti ordinatus fuerat, & remoto obstaculo, satius fuisse pacem quàm bellum amplecti, præsertim cùm frater damnatus ad meliorem frugem se jam recepisset. Hæc compendio perstringere placuit, quæ fusiùs extant apud Hincmarum in capite quinto Opusculi LV. Capitulorum ; in quo hæc quoque verba habentur : *Nostrum judicium per regulas executum sedes apostolica nona cassavit ; sed Rothado, qui ad eam fecit confugium, humiliter poscenti (quoniam Legati nostri, qui causam ejus examinavimus, cum literis, sicut præcipiunt canones, priùs non venerunt, clusas*, id est, fauces & transitus Alpium, *transire prohibiti*) *solatij benignitatem impendit.*

VI. Quòd si mihi sententiam quoque meam proferre liceat inter tantos viros, liberè dicam quid mihi in mentem venerit. Itaque existimo Gallicanos Episcopos optimo jure contendisse appellari non posse à judicibus electis, Nicolai verò desiderium rationi prorsùs consentaneum fuisse in hac facti specie. Nam postulatio judicum electorum, quam isti contendebant factam fuisse à Rothado, non erat expressa, quan-

doquidem alium sensum recipere poterat. Præterea appellatio ad sedem apostolicam, quæ facta antè fuerat, cuique synodus Gallicana concesserat, prohibebat quodam modo ne quid Episcopi definirent inconsulta sede apostolica; præsertim cùm reus in appellatione perstiterit quando sententia adversùs illum pronuntiata est.

VII. Attamen, ut dixi, consilio Gallorum prorsùs favebat regula generalis; quæ conceptis verbis extat in canone Carthaginensi, cujus auctoritas recepta erat in Occidente. Quin & Hadrianus ipse in Epitome canonum hunc quoque Carthaginensem descripsit: *Item ut à judicibus consensu partium electis non appelletur.* Sanè Ecclesia Gallicana insuperhabuit has ultimas Nicolai epistolas, quę politiam canonicam in regno receptam ex eo capite pessumdabant quòd pronuntiarent nullum Episcopum posse deponi inconsulta sede apostolica. Itaque perstitit eadem Ecclesia in observatione trium regularum suprà adductarum in capitibus XXII. & XXIII. hujus libri: quas dein inviolatas præstitit Hadrianus secundus anno octingentesimo septuagesimo primo, id est, sexennio pôst epistolas Nicolai, adeo ut etiam causas definiri voluerit *per judicium electorum.* Græci verò, in quorum collectione descripti sunt canones Carthaginenses, nequaquam ambigunt quin vetita prorsùs sit appellatio à sententia judicum electorum; ut observant Zonaras, Balsamo, & Matthæus Blastares, qui ad confirmandam hanc decisionem laudant libros Basilicon.

VIII. Adeo autem invaluerat apud Gallos hæc opinio, appellari nimirum non posse à sententia judicum electorum, ut etiam ævo divi Bernardi persuasum omnibus fuerit id non licere. Scribens enim sanctus ille vir ad Innocentium secundum Papam de causa Abaïlardi, qui ob quædam doctrinæ capita in Concilio Senonensi damBernard. ep. 189. natus fuerat à judicibus electis, ait: *Appellavit ab electis judicibus. quod non putamus licere.* Episcopi tamen Gallicani cesserunt appellationi, *reverentiæ causâ*, ut ait idem Bernardus in epistola sequenti. Pace tamen tanti viri dixerim, eo casu, quòd ageretur de fide, debuisse causam illam per appellationem rei aut relationem judicum devolvi ad apostolicam sedem. Difficultas enim hæc ad majora negotia pertinebat.

CAPVT XXV.

Synopsis.

I. Galli tandem cedere Romanis coacti sunt sub initia tertiæ Regum nostrorum stirpis in causa Arnulphi Remensis Archiepiscopi. Castigatur Cardinalis Perronius, qui hoc agi putavit de Arnulpho Episcopo Aurelianensi.

II. Violatæ fidei reus Arnulphus causam dixit in Concilio Remensi; ubi proditionem confessus coram duodecim judicibus, depositus est à synodo.

III. Quæsitum est in synodo an competens illa esset ad judicandam causam absque auctoritate Summi Pontificis. Ad probandam necessitatem auctoritatis Romanæ adductæ sunt epistolæ illæ apocryphæ Pontificum Romanorum. Pro synodi verò potestate allati canones Africani, Antiocheni, Nicæni, & auctoritas beati Gregorij, tum etiam exempla Ægidij & Ebbonis Archiepiscoporum Remensium.

IV. Receptæ tum non erant voluntariæ cessiones episcopatuum. De formula confessionis Episcoporum reorum. Ea fiebat singillatim apud confessores, in aversione autem apud synodum. Asserentibus autem confessoribus ejusmodi peccatum fuisse admissum quod pœna depositionis plectendum esset, depositio peragebatur.

V. De depositione Ebbonis Archiepiscopi Remensis. Tres Episcopos elegit qui peccatorum suorum judices essent. Tum tres rursum Episcopos confessionis suæ testes postulavit. Quæ peracta, depositus est.

VI. Arnulphus quatuor confessores elegit; eisque crimina sua confessus, sententia synodi damnatus est: quoniam neque Papam appellaverat ante electionem judicum, neque postquam ii electi erant.

VII. Exemplo Potamij Bracarensis & Ebbonis Remensis colligit synodus canonicè deponi Arnulphum posse, & alium in loco ejus ordinari.

VIII. Arnulphus publicè profitetur violatam à se fuisse fidem Regi debitam. Brochardus Comes petit ut proditionis crimen expresiè profiteatur. Intercessit Arnulphus Episcopus Aurelianensis, dicens confessionem nemini singillatim fieri debere nisi Presbyteris. Decernitur Arnulphi depositio.

IX. Subscripsit in actis cessionis episcopatus. Indicatur discrimen esse inter resignationes quæ hodie fiunt sine causa & eas quæ tum fiebant ob crimen.

X. Ioannes XV. Episcopos hujus depositionis auctores suspendit à divinis. Gerbertus ait obsequendum non esse huic suspensioni, quòd adversùs canones decreta esset.

XI. Arnulphus restitutus est in alia synodo Remensi, ob eam solam causam, quòd depositus fuisset absque consensu & auctoritate sedis apostolicæ. Probatur ex Gerberto.

I. REGULA à Nicolao primo prolata, nullam nempe depositionem peragi posse absque auctoritate Summi Pontificis, retenta fuit in Romana sede: à qua Summi Pontifices non facilè discedebant, nisi ea inciderent tempora ut acriter adversùm tendentibus concedere cogerentur. Itaque universum orbem hujus novæ opinionis jugo colla submittere coëgerunt, magnis illis nominibus veterum Pontificum ac Martyrum munitæ quæ extant in titulis apocrypharum epistolarum ab Isidoro collectarum, quarum auctoritati nemo contradicebat. Gallia quoque ipsa cedere tandem coacta est sub initia tertiæ Regum nostrorum

stirpis in causa Arnulphi Remensis Archiepiscopi: qui cùm Metropolitanus esset, faciliùs patere potuit auctoritati Romanæ. Sed antequam ultra progrediamur, observandus heic est error Cardinalis Perronij: qui Arnulphum hunc Remensem Archiepiscopum confundit cum Arnulpho Episcopo Aurelianensi, eúmque nominat Arnulphum Episcopum Aurelianensem; cùm tamen certum sit Archiepiscopum illum causam dixisse ut reum, Episcopum verò Aurelianensem sedisse inter judices.

II. Ex actis Synodi Remensis habitæ anno octingentesimo nonagesimo secundo colligitur Arnulphum illum Lotharij Regis filium fuisse ex concubina, Archiepiscopúmque Remensem factum fuisse beneficio Hugonis Regis, cui præstiterat juramentum fidelitatis. Et tamen violata fide data, portas urbis Remensis avunculo Carolo aperuerat, qui armis regnum repetebat ab Hugone. Eam ob rem Hugo synodum Remensem convocavit: ad quam vocatus Arnulphus, proditionem suam ac perjurium confessus est coram duodecim Episcopis quos judices & confessores suos esse postulavit, indignum se esse aiens episcopatu, eóque spoliari petens. Verbis autem generalibus confessionem suam repetiit in Concilio coram Rege & proceribus. Tum deponitur à synodo; quæ pro eo vitam & membra à Rege impetrat.

III. Quæsitum est in synodo an competens illa esset ad judicandam hanc causam absque auctoritate Summi Pontificis. Ad probandam necessitatem auctoritatis Romanæ adductæ sunt supposititiæ epistolæ Iulij, Damasi, & aliorum Pontificum. At parte ex alia, duo quædam dicta sunt. Primum, Regem ante hos undecim menses epistolam scripsisse ad Ioannem XV. Papam, qua ad eum deferebat querelam suam adversùs Arnulphum, petebátque *formam judicij*. in quam etiam sententiam scripserant Episcopi Remenses. sed Ioannem nihil hactenus respondisse. necessitate itaque adactum Regem ad congregandam synodum: quæ optimo jure poterat cognoscere de accusatione ista, postquam adeo manifestum erat Pontificem nolle cognitionem habere. ita quippe sancitum in canonibus, qui totam harum rerum auctoritatem tribuunt synodis provincialibus. Laudantur autem in eam rem canones Africani, itémque Antiocheni, Nicæni, & nonnulla loca ex epistolis beati Gregorij, tum etiam exempla Ægidij & Ebbonis Remensium Archiepiscoporum, & interpretatio quam Hincmarus adhibuerat canonibus & decretis quæ in hac materia allegantur.

Concil. Rem. cap. 27.

IV. Igitur constituta Concilij potestate, probatur auctoritate Conciliorum Toletanorum proditionem in Principem crimen esse quod depositionis pœna plecti debet. Ceterùm quod spectat ad confessionem Arnulphi, adnotandum est in antecessum, ut res ista meliùs intelligatur, receptam tum temporis non fuisse voluntariam cessionem episcopatus sine caussa legitima, veluti gravis infirmitatis, aut criminis capitalis quod depositione puniri mos esset. Quoad crimina verò, necessarium erat ea probari magno testium numero fide dignorum, aut ut ea reus fateretur. Sed valida non erat confessio nisi secundùm præscriptas in jure formulas fieret: quam tamen cautione quadam adhibita fieri necesse erat, si fortè crimen capitale esset. Constituerat Leo sufficere pœnitentibus confessionem criminum solis Presbyteris factam, neque necessarium esse ut ea scripto proderent. Videbat enim quòd nisi ea necessitate exsolverentur, eorum inimici possent eis creare vitæ periculum. Eo exemplo Episcopi accusati admittebantur ad confessionem suorum criminum; quam singillatim faciebant, nihil circumstantium omittentes; & id quidem non coram universa synodo, sed apud Episcopos electos, qui ad secretum erant adstricti tanquam confessores pœnitentis. Hunc autem agendi modum ad dignitatem suam vertebat synodus, ad vitandam scilicet appellationem accusati, quòd juxta canones Africanos damnato non liceat ab electis judicibus provocare. Episcopi verò à reo electi, ab eo assumebantur tanquam judices, qui judiciariam ejus confessionem excipiebant, quæ fundamentum erat sententiæ damnationis. Confessio porrò illa in aversione scribebatur in actis cessionis episcopatus quæ accusatus scripto dabat. Confessores verò, id est, judices electi, pronuntiabant crimen illud, quod accusatus fuerat confessus, pœnam depositionis mereri.

V. Exemplo sit depositio Ebbonis Archiepiscopi Remensis: qui cùm anno DCCCXXXV. in synodo apud Theodonis-villam accusatus fuisset à Ludovico Pio Imperatore, tres Episcopos elegit qui judices essent suorum peccatorum; coram quibus omnia confessus, remedium pœnitentiæ ab eis petiit, ut à functione episcopali, cujus se indignum esse agnoscebat, recederet. *Secundùm canonicum institutionem elegit sibi, per consensum synodi, Episcopos judices peccatorum suorum, quos canones electos appellant; de quibus scriptum est in Concilio Africano c. 63.*

ut ab electis judicibus provocari non liceat. Tum tres rursum Episcopos confessionis suæ testes postulavit; quam scripto & viva voce per aversionem confirmavit, dicens se indignum esse episcopatu ob sua crimina. Post quæ damnatus fuit ab Episcopis, *dicentibus per ordinem omnibus: Secundùm tuam confessionem cessa à ministerio;* ut adnotavit Hincmarus in posteriori opere adversùs Gothescalcum cap. XXXVI. Ceterùm præter judices electos ad confessionem criminum, alij quoque eligi poterant ad ea convincenda, aut pro judicandis quæstionibus canonicis, cùm appellabatur à Metropolitano; quem admodum usurpatum est ab Hincmaro in Concilio Suessionensi anno octingentesimo sexagesimo tertio.

VI. His positis videmus in actis Arnulphum quatuor Episcopos seu confessores elegisse, & una cum iis secessisse *in cryptæ secretiorem partem.* Facta autem ab eo confessione proditionis, confessores evocant alios Episcopos, eisque annuntiant *Arnulphum cum lacrymis & gemitu sua crimina sub nomine confessionis declarasse, séque à sacerdotali officio, quo hactenus indignè usus fuerat, removeri velle.* Tum eum omnes Episcopi hortantur, sub pœna anathematis, ne quid adversùs veritatem fateatur. Nihilominus ille in confessione sua perstitit. Præterea ab eo postulant ut Abbates & Clericos, qui in synodo aderant, evocari sinat, testes futuros ejus confessionis; ea tamen cautione, ut jurejurando aut anathemate injecto adigendi antea sint ad sponsionem silentij. quod impetratum est. His actis, synodus existimat deponi deinceps Arnulfum posse; quoniam neque Papam appellaverat ante electionem judicum, quod tamen potuerat, neque postquam ij electi fuerant. Quo sanè casu rejicienda prorsùs fuisset ejus appellatio, cùm non liceat appellare à judicibus electis.

VII. Adfertur exemplum Potamij Archiepiscopi Bracarensis in Concilio Toletano decimo depositi postquam impudicitiam suam scripto confessus fuerat; itémque exemplum Ebbonis, qui crimen suum confessus est Episcopis quos sibi confessores elegerat. Vnde colligit synodus Remensis canonicè deponi Arnulphum posse, & alium in loco ejus ordinari.

VIII. Reges Hugo & Robertus ejus filius ad synodum veniunt *cum primoribus palatij.* Arnulphus introducitur, & publicè profitetur violatam à se fuisse fidem Regi debitam. Tum Comes Brochardus postulat ut is expressè fateatur proditionem, ut alius dein Episcopus canonicè ordinari possit in loco ejus. Intercessit Arnulphus Episcopus Aurelianensis, vetus antistes, dicens confessionem nemini singillatim fieri posse nisi Presbyteris, satísque esse si reus crimen suum verbis generalibus publicè confiteatur. infidelitatis enim confessionem in aversione factam sufficere ad depositionem. *Imò, inquit pater Arnulphus, non eritis hodie pares sacerdotibus, quibus solis pura debetur confessio.* Vno verbo, decernitur Arnulphi depositio. Quo facto, se in terram ille in modum crucis prosternens coram Regibus, eis cum lacrymis & singultibus supplicat ut veniam sibi tribuere velint. Archiepiscopus verò Bituricensis vitam & membra pro Arnulpho nomine totius synodi petit à Regibus. quod ab eorum pietate concessum est.

IX. Arnulphus subscripsit actis suæ cessionis, secundùm formulam ab Ebbone prædecessore suo relictam; cujus heic verba describam, ut appareat discrimen quod intercedit inter resignationes episcopatuum quæ nunc fiunt absque causa, & eas quæ ætate illa fiebant ob crimen. *Ego Arnulfus quondam Remorum Archiepiscopus, recognoscens fragilitatem meam & pondera peccatorum meorum, testes confessores meos Siguinum Archiepiscopum* (& alios duodecim, quos nominat) *constitui mihi judices delictorum meorum; & puram ipsis confessionem dedi, quærens remedium pœnitendi & salutem animæ meæ, ut recederem ab officio & ministerio pontificali, quo me recognosco esse indignum, & alienum me reddens pro reatibus meis, in quibus peccasse me secretò ipsis confessus sum, & de quibus publicè arguebar; eo scilicet modo, ut illi sint testes alij succedendi & consecrandi in loco meo, qui dignè præesse & prodesse possit Ecclesiæ cui hactenus indignus præfui. Et ut inde ultrà nullam repetitionem aut interpellationem auctoritate canonica facere valeam, manu propria mea subscribens firmavi.*

X. At depositio illa Arnulphi, ac Gerberti successoris ejus ordinatio, offendit Ioannem XV. Papam, qui Episcopos hujus rei auctores suspendit à divinis. Gerbertus Senonensi Archiepiscopo Seguino scripsit obsequendum non esse huic suspensioni, quòd adversùs canones decreta esset. Hugo verò Rex Ioannem Pontificem orat ut ea approbet quæ apud Remensem urbem acta fuerant; vel si id non velit, saltem Gratianopolim usque accedat, ut de hoc negotio tractare cum Rege possit viva voce; aut in Galliam veniat, ubi honor ei multus habebitur: Tum addit: *Hoc ex integro affectu dicimus; ut intelligatis & cognoscatis nos & nostros vestra nolle declinare judicia.*

XI. Tandem Pontifex Leonem Lega-

Appendix Aimoini lib. 5. c. 45.

tum in Galliam misit, qui unà cum Siguino Archiepiscopo Senonensi Concilium anno DCCCCXCV. congregavit in urbe Remensi. cujus Concilij decreto Arnulphus sedi suæ restitutus est, eam ob causam solùm, quòd deponi non potuerit absque consensu & auctoritate sedis apostolicæ. Hanc enim fuisse causam ejus restitutionis docent epistolæ Gerberti, qui in epistola ad Siguinum ait: *Quomodo ergo nostri æmuli dicunt quòd in Arnulfi dejectione Romani Episcopi judicium expectandum fuit?* Item in epistola ad Vvilderodum Episcopum Argentoratensem: *Aiunt calumniatores nostri summum sacerdotem Arnulfum à summo sacerdote Romano debuisse tantum dijudicari.*

ADDITIO

STEPHANI BALUZII.

I. ARNULPHI Remensis Archiepiscopi dejectionem ac dein restitutionem, cùm res sit valde intricata, visum est heic aliquot observationibus esse explicandam, non quidem in universum, sed tantùm in eo capite quod respicit auctoritatem Episcopi Romani, sine qua non potuisse illum judicari adnotavit illustrissimus Archiepiscopus. Hujus controversiæ mentionem non semel facit Gerbertus in epistola ad Vvilderodum; in qua primò disputat de auctoritate Conciliorum nationalium & provincialium, testimoniis ex antiquitate petitis; deinde ostendit præteritam non fuisse auctoritatem Romani Pontificis; sed quia ipse interpellatus nihil responderat, post octodecim menses institutum fuisse judicium, & Arnulphum fuisse depositum secundùm canones & servato juris ordine. Hæc sunt præcipua capita epistolæ ad Vvilderodum. Sed operæ pretium est referre loca illa ex ea epistola in quibus Gerbertus commemorat querelam Romani Pontificis. *Aly Romano Pontifici injuriam factam videri volunt*, inquit, *quasi sine ejus auctoritate & sine suis juribus resumptis deponi non debuerit.* Et infrà: *Et tu dicis Arnulphum incendia, seditiones, traditiones, flagitia, captivitates, suorumque direptiones exercentem, suorum Regum interitus molientem, patriam hostibus prodentem, divina humanáque jura contemnentem, nec communione debuisse privari, nec potestate Principis abjici sine Episcopi Romani jussione.* Denique post multa testimonia ex antiquitate sic concludit hanc argumentationem: *Sed neque Primati Romano injuriam illatam, cùm per octodecim menses literis & legatis commonitus respondere noluerit. Non enim ejus silentium aut dissimulatio vel nova constitutio jam constitutis præjudicat legibus.* Item infrà: *Monstratum est, ut arbitror, nullàm Romano Pontifici jure factam videri posse injuriam, nec sine Romanorum Pontificum auctoritate Arnulfum damnatum.*

II. Idem Gerbertus postea factus Pontifex Romanus, Arnulphum sedi Remensi sua auctoritate restituens, primò eum legitimè depositum fuisse innuit, sed tamen eum Romanæ pietatis munere reparat, quia abdicatio ejus assensu Romano caruerat. Placet autem referre integram epistolam, prout edita est à clarissimo viro Andrea Ducheſnio. Sic autem habet.

Silvester Episcopus servus servorum Dei dilecto in Christo filio Arnulfo sanctæ Remensis Ecclesiæ Archiepiscopo. Apostolici culminis est non solùm peccantibus consulere, verùm etiam lapsos erigere, & propriis privatos gradibus reparatæ dignitatis insignibus informare; ut & Petro solvendi libera sit potestas, & Romanæ gloriæ ubique fulgeat dignitas. Quapropter tibi Arnulfo Remensi Archiepiscopo quibusdam excessibus pontificali honore privato subvenire dignum duximus; ut quia tua abdicatio Romano assensu caruit, Romanæ pietatis munere credaris posse reparari. Est enim Petro ea summa facultas, ad quam nulla mortalium æquiparari valeat felicitas. Concedimus ergo per hujus privilegij nostri statuta, tibi baculo & anulo redditis, archiepiscopali officio fungi & omnibus insignibus, quæcunque ad sanctæ metropolim Remensis Ecclesiæ pertinent, solito more perfrui. Pallio solemnitatibus statutis utaris, benedictionem Regum Francorum & tibi subjectorum Episcoporum obtineas, & omne magisterium quod tui antecessores habuisse visi sunt nostra auctoritate apostolica geras. Præcipimus etiam ut nullus mortalium in synodo, aut in quacunque parte, abdicationis tuæ crimen tibi quoque modo opponere præsumat, vel hac occasione in improperij contra te verba exardescat; sed nostra te utique auctoritas muniat, etiamsi conscientiæ reatus accurrat. Confirmamus insuper tibi & concedimus archiepiscopatum Remensem in integrum, cum omnibus episcopatibus tibi subjectis, seu cum omnibus monasteriis, plebibus, titulis, & capellis, atque cortibus, castellis, villis, casalibus, & cum omnibus rebus ad Ecclesiam Remensem pertinentibus, salvo & inviolabili testamento beati Remigij Francorum Apostoli. Statuentes apostolica censura, sub divini judicij obtestatione & anathematis interdictione, ut nulli unquam nostrorum successorum Pontificum vel aliæ quælibet magnæ parvæque personæ hoc nostrum privilegium infringere liceat. Si quis verò, quod absit, hoc Romanum decretum violare tentaverit, anathema sit.

III. Ex hac Silvestri epistola colligi potest non plenè restitutum fuisse Arnulphum in synodo quam in Remensi urbe habuit Leo Romanus Abbas. Quod etiam colligitur ex Aymoino in vita Abbonis Floriacensis cap. XI. & XII. ubi scriptum est Regem Robertum misisse Romam ad Gregorium quintum Ioannis successorem, *quia Arnulfus Remorum Archiepiscopus absque justa audientia sede sua privatus, custodiæque fuerat mancipatus.* Addit deinde Aymoinus: *Regressus itaque honorabilis Abbo ad Regem, à quo missus fuerat, cuncta pro quibus erat perfecta nunciat. Arnulfum Remensem custodia exemptum pontificatui restituit, Pallium illi à Domino Papa directum reddidit.*

IV. Puto Robertum suscepisse tum causam Arnulfi tuendam, ut Romanum Pontificem, cui ea causa valde cordi erat, sibi faventem ac propitium habere posset pro confirmatione matrimonij sui cum Berta. Hanc conjecturam adjuvat epistola CLIX. Gerberti, quæ data est ad Adelaïdem Reginam: in qua agens de restitutione Arnulfi, his omnino verbis utitur: *Leo Romanus Abbas ut absolvatur obtinuit,*

nuit, ob confirmandum senioris mei Regis Roberti novum conjugium. Postea verò cùm videret Robertus rationem sui habitam non fuisse à Gregorio, qui in Concilio Romæ celebrato anno DCCCXCVIII. incestas nuptias publicè & cum anathemate damnaverat, hauddubiè injuriam suam ultus est in persona Arnulfi, eum rursus pellens sede sua. Itaque opus habuit nova restitutione, quam illi concessit Gerbertus tum Pontifex Romanus. Alioqui inutilis illa fuisset, si jam inde à Gregorij temporibus Arnulfus in sede sua libere resedisset.

V. Robertum in Concilio illo Romano ob nuptias illas excommunicatum fuisse fidem faciunt canones ejusdem synodi nuper editi à clarissimo viro Domno Luca Dacherio in tomo nono Spicilegij. Hæc sunt verba canonis primi & secundi: *Vt Rex Robertus consanguineam suam Bertam, quam contra leges in uxorem duxit, derelinquat, & septem annorum pœnitentiam agat secundùm præfixos ecclesiasticos gradus, judicatum est. Quòd si non fecerit, anathema sit. Idémque de eadem Berta fieri præceptum est. Herchembaldum Turonensem Archiepiscopum, talis conjugij consecratorem, cum omnibus Episcopis qui consentientes interfuerunt his incestis nuptiis Regis & Bertæ consanguineæ suæ, à sacrosancta communione suspendimus, donec ad hanc sanctam sedem apostolicam veniant satisfacere.* Non repugnavere illi. Immo Romam ea de causa profecti sunt; ut testatur Leo nonus in epistola ad Henricum Regem Francorum. *Pater tuus Robertus*, inquit, *laude & consultu Episcoporum regni tui Bertam matrem Odonis Comitis sibi duxit uxorem. Ob quam rem, quoniam sibi erat carnis affinitate conjuncta, ab antecessore nostro cum Episcopis qui placito interfuerunt excommunicati, pòst ad sedem apostolicam venientes, cum satisfactione sumpta pœnitentia redierunt ad propria.* Vide Præfationem tomi noni Spicilegij.

Apud Ivonem parte 9. cap. 8.

VI. Itaque, ut ad causam Arnulphi redeamus, sic constituere possumus, depositum illum fuisse in synodo Gallicana absque interventu auctoritatis Romani Pontificis, istum verò illam Gallicanorum Episcoporum audentiam ægrè tulisse, missum deinde Legatum qui Romanam auctoritatem sartam tectámque in Gallia præstaret, hujus industria restitutum esse Arnulphum, sed nihilo minùs in custodia tentum donec Abbo rediit ex urbe Roma, nondum tamen plenam fuisse restitutionem Arnulfi, quæ tunc citra controversiam obtinuit postquam Gerbertus in sede Romana collocatus fuit.

CAPVT XXVI.

Synopsis.

I. Præjudicium in causa Arnulphi factum omnino firmavit possessionem Pontificum Romanorum.

II. Ex eo tempore jus illud sic explicant, quasi suæ sedi quæsitum esset jure divino. Probatur ex epistola Leonis IX. ad Episcopos Africanos.

III. Deinceps ergo Episcopi accusati Romam evocati sunt, & eorum depositio peracta in synodo Romana. Interdum tamen Romani Pontifices ea de causa Legatos mittebant in provincias. Probatur aliquot exemplis.

IV. Gregorius septimus edixit solum Pontificem Romanum posse Episcopos deponere vel reconciliare, & Legatum ejus adversùs eos sententiam depositionis dare posse. Legatis tamen suis imponebat necessitatem mittendi ad sedem apostolicam relationem rerum gestarum. Appellationes verò depositorum admittebat, quarum judicium aliquando remittebat ad Legatos.

V. Interdum Episcopis finitimis delegabat curam judicandi causas Episcoporum; servata tamen auctoritate sua. Delegata cognitione adversùs Raynerium Episcopum Aurelianensem, eum à se depositum pronuntiat, si constiterit vera esse quæ ei objiciuntur. Factum id cupidine retinendæ auctoritatis. Magni momenti sunt verba Gregorij; quæ referuntur.

VI. Ex jure tum recepto Episcopus accusari poterat apud synodum provinciæ, quæ depositionem decernere non poterat absque auctoritate sedis apostolicæ, quamvis reum suspendere & excommunicare posset. In casu verò appellationis in Papæ arbitrio positum erat an cognitionem ipse susciperet, aut per Vicarios suos causam judicari præciperet.

VII. Secundùm tamen jus illud necessarium non est ut synodus provincialis congregetur ex speciali delegatione Summi Pontificis; tametsi eam necessitatem imponere videatur epistola Julij; quæ explicatur de auctoritate generali. Probatur ex Hincmaro, & ex Glossatore Decreti.

VIII. Libri Decretalium nihil immutarunt quoad ordinem judiciorum, nec quoad depositionem Episcoporum. Innocentius III. pronuntiavit ad solum Pontificem Romanum jure divino pertinere depositiones, cessiones, & translationes Episcoporum. Adducuntur rationes quibus sententiam ille suam fulcire nititur; quæ refelluntur.

IX. Jus illud receptum ubique erat, & versum in morem.

I. SOLENNE illud præjudicium, quo rescinditur judicium factum adversùs Episcopum, tametsi is non appellasset apostolicam sedem, ob eam solam causam quòd depositio decerni non potuerit absque auctoritate sedis apostolicæ, præjudicium inquam illud omnino firmat possessionem Summorum Pontificum, quamvis novum illud jus niteretur tantùm decretis apocryphis & suppositiis.

II. Ex eo tempore Romani Pontifices jus illud non explicant verbis ambiguis, sed apertis, ac si sedi eorum quæsitum esset jure divino. Colligi id potest ex epistola quarta Leonis IX. quæ data est ad Petrum & Ioannem Episcopos Africanos: in qua Episcopo Carthaginensi auctoritatem tribuit in reliquos Episcopos Africanos, qui tum, id est, ad annum millesimum quinquagesimum tertium, ad quinarium numerum redacti erant. *Sed hoc vos non lateat*, inquit, *non debere præter sententiam Romani Pontificis universale Concilium celebrari, aut Episcopos damnari, vel deponi. Quia etsi licet vobis aliquos Episcopos examinare, diffinitivam tamen sententiam absque consultu Romani Pontificis, ut dictum est, non licet dare. Quod in sanctis canonibus statutum, si quæritis, potestis inve-*

nire; scilicet quia omnium Ecclesiarum majores & difficiliores causæ per sanctam & principalem beati Petri sedem à successoribus ejus definiendæ sunt; utpote cui divinitus dicitur, Confirma fratres tuos, &, Tibi dabo claves regni cælorum.

III. Itaque quoties dein actum est de dejiciendo Episcopo, tametsi Gallus esset, Episcopi accusati Romam vocati sunt, & eorum depositio peracta in synodo Romana. Interdum tamen Summi Pontifices Legatos à latere miserunt in provincias; qui congregata synodo primam causæ cognitionem instituebant cum Episcopis provinciæ. Illustre hujus rei exemplum extat in causa cujusdam Episcopi simoniaci & quinque aliorum Episcoporum, qui ab Hildebrando Victoris Papæ Legato depositi sunt in Concilio Lugdunensi anno millesimo quinquagesimo quinto, ut adnotat Petrus Damiani in epistola nona ad Nicolaum Papam. *A Victore Papa*, inquit, *Apocrisiarius in Gallias destinatus* (id est, Hildebrandus) *synodum congregavit; in qua videlicet sex Episcopos diversis criminibus involutos ex apostolicæ sedis auctoritate deposuit.* Stigandi autem Archiepiscopi Cantuariensis itemque alterius cujusdam Episcopi Anglicani depositio peracta est in Concilio apud Vvintoniam in Anglia celebrato anno MLXX. cui interfuerunt tres Legati sedis apostolicæ. *In quo Concilio Stigandus Doroberniæ Archiepiscopus degradatur*, ut ait Rogerius de Hoveden.

IV. Sed neque major neque illustrior auctoritas proferri potest ad probandam propositionem nostram quàm ea quæ extat in decantatis illis articulis Gregorij VII. editis anno millesimo septuagesimo quarto, qui vulgò *Dictatus Papæ* vocantur; in quibus continentur vetera & nova privilegia sedis apostolicæ. Extant autem numero XXVII. in regesto illius Pontificis post epistolam quinquagesimam quintam libri secundi. In tertio sic habetur: *Quòd ille solus possit deponere Episcopos vel reconciliare.* In quarto autem: *Quòd Legatus ejus omnibus Episcopis præsit in Concilio, etiam inferioris gradus, & adversùs eos sententiam depositionis possit dare.* Attamen Gregorius Legatis suis imponebat necessitatem mittendi ad sedem apostolicam relationem rerum gestarum, quam Legati confirmabant scriptis privatim literis; quemadmodum usurpatum est in causa Episcopi Carnotensis, quem Hugo Episcopus Diensis Gregorij Legatus deposuit, & in dejectione Manassis Archiepiscopi Remensis. In casu verò appellationis, conquestionem depositorum admittebat; ut constat ex variis locis ejusdem regesti, in primis autem quoad depositionem Archiepiscopi Auscitani & Episcopi Bigorritani, quæ anno millesimo septuagesimo tertio decreta fuerat à Giraldo Episcopo Ostiensi Gregorij septimi Legato. Admissa autem appellatione depositorum, causam interdum integram remittebat ad Legatos, ut eam rursum in plenario Concilio judicarent. cujus moris exemplum datum est in causa Lamberti Episcopi Morinensis, quæ remissa est ad Hugonem Lugdunensem Archiepiscopum, Gregorij Legatum.

V. At Gregorius non mittebat semper Legatos ad judicandas causas Episcoporum; sed sollicitudinem eam quandoque delegabat Episcopis qui circa morabantur. Ac tamen auctoritatem suam retinebat in rescripto delegationis; cujus formula valde digna notatu est. Rainerius Aurelianensis Episcopus ante legitimæ ætatis annos ad episcopatum promotus fuisse dicebatur absque electione cleri & populi; tum archidiaconatus & abbatias vendidisse arguebatur; cùmque Romam ad dicendam causam vocatus fuisset, neque illuc accesserat, neque miserat excusationem. Contumaciam illam excommunicatione quidem ultus est Pontifex; sed Rainerius, spreta excommunicatione, perstitit exercere functiones muneris episcopalis. Ei accusationi examinandæ Gregorius anno millesimo septuagesimo septimo delegat Archiepiscopos Senonensem ac Biturigensem eorúmque suffraganeos, coram quibus innocentem se esse probare poterit reus. Si verò constiterit vera esse crimina, tum eum Pontifex in antecessum deponit auctoritate hujus rescripti, quod publicari & in executionem mitti ab Episcopis jubet, à quibus etiam alium in loco depositi ordinari mandat. Tanta autem retinendæ auctoritatis suæ cupidine flagrabat ut maluerit sententiam conditionalem ferre contra præscripta legum quàm pati ut depositio decerneretur à Metropolitanis; quibus nihilominus tribuit supremam in causa ista judicanda auctoritatem & purgationem sententiæ suæ. *Auctoritate apostolica vobis præcipimus*, inquit, *ut ad examinationem actuum suorum, in locum quem magis aptum probaveritis, conveniatis, ad quem priùs literis vestris eum convocetis; ibique de supradictis vobis respondeat, & si potest, se innocentem reddat. Quòd si fortè in contumacia sua permanens, infra quadraginta dies admonitionis venire contempserit, aut veniens de omnibus supradictis canonicè se non expurgaverit, judicio sancti Spiritus & auctoritate apostolica sententiam damnationis & depositionis, sine omni spe restitutionis, in eum promulgamus; quam vos, sicut decet, sequen-*

Gregor. VII. lib. 5. ep. 18. — lib. 1. ep. 16. — lib. 9 ep. 31. — Gregor. VII. lib. 1. ep. 8.

tes, per aures circumstantis populi diffundite; & Sansonem ipsum, de quo vos mihi scripsistis, qui beati Petri consilium & nostrum expetiit, in loco illius depositi secundum Deum subrogate.

VI. Compilatores decretorum, Ivo nimirum, & Gratianus, non omiserunt in suis collectionibus excerpta ex epistolis veterum Pontificum Romanorum quæ extant in collectione Isidori. Eas enim canonicas esse declaraverat Nicolaus primus, ac propterea jus illud jam introductum erat & in usum revocatum ea tempestate quoad judicia canonica Episcoporum. Vivebat Ivo anno millesimo nonagesimo. Is autem frequenter utitur decretis Zephyrini, Fabiani, Sixti, Stephani, Felicis, & aliorum. Gratianus verò Decretum suum adornavit circa annum millesimum centesimum quadragesimum; quod in auctoritatem dein receptum est, & primam partem facit operis quod vulgò *Ius Canonicum* appellatur. Is ergo adducit etiam decreta Zephyrini, Sixti, Damasi, Eleutheri, Iulij, & Leonis. Locorum autem ex iis à Gratiano adductorum summa hæc est, posse Episcopum accusari apud Metropolitanum & Episcopos comprovinciales, qui litis instructionem peragere possunt usque ad sententiam definitivam, reúmque suspendere & excommunicare possunt; sed tamen depositionem decernere non possunt absque auctoritate sedis apostolicæ. Licere interim Episcopis appellare à synodo provinciæ ad apostolicam sedem. In Papæ verò arbitrio positum ut aut ipse cognitionem suscipiat, aut per Vicarios suos causam judicari præcipiat: *Qui aut per se, aut per Vicarios suos, retractare negotium procures*; ut ait Papa Sixtus in c. *Accusatus*.

Ivo par. 5. Decreti c. 145. & seqq.

Gratian. 3. q. 6. c. ultra. & seqq. & 5. q. 4.

VII. Secundùm autem jus illud necessarium non est ut synodus provincialis, quæ examinare debet accusationem in Episcopum, congregetur ex speciali delegatione Summi Pontificis; tametsi eam necessitatem imponere videatur epistola Iulij. *Nullus Episcopus*, inquit, *nisi inlegitima synodo & suo tempore auctoritate apostolica convocata super quibusdam criminationibus pulsatus audiatur*. Nam auctoritas illa alia non est quàm auctoritas generalis apostolicæ sedis; quæ & synodos haberi præcepit, & earum auctoritatem confirmavit. Trahi autem non potest ad delegationem specialem quæ necessaria sit ad hoc ut Concilium provinciale cognoscere possit de accusatione adversùs Episcopum instituta; cùm ea auctoritas synodo provinciali competat ex jure communi, etiam juxta ipsa Sixti, Damasi, & Eleutheri decreta, quæ à Gratiano referuntur 3. q. 6.

Gratian. c. Nullus 5. q. 4.

Interpretatio illa decretorum quæ significare videntur necessariam esse specialem Summi Pontificis delegationem ad congregandam synodum provincialem pro examinanda accusatione adversùs Episcopum instituta, prodita est ab Hincmaro ante hos septingentos annos in capite vigesimo Opusculi LV. Capitulorum. *In eisdem epistolis scriptum est*, inquit, *non debere vel posse convocari synodum sine jussione vel consensu Romani Pontificis*. Addit, canones tamen Nicænos, Chalcedonenses, & Antiochenos, itemque Romanos Pontifices Innocentium, Leonem, & Gelasium, docere synodos congregari posse absque auctoritate sedis apostolicæ. Tum ait: *Non igitur absque sedis apostolicæ auctoritate Metropolitani Episcopi & Primates provinciarum synodos convocamus*.

Hanc interpretationem in scholas nostras invexit etiam Glossator Decreti, qui locum illum Iulij cepit de auctoritate generali sedis apostolicæ. Nam in verbo *auctoritate* addit *generali*. Et statim: *Audiri enim potest causa Episcopi; sed non potest terminari sine speciali mandato apostolicæ sedis; licèt absolvi possit. Tamen hoc non credo*. id est, Non credit synodum provinciæ posse congregari absque speciali mandato sedis apostolicæ. Sed hæc ultima clausula, Nota est Bernardi Glossatoris, qui dissentit à Ioanne, & ipso Glossatore, quoad auctoritatem synodi in impertienda absolutione. Ignorum quippe non fuit Glossatoribus illis fuisse illud tempus cùm causæ Episcoporum non referrentur ad apostolicam sedem. quod collegerant, tum ex canone Antiocheno, tum etiam ex quadam Nicolai epistola, quæ extant in Decreto Gratiani.

VIII. Libri verò Decretalium nihil prorsùs immutarunt quoad ordinem judiciorum adversùs Episcopos faciendorum, nec quoad eorum depositionem. Solum illud emersit effatum Innocentij III. Papæ, quem audacem Iurisperitum vocat Matthæus Parisius: qui depositiones, cessiones, & translationes Episcoporum ad solum Pontificem Romanum jure divino pertinere pronuntiavit. Adeo enim metuebat ne synodi provinciales sua jura repeterent, ut subsidium audaciæ à metu petens inauditam ante hoc seculum & à veterum moribus alienam sententiam protulerit; cui præterea stabiliendæ multum operæ posuit, argumento utens à posteris prorsùs abjecto. Ait enim res spirituales faciliùs institui quàm dissolvi, cùm tamen humanæ faciliùs dilabantur quàm ædificari aut formari possint. unde patet vinculum spirituale carnali for-

tius esse. Cùm autem Deus sibi reservaverit dissolutionem conjugij carnalis inter hominem & feminam, planum esse eum sibi reservasse etiam dissolutionem conjugij spiritualis quod intercedit inter Episcopum & Ecclesiam. Vnde concludit solum Pontificem Romanum, qui est Vicarius Iesu Christi, posse decernere translationes & depositiones Episcoporum, idque auctoritate divina. Sed argumentum illud nimis probat. Nam hinc potiùs sequereretur nullo casu Papam posse dissolvere conjugium spirituale, cùm ipse, quamvis Christi Vicarius, nullo casu possit dissolvere vinculum conjugij carnalis. Meliùs dicam, argumentum illud nihil concludit: quoniam unio Episcopi & Ecclesiæ, conjugium tantùm est per metaphoram; & ideo, si summo jure agamus, comparari non potest cum vero conjugio. Certum quidem est Athanasium & alios veteres ordinationem sive intitulationem Episcopi in quapiam Ecclesia comparasse cum conjugio; sed id ab iis scriptum est per translationem, ut ostenderent quàm arcto vinculo Ecclesiæ ille suæ esset adstrictus. Hæc sunt verba Innocentij: *Non enim humana sed potiùs divina potestate conjugium spirituale dissolvitur cum per translationem, depositionem, aut cessionem auctoritate Romani Pontificis, quem constat esse Vicarium Iesu Christi, Episcopus ab Ecclesia removetur. Et ideo tria hæc quæ præmisimus non tam constitutione canonica quàm institutione divina soli sunt Romano Pontifici reservata.*

Cap. 2. de transl. Episc.

IX. Ceterùm jus illud in Gallia, æquè ac in reliquis orbis Christiani provinciis, receptum erat, & versum in morem; ut adnotatum est in Glossa Pragmaticæ Sanctionis. *Episcoporum depositio*, inquit Guimerius, *est Papæ reservata. Si verò non agatur contra Episcopos ad depositionem, sed ad aliam pœnam arbitrariam vel determinatam, citra tamen depositionem, tunc Concilium provinciale erit judex.* Istud verò probari posset multis exemplis ex historia petitis, si res tanti esset.

Guimer. in Glossa Pragm. tit. De Concess. §. Episcopi. verbo, Destitutio.

CAPVT XXVII.

Synopsis.

I. Concordata novam judiciorum formam introduxerunt, qua ferme revocatum esse videtur jus antiquum. Explicatur jus à Concordatis introductum circa judicia causarum & appellationes.

II. Ostenditur in quo simile sit id jus antiquo juri. Causæ omnes olim commissæ erant unicuique provinciæ, nulla Pontificis Romani mentione. Primi omnium Nicolaus primus & Joannes octavus appellationes Presbyterorum dejectorum admiserunt. quod agerrimè tulit Rex Carolus Calvus. Quid de Episcoporum causis statutum in Concilio Nicæno & Sardicensi.

III. Jus illud observatum est usque ad initia tertiæ Regum nostrorum dynastiæ. Temperamentum inter jus antiquum & novum invehunt Concordata. Explicatur temperamentum illud.

IV. An causæ Episcoporum reserventur Summo Pontifici in Concordatis, verbis illis generalibus, Majores causæ. Rejecta responsio inventa ætate Caroli IX. Regis. Episcoporum causæ non recensentur inter majores.

V. At fortassis intelligenda sunt Concordata de eo qui cùm immediatè subjectus sit apostolicæ sedi, eam appellat. Refutatur objectio illa.

VI. Ex Titulo De publicis concubinariis *elici videtur Episcoporum depositiones ipsi Summo Pontifici reservari. Explicatur hic locus in gratiam Episcoporum Gallicanorum.*

I. CONCORDATA inita inter Franciscum primum Regem Christianissimum & Leonem decimum Pontificem Romanum novam judiciorum formam introduxere, qua ferme revocatum esse videtur jus antiquum. Nam ante Pragmaticam Sanctionem prima omnium causarum cognitio Romæ utplurimùm habebatur in perniciem litigantium & jurisdictionis ecclesiasticæ, ac præterea in magnum regni detrimentum, ob immensam vim auri quæ ad contestandas lites in Italiam asportabatur; quemadmodum in Pragmatica differitur in decreto *De Causis*. Hinc factum ut in Concordatis quoque insertus sit Titulus *De Causis*: in quo jubetur ut omnes causæ, exceptis majoribus, agitentur, judicentur, & terminentur coram judicibus ordinariis locorum; in casu verò appellationis, eam interponendam esse ad superiorem immediatum, & dein ad Curiam Romanam. Exemptos verò, qui Summum Pontificem appellaverint, judicandos esse in provinciis secundùm delegationem Pontificis. Si verò à delegatis appelletur, missurum eo casu Pontificem novam mandata, quò terminari causa possit in provincia. Ab hac autem regula excipiuntur Cardinales & Officiales Summi Pontificis actu servientes; quorum causæ alibi tractari non posse edicitur quàm in Curia Romana.

II. Ea ratione revocatur quodam modo jus antiquum, ut dixi. Nam omnes causæ quæ ad disciplinam ecclesiasticam pertinent, definiri debent in provinciis, juxta canones Nicænos, Antiochenos, Sardicenses, & Africanos. Causæ enim Presbyterorum ac laïcorum unicuique provinciæ commissæ erant; neque primam earum cognitionem ad se trahebant Romani Pontifices, neque rursum ad eos appellabatur.

Primi omnium Nicolaus primus & Ioannes octavus appellationes Presbyterorum dejectorum aut excommunicatorum ab Episcopis Gallicanis admiserunt. Atque id quidem adeo ægrè tulit hac ætate Carolus Calvus ut graviter ob hoc ipsum expostulaverit cum Ioanne octavo, missa ad eum gravissima epistola quæ extat inter epistolas Hincmari. Causæ Episcoporum definitivo decreto judicabantur in provinciis juxta Concilium Nicænum. Post Concilium verò Sardicense, si quis appellaret apostolicam sedem, secunda causæ cognitio habebatur à synodo provinciæ, ex delegatione Summi Pontificis.

III. Quod omnino observatum est in Gallia usque ad initia tertiæ Regum nostrorum dynastiæ; ac licèt necessarius esset interventus auctoritatis Summi Pontificis, judicia tamen peragebantur in regno. Temperamentum inter jus antiquum & usum receptum invehunt Concordata. Nam hinc supremam auctoritatem & definitivum decretum Summo Pontifici reservant; Gallis verò restituunt commoditatem judiciorum in provinciis peragendorum.

Dubitari potest an causæ Episcoporum in eo decreto contineantur, ita ut in regno definiendæ sint ex delegatione Summi Pontificis. Cui quæstioni responderi potest, eas hauddubiè hoc decreto comprehendi, cùm neque nominatim nec speciatim ab eo excipiantur. Solæ enim Cardinalium & Officialium Papæ actu servientium causæ sedi apostolicæ reservantur. Quibus addi potest, Episcopos comprehendi iis Concordatorum verbis quibus ordo judiciorum præscribitur, quoad eos qui sedi apostolicæ sunt immediatè subjecti, quorum causæ delegari debent in provincia. Nam licèt Episcopi Metropolitano & synodo provinciali subjecti sint, intelligi id non potest quoad depositiones, quæ Summo Pontifici immediatè reservantur. Vnde sequitur Episcopos, quoad hoc, sedi apostolicæ esse immediatè subjectos, ideóque causas eorum debere à Summo Pontifice delegari, ut finiantur in partibus, juxta legem Concordatorum: *Si quis verò immediatè subjectus sedi apostolicæ ad eandem sedem duxerit appellandum, causa committatur in partibus per rescriptum usque ad finem litis, videlicet usque ad tertiam sententiam conformem, si ab illis appellari contigerit.*

IV. Objiciet fortasse aliquis eas causas, eò quòd sint causæ majores in jure comprehensæ, exceptas esse in primo articulo hujus capitis, cujus ea sunt verba: *Omnes & singulæ causæ, exceptis majoribus in jure expressè denominatis, apud illos judices in partibus qui de jure aut consuetudine præscripta vel privilegio illarum cognitionem habent, terminari & finiri debeant.* Responsio quæ extat in memoriis sive codicilis ætate Caroli noni confectis in gratiam Episcoporum Romæ damnatorum futilis omnino est &, pene dixerim, puerilis. In iis quippe scriptum est heic per causas majores intelligi lites Ecclesiarum cathedralium, juxta Pragmaticam Sanctionem, quæ majores causas ita interpretatur. Verùm si concedimus causas Ecclesiarum cathedralium esse reservatas apostolicæ sedi, non video qua ratione fieri possit ut non ei quoque reservatæ censeantur Episcoporum depositiones. Itaque censeo sic repellendam esse hanc objectionem, depositiones Episcoporum non comprehendi in decisione primi hujus articuli Concordatorum, cui adjecta exceptio est, eáque gravem ob causam non comprehendi in hoc articulo, habita nimirum ratione juris tunc recepti. Nam cùm in articulo illo dicatur causas esse terminandas ab ordinariis locorum judicibus, manifestum est eidem legi subjectas futuras fuisse depositiones Episcoporum, quas Metropolitanus & synodus provinciæ definito decreto potuissent decernere nisi exceptio illa addita fuisset in articulo. Consentanea autem illa est juri quod in Decreto extat & Decretalibus; quo synodus provinciæ arcetur à decernenda depositione, quæ sedi apostolicæ reservata est, & quoad hoc Episcopum eidem sedi immediatè subjectum præstat. At in eo casu Concordata alibi imponunt Summo Pontifici necessitatem delegandi judices in partibus ad judicandas eorum causas qui sedi apostolicæ immediatè subjecti sunt. In hoc autem ultimo articulo describi debuit exceptio majorum causarum, si hæc Concordatorum auctoribus mens fuisset ut existimarent subjectorum eorundem causas terminari non debere in partibus ex delegatione Summi Pontificis.

V. Reponet verò fortean quispiam sic intelligenda esse Concordata, si is qui sedi apostolicæ immediatè subjectus est, eam appeller. Verùm explicatio illa nimis iniqua esset, si eo præjudicio ceteri casus ab hac regula excluderentur. Exempli causa, si quis in jus Romam vocet eum qui exemptus est à jurisdictione ordinaria, annon æquum est delegari in partibus hujus causæ cognitionem, ut & actori & reo, si appellaverit, jus dicatur, juxta vulgatam juris regulam: *Non debet licere actori quod non liceat reo, & vice versa.* Iurisdictio enim

quæ competens est quoad appellantem, competens quoque est quoad actorem. Sanè certum est Reges nostros semper existimasse Episcoporum causas in regno esse judicandas ex delegatione Summi Pontificis, non autem Romæ, etiam in causa hæreseos; ut constat ex Memoriis sub Carolo nono Rege, ut diximus, confectis anno MDLXV. in causa Ioannæ Reginæ Navarræ & Episcoporum Romæ damnatorum propter hæresim.

VI. Opponi præterea posset Titulus Concordatorum *De publicis concubinariis*, §. *Quòd si*, in quo sic scriptum est: *Quòd si ij quorum destitutio ad nos & sedem apostolicam spectat, per Concilia provincialia aut suos superiores propter concubinatum publicum reperiantur privatione digni, statim cum processu inquisitionis ad nos deferantur.* Videtur enim depositiones Episcoporum heic reservari ipsi Summo Pontifici. Sed heic observandum est Concilium provinciale in eo casu causam Episcopi tractasse absque delegatione Summi Pontificis, ideóque, juxta exceptionem in primo articulo *De Causis* contentam, decernere depositionem non posse. Contrà, synodus illa tenetur acta mittere ad sedem apostolicam, & noxios denuntiare aut deferre ad eam. Id enim, & nihil omnino aliud, in paragrapho statuitur. Enimvero postquam synodus officio suo & obsequio defuncta est erga Summum Pontificem, accusatio denuntiata tum judicanda est secundùm ordinem præscriptum in Concordatis, Titulo *De Causis*, id est, delegatis à Summo Pontifice Episcopis Gallicanis, qui causam definiant in regno; ita ut accusati Romam evocari prorsùs non possint in detrimentum Concordatorum. Certè summa cura provisum est ne in paragrapho *Quòd si* adderetur causas Episcoporum qui concubinarij essent judicandas esse in urbe Roma. Id unum sufficere visum est, si acta Romam mitterentur, & accusati deferrentur ad Papam. Neque crediderunt addendam esse clausulam, & eo casu Pontificem Romæ judicaturum causam.

CAPVT XXVIII.

Synopsis.

I. Superest ut examinemus an Papa, cùm dat judices in partibus, tentet aliquid contra præscripta canonum aut Decretalium, & an deroget auctoritati apostolicæ sedis. Episcopus deponi non potest nisi ex sententia aliorum Episcoporum. Vnde sequitur delegari non posse simplices Presbyteros. Judices debent esse duodecim. Aliud statutum rescripto Gratiani, & à Gregorio magno.

II. Æquè suam auctoritatem conservat Pontifex ac si ipse susciperet cognitionem causæ. Probatur auctoritate legis Gratiani & synodi Sardicensis, & pluribus insuper auctoritatibus.

III. Concilium Tridentinum abolevit auctoritatem synodorum provincialium. Verùm Concilium illud receptum non est in Gallia; ac præterea nova hæc institutio contraria est Concordatis. Nam iis derogari non potest absque consensu Regis.

IV. Sententia damnationis à delegatis prolata, mittenda est in executionem, nisi is qui damnatus est appellaverit. In causis Episcoporum Gallicanorum dare tenetur Pontifex novos judices ad judicandam appellationem.

V. In casu criminis læsæ majestatis Processus Romam mitti non potest, quòd evulgari non oporteat imperij arcana. Veteres Episcopi cognoscere nolebant de crimine majestatis.

VI. Nam si Papa difficilem se in eo capite præstaret, monendus esset timendum valde esse ne Princeps irritatus pœnam capitis suo jure decernere præsumat adversùs Episcopos læsæ majestatis reos. Ea fuit sententia Hervei Episcopi Bellovacensis in synodo Remensi.

VII. Temperamentum allatum ex Concilio Sardicensi; cujus ope regula in universum statui potest quoad depositionem Episcoporum.

I. SVPEREST ut examinemus an Papa, cùm dat judices in partibus ad decernendam depositionem Episcopi noxij, tentet aliquid contra præscripta canonum aut Decretalium, & an deroget auctoritati apostolicæ sedis.

Quæstio ista nullo negotio solvi potest si memoria ineatur antiqui juris, mediisque, ac recentioris. Vnde quoque duas regulas colligemus. Earum prima erit, Episcopum deponi non posse nisi ex sententia aliorum Episcoporum. Quare Papa simplices Presbyteros delegare non posset ad habendam cognitionem de crimine Episcopi, quòd canones præcipiant ut Episcopus nonnisi ab ejusdem gradus & ordinis judicibus judicetur. Eos autem judices, duodecim esse debere edicunt; ut constat ex Concilio Africano, & ex epistola sancti Gregorij ad Episcopum Arelatensem. Vnde quoque factum ut Nicolaus primus ad Salomonem Regem Britonum scribens, ex eo capite irritam esse pronuntiet Episcoporum Britonum depositionem, quòd non à Metropolitano & à duodecim Episcopis peracta fuerit. Eundem numerum Episcoporum exigunt Concilium Triburiense & Lucas Patriarcha CP. apud Balsamonem. Attamen in rescripto Gratiani Augusti vidimus posse Romanum Pontificem deponere Episcopum cum consilio quinque aut septem Episcoporum. Legimus verò in regesto Gregorij magni delegatum ab eo fuisse Metropolitam Syracusanum, unà cum tribus aut quatuor Episcopis ab eo eligendis, ut de Lib 7. ep. 61.

causa Lucilli Episcopi cognoscerent, eúmque deponerent. Præterea decretalis Zephyrini epistola, quæ extat apud Gratianum, quo jure nunc utimur, non exigit absolutè numerum duodecim Episcoporum, sed tantùm si ea causa incidat ut totidem Episcopos haberi necesse sit: *Duodecim judices quilibet accusatus Episcopus, si necesse fuerit, eligat; à quibus ejus causa judicetur.*

II. Secunda regula hæc esse potest, Summum Pontificem conservare suam auctoritatem, quoad depositionem Episcoporum, cùm eorum judicium delegat, ac si eos ipse judicaret & deponeret. Rescriptum enim Gratiani, cujus suprà mentionem fecimus, verbis minimè ambiguis ait Episcopum Metropolitanum, si in longinquis regionibus commoretur, exsolvi à necessitate accedendi ad sedem apostolicam, sed daturum ei Episcopum Romanum judices, *quos Romanus Episcopus judices dederit.* Concilium autem Sardicense nihil aliud postulat quàm ut Episcopus Romanus *det judices*, Episcopos nimirum ex provincia finitima, unà cum primis judicibus, ad judicandam causam appellationis. Bonifacius verò, Leo, & Gregorius magnus, aliique Romani Pontifices existimarunt satis suæ auctoritatis conservationi provisum si Episcopis provincialibus jurisdictionem suam delegarent, aut Legatis apostolicæ sedis, ad decernendam definitivo judicio Episcoporum depositionem. Quinetiam cùm suo illi arbitrio reservarunt potestatem judicandi appellationem in urbe Roma, aut eam curam delegandi in provinciis, abundè auctoritati sedis apostolicæ satisfactum putarunt. Gregorius enim septimus, qui Pontificum Romanorum auctoritatem immensùm explicavit, frequenter Legatos misit in provincias ad deponendos Episcopos, jurisdictione sua in eam rem delegata. Ne verò inhærere tantùm videamur antiquo juri & mediæ ætatis, habemus ex novo jure, quod Gratiani Decreto continetur, voluisse Romanos Pontifices sui arbitrij esse an Episcopi judicandi essent in synodo Romana, aut per Legatos sedis apostolicæ, *aut per se, aut per Vicarios suos*, ut ait Papa Sixtus in cap. *Accusatus.* 3. q. 6.

III. Huic autem regulæ opponi non potest decretum Concilij Tridentini; quod, introducto jure novo, in universum synodis provincialibus ademit institutionem criminum Episcoporum quæ pœnam depositionis merentur, eámque tribuit iis viris quos Papa delegaverit; servata Summo Pontifici definitiva sententia. Decretum inquam illud opponi non potest. Præterquam quòd enim Concilium illud non est receptum in Gallia, contrarium ex eo capite est Concordatis, quibus neque sedes apostolica neque Concilia derogare possunt absque consensu Regis.

Sess. 14. de Reform. cap. 6.

IV. Postquam autem delegati sententiam damnationis protulerint, tum in executionem mittenda est depositio, nisi is qui damnatus est appellaverit. Ea enim vis est sententiarum à competenti judice latarum, ut executoriæ sint, nisi earum effectus suspendatur per appellationem. Ita enim usurpatum suprà vidimus à Legatis pontificiis. quod etiam satis innuunt Concordata his verbis: *Si ab illis appellari contigerit.* Nam is qui dejectus est, provocare quidem potest; quemadmodum appellabatur à Legatis. Verùm quemadmodum olim Summi Pontifices cognitionem appellationis in provinciam remittebant ad Legatos suos, si ita faciendum esse existimarent, (quod usurpatum vidimus à Gregorio septimo in causa Lamberti Episcopi Morinensis) sic Concordata eam Summo Pontifici necessitatem imponunt ut eo agendi modo utatur in causis Episcoporum Gallicanorum, datis videlicet novis judicibus ad judicandam appellationem.

V. Quòd si Summus Pontifex pervicaciter in futurum contenderet mitti debere acta, id est, *Processum*, ut hodie vocant, ad apostolicam sedem, etiamsi damnatus eam non appellaverit, antequam Bullas ei concedat quem Princeps nominaret in loco depositi, tum, si de crimine majestatis ageretur, reponi posset postulationem illam non esse æquam, quòd evulganda non sint imperij arcana, quæ nullis communicanda sunt quàm iis qui jurejurando fidem suam Regi obligaverunt. In primis verò ea noscere non debere alienigenas & exteros, ut sunt Cardinales & alij Consiliarij Papæ Romani, qui arcana hæc vertere possent in perniciem regni. Quamobrem veteres Episcopi, qui tempore Imperatorum Romanorum nondum res publicas attingebant, id est, nondum erant Consiliarij Principum, (quæ dignitas ei ordini primùm communicata est à Regibus nostris) veteres inquam Pontifices antiquitus cognoscere recusabant de crimine majestatis. Hæc enim sunt omnino verba eorum in synodo congregata adversùs Chrysostomum: *Continent & libelli læsæ majestatis crimen. Iubeat nunc pietas vestra expelli vel invitum daturum tanti criminis pœnas. Nobis enim non licet ista inquirere.*

VI. Addi potest, ex eo agendi modo

ingens periculum imminere jurisdictioni ecclesiasticæ, valdéque timendum esse ne Princeps irritatus pœnam capitis jure suo decernere præsumat adversùs Episcopos læsæ majestatis reos. Eam namque rationem in synodo Remensi adversùs Arnulphum habita attulit Herveus Episcopus Bellovacensis. Siguinus Senonensis Archiepiscopus negabat se causam Arnulphi judicaturum nisi priùs ei pœnam sceleris Princeps remitteret, si constaret eum esse reum læsæ majestatis. Reposuit Herveus timendum esse ne ex hoc agendi modo periculum immineat viris ecclesiasticis. neque enim expectaturos fortean seculares judices ecclesiastica judicia. unde per consequentiam necessariam Episcopi justitiæ seculari subjicientur, si ipsi cunctentur judicia facere secundùm canones. *Videte*, inquit Herveus, *ne sit periculosius judicia ecclesiastica deinceps à secularibus non expectari. Consequens enim est ad forensia jura nos pertrahi, si divinis legibus in aliquo videbimur obniti.* Quod amplexus est Bruno Lingonensis Episcopus in capite sexto. *Cùm hoc maximè sit pertimescendum*, inquit, *ne forte dum uni personæ parcere volumus, sicut frater & coepiscopus noster Herveus retulit, & eam & omnem ecclesiasticum ordinem sub periculo sanguinis relinquamus.*

Synodus Rem. sub Gerberto cap. 4.

VII. In universum, adhiberi posse censeo temperamentum quod ex Concilio Sardicensi peti potest ad conservandam auctoritatem Summi Pontificis & jura regni; sive de crimine majestatis agatur, sive de aliis causis quæ ad depositionem Episcoporum spectant. Temperamentum autem illud in eo versatur, ut acta judicij Romam mittantur, ut statim Pontifex Bullarum expeditionem imperare possit secundùm sententiam judicum delegatorum, si ita faciendum esse existimaverit, omissa prorsùs omni nova sententia confirmationis. Vel si ægrè adduci possit ut ita faciat, peti ab eo poterit ut det novos judices, qui causam retractent & denuo judicent una cum primis judicibus. Hunc agendi modum synodus Sardicensis non aperuit nisi in casu appellationis. Hac verò ratione quam proponimus, idem modus tolerabitur etiamsi appellatum non fuerit.

LIBER OCTAVVS.

CAPVT PRIMVM.

Synopsis.

I. Agendum dein de jure Regaliæ. Quid sit jus illud, & in quo consistat. Regalia dividitur in temporalem & spiritualem.

II. An jus illud per omnes Ecclesias cathedrales hujus regni diffundatur, an verò ad certas quasdam restrictum sit. Quid anno millesimo sexcentesimo octavo placitum Parlamento Parisiensi. Rex Henricus quartus prohibuit ne deinceps Parlamentum hujus controversiæ cognitionem susciperet; quam sacri Consistorij judicio permisit.

III. Rectè autem intelligi non potest hac controversia quin ad antiquitatem recurratur, institutia videlicet comparatione antiqui juris & novi.

IV. Vasta est & nobilis controversia isthæc, ideóque accuratè describenda.

V. In antecessum autem agendum est de electionibus canonicis Episcoporum, quatenus regiæ auctoritatis sive assensus regij mixtionem olim ea materia admittebat. Tum de Investituris. Et de juramento quod vocant fidelitatis.

I. DE Regalium jure tractaturos à nominis ipsius vel potiùs à rei per nomen significatæ origine dissertationes auspicari recta methodus omnino videtur exigere, Sed interim sepositа de vocabulo ipso in alium locum opportuniori disputatione, quid illo significetur in hac materia quam aggredimur, paucis explicandum est.

Ius itaque Regalium est jus Regi competens ad fruendum reditibus qui ad Ecclesias cathedrales sede vacante pertinent, donec novus Episcopus, fide Regi præstita, Ecclesiæ possessionem adipiscatur. Competit quoque jus ad conferendum Præbendas aliáque Beneficia quibus animarum cura non incumbit. Quare Pragmatici dividunt Regaliam (ut ipsi loqui solent. quam dictionem nos quoque deinceps usurpabimus.) in temporalem & spiritualem. Ad illam referunt redituum temporalium fruitionem; ad istam verò, Beneficiorum collationem, quæ literis regiis fieri consuevit.

II. Porrò insignis controversia ab aliquot annis excitata est, an jus istud per omnes Ecclesias cathedrales universi regni diffundatur, an verò ad certas quasdam restrictum sit. Cujus quidem decisio quæstionis, cùm variis senatus Parisiensis consultis in longiorem deliberationem protracta fuisset, tandem anno MDCVIII. judicio lato in auditorio publico, adversùs Ecclesias omnes pro regij juris confirmatione promulgata est. Contra sententiam illam, qua plurium Ecclesiarum libertas pessumdabatur, clerus Gallicanus apud Henricum quartum optimum Regem graviter conquestus est, & literas negotij illius avocatorias obtinuit, quibus, cognitione illa interdicto senatu, Ecclesiarum quæ se ab eo jure immunes profitentur status Consilij sanctioris judicio permissus est.

III. Sed juris regij & immunitatum ex adverso propositarum plenissima cognitione imbui non possumus nisi ab exordio narrationem per seculorum seriem diligenter expansam contexamus, institutа comparatione inter Iuris canonici regulas & juris regij novitatem; unde possimus addiscere quo tempore, & quibus de caussis, à veteri & recepto jure discessum sit. Per viam illam regiam pergentibus difficile erit à vero aberrare: cujus dignitatem hac in re violant qui

Regalium origines ex arbitrio comminiſcuntur.

IV. Neque verò paucis hac de re verbis agi poteſt, cùm diſputatio iſthæc aliquot capita complectatur quæ in ſatis perplexa diſquiſitione verſantur. Attamen argumenti nobilitas delicatiorum hominum, qui exactis diſceptationibus anguntur, ingeniis ſatisfacere poterit; præcipuè cùm illa tantùm attingere velimus quæ neceſſaria ſunt omnino ad Regalium cognitionem; dilatis in aliud tempus quæ abſque piaculo, licèt eruditionis plena, hîc omitti poſſunt.

V. Electionum canonicarum materies, quæ tam latè patet, hîc tamen delibanda eſt, quatenus regiæ auctoritatis ſive aſſenſus regij mixtionem olim admittebat. Vnde proficiſcitur de Inveſtituris, & quæ illas ſecutæ ſunt, ſacerdotij & imperij controverſiis agendi neceſſitas. Fidei quoque ab Epiſcopis exactæ, & Regibus præſtitæ, injicienda mentio, cùm illius beneficio Regaliæ effectus deſinant. Canonum quoque & legum publicarum conſtituta adducenda erunt, quibus vacantium ſedium reditus Eccleſiæ aut ſucceſſoribus olim reſervati erant. Diſcutienda quoque erit feudalium rerum recentiori jure introducta natura; quæ vaſſalli morte beneficij ſive regalium reditus domino feudi addicit, donec hominij præſtatione novus vaſſallus defungatur. Tum ſubnectendum quid ex eo jure præſumptum ſit à Principibus in perceptione fructuum qui ad epiſcopatus vel abbatias vacantes pertinebant, quid à Conciliis poſterioribus conſtitutum, quid regiis edictis receptum, & ſenatus Pariſienſis conſultis deciſum fuerit. Quibus omnibus diſceptatis, aperiet ſeſe juris iſtius regij quod Regaliam vocant origo. Vnde quiſque colligere poterit quid de principali illa quæſtione ſentiendum ſit, ſcilicet an coërceri debeat ad certas Eccleſias Regalia, vel ad regni iſtius univerſas porrigi.

CAPVT II.

Synopſis.

I. In Epiſcopis conſtituendis vetus Eccleſia ſecuta eſt exemplum Apoſtolorum. Deſignatio perſonæ olim ab iiſdem fiebat à quibus conſecratio. Deſcribitur in averſione vetus forma electionum.

II. Antiquitas nihil clero & populo tribuit præter ſolum teſtimonium & conſenſum, electionem autem ipſam & judicium Metropolitano & Epiſcopis provincialibus. Diſcrimen nullum erat inter clerum civitatis & populum in teſtimonio dando.

III. Hæc opinio nova eſt. Ejus tamen opè conciliari poterunt duæ contrariæ ſententiæ, de quibus multum digladiantur ſcriptores. Ex neceſſitate conſenſus populi manavit aſſenſus regij neceſſitas.

IV. Epiſcopi provinciales accedebant ad Eccleſiam vacantem; & ſucceſſorem deligebant plebe præſente, cui relinquebatur facultas ſuffragandi vel reſiſtendi electioni. Probatur ex Cypriano.

V. Hic uſus deſcendit ex traditione divina. Quonam modo accipiendum ſit plebis teſtimonium & Epiſcoporum judicium.

VI. Electionum Chriſtianarum ritus illuſtrantur ex Lampridij loco valde illuſtri. Probatur iterum auctoritate Cypriani in arbitrio plebis poſitum fuiſſe an electum admitteret vel recuſaret.

VII. Ergo plebs quidem teſtimonium ferre poterat; ſed tamen jus æquum cum Epiſcopis non habebat in electionibus. Refelluntur Novatores, qui Cypriani verba in diverſum trahunt, ut electionum jura plebi vindicent.

VIII. Origenes præſentiam populi requirit in ordinando Epiſcopo. Cur ita viſum. Quid ſignificetur iis verbis, qui foris ſunt, in prima Pauli epiſtola ad Timotheum.

IX. Clemens quoque Romanus docet Epiſcopos eligi ab Epiſcopis, ſed gratos & acceptos debere illos eſſe fidelibus. Emendatur verſio Juny Patricij.

X. Arbitrium electionum penes Epiſcopos fuiſſe ævo Origenis patet ex Euſebio.

I. PRIMA illa pars aggredienda eſt quæ canonicas electiones & regiam cum illis progreſſu temporis admixtam poteſtatem reſpicit. In Epiſcopis conſtituendis petitam ab exemplo Apoſtolorum formam ſecuta eſt vetus Eccleſia; quæ in perſonæ deſignatione & ejus poſtea conſecratione per manus impoſitionem verſabatur. Quæ duæ actiones ab ipſo Eccleſiæ exordio uſque ad hanc ætatem in Oriente, & uſque ad quartum ſeculum in Occidente, conjungi ſolebant, adeo ut, quemadmodum fieri ſolet in actibus legitimis qui neque diem recipiunt nec conditionem, deſignatio ab iiſdem fieret à quibus ipſa conſecratio. Epiſcopi ſcilicet in unum collecti promovendæ perſonæ vitam anteactam ejúſque merita diſcutiebant, & probatam ordinabant. Sed in perſonæ deligendæ examine, vacantis Eccleſiæ clerum & populum interrogantes, eorum teſtimonia exquirebant, atque conſenſum præſtolabantur, ne invitis obtruderetur Epiſcopus. Itaque deſideria & vota cleri atque populi neceſſaria quidem erant ut in pace fieret ordinatio; ſed vis & ſupremum arbitrium electionis penes Epiſcopos erat uniuſcujuſque provinciæ. Harum promotionum ordo deinde per canones apertiùs explicatus eſt, ad vitandam ſcilicet, quæ frequenter accidebat, ex Epiſcoporum abſentia in deligendis perſonis moram longiorem & in examine faciendo perturbationem. Electiones itaque in occidentali

Ecclesia separari cœperunt à confirmatione, & hæc ab ordinatione sive consecratione. Tunc clero civitatis, cum consensu populi, electio futuri Episcopi tributa est; & Metropolitanorum cognitioni, unà cum Episcopis suæ provinciæ, decreti de electione facti reprobatio vel confirmatio reservata. Quod jus ad solum deinde Metropolitanum posterioribus canonibus translatum est ob synodorum infrequentiam.

II. Ceterùm si negotium istud referatur ad primam originem, morúmque vetustæ Ecclesiæ & antiquorum canonum ratio habeatur, constans est illa sententia quæ solum testimonium & consensum designandi Episcopi clero & populo tribuit, ipsam verò designationem sive electionem & judicium Metropolitano unà cum synodo provincialium Episcoporum. In quo testimonio dando non reperio discrimen aliquod constitutum à veteribus inter clerum civitatis & populum. Æquo enim jure hac in parte utebantur, & utriusque consensus ad suscipiendum Episcopum expectandus erat. Tota quippe, ut jam dixi, auctoritas erat penes Episcopos, & præcipuè penes Metropolitanum, qui rebus gestis τὸ κῦρος adhibebat, ut loquitur synodus Nicæna.

III. Non me latet quin plerisque nova videri possit hæc opinio, & fortasse ob novitatem periclitari. Sed si animo sincero expendatur, ut vera esse testimoniis prolatis statim demonstrabitur, sic ex duabus oppositis conflata, ambarum auctoritate fulciri poterit. Duæ etenim sunt hac in disputatione præcipuæ sententiæ. Altera plebem à jure electionum remotam semper fuisse docet, solo relicto illi testimonio & voto, clero autem civitatis electionem in solidum tributam. Altera docet jus æquum semper fuisse clero & populo in electionibus, idque jure apostolico & veterum patrum testimoniis niti. Nos verò nec clero civitatis nec populo jus merum electionis olim competivisse asserimus, sed solis Episcopis provinciæ, qui testimonio atque consensu cleri & populi in persona eligenda utebantur. Postea jus electionis clero, cum populi consensu, in Occidente communicatum est; donec populus ab eo jure seclusus est. Ex necessitate consensus populi in electionibus manavit assensus regij necessitas. qua de re postea differendum erit.

IV. Definitionis nostræ probationem ex testimoniis veterum patrum & synodorum petemus. Qui luculentiùs ista explicuit proferendus est Cyprianus epistola LXVIII. *Diligenter de traditione divina & apostolica observatione servandum est & tenendum quod apud nos quoque & ferè per universas provincias tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem cui præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem provinciæ proximi quique conveniant, & Episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissimè novit, & uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit. Quod & apud vos factum videmus in Sabini collegæ nostri ordinatione, ut de universæ fraternitatis suffragio, & de Episcoporum qui in præsentia convenerant, quique de eo ad vos literas fecerant, judicio, episcopatus ei deferretur, & manus ei in locum Basilidis imponeretur.* Locus est insignis: unde discimus ex more ubique ferè recepto Episcopos provinciæ ad Ecclesiam vacantem accedere solitos, & plebe præsente successorem deligere. Designandæ personæ actus discutiebantur publicè; & plebi facultas relinquebatur suffragandi vel renitendi. Sed judicium & electionis arbitrium integrum erat penes Episcopos præsentes, ut disertè docent verba ultima de ordinatione Sabini in Hispaniis facta.

V. Ex divina traditione hunc usum eleganter trahit Cyprianus, nempe ut plebe præsente Episcopi præpositos deligant: idque probat ex facto Moysi, qui jubetur exuere Aaronem stola pontificia, eámque filio ejus Eleazaro imponere coram omni synagoga, juxta versionem Septuaginta interpretum: *Coram omni synagoga jubet Deus constitui sacerdotem; id est, instruit & ostendit ordinationes sacerdotales nonnisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere; ut plebe præsente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & sit ordinatio justa & legitima quæ omnium suffragio & judicio fuerit examinata.* Quæ verba distributivè sunt accipienda; ut suffragium sive testimonium pertineat ad plebem, quæ testimonio suo præponendis suffragatur, vel malorum detegendo crimina, vel bonorum merita prædicando; judicium verò ad Episcopos, ut superiùs monui ex eodem Cypriano. Dictio suffragij approbationem significat in Iure & apud alios auctores.

VI. Ex Lampridio in vita Alexandri Severi illustrari potest electionum Christianarum ritus, & quæ populi partes in eis essent apertissimè explicari juxta mentem Cypriani: *Vbi aliquos voluisset* (Alexander) *vel rectores provinciis dare, vel præpositos facere, vel procuratores, id est, rationales ordinare, nomina eorum proponebat, hortans populum ut si quid haberet criminis, probaret manifestis rebus; si non probasset, pœnam subiret capitis. Dicebátque grave esse, quum id Christiani & Iudæi facerent in prædicandis sacerdotibus qui ordinandi sunt, non fieri in provinciarum rectoribus, quibus*

& fortunæ hominum committerentur & capita. In Christianorum ergo electionibus Episcopi promovendum per literas populo proponebant, aliquando in antecessum, ut factum in ordinatione Sabini; vel integram rem Concilio futuro reservabant, quando ad civitatem, cui præficiendus erat sacerdos, Episcopi accedebant. Tunc vel ipsi aliquem proponebant, vel à clero & plebe propositum, susceptis publicè testimoniis assistentis populi, electionem perficiebant. Propterea cùm plebis testimonio maximè niteretur electionum gerendarum ratio, Cyprianus eam hortans ut à peccatore præposito suo discedat, nec sibi blandiatur quasi immunis à contagione delicti esse possit cum sacerdote peccatore communicans, addit: *Cùm ipsa maximè habeat potestatem vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi*: quia scilicet illius testimonio stant præcipuè vel cadunt præponendi.

VII. Præter veteris testamenti auctoritatem Cyprianus quoque loca duo Actorum adducit, ut probet plebis de testimonio ferendo potestatem, non autem jus æquum cum Episcopis, in agendis electionibus, ut quidam verba Cypriani detorquent: *Quod postea secundùm divina magisteria observatur in Actis Apostolorum, quando de ordinando in locum Iudæ Episcopo Petrus ad plebem loquitur. Surrexit, inquit, Petrus in medio dicentium. fuit autem turba in uno. Nec hoc in Episcoporum tantùm & Sacerdotum sed & in Diaconorum ordinationibus observasse Apostolos animadvertimus, de quo & ipso in Actis eorum scriptum est: Et convocaverunt, inquit, illi duodecim totam plebem discipulorum, & dixerunt eis. Quod utique idcirco tam diligenter & cautè convocata tota plebe gerebatur, ne quis ad altius ministerium vel ad sacerdotalem locum indignus obreperet.* Non est hîc uberior disputatio instituenda de locis istis, ex quibus Novatores electionum jura plebi vindicare solent; cùm ex Cypriani verbis, quibus illi maximè nituntur, manifestè constet plebem ab Apostolis, qui Ecclesiæ rectores erant, ad hoc convocatam ut eorum testimonio de præficiendorum meritis fides fieri posset. Cetera ipsa rerum summa penes Apostolos erat. In primo quippe exemplo Petrus pro jure suo substituendum aliquem Iudæ edicit. Nec dubium quin ipse cum Apostolis duos illos constituerit, ut per sortes Dei voluntas de altero eligendo exploraretur. Ex mandato Apostolorum fideles inquirunt quinam essent apti ministerio: Ἐπισκέψασθε οὖν, ἀδελφοί, ἄνδρας ἐξ ὑμῶν μαρτυρουμένους: *Considerate, fratres, viros qui testimonium habeant eorum quibuscum vixere.* Qua ratione etiam Paulus Timotheum, licèt sibi valdè notum, Evangelistæ munere ornavit post testimonia eorum quibuscum vixerat Lystris & Iconij: ὃς ἐμαρτυρεῖτο ὑπὸ τῶν ἐν Λύστροις καὶ Ἰκονίῳ ἀδελφῶν. Act. 16.

VIII. Eadem fuerat mens Origenis homilia sexta in Leviticum: *Licèt Dominus de constituendo Pontifice præcepisset, & Dominus elegisset, tamen convocatur & synagoga. Requiritur enim in ordinando sacerdote & præsentia populi; ut sciant omnes & certi sint quia qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad sacerdotium; & hoc adstante populo, ne qua postmodum retractatio cuipiam, ne quis scrupulus resideret. Hoc est autem quod & Apostolus præcepit in ordinatione sacerdotis: Oportet autem illum & testimonium habere bonum ab his qui foris sunt.* Patet itaque ex Origene populi præsentiam adhiberi ut sciat unusquisque omnia rectè atque ordine geri, & testimonium ferre possit de conversatione ejus de quo agitur. Ad quod probandum adducit locum Pauli in 1. Timoth. c. 3. ubi *qui foris sunt* significant eos qui non erant in Ecclesia. Argumentum ducitur à minori; ut notatur etiam in scholiis ex Chrysostomo: *Si enim ex iis qui foris sunt, quanto magis à fratribus:* εἰ γὰρ ἀπὸ τῶν ἔξωθεν, πολλῷ μᾶλλον ἀπὸ τῶν ἀδελφῶν.

IX. Origenem Cyprianúmque præmisi; quoniam rerum gerendarum ordinem patefaciunt, & vicem commentarij præstare possunt illustri Clementis Romani loco petito ex genuina ejus epistola, à veteribus tantopere commendata, quam Iunius Patricius ex codice MS. publicavit. Docet ille constitutum ab Apostolis, ad prævertendas quæ de episcopatu obtinendo exorituras prævidebant dissensiones, ut Episcopi in demortuorum locum *ab ipsis Apostolis vel postea à claris & celebribus viris substituantur, gratum sibi hoc esse testante universa Ecclesia.* Iudicio itaque & delectu eorum qui principem in Ecclesia locum tenent, id est, Episcoporum, dantur Ecclesiis Episcopi, ex Apostolorum instituto, sed qui sint grati & accepti fidelibus. Alioqui ni præcipua & summa esset in his delectibus Episcoporum auctoritas, discordiis in Episcopo eligendo Ecclesia quateretur adversùs Apostolorum propositum. Hæc sunt Clementis verba: οἱ Ἀπόστολοι ἡμῶν ἔγνωσαν διὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὅτι ἔρις ἔσται ἐπὶ τοῦ ὀνόματος τῆς ἐπισκοπῆς. διὰ ταύτην οὖν τὴν αἰτίαν, προγνόσιν εἰληφότες τελείαν, κατέστησαν τοὺς προειρημένους, καὶ μεταξὺ ἐπινομὴν δεδώκασιν, ὅπως ἐὰν κοιμηθῶσιν, διαδέξωνται ἕτεροι δεδοκιμασμένοι ἄνδρες τὴν λειτουργίαν αὐτῶν &c. Καταστήσαντες οὖν

ἐκείνων, ἢ μεταξὺ ὑφ' ἑτέρων ἀλλογίμων ἀνδρῶν, συνευδοκησάσης τῆς ἐκκλησίας πάσης. *Apostoli nostri per Iesum Christum Dominum nostrum cognoverunt contentionem de nomine episcopatus futuram. Propter hanc itaque causam perfecta præscientia præditi, constituerunt prædictos* (Episcopos nimirum) *& deinceps * formam dederunt ut iis defunctis probati alij viri in eorum ministerium succederent &c. ab illis vel deinceps ab aliis viris celebribus constituti, universa Ecclesia sibi gratum esse testante.*

* Sic reddenda vox ἑπιμονὴν; non autem, ut series lunata, descripta officiorum vices reliquerunt.

X. Penes Episcopos arbitrium electionum stetisse quondam docet quod Origenis tempestate Hierosolymis accidit. Etenim cùm Narcissus Hierosolymorum Episcopus se in locum desertum subduxisset, neminíque compertum esset quò se recepisset, *visum est his qui finitimis Ecclesiis præerant* ut alterum Episcopum crearent, qui Dius vocabatur: δόξαν τοῖς τῆς ὁμόρων ἐκκλησιῶν προεστῶσιν, ἐφ' ἑτέρου μετάσιν ἐπισκόπου χειροτονίαν, Δίος ἰούτῳ ὄνομα ἦν. apud Eusebium lib. VI. cap. XIX.

CAPVT III.

Synopsis.

I. Canon quartus Nicænus χειροτονίαν Episcopi tribuit Metropolitano unà cum Episcopis provinciæ. Zonaras & Balsamo existimarunt eo canone in Episcopos translatum esse jus electionis quod antea populis competebat. De sola autem manuum impositione hoc agi scripsit Franciscus Florens.

II. Auctoris sententia est, hoc agi de utraque actione eligendi & consecrandi, & utramque hoc & alibi χειροτονίας vocabulo significari.

III. Post mortem Episcopi, Metropolitanus & Episcopi provinciales ad sedem vacantem accedebant, ibique in synodo electionem & ordinationem celebrabant. Probatur ex Concilio Antiocheno & Laodiceno.

IV. Jus itaque Episcoporum canone firmatum est. quod pertinet ad populum, consuetudini relictum. Quid judicij vocabulo intelligat canon Laodicenus.

V. In synodo ad celebrandam ordinationem coacta adesse debebant omnes Episcopi provinciæ, vel saltem tres. ceteri enim consensum suum scripto dabant.

VI. Synodus illa habebatur in civitate sedis vacantis, ne clerus & populus civitatis arcerentur à communione electionis.

I. VSus ille in Ecclesia jamdiu receptus, à synodo Nicæna sancitus est canone quarto, quo Episcopi χειροτονία Metropolitano unà cum provinciæ Episcopis committitur. Ambigua vocis hujus Græcæ significatio Zonaram & Balsamonem induxit ut eam de electione hîc interpretarentur, & scriberent electionum jura, quæ olim populis commissa erant, in Episcopos hoc canone transcripta fuisse. De sola autem impositione manuum hîc agi scripsit Antecessor eruditissimus Franciscus Florens ad Tit. VI. de electione, ex Dionysij interpretatione, qui χειροτονίαν hîc vertit ordinationem: *Episcopum convenit maximè quidem ab omnibus qui sunt in provincia Episcopis ordinari. Si autem hoc difficile fuerit, aut propter instantem necessitatem, aut propter itineris longitudinem, tribus tamen in idipsum omnimodis convenientibus, & absentibus quoque pari modo decernentibus, & per scripta consentientibus, tunc ordinatio celebretur. Firmitas autem eorum quæ geruntur per unamquamque provinciam Metropolitano tribuatur Episcopo.*

II. Nos verò certum existimamus hîc agi de utraque actione eligendi & consecrandi, quæ χειροτονίας sive ordinationis nomine hîc & passim significatur: qui duo actus olim inter se cohærebant, ut monui suprà. Alioqui si de sola manuum impositione ageretur, cur tam anxiè decernitur de synodo habenda, de illius judicio, de contentione inter Episcopos, de plurium sententia sequenda?

III. Porrò ad vacantem Ecclesiam ordinandam synodus provinciæ veteri instituto cogebatur à Metropolitano in sede vacante celebranda, quæ præficiendum eligebat clero civitatis & plebe præsente atque consentiente, electúmque consecrabat. Neque enim primis illis seculis cleri vel populi postulatio jus aliquod dabat; sed ejus tantùm ratio habebatur ab Episcopis, nisi ipsorum judicio alius idoneior præferendus esset: de quo, quemadmodum & de propositis à plebe, Metropolitanus cum synodo sua provinciali judicabat. Synodum vocavi hunc Episcoporum conventum, juxta canonem XIX. synodi Antiochenæ, qui canonem Nicænum designat & interpretatur: *Episcopus præter sententiam Metropolitani nullatenus ordinetur.* Mox: *Et ita sub plurimorum vel præsentia vel decreto ordinatio celebretur.* Omnium enim, si fieri posset, vel saltem plurium Episcoporum præsentiam desiderabat.

Idem ordo constituitur etiam canone XIII. Laodiceno: *Vt Episcopi, judicio Metropolitanorum & eorum Episcoporum qui circumcirca sunt, provehantur ad ecclesiasticam potestatem, ij videlicet qui plurimo tempore probantur tam verbo fidei quàm rectæ conversationis exemplo.* Hunc canonem de electionibus disertè interpretatur Martinus Bracarensis, & ex eo Hincmarus.

IV. Ex quibus canonibus apertè conficitur Episcoporum promotionem judicio synodi pleniſſimè permissam. Et ne consultatio quæ cum clero & plebe habenda est, auctoritate canonis fulta, contumaces redde-

ret civium animos Episcoporum judicio, ejus mentio omissa est in canonibus; relicta interim consuetudine jam recepta de tractatu electionis habendo cum clero & plebe civitatis. Ius itaque Episcoporum canone firmatum est. Quod pertinet ad populum, consuetudini relictum est. Iudicium porrò, cujus meminit synodus Laodicena, exercebatur in dispungendis eorum meritis qui proponebantur vel à clero vel à populo civitatis, vel etiam à singulis Episcopis. quæ discussio verbo juris ἀνάκρισις dicitur. Pronuntiatio verò illius judicij, quo renuntiabatur antistes, dicebatur κύρωσις; ut apud Gregorium Nazianzenum orat. XIX. & alibi.

V. Ceterùm hæc synodus ex omnibus Episcopis provinciæ constare debebat, vel saltem ex tribus præsentibus, qui electionis negotium agebant, judicióque suo quis præficiendus esset decernebant. Quod obtinebat, quoniam absentes consensum scripto dabant rebus gerendis, & tres illi cum Metropolitani auctoritate omnia agebant; qua cessante, omnia fuissent irrita, ut docent canon Nicænus IV. & VI. & canon XIX. Antiochenus. Enimvero si dissidium aliquod inter Episcopos de præficienda persona disceptantes accideret, sententia plurimorum potior erat; quemadmodum decernit canon sextus Nicænus, & XIX. Antiochenus.

VI. Synodus autem ista habebatur in civitate sedis vacantis, ut dixi, ne clerus & populus civitatis arcerentur à communione electionis: qui testimonium tamen ferre debebant de persona eligenda, & desideria sua proponere, repulsam quoque dare, si utilitati ecclesiasticæ id expediret. Testimonij ferendi ab aliquo necessitas insinuatur à canone Laodiceno, qui præcipit probatæ per longum tempus conversationis viros ad episcopatum esse promovendos. quæ probatio rectè institui non poterat nisi adhibitis ex Ecclesia & plebe testibus.

CAPVT IV.

Synopsis.

I. Athanasij electio & ordinatio peracta est in synodo apud Alexandriam habita, juxta postulationem civium. Probatur ex epistola encyclica Episcoporum Ægypti, quæ extat apud Athanasium.

II. Probatur item ex Athanasio electionem illic debere fieri ubi est copia cleri & populi præsentis, id est, in civitate sedis vacantis.

III. Ex eo autem capite validè Constantium Imperatorem & Arrianos exagitat Athanasius, quòd Gregorium sibi superposuissent ignotum populo repugnanti, séque expellerent populis gratissimum. Scribit ergo id tentari adversùs Apostolorum traditionem & antiquos Ecclesiæ mores.

IV. Eandem canonum violationem in eadem causa Athanasij graviter Arrianis exprobrat Papa Julius. Ex quo colligitur necessarium esse cleri populique consensum in constituendo Episcopo.

V. Tum, Episcopi institutionem à provincia Episcopis in ipsa Ecclesia fieri debere, & promovendum à clero ipsius Ecclesiæ petendum.

VI. Injicitur mentio epistolæ Concilij Nicæni ad Alexandrinos.

VII. Ex Constantini rescriptis patet quanam Episcoporum partes fuerint in electionibus, quanam verò plebis.

VIII. Eadem praxis confirmatur aliquot exemplis illustribus ex antiquitate.

IX. Probatur etiam ex controversia de episcopatu Ephesino, quæ agitata est in Concilio Chalcedonensi, Eusebius Episcopus Ancyranus in eodem Concilio dixit habendam provinciæ synodum in civitate cui ordinandus est Episcopus.

X. Decretum fiebat à Clericis & civibus; quo à Metropolitano petebatur Episcopi ordinatio, aut ejus qui à civibus designatus esset, aut alterius qui esset idoneus, arbitrio Metropolitani cum sua synodo.

I. SED ne conjecturis solùm niti videamur, utrumque probabimus illustribus exemplis electionum actarum post synodum Nicænam. Docebimus itaque & synodum habitam in civitate sedis vacantis ad electionem ordinationémque faciendam, & exploratam priùs cleri atque populi sententiam.

Nullis poterat magis patere synodi Nicænæ sententia quàm Ægyptiis Episcopis qui paulò post peractum Concilium Athanasium ordinarunt. Illi verò in sua enclycica, quæ habetur in apologia secunda Athanasij, testantur omnem multitudinem populúmque Ecclesiæ catholicæ in unum coactum, quasi in speciem unius corporis & animæ, clamoribus vociferationibúsque postulasse Athanasium Ecclesiæ Episcopum dari, ídque publicis votis à Christo expetiisse, *nósque ut faceremus*, inquiunt illi, *per multos dies & noctes jurejurando obtestatos fuisse; cùm interea nec ipsi ab Ecclesia discederent, neque nobis discedendi facultatem permitterent.* Infrà: *Porrò quod nostrum plerique ipsum sub omnium oculis exclamationibúsque Episcopum crearint, nos ipsi testes fide digniores sumus iis qui abfuerunt & mentiuntur.* ὅτι πᾶν τὸ πλῆθος ἐκ πάσης ὁ λαὸς τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ὥσπερ ἐκ μιᾶς ψυχῆς ἐκ σώματος συνελθόντες ἀνεβόων, ἐκραύγαζον αἰτοῦντες Ἀθανάσιον ἐπίσκοπον τῇ ἐκκλησίᾳ. τοῦτο γὰρ ἦν δημοσίᾳ. τῷ Χριστῷ, ἐκ τοῦ λαὸς ἡμᾶς ὥρκιζον ποιεῖν ἐπὶ πλείσας ἡμέρας ἐκ νύκτας, μήτε αὐτοὶ ἐκκλησίας ἀφιστάμενοι, μήτε ἡμᾶς ἐᾶσαι ἐπιτρέπειν ἀφίστασθαι. Mox: ὅπερ πλείονες ἡμῶν αὐτὸν ἐχειροτόνησαν ὑπὸ ἁπάντων ὅσιον ἐκ βοαῖς, μάρτυρες πάλιν ἡμεῖς ἀξιόπιστοι τοῦ φανέντος ἐκ φανε-

μόνων, οἱ χειροτονήσαντες. Vnde patet synodum Episcoporum habitam fuisse Alexandriæ, & electionem ordinationémque ab iis factam juxta postulationes civium. quod hîc, ut in canone Nicæno, significatur dictione χειροτονεῖν.

II. Extat Athanasij in epistola ad orthodoxos querela de Gregorio sibi viventi per vim ab Arrianis subrogato in sede Alexandriæ; cujus invasionem ex eo quoque probat, inter cetera, quòd ejus electio peracta non fuerit juxta formam canonum, quæ debuisset fieri κατὰ τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς κανόνας καὶ κατὰ Παύλου ῥῆμα συναχθέντων τοῦ λαοῦ καὶ τοῦ πνεύματος τοῦ χαριζομένου. Mox: παρόντων τοῦ αἰτουμένων λαοῦ καὶ κληρικῶν: *juxta canones ecclesiasticos & Pauli dictum, congregatis populis cum spiritu constituentium, cum Domini nostri Iesu Christi potestate.* Mox: *populis & Clericis qui poscerent præsentibus.* En locum electionis, scilicet ubi est copia cleri & populi præsentis, id est, civitas sedis vacantis. Præterea clerus & populus congregari debent cum Episcopis qui de successore tractant, & eorum spiritui esse conjuncti, id est, ab eorum judicio pendere, illíque decernentibus obsequi. Alludit hoc loco ad locum Pauli 1. *Cor.* 5. ubi congregatis Corinthiis cum spiritu Pauli excommunicatur incesti reus ille. quam loquendi formulam elegánter trahit ad explicandam Episcoporum & populi consensionem ad constituendum novum Episcopum.

III. Eandem Constantij & Arrianorum vim eleganter exagitat in epistola ad solitariam vitam agentes; docétque illos & Apostolorum constitutionem & antiquos Ecclesiæ mores constituendi Episcopos evertisse, quòd Gregorium ignotum populo repugnanti cum minis & manu militari obtruderent, & Athanasium expellerent populis gratissimum. οὗτος ἐπενόησεν ἀλλοιῶσαι νόμον, καὶ λῦσαι μὲν τὴν κυρίαν διὰ τοῦ Ἀποστόλων διάταξιν, τὰ δὲ τῆς ἐκκλησίας ἀλλάξαι ἔθη, ἐξ ἀλλοτρίων αὐτὸς ὑπονοῶν τρόπον τῆς καταστάσεως. ἐξ ἄλλων δὲ τόπων, ἐς οὓς πεντήκοντα μονάδι, μὴ θέλοντας λαβεῖν ἐπισκόπους ἀποστέλλει, πρὸς τοὺς μὴ θέλοντας λαβεῖν· ἐς αὖθις γνῶσιν δὲ πρὸς τοὺς λαοὺς, ἐκεῖνοι φέρουσι τὰς ἀπειλὰς ἐς τὰ πρὸς τοὺς δικαστὰς γράμματα. *Hic* (Constantius) *excogitavit quo pacto legem alteraret, dissolvens Domini constitutionem pes Apostolos traditam, & mores Ecclesiæ immutans, novúmque excogitans constituendorum Episcoporum modum. Ex aliis quippe locis, & quinquaginta mansionum intervallo dissitis, ad populos nolentes cum militibus Episcopos mittit, qui loco justitiæ quæ de illis esset apud populos, minas & literas ad judices deferunt.* Ex quo testimonio habemus disertè juxta Apostolorum instituta & mores Ecclesiæ præficiendum Episcopum notum esse debere populis, atque gratum, nec invitis illis & repugnantibus per vim obtrudendum. Etenim, ut in eadem epistola monet Athanasius, amari non potest à populis ille quem nolunt, nec ei credere liberos suos possunt *cujus nec vitam nec conversationem nec prorsùs quis est norunt*, οὐδὲ τὸν βίον, ἐς τέλος ἀναγροφὼ, ἐς τίς ἐστιν οὐ γινώσκουσι.

IV. Graviter eandemcanonum violationem Arrianis Gregorium obtrudentibus exprobrat Iulius primus Pontifex Romanus apud Athanasium in apologia secunda, iis verbis quæ jura ecclesiastica infracta ostendunt, non solùm in expellendo Athanasio, sed etiam in constituendo Gregorio; qui nec ab Episcopis, nec à Presbyteris, nec à populo postulatus esset, nec illis cognitus, nec apud eos baptizatus. quæ docent cleri populíque consensum necessarium in constituendo Episcopo. Ποῖος καινὸς ἐκκλησιαστικὸς, ἢ ποία παράδοσις ἀποστολικὴ τοιαύτη, ὥστε εἰρωνεύσασθαι ἐκκλησίας, ἢ ἐπισκόπων τοσούτων ὁμόνοιαν ἐχόντων πρὸς τὸ ἐπίσκοπον τῆς Ἀλεξανδρείας Ἀθανάσιον, ἀποστραλῆναι Γρηγόριον, ξένον μὲν τῆς πόλεως, μήτε ἐκεῖ βαπτισθέντα, μήτε γνωσθέντων τοῖς πολλοῖς, μὴ αἰτηθέντα παρὰ πρεσβυτέρων, μὴ παρὰ ἐπισκόπων, μὴ παρὰ λαοῦ; *Qualis est ecclesiasticus canon, aut qualis hujusmodi apostolica traditio, ut in pace agente Ecclesia, tantisque cum Episcopo Alexandriæ Athanasio concordantibus Episcopis, Gregorius mitteretur à civitate quidem peregrinus, nec ibi baptizatus, nec multis notus, nec à Presbyteris, nec ab Episcopis, nec à populis postulatus?*

V. Quæ autem eodem loco verba subjunguntur, docent institutionem à provinciæ Episcopis *in ipsa Ecclesia* fieri debere, & promovendum à clero ipsius Ecclesiæ peti. Οὐκ ἔδει τὴν κατάστασιν ἔτως παρὰ νόμους καὶ παρὰ τὰ ἐκκλησιαστικὸν κανόνα γίνεσθαι, ἀλλ' ἐπ' αὐτῆς τῆς ἐκκλησίας, ἀπ' αὐτοῦ τοῦ ἱερατείου, ἀπ' αὐτοῦ τοῦ κλήρου, τὸν ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ ἐπισκόπους ἔδει καταστῆσαι, καὶ μηδαμῶς τὸν ἀπὸ τῶν ἀποστόλων κανόνας παρακινεῖσθαι. *Constitutionem adeo illegitimè & præter canonem ecclesiasticum fieri non oportebat; sed in ipsa Ecclesia, ex ipso sacrario, ex ipso clero, qui in provincia sunt Episcopos oportebat constituere.* His verbis respicit & explicat canonem illum quartum Nicænum de quo agimus.

VI. Possem Concilij Nicæni epistolam ad Alexandrinos adducere; qua statuitur ordinatum à Meletio Episcopum obeunti catholicæ partis Episcopo in eadem civitate substitui posse si populus eum eligat, idque decreto suo confirmet Alexandrinus Episcopus. Sed isto loco non agitur de libera

electione, sed de remedio schismatis.

VII. Testimoniis ecclesiasticis subjungemus Constantini quoque rescripta, tum ad Nicomediensium Ecclesiam apud Theodoretum lib. I. cap. XX. quam hortatur ut fidelem Episcopum eligat, *quod nunc quidem in vestra est potestate, & vestri dudum esse judicij oportuit,* ὥσπερ ὅτι τὸ παρόντος ἐν ὑμῖν ὄφελε, ὃ καὶ πάλαι ἐχρῆν ὑμετέρας κρίσεως ἀρτῆσθαι, tum ad populum Antiochenum, quem omissa Eusebij translatione hortatur *ut ex Ecclesiæ lege hunc eligant pastorem quem communis servator designarit:* Θεσμῷ ἐκκλησίας τοῦτον αἱρεῖσθαι ποιμένα ὃν αὐτὸς ἀνάδειξεν ὁ κοινὸς σωτήρ. apud Eusebium de vita Constantini lib. III. cap. LVII. Sed capite LVIII. adducit ejusdem Constantini epistolam ad Theodotum Laodicenum Episcopum & alios, quæ docet studia plebis & Episcoporum conjuncta fuisse in petenda translatione Eusebij ad Ecclesiam Antiochenam: καὶ τοῦ λαοῦ, καὶ τῆς ὑμετέρας προαιρέσεως συμφώνου τε καὶ βουλομένου.

VIII. Nostra illa definitio probatur quoque ex consequentis ætatis electionibus insignioribus, quarum solùm memoriam scriptores conservarunt. Vacanti Cæsareensi Ecclesiæ in Cappadocia, ex Diamei obitu, dandus erat successor. Conveniunt eam ob rem Episcopi Cæsaream; dissidentibúsque inter se civibus, cùm alius alium proponeret, tandem cùm in Eusebium catechumenum consensissent omnes, illum sibi constitui ab Episcopis extorserunt, teste Gregorio Nazianzeno in oratione de obitu patris. Eusebio mortuo, Episcopi Cæsaream convenere ad electionem Pontificis. Gregorius pater absens scripto in Basilium consensit; & porrò ad ejus causam juvandam, ægro licèt corpore, in urbem se contulit; & tandem juxta vota cleri, monachorum, honoratorum, curiæ, & plebis, electio decreta est ab Episcopis, ordinatúsque Basilius; ut patet ex superiori oratione Gregorij Nazianzeni, & ex ejus epistola XXII.

Flaviani Antiocheni electio & ordinatio facta est Antiochiæ ab Episcopis provinciæ & totius orientalis Diœceseos, tota Ecclesia suffragante, ut docet synodica Concilij C P. anni CCCLXXXI. quæ Nectarium quoque à synodo Oecumenica, clero & civitate universa suffragante, constitutum testatur. Gregorij Nysseni ea tempestate delectum & ordinationem à synodo provinciæ factam ipsemet scripsit; in eóque se Flaviano exæquat. Ἴση τῷ σωόδου καὶ μιᾷ γέγονεν ἀμφοτέραν ἡμῶν ἡ προθυμία.

IX. Vigebat mos ille in aliis quoque Ecclesiis; ut ostendi potest ex undecima actione Concilij Chalcedonensis, in qua tractatur de controversia Bassiani & Stephani ob Ephesinum episcopatum. Stephanus enim docere contendens electionem suam factam juxta canones, ait: *Me quadraginta Episcopi Asiani, suffragio & nobilium & totius reverendissimi cleri & omnis civitatis, ordinaverunt:* Ψήφῳ καὶ τοῦ λαμπροτάτου, καὶ τοῦ λογάδων, καὶ τοῦ εὐλαβεστάτου παντὸς κλήρου. Negotium quoque istud rectè ab Eusebio Episcopo Ancyræ, quæ est metropolis Galatiæ, explicatur in actione decima sexta. Etenim cùm ageretur de Metropolitanorum ordinationibus à sede Constantinopolitana peragendis, docet gravissimum detrimentum civitatibus exinde creandum iri, ob sumptus immensos quibus atterentur; sed servandos esse canones, qui præcipiunt in civitatibus ipsis habendam provinciæ synodum, & ab ea constituendos Episcopos, quos ipsa probaverit, à civitate sibi propositos. Si enim non in civitatibus hi qui eliguntur à civitate ordinantur à synodo provinciæ comprobati, solvuntur substantiæ: ἐὰν μὴ ὦσιν ἐν τῇ πόλεσιν αὐταῖς, οἱ ἀμφιζόμβοι τῆς τῆς πόλεως, χειροτονεῖσθαι τῆς τῆς συνόδου τῆς τοῦ ἐπαρχίας δοκιμαζόμβοι, λύονται αἱ οὐσίαι. Huic incommodo mederi se posse existimarunt judices imperatorij, decernentes ut à Clericis metropoleos, à possessoribus, & clarissimis viris, tum etiam à provinciæ Episcopis, fiat decretum electionis ejus personæ quam dignam episcopatu judicaverint; gestísque ad Archiepiscopum Constantinopolitanum delatis, penes illum sit ut ad se evocet electum Constantinopoli consecrandum, aut ex ejus permissione, κατ' ἐπιστολὴν αὐτοῦ, in provincia ordinetur. Reliquit verò singularum civitatum Episcopos ordinandos à Metropolitano & à provinciæ Episcopis.

X. Quem autem modum servarent in singulis civitatibus addiscere possumus ex XIII. actione: ubi Eunomius Nicomediæ Episcopus, quæ erat Bithyniæ metropolis, conqueritur adversùs Anastasium Nicææ Episcopum; qui ex eo quòd Nicæa civitas jure metropoleos donata fuerat per rescriptum Valentis, Episcoporum ordinationes in quibusdam civitatibus sibi vindicabat, & specialiter Basilinopoli. Eunomius autem, ut probet ad se jus istud pertinere, ait: *Ostendo decreta Basilinopolitanorum, ubi rogaverunt de Episcopo. Tu ostende ubi rogaverunt Nicænum ut eis daret Episcopum.* Decretum itaque fiebat à Clericis & civibus; quo à Metropolitano petebatur Episcopi ordinatio, aut à civibus designati, aut alterius qui esset idoneus, arbitrio Metropolitani cum sua synodo. Etenim (ut rectè observat Atticus

Atticus Nicopoleos in veteri Epiro in eadem actione XIII.) regula ita præcipit, ut in unaquaque provincia Metropolitanus habeat potestatem, & ipse constituat omnes qui in ea provincia sunt Episcopos. Decreti facti à Gangrensibus & sibi oblati meminit Eusebius Ancyræ actione XVI.

CAPVT V.

Synopsis.

I. Paulatim à veteri regula discessum est in Oriente & in Occidente. Orientales Metropolitæ synodum Episcoporum ad suas urbes traxerunt quando agebatur de ordinando Episcopo exiguæ Ecclesiæ. Vnde sequitur non semper expectata fuisse Clericorum & civium suffragia.

II. Zonaras inductum id putat à synodo Nicæna. Ex canone XVIII. Antiocheno colligitur Episcopos electos & consecratos aliquando fuisse extra sedem vacantem, tum etiam absque populi consensu.

III. Attamen si non accederet populi suffragium, periculum erat ne consecratus à populo recusaretur. Probatur ex eodem canone Antiocheno. Quæ synodus dici debeat τέλεια & perfecta.

IV. Ex Basilij quoque facto ostenditur Episcopum electum & consecratum à Metropolitano extra Ecclesiam vacantem, & absque prævio populi consensu; cui tamen relinquitur licentia recusandi Episcopi.

V. Plebs Episcopum postulare poterat à synodo: sed Dei est designare præficiendum, nempe synodi judicio. Probatur ex Basilio.

VI. Populus nullum Episcopum sibi præponere potest absque judicio synodi; ut patet ex canone XVI. Antiocheno.

I. ATTAMEN dissimulari non debet quin paulatim ab hac regula discessum fuerit in Oriente & Occidente, sed diverso modo. Quippe Orientis Ecclesiæ, licèt in majoribus Ecclesiis ordinandis veterem ritum retinuerint, attamen in aliis tenuioribus Metropolitæ ad suas urbes synodum Episcoporum traxerunt, & per consequentiam, Clericorum & civium consilia atque testimonia non semper expectarunt. Incommodum illis erat in parvo oppido synodum habere, electiones per dissensionem civium & criminum objectiones protractas agere, sumptibus atque dispendiis onerari. Quare cùm Nicænus canon de synodi loco nihil disertè constituisset, nec de cleri populique testimonio, liberum sibi esse putarunt Episcopi ex arbitrio Metropolitani apud eum synodum pro gerendis electionibus habere.

II. Zonaras quidem tradit synodum in canone quarto Nicæno commemoratam habendam in urbe metropoli. quod ex posterioris ætatis moribus sibi persuaserat. Quod nos evincemus ex Antiocheno canone XVIII. ex quo colligitur Episcopum electum & consecratum aliquando extra sedem vacantem, tum etiam absque populi consensu: *Si quis Episcopus ordinatus ad paræciam cui est electus minimè accesserit, non suo vitio, sed quòd eum populus vitet,* (vel, reddendo exactiùs ipsa verba, *propter populi recusationem,* ἤτοι διὰ τὴν τοῦ λαοῦ ἀποδοκιμασίαν) *aut propter aliam causam, non tamen ejus vitio perpetratam, hic & honoris sit & ministerij particeps, dummodo nil molestus Ecclesiæ rebus existat ubi ministrare cognoscitur. Quem etiam observare conveniet quidquid synodus perfecta provinciæ quod visum fuerit judicando decreverit.*

III. Attamen si non accederet populi suffragium, periculum erat ne consecratus à populo recusaretur; ut docent hujus canonis verba. Sed synodi statim ea de re habendæ cognitione, an justa esset recusatio, discutiebatur: quæ synodus τέλεια esset & perfecta, id est, ex Metropolitani & Episcoporum præsentia conflata. Canon quoque decimus septimus Antiochenus decernit quid constituendum sit adversùs Episcopum qui post ordinationem non vult proficisci ad Ecclesiam sibi concreditam, quod evincit alibi consecratum fuisse. Vide Balsamij Notas ad Agobard. pag. 100.

IV. Exisio usu factum ut Basilius anno trecentesimo septuagesimo, post suffectum à se cum synodo sua Euphronium in Episcopali sede Nicopoleos, senatum ejus urbis hortetur ad susciplendum Episcopum: quoniam, inquit, *eorum consensu negotium illud perfici debet.* Habes hîc Episcopum electum & consecratum à Metropolitano extra Ecclesiam vacantem, & absque prævio populi consensu; cui tamen facultas recusandi Episcopi relinquitur. Elegantia sunt Basilij verba epist. CXCIV. Αἱ μὲν τὰς ἐκκλησίας οἰκονομίαι γίνονται μὴ ἀφ' ἑνὸς πεπιστευμένων τὴν πρᾶξιν αὐτῶν, βεβαιοῦνται ὑφ' ἑνὸς λαοῦ, ἅτε καὶ νῦν ὀλίγων ὄντων τῶν θεοφιλεστάτων ἐπισκόπων πεπληρωται, τὸ δὲ λειπόμενον ἤδη πρὸς ὑμᾶς βλέπει, ἐὰν καταξιώσητε ἐνθύμως περιέχεσθαι τοῦ δεδομένου ὑμῖν ἐπισκόπου, καὶ τὰς ἀφ' ἑτέρων πείρας ἰσχυρὰς ἀποκρούεσθαι. *Dispensationes Ecclesiarum fiunt quidem ab iis quibus earum cura credita est, à populis verò confirmantur. Nunc itaque quod erat in Deo dilectissimis Episcopis impletum est; quod verò reliquum est, vos respicit, ut datum vobis Episcopum ex animo complecti, & extraneorum tentamenta fortiter repellere.* Vtitur verbo οἰκονομίας, quod etiam usurpatur in secundo canone Constantinopolitanæ synodi, ad designandas quæ ab Episcopis in Ecclesia fiunt dispositiones.

V. Attamen hæc synodi metropoliticæ

auctoritas in eligendo Episcopo non impediebat quin aliquem postulare possent, relicto penes synodum integro arbitrio; ut patet in hoc negotio Nicopoleos. Senatus enim præfectum à Basilio approbaverat: *Vos probastis dignum esse* inquit, *& non consensimus*: ἄξιον ἦν ἀναφανῆναι, καὶ ὑμεῖς ἐδοκιμάσατε, καὶ ἡμεῖς συνεθέμεθα. Reliquum erat ut ordinatum Episcopum à plebe susciperi curaret. Hoc quoque voluit significare idem Basilius in epistola LXII. ad Neocæsarienses, post Musonij Episcopi obitum: *Cavendi vobis lupi, vigilis cujusdam pastoris præsidio, quem repurgatis contentione omni & primatus affectatione animis petere quidem vestrum est, Domini verò designare*: λύκοις φυλακτέον ὑμῖν, ἐγρηγορικοῦ τινὸς ποιμένος ἐπιστασίᾳ, ὃν ὑμέτερον μὲν αἰτῆσαι φιλονεικίας πάσης καὶ φιλοπρωτείας τὰς ψυχὰς καθαρούσας, τοῦ κυρίου δὲ ἀναδεῖξαι. Postulare pastorem, à synodo scilicet, positum est in potestate plebis; sed Dei est designare præficiendum, nempe synodi ejusdem judicio.

VI. Sanè licèt Episcopum hunc vel illum populus petere possit, nullum tamen sibi potest præponere absque synodi judicio; ut docet canon decimus sextus Antiochenus: *Si quis Episcopus vacans in Ecclesiam vacantem prosiliat, sedémque pervadat absque integro perfectóque Concilio, hic abjiciatur necesse est; etsi cunctus populus, quem diripuit, eum habere delegerit. Perfectum verò Concilium illud est ubi intefuerit Metropolitanus antistes.* Vi hujus canonis, qui recitatur in actione undecima Concilij Chalcedonensis, pulsi sunt episcopatu Ephesi Bassianus & Stephanus; relicta eis dignitate episcopali, & alimentis.

CAPVT VI.

Synopsis.

I. Dein Græci integrum electionum jus traxerunt ad synodum metropolitieam, neglectis clero & populo Ecclesiæ vacantis. Incommodum hoc tollere tentavit Justinianus Imperator, qui vilem plebeculam ab electione removit. Tres autem eligi à clero & honoratis jubet, ut unus ex iis à Metropolitano eligatur.

II. Ex hac Justiniani constitutione aperitur verus sensus canonis XIII. Laodiceni, quo cavetur ut vilis plebecula arceatur ab electione Diaconorum vel Presbyterorum.

III. Olim enim clerus & populus ab Episcopo interrogabantur in ordinationibus clericorum; ut patet ex Cypriano, Eusebio, & canonibus Africanis.

IV. Juris autem istius occasione plebs sæpissime peccabat, adeo ut indignos plerunque eligeret. Invitos etiam quandoque rapiebat ad presbyteratum, ut accidit Augustino.

V. Exemplum item ejus rei datum in Paulino Episcopo dein Nolano. MARCA *factus Presbyter apud Barcinonem in Hispania.*

VI. Exempla item in Piniano & Chrysostomo. Quare prudenter cautum canone Laodiceno removendam esse plebem ab electione Diaconorum & Presbyterorum.

VII. Potiori ratione porrigenda fuit hæc prohibitio ad electiones Episcoporum. Joannes Scholasticus turbas arceri scribit ab electionibus Episcoporum.

VIII. Justinianus edixit clerum & primates populi solos ad electiones Episcoporum admittendos, neglectis turbis. Blondellus notatur.

IX. Clerus & honorati eligunt. Plebs verò favet & applaudit.

I. VSURPATA à Græcis consuetudo, à minoribus civitatibus jus electionum avocans, illud solidum & integrum metropoliticæ synodo addicebat, neglectis clero & populo Ecclesiæ vacantis. Cui gravi incommodo ut Iustinianus mederetur, novam legem condidit; qua jus cum temperamento quodam induxit, concessa Clericis & populo suffragiorum libertate ad exemplum occidentalis Ecclesiæ, & relicta Metropolitanis auctoritate non contemnenda. Ac primùm Clericis & civibus honoratis, qui olim unà cum Episcopis de electione consulebant, concessit ut soli eam peragerent, repulsa ab hac deliberatione vili plebecula; ea lege tamen, ut trium personarum electionem scripto factam ad Metropolitam transmitterent. In istius autem arbitrio positum erat è tribus, quem magis idoneum judicaret, Episcopum designare & ordinare. Novella CXXIII. & CXXXVII. lex quoque 42. *C. de Episcopis*, continent juris istius novi institutionem. Vide Collectionem Holstenij parte 1. pag. 8. & parte 2. pag. 160.

II. Ex ista Iustiniani constitutione aperitur verus canonis Laodiceni sensus; cujus interpretationem ad hunc locum de industria retulimus. Is est decimus tertius, cujus hæc sunt verba Græca: περὶ δὲ μὴ τοῖς ὄχλοις ἐπιτρέπειν τὰς συλλογὰς ποιεῖσθαι τῶν μελλόντων καθίστασθαι εἰς τὸ ἱερατεῖον. *De eo quod non liceat turbis electiones eorum facere qui altaris ministerio sunt applicandi*; ut loquitur vetus interpres. Eodem sensu Ferrandus in Breviatione cap. 105. de Diaconis interpretatur: qui quidem propriè ἐν ἱερατείᾳ sive in sacrario, quæ templi pars erat altari proxima, locum habebant sibi specialiter addictum. Attamen Martinus Bracarensis reddit, *qui ad sacerdotium promoventur*: Dionysius, *qui sunt ad sacerdotium provehendi*; ut εἰς ἱερατείαν legisse videantur. Itaque genuinus hic videtur esse verborum canonis sensus, ut vilis plebecula arceatur ab electionibus Diaconorum vel Presbyterorum. Diaconos quippe ad suam dispositionem plebs trahe-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

bat, quòd multitudini fidelium electionem Diaconorum Apostoli permisissent. Plerosque etiam invitos ad presbyteratum per vim adigebat.

III. Certum quidem est in Clericorum ordinationibus clerum atque plebem ab Episcopo fuisse consultam olim, ut docet Cyprianus epist. XXXIII. *In ordinandis Clericis, fratres carissimi, solemus vos antè consulere, & mores ac merita singulorum communi voto ponderare.* Vnde Cornelius Papa apud Eusebium lib. VI. cap. XLIII. Novatianum vetitus à clero & à plerisque laïcis ne in presbyterium adscisceret, hunc solum sibi concedi ordinandum petiit. Hic usus confirmatus est canone XXII. Concilij Carthaginensis tertij: *Vt nullus ordinetur Clericus nisi probatus vel Episcoporum examine vel populi testimonio*, id est, utroque. *Vel* enim conjunctivè accipitur, ut fieri solet in scriptoribus hujus ætatis. Quod explicat Concilium Carthaginense quartum can. XXII. *Vt Episcopus sine consilio Clericorum suorum Clericos non ordinet, ita ut civium conniventiam & testimonium quærat.*

IV. Sed juris istius occasione plebs sæpissime peccabat, adeo ut indignos plerunque eligeret. Eleganter Hieronymus lib. I. adversus Iovinianum: *Nonnunquam errat plebis vulgique judicium; & in sacerdotibus comprobandis unusquisque suis moribus favet, ut non tam bonum quàm sui similem quærat præpositum.* Et in Ezechielem cap. XXXIII. scribit Episcopum & Presbyterum à populo electos & assumptos, ideo formidandum ne accedant indigni. Contingebat aliquando ut invitos etiam raperet ad presbyteratum; ut accidit in Hipponensi Ecclesia, ubi *Valerius episcopatum gerebat: qui cùm flagitante ecclesiastica necessitate de providendo & ordinando Presbytero civitatis plebem alloqueretur & exhortaretur, jam scientes catholici sancti Augustini propositum & doctrinam, manu injecta ----- eum tenuerunt, & ut in talibus consuetum est, Episcopo ordinandum intulerunt; omnibus uno consensu & desiderio fieri perficique petentibus, magnoque studio & clamore flagitantibus, ubertim eo flente*; ut loquitur Possidius cap. LIII.

V. Sic à Lampio Episcopo anno CCCXCIII. apud Barcinonem in Hispania *per vim inflammatæ subitò plebis sacratus* Paulinus, ut est in epistola XXXV. Augustini. Qua de re ipse Paulinus, qui fuit postea Nolanus Episcopus, hæc scripsit ad Severum epistola sexta: *Nos in Barcinonensi civitate consistimus. Post illas literas quas scripsisti, die Domini quo nasci de carne dignatus est, repentina, ut ipse testis est, vi multitudinis, sed credo ipsius ordinatione correptus, & presbyteratu initiatus sum. Sanctissimi & nobilissimi illius viri, qui natione Aquitanus erat, mihi quoque Aquitano memoria observabatur, quando Barcinone consistens, ejus opem flagitando, ad presbyteratum sponte sum provectus anno millesimo sexcentesimo quadragesimo octavo.* *Vide Valesium de vita Mariæ, §. 10.*

VI. Horrendum & perseverantissimum clamorum fremitum Hipponensis multitudinis pro cogendo Piniano ad presbyteratum recitat Augustinus epistola CCXXV. Vim quoque sibi illatam à populo Antiocheno conqueritur Chrysostomus ut presbyteratum susciperet.

Quare canonis Laodiceni verbis interdicta est plebi Diaconorum & Presbyterorum electio; nempe ne per tumultus negotium istud ad se pertraheret, invitis quandoque Clericis & honoratis.

VII. Attamen cùm par ratio & potior reperiatur in Episcoporum electionibus, quas plebs aut factiosorum studiis aut pretio accensa turbare solebat, minùs dignos sæpe ingerendo, (ut factum in electione Eusebij cathechumeni, ubi ὀχλώδης χεὶρ παρέσυρε τὸ ἀκέραιον, *turbarum manus evertit jus accuratum*, ut loquitur Nazianzenus epist. XXII. cujus violentiæ similia passim occurrunt exempla) ideo rectissimè Ioannes Scholasticus Patriarcha Constantinopolitanus, qui floruit sub ultima tempora Iustiniani, in veteri canonum collectione canonem Laodicenum sic accipit, ut turbis prohibeantur electiones Episcoporum, Tit. VII. collectionis: μὴ τοῖς ὄχλοις ἐπιτρέπειν ἐκλογὰς ποιεῖσθαι τῶν ἐπισκόπων, adducítque statim canonem duodecimum Laodicenum. Eadem fuit sententia Martini Bracarensis, qui primum caput collectionis suæ, quod inscribit *De electione Episcoporum*, ex hoc canone Laodiceno decimo tertio componit.

VIII. Quare canonis istius decretum secutus Iustinianus, suis legibus disertè clerum & primates populi solos ad electiones Episcoporum admisit, neglectis turbis: quarum assensus non erat negligendus, sed inter suffragia legitima non censebatur. Sic enim accipienda sunt verba canonis, ut plebis interventio prohibeatur; non autem ut sola ejus violentia arceatur, quemadmodum scripsit vir eruditus Blondellus.

IX. Potest discrimen istud inter honoratos & vulgus, quod insinuavimus, probari ex Theodoreti verbis loquentis de Petro qui successit Athanasio novem annis post tempora Concilij Laodiceni. Ait ejus electionem factam quidem ab Athanasio vivente: συμψήφων γενομένων, τῶν τοῦ ἱερωμένων, καὶ τῶν ἐν τέλει καὶ ἀξιώμασι. καὶ ὁ λαὸς ἅπας τῷ

ἐφημίσαν ἐδήλουν τῷ ἡδονῇ : *Suffragantibus sacri ordinis viris & iis qui erant in magistratu & dignitate constituti. Omnis verò populus acclamationibus letitiæ signa promebat.* Clerus & honorati eligunt ; plebs verò favet & applaudit. Vnde apud Liberatum cap. XIV. in locum Dioscori Proterius electus est *à nobilibus civitatis* & ab Episcopis, plebis mentione omissa. Zeno quoque constituit apud Evagrium lib. III. cap. XII. ut Alexandriæ fieret Episcopus ὃν ὁ κλῆρος καὶ τὸ κοινὸν ψηφίζοιντο, *quem clerus & commune elegissent*, id est, corpus civitatis, neglecta scilicet plebe.

CAPVT VII.

Synopsis.

I. Constitutio Justiniani de tribus eligendis à clero & plebe, decretóque ad Metropolitanum mittendo, neque in Oriente neque in Occidente observata fuit.

II. Secunda Synodus Nicæna Episcopis permisit universam electionum potestatem.

III. Decretum priscis illis temporibus erat penes Episcopos solos, exclusis ab eo jure clero & populo. Synodus CP. adversùs Photium laïcos removit ab electione.

IV. Refertur interpretatio quam Blondellus adhibet huic canoni Constantinopolitano.

V. Refellitur illa Blondelli interpretatio multiplicibus argumentis.

I. QVOD constitutum fuerat à Iustiniano de trium electione facienda à clero & plebe mittendóque decreto ad Metropolitanum locum non habuit nec in Oriente nec in Occidente ; quamvis occasionem præbuerit postea Imperatoribus Græcis ad se trahendi jus Metropolitano tributum, ut postea dicetur.

II. Tantum verò ab executione illius legis recessum est, ut non solùm usu sed canone quoque in secunda synodo Nicæna lato anno DCCLXXXVII. Episcopis permissa sit universa electionum potestas, citato ad eam firmandam canone quarto primæ synodi Nicænæ : Δεῖ γὰρ τὸν μέλλοντα προβιβάζεσθαι εἰς ἐπισκοπὴν ὑπὸ ἐπισκόπων ψηφίζεσθαι, καθὼς καὶ τοὺς τῶν ἁγίων πατέρων τοὺς ἐν Νικαίᾳ ὥρισαι. *Oportet enim eum qui provehendus est ad episcopatum, ab Episcopis eligi, ut definitum est in canone Nicænorum patrum.* Vnde cùm objiceretur Ignatio Patriarchæ quòd non adeptus esset sedem Constantinopolitanam per electionem, responsum fuit *eum decreto omnium simul Episcoporum, & Ecclesiæ consensu, canonicè & legitimè promotum fuisse*, ut docet Nicetas Paphlago : Φήφῳ πάντων ὁμοῦ τῶν ἱερέων καὶ τῆς ἐκκλησίας συναινέσει κανονικῶς καὶ ἐθίμως κεχείρισται.

III. Eo quippe tempore decretum, ψήφος, erat penes Episcopos solos, exclusis & Clericis & populis à decreti ferendi potestate ; cujus communionem antea cum Episcopis habuerant, licèt non æquo jure. Quare nulli mirum videri debet si canone XXVIII. Concilij CP. habiti anno DCCCLXX. adversùs Photium, in editione Latina Anastasij Bibliothecarij ista legantur : *Promotiones atque consecrationes Episcoporum, concordans prioribus Conciliis, electione ac decreto Episcoporum collegij fieri sancta hæc & universalis synodus definit & statuit.* depulsis disertè eodem canone laïcis à negotio electionis, sub pœna anathematis.

IV. Hunc locum sic interpretatur vir eruditus Blondellus : *Prima canonis parte ex priorum Conciliorum præscripto, episcopalis collegij electione ac decreto promotiones fieri debere decernitur. Cùm enim à principio uniuscujusque Ecclesiæ clerus & populus communi sibi consilio de Præsule providere soliti essent, novo postea in Episcoporum gratiam condito jure Nicæna synodus can. IV. Antiochena can. XIX. Laodicena can. XII. Episcoporum provincialium synodum ante omnia cogi, vel ejus ductu viduatæ Ecclesiæ clerum & plebem in suffragia ire, vel ad eam referre, nihil sine ea aggredi statuerunt. Collegio igitur Episcoporum promotionem tribuit canon ; non quasi penes Episcopos solos electionis jus esse debeat, ----- sed quia primas inter omnes tenent, totiúsque quantus quantus est conventus ducei esse debent Episcopi. Hoc à Nicæni Concilij temporibus extra controversiam semper fuit.*

V. Quibus verbis veritas definitionis nostræ, quam abundè probavimus, aliquo pacto obscuratur. Rectè quidem vir doctus observat synodum Episcoporum coactam, ut eorum ductu & auspiciis electio ageretur à clero & à populo. Sed in tribus peccat. Primùm, quòd synodi illius necessitatem inductam putet à synodo Nicæna, cùm demonstraverimus ex Cypriano jus illud fuisse receptum per omnes ferè provincias, & Apostolorum exemplo niti, quorum præcipuæ partes fuerunt in electione Matthiæ. Secundum est, quòd initio Episcopos ab electionis gerendæ potestate arcere videtur, eámque in solidum clero & populo tribuere ; cùm potiùs jus electionis præcipuum penes Episcopos resederit, non omissis tamen cleri & populi votis, quod tandem fatetur ; docétque primas partes inter electores tenuisse. Incidit in hanc dubitationem, quòd usum Occidentis, quo jus electionis translatum est in clerum & plebem per decreta Pontificum Romanorum, ut statim docebimus, cum orientalium more confuderit, qui decretum ele-

ctionis Episcopis, clero & plebi consensum olim relinquebant. Tertium erratum est, quòd existimet collegium Episcoporum in hoc canone non excludere saltem cœtum Ecclesiæ. Certum quippe est per septimæ synodi canonem tertium, ex præscripto, ut putabat, prioris Nicænæ synodi, solidas electiones ad Episcopos solos revocatas, licèt consilia cleri non fuerint insuperhabita, saltem in Ecclesiis insignioribus. Quapropter octava synodus idem canone suo sancivit. quod deinde ab Episcopis in Oriente passim ex recepto jure usurpatum fuit. Id ostenditur eximiè ex contentione quæ inter Polyeuctum Constantinopolitanum & reliquos Præsules orta est ob electiones Episcoporum, quas sibi solis isti vindicabant, Polyeuctus verò contendebat Episcopos teneri secum de illis communicare. Τῶν μὲν εἰς ἑαυτὸν ἐλκόντων ἡ ἀδεια ἔ ψηφίζεσθαι ἐς αὖ ἐγκείνοιεν. ἔ δὲ σπένδοτ ϑ κοινοῦσθαι αὐτὸ τὰς ἱερεῖς ϖϑὶ τ μελλόντων ψηφίζεσθαι, inquit Zonaras in Nicephoro Phoca.

CAPVT VIII.

Synopsis.

I. In Occidente Episcopi eligebantur cleri & populi suffragiis & judicio Episcoporum. Probatur ex Cypriano.

II. Probatur etiam ex canone quinto Sardicensi; qui explicatur. Notatus interpres Græcus.

III. Tum ex Concilio Carthaginensi tertio, quod explicatur.

IV. Veterem illum usum paucis verbis complexus est Concilium Carthaginense quartum.

V. Anysius Thessalonicensis Episcopus, à Macedonicis populis obsecratus, ab Episcopis electus est.

VI. Pontificum Romanorum decretis electio personæ collata est in arbitrium cleri & populi, etiam absque synodi episcopalis præsentia: qui decretum de electione ad Metropolitanum mittebant. Ad istum verò pertinebat confirmatio vel rescissio electionis.

VII. Hujus novæ formæ origo tribuenda est Siricio Papæ & sequentibus Pontificibus. Eam Ambrosius Mediolanensis Episcopus ætate Siricij amplexus esse videtur.

VIII. Siricius docet Diacono presbyterium vel episcopatum dari si eum cleri & plebis evocaverit electio. Sed ei electioni adjungendum judicium Metropolitani.

IX. Eundem ordinem observari jubent Innocentius, Zozimus, Bonifacius, & Celestinus.

X. Referuntur verba Leonis primi quibus idipsum statutum & amplificatum est. Explicantur ejus verba.

XI. Præcipuæ partes tribuuntur Clericis in agenda electione. Ratio hujus instituti. Illustria Leonis in hanc rem verba.

XII. Perduravit synodorum usus, quoad electiones Metropolitanorum. Probatur ex eodem Leone.

XIII. A Carthaginensi Concilio profectum ut vacanti Ecclesiæ Episcopum interventorem seu intercessorem Metropolitanus præficiat. Is apud Gregorium magnum vocatur Visitator. Munus ejus describitur. Decretum electionis fieri non posse absque præsentia Visitatoris admonet Papa Symmachus.

I. SED relictis Græcis, qui tandem ad Imperatoris arbitrium electiones omnes retulerunt, nunc redeundum est ad perspiciendam quæ in Ecclesia occidentali inducta est in electionibus immutationem.

Observabat ista vetus illud institutum, ut ab Episcopis, à clero, & à plebe in unum congregatis eligeretur qui præficiendus erat Ecclesiæ vacanti; cum illo tamen discrimine quod superiùs adnotavi, ut judicium esset Episcoporum, cleri verò & populi suffragium. Illis testimoniis addi potest Cypriani locus de Cornelij Papæ electione: *Factus est Episcopus de Dei & de Christi ejus judicio, de Clericorum penè omnium testimonio, de plebis quæ tunc adfuit suffragio, & de sacerdotum antiquorum & bonorum virorum collegio.* Conventum sacerdotum sive Episcoporum vocat *collegium*; à quo juxta testimonium Clericorum & plebis suffragium decreta fuerat Cornelij ordinatio, qui hoc pacto de Dei & Christi judicio factus fuerat Episcopus.

II. Dubitari non potest quin eandem formam sequerentur reliquæ Occidentis provinciæ. Quod evincitur manifestè ex specie proposita & decisa in canone quinto Sardicensis Concilij anno trecentesimo quadragesimo septimo; ubi agitur de provincia plurimis quondam Episcopis instructa, in qua unus remanserit Episcopus, aliis putà fato functis, ille verò solus negligat populis petentibus ordinare Episcopum, adjunctis scilicet sibi collegis ex vicina provincia, quos potest convocare. Etenim ut nullus in alienam provinciam debet irruere, nisi vocatus ab Episcopis, ita, si rogetur, potest accedere ad agendas functiones ecclesiasticas. Populi autem conveniunt vicinæ provinciæ Episcopos. quod alioqui ad eos non pertineret nisi ob Episcopi negligentiam. Episcopi vicini debent literis suis provincialem Episcopum convenire, eique ostendere justam esse populi petitionem, & ut ipsi accedant ut cum eo ordinent Episcopum. Quòd si nihil rescripserit, *satisfaciendum esse populis* constituit canon, *ut veniant ex vicina provincia Episcopi, & ordinent Episcopum.* En synodum Episcoporum, quæ ad Ecclesiam vacantem accedit ut ordinet Episcopum, id est, ut tractatu habito cum clero atque populo, designet præficiendum Episcopum, eique manus imponat. Græca interpretatio malè sententiam hujus canonis expressit, & speciem retulit ad Episcopum qui

monitus literis Metropolitani sui negligit cum aliis Episcopis convenire ad ordinandum Episcopum. Incidit in codicem corruptum Græcus interpres. Legit initio, *in qua plurimi sunt Episcopi*; cùm Latinus textus habeat, *in qua plurimi fuerint*. Quos Latinus vocat *vicinos Episcopos provinciæ*, Græcus reddit Exarchum sive Metropolitam provinciæ. respexit enim sensum. De his Episcopis, alienæ scilicet provinciæ, inquit textus Latinus, *ut ipsi veniant, & ordinent*. Græcus legit, *ipse veniat*, & refert ad Episcopum negligentem. Hæc autem interpretatio est apud ipsum quoque Ioannem Scholasticum. Vnde patet primum interpretem in textum Latinum corruptum incidisse. Ceterùm illius vera lectio, quam secuti sumus & explicavimus, habetur apud Dionysium & apud collectorem Dionysio antiquiorem. Apud Burchardum quoque, Ivonem, & Gratianum, eadem sententia, licèt verbis paululùm diversis.

III. Huic testimonio adjungi debet Concilium tertium Carthaginense habitum anno CCCXCVII. can. XL. *Si qua contradictio fuerit suborta, quia talia sæpe facta sunt apud nos, non præsumant ad purgandum eum qui ordinandus est tres tantùm, sed postulentur ad numerum supradictorum duo vel tres; & in eadem plebe cui ordinandus est discutiantur primò personæ contradicentium, postremò illa etiam quæ objiciuntur pertractentur; & cùm purgatus fuerit sub conspectu publico, ita demum ordinetur.* Hujus canonis aperta est sententia, scilicet Episcopos convenire in Concilium in civitate sedis vacantis, ut Episcopum eligant. Poterat quidem synodus illa à tribus congregatis haberi, consentientibus scripto ceteris provinciæ Episcopis ex præcepto Metropolitani; ut decreverat synodus Nicæna, & Carthaginensis secunda sub Genetlio canone duodecimo. quod hic canon sequitur. Sed addit, si electo crimina objiciantur, tres illos qui Concilium canonicè conflabant, non sufficere ad purgandum accusatum, sed tribus illis adjungendos esse duos aut tres, scilicet de Primatis auctoritate; ut sex illi aut quinque, accusatione ut oportet discussa in civitate sedis vacantis, de purgatione electi pronuntient, eúmque sub conspectu publico ordinent.

IV. In pauca verba veterem illum usum contraxit Concilium Carthaginense quartum anno CCCXCVIII. can. I. ubi post expositas pietatis & veræ fidei dotes, quibus instructus esse debet Episcopus, subjungit: *Cùm in his omnibus examinatus, inventus fuerit plenè instructus, tunc cum consensu Clericorum & laicorum & conventus totius provinciæ Episcoporum, maximèque Metropolitani vel auctoritate vel præsentia, ordinetur Episcopus.*

V. Ex hoc more canonico, Acholio Thessalonicensi vita functo circiter annum trecentesimum nonagesimum Anysius *ad summum sacerdotium à Macedonicis obsecratus populis, à sacerdotibus electus est*, ut loquitur Ambrosius lib. III. epist. XXII. Vide supra lib. 5. cap. 24. §. 1.

VI. Quoniam verò pluribus incommodis exposita erat ratio illa electionum, ob necessitatem synodi habendæ, quam protrahi sæpe contingebat per variarum factionum contradictionem, unde à suis Ecclesiis Episcopi longo tempore distracti, sumptibus non ferendis vexabantur, aliam formam decrevere Summi Pontifices, quæ potestatem cleri ac populi, deinde verò Metropolitani auctoritatem, in magnum Ecclesiæ commodum & dissidiorum remedium, vehementer auxit. Etenim electio personæ collata est in arbitrium cleri & populi, etiam absque synodi episcopalis præsentia: qui quidem decretum de electione factum, & à se subscriptum, ad Metropolitanum mittebant. Ille verò cum plena causæ cognitione judicium de forma electionis & de persona electi ferebat, confirmata vel etiam rescissa electione. Isto verò ordine semel recepto non abolita est in totum vetustior illa forma synodi habendæ ab Episcopis; qua, etiam post ista tempora, Episcopi aliquando utebantur, prout occasio postulabat. Semper autem in Metropolitanorum electionibus usurpata fuit: quæ jus speciale videbatur, cùm tamen esset pars juris antiqui, quod olim commune fuit in electionibus tum Episcoporum tum Metropolitanorum.

VII. Hujus novæ formæ originem tribuere possumus Siricij, Innocentij, Zozimi, Bonifacij, Celestini, atque Leonis decretis, quæ statim reddemus. Quam Ambrosius, Siricij ætate, pro sua prudentia amplexus videtur in causa Vercellensis Ecclesiæ; quæ cùm vacaret, Metropolitani sui Mediolanensis Episcopi studio replenda erat. Quare diuturnior ejus Ecclesiæ vacatio illi imputabatur. Quod ille repellit his verbis epist. LXXXII. *Cùm sint in vobis dissensiones, quomodo possumus aliquid aut nos decernere, aut vos eligere, aut qui quam acquiescere, ut inter dissidentes suscipiat hoc munus quod inter convenientes vix sustineatur?* Infrà: *Convenit ergo modestiæ vestræ & concordiæ insigne edere, ut congruatis assensu ad postulandum sacerdotem.*

VIII. Siricius anno CCCLXXXV. in epistola decretali ad Himerium cap. x. docet

Diacono presbyterium vel episcopatum dari *si eum cleri & plebis evocaverit electio.* Idem epist. III. ad orthodoxos per diversas provincias Diœceseos Vrbicariæ, ut puto, cap. I. apostolicum ordinem servandum docet in Episcopis ordinandis, scilicet *ut digni possint*, inquit, *& plebis & nostro judicio comprobari.* Ad cleri & plebis electionem adjungendum est judicium Metropolitani. In Diœcesi quippe Vrbicaria, quæ decem provinciis constabat, Episcopus Vrbis metropolitico jure potiebatur in confirmandis electionibus, ut alibi demonstravi.

IX. Innocentius in epistola ad Victricium Rothomagensem docet ordinationes à Metropolitanis fieri debere, servato nempe ordine à decessore suo jam præscripto. Idem Innocentius in epistola ad synodum Toletanam cap. II. anno quadringentesimo sexto damnat Rufinum; qui, *cùm Metropolitano Episcopo ordinandi sacerdotis pontificium deberetur, contra populi voluntatem & disciplinæ rationem Episcopum locis abditis ordinaverat.*

Ex Zozimi epistola ad Patroclum Arelatensem, & ex altera ad clerum, ordinem, & plebem Massiliensem, constat eundem ordinem servari in Gallia. Bonifacius irritam decernit factam à Patroclo Lutubensis Ecclesiæ Episcopi ordinationem, quòd eam contra patrum regulas egisset, cleri, ordinis, & plebis petitione cessante, & prætermisso Metropolitano.

Celestinus epist. I. cap. V. ad Episcopos per Narbonensem & Viennensem provincias anno CDXXVIII. *Nullus invitis detur Episcopus. Cleri, plebis, & ordinis consensus atque desiderium requiratur.* Mox: *Sit facultas Clericis renitendi, si se viderint prægravari; & quos sibi ingeri ex transverso* (id est, extraneos Clericos) *agnoverint, non timeant refutare. Qui etsi non debitum præmium, vel liberum de eo qui eos recturus est debent habere judicium.*

X. Sed qui formam istam exactè perpolivit, Leo primus adducendus est; cujus verba Ivo parte III. & Gratianus dist. 63. c. 36. retulerunt; nec tamen hîc omitti debent, ut lector liberetur onere conquirendi loci. Leo itaque anno CCCCXL V. in epistola ad Anastasium Thessalonicensem cap. V. ista constituit: *Cùm de summi sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur quem cleri plebisque consensus concorditer postularit; ita ut si in aliam fortè personam partium se vota diviserint, Metropolitani judicio is alteri præferatur qui majoribus & studiis juvatur & meritis; tantùm ut nullus invitis & non petentibus ordinetur, ne plebs invita Episcopum non optatum aut contemnat aut oderit, & fiat minùs religiosa quàm convenit cui non licuerit habere quem voluerit.* Idem in epistola ad Episcopos provinciæ Viennensis cap. III. *Teneatur subscriptio Clericorum, honoratorum testimonium, ordinis consensus & plebis. Qui præfuturus est omnibus, ab omnibus eligatur.* Et in epistola ad Rusticum Narbonensem cap. I. anno quadringentesimo quinquagesimo secundo: *Nulla ratio sinit ut inter Episcopos habeantur qui nec à Clericis sunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à provincialibus Episcopis cum Metropolitani judicio consecrati.* Horum verborum compendio electionis, confirmationis, & consecrationis regulam quæ posthac invaluit, Leo complexus est, & propriis verbis explicuit. Electio tribuitur Clericis, petitio plebi, judicium Metropolitano, & consecratio Episcopis provinciæ. Soli Metropolitano conceditur electionis judicium; quoniam juxta synodum Nicænam τὸ κῦρος ad eum pertinet. Ita tamen ut si perplexa esset definitio, aut decerneret ipse, aut ad synodum referret, vel ad sedem apostolicam remitteret integrum negotium; ut docet Ivo Carnotensis epist. 38. 39. & alibi. Perseveravit apud Metropolitanos hæc potestas discutiendi electiones, & jure Decretalium confirmata est cap. *Quia diligentia. Cap. Innotuit.* & *Cap. Cùm dilectus. De elect.* & alibi.

XI. Præcipuæ autem partes tribuuntur Clericis in electione agenda: quoniam ipsi aliquo pacto Episcoporum provinciæ eo in negotio auctoritatem repræsentant, subjectam quidem Metropolitani judicio, sed cujus maximam rationem laïci habere debent. Vnde idem Leo officium cujusque prudentissimè descripsit in epistola ad Episcopos per Viennensem provinciam constitutos anno quadringentesimo quadragesimo quinto: *Expectarentur certè vota civium, testimonia populorum, quæreretur honoratorum arbitrium, electio Clericorum, quæ in sacerdotum solent ordinationibus ab his qui norunt patrum regulas custodiri, ut apostolicæ auctoritatis norma in omnibus servaretur, qua præcipitur ut sacerdos Ecclesiæ præfuturus, non solùm attestatione fidelium, sed etiam eorum qui foris sunt testimonio muniatur.* Quibus verbis ostenditur qui modus servandus sit in electionibus, & in quo peccaverat Hilarius Arelatensis, quem eo nomine graviter redarguit & damnat Leo: cujus sententiam constitutione quoque sua Valentinianus tertius firmavit, carpens Hilarium quòd *indecenter* Episcopos *invitis & repugnantibus civibus ordinasset.* Dist. 63. c. 27. Vide supra lib. 5. cap. 32. §. 8. & cap. 33. §. 2.

XII. Diximus in Metropolitani electione synodi habendæ usum perdurasse. quod probamus his verbis Leonis in epistola ad

Dist. 63. c. 19. Anastasium : *Metropolitano defuncto, cùm in locum ejus alius fuerit subrogandus, provinciales Episcopi ad civitatem metropolitanam convenire debebunt ; ut omnium Clericorum atque omnium civium voluntate discussa, ex Presbyteris ejusdem Ecclesiæ vel ex Diaconibus optimus eligatur.* Quod Anastasio agendum præscribebat in Diœcesi Illyriciana, usurpabatur ab Episcopis Gallicanis in electione Ravennij Episcopi Arelatensis ; qui à duodecim Episcopis provinciæ *secundùm desideria cleri, honoratorum, & plebis* consecratus est anno quadringentesimo quadragesimo nono, ut docet Leo in epistola ad Episcopos Provinciæ Quod fuerat jam decretum in Concilio Chalcedonensi, uti jam observavimus.

Vide supra lib. 3. cap. 27. §. 2.

XIII. Cùm de nova forma in Occidentem inducta satis constet, putidum est sequentium Pontificum, qui eam verbis & exemplo firmarunt, Hilari, Gelasij, Symmachi, Hormisdæ, Gregorij magni, & aliorum, ipsiúsque Gregorij septimi testimonia referre. Id unum observandum est, ex Carthaginensi Concilio profectum ut vacanti Ecclesiæ Episcopum interventorem seu intercessorem Metropolitanus præficiat, qui civium animos ad concordiam revocet pro eligendo Episcopo, saltem intra annum. Apud Gregorium magnum vocantur Visitatores quibus hæc cura imponitur, quorum frequens mentio in ejus epistolis ; & ante ipsum, in epistola Symmachi Papæ ad Cæsarium Arelatensem anno quingentesimo decimo tertio. Munus autem describitur his verbis à Gregorio lib. 11. regesti epist. x1x. quæ data est ad Benenatum Visitatorem Ecclesiæ Cumanæ: *Assiduis adhortationibus clerum plebémque ejusdem Ecclesiæ admonere te volumus ut remoto studio diversarum partium, uno eodémque consensu talem sibi præficiendum expetant Pontificem qui & tanto ministerio dignus valeat reperiri & à venerandis canonibus nullatenus respuatur. Qui dum fuerit postulatus, cum solemnitate decreti omnium subscriptionibus roborati & dilectionis tuæ testimonio literarum ad nos sacrandus occurrat.* Quod ultimum maximè congruit cum decreto Symmachi epist. v. cap. v1. *Decretum sine Visitatoris præsentia nemo conficiat, cujus testimonio Clericorum ac civium possit unanimitas declarari.*

Codex can. Eccles. Afric. c. 74.

CAPVT IX.

Synopsis.

I. Nunc inspiciendum est quam rationem in electionibus secuti sint Episcopi Galliarum. Episcopi eligebantur à clero & populo.

II. Discrimen tamen erat inter electionem Metropolitani & ceterorum Episcoporum. Nam Metropolitani eligebantur ab Episcopis comprovincialibus, cum consensu cleri & populi. Comprovinciales verò à clero & plebe, cum consensu Metropolitani.

III. Jus novum à Synodis Gallicanis collatum est Regibus, nempe ut eorum assensus requireretur ad electionem Episcopi. quæ quidem indulgentia non omnino abhorrebat à veterum regularem sensu.

IV. Jus illud Episcoporum libertati in administratione Ecclesiæ profuturum existimarunt Galli. Tum quoque grati animi significatio hanc cogitationem suggerere potuit. Id etiam proficisci potuit ex eo quòd Episcopi in Regum consilia & regni administrationem adhibiti sint.

V. Concilium Aurelianense quintum jus illud confirmavit.

VI. Præcesserant autem Romanorum Principum exempla ; qui in Ecclesiis insignioribus electionum summam ad se revocaverunt. Quod probatur variis exemplis.

VII. Arcadius tamen Imperator solum consensum adhibuit in electione Joannis Chrysostomi Episcopi Constantinopolitani.

VIII. Aliquando autem eodem tempore fiebat electio à Principe & Ecclesia. Probatur duobus exemplis valde illustribus.

IX. Gallia exemplum Romanæ sedis secuta est in concedendo Regibus jure assentiendi electioni. Romanus Episcopus ordinari non poterat donec ejus electio à Principe confirmata fuisset.

X. Constantinus Pogonatus postea concessit ut absque mora post electionem fieret ordinatio Pontificis. Obnoxij tamen deinceps fuere examini Exarchorum.

XI. Eo jure usi sunt Reges Francorum cum bona Episcoporum & populi gratia.

XII. Aliquando electum à populo respuebant.

XIII. Reges enim quandoque assensum illum vertebant in merum imperium, rescriptis videlicet suis episcopatus concedentes, invitis etiam interdum & repugnantibus populis. quod probatur variis exemplis. Id fieri deinceps vetuit Concilium Parisiense tertium.

XIV. Sed hujus prohibitionis rationem non habuit Clotarius Rex, qui postea Emerium sedi Santonensi præfecit.

XV. Postea se variè habuit negotium istud electionum ; quæ aliquando cleri plebisque electione & decreto regio fiebant, interdum verò ex mero Principis imperio. Hanc labem reficere conatum est Concilium Parisiense quintum, cujus constitutio modificata est à Clotario Rege. Expenditur edictum Clotarij.

XVI. Explicantur veteres formulæ electionum quæ fiebant in palatio cum decreto regio.

XVII. Ferre non poterant Episcopi Galliarum episcopatus in palatio dari Regis imperio, spreta cleri & populi electione. Quid ab iis decretum in Synodis, quidve receptum.

XVIII.

XVIII. Occasione contentionum, electione palatina velut necessario remedio Reges utebantur ad Ecclesiæ quietem. quod probatur variis exemplis. Libertas electionis concessa est Ecclesiæ Ambianensi anno sexcentesimo octuagesimo.

I. NVNC inspiciendum nobis restat quam rationem in electionibus secuti sint Galliarum Episcopi. Quod satis liquere puto ex superiùs adductis Pontificum testimoniis, quæ novam illam formam apud Gallias quoque ex eorum decretis viguisse ostendunt.

Enimvero ne in totum ab electionis negotio deciderent Episcopi, constituit Concilium Arelatense secundum canone LIV. anno quadringentesimo quinquagesimo secundo *ut tres ab Episcopis nominentur, de quibus Clerici vel cives erga unum eligendi habeant potestatem.* Sed isthæc sacrorum comitiorum partitio huc usque incognita locum non habuit. Conventum Episcoporum juxta canonem Nicænum & Carthaginensem celebravit Patiens Lugdunensis: *qui provincialium sacerdotum prævio partim, partim comitante collegio*, accessit Cabillonum, *ut municipio summus aliquis antistites ordinaretur*; ubi *ob illa quæ bonum publicum semper evertunt studia privata, quæ quidem triumviratus accenderat competitorum, synodi præsentiam necessariam judicavit. Quare consilio cum coëpiscopis priùs clam communicato quàm prodito, strepitúque despecto turbæ furentis, ---- stupentibus factiosis, erubescentibus malis, acclamantibus bonis, reclamantibus nullis, Ioannem collegam sibi conscravere* Episcopi anno quadringentesimo septuagesimo, apud Sidonium libro quarto epistola ultima. Quare mirum non est cur in electione Simplicij Bituricensis Metropolitani, quòd provincialium collegarum deficeretur numero, Agrœcium, qui caput erat Senoniæ, aliósque Episcopos ad eam ordinationem Sidonius invitat lib. VII. epistola quinta. Vnde patet ex recentiore forma non fuisse omnino abolitam veterem.

II. Cetertùm Episcopi Gallicani formam illam novam ex præscripto Romanæ Ecclesiæ inductam sic susceperunt ut discrimen quoque admitterent inter electionem Metropolitani & ceterorum Episcoporum. Recitanda sunt verba Concilij Aurelianensis tertij habiti anno DXXXVIII. can. III. quæ hujus rei plenam fidem faciunt: *Ipse Metropolitanus à comprovincialibus Episcopis, sicut decreta sedis apostolicæ continent, cum consensu cleri vel civium eligatur: quia æquum est, sicut ipsa sedes apostolica dixit, ut qui præponendus est omnibus, ab omnibus eligatur. De comprovincialibus verò ordinandis cum consensu Metropolitani, cleri & civium, juxta priorum canonum statuta, electio & voluntas requiratur.* Eandem formam dederat pro Metropolitani electione Concilium Aurelianense secundum anno quingentesimo trigesimo tertio can. VII. Et eodem modo decreverat pro Episcoporum provinciæ electione Arvernense primum anno quingentesimo trigesimo quinto can. II. quod confirmatum fuit anno quingentesimo quadragesimo nono in Concilio Aurelianensi quinto can. II. in Concilio Parisiensi tertio anno quingentesimo quadragesimo septimo can. VIII. Parisiensi quinto anno sexcentesimo decimo quinto can. I.

III. Hoc autem loco præcipuè illud observandum est, quod maximè ad harum dissertationum institutum pertinet, jus novum à canonibus Gallicanis collatum fuisse Regibus, nempe ut eorum voluntas, assensus, & approbatio requireretur ad electionem Episcopi. Quæ quidem indulgentia non omnino abhorrebat à veterum regularum sensu, si discrimen observaretur inter potentiam & præsidium. Vetitum quippe per canonem XXXI. apostolicum ne quis per seculi potestates Ecclesiam obtineat, ἀρχοντικαῖς δυναστείαις, ut loquitur Ioannes Scholasticus. Adversatur enim canoni ecclesiastico si quis Episcopus è palatio mittatur militibus stipatus ad cives invitos, ut notat Iulius primus apud Athanasium. Sed si cleri & plebis electio foveatur quoque Principis consentientis præsidio, rebellium & seditiosorum conatus compescentur. Ex illa sententia profectum quòd in mandato synodi Chalcedonensis, quo eis notam facit depositionem Dioscori, additur Episcopum Alexandriæ ordinandum nutu Principis: *Custodite res ecclesiasticas universas, tanquam qui reddituri estis rationem ei qui secundùm Dei voluntatem & nutum piissimorum Imperatorum nostrorum Alexandrinæ Ecclesiæ ordinandus est Episcopus*, νεύματι τῶν βασιλέων. Etenim cùm populi consensus, ordinis, & honoratorum necessarius esset ut Clericorum electio robur haberet, existimarunt Episcopi Gallicani Principi quoque simile jus concedi posse in universis quæ in regno fierent electionibus; quoniam Princeps erat populorum totius regni caput. quam rationem urget Ivo Carnotensis in quadam epistola.

IV. Illud quoque Episcoporum libertati in administratione Ecclesiæ profuturum putarunt, cùm Regis consensu promotus expectare debeat faciliorem & procliviorem publicam tuitionem. Imò verò ipsius quoque electionis negotium, quod *potentium patrocinia* perturbabant, (ut docet Concilium Arvernense can. II. anno DXXXV.) libe-

rius futurum videbatur. Adde quòd ipsa quoque Regum munificentia in dandis Ecclesiæ agris, ut factum à Clodoveo testatur synodus Aurelianensis prima canone quinto, & concedendis immunitatibus, exigebat istam ab Episcopis grati animi significationem.

Neque dissimulanda est potior, ut mihi videtur, ratio, tum apud Reges, ut illud beneficium per canonum interpretationem exposcerent, tum apud Episcopos, ut illud sponte largirentur. Adhibitis quippe in Regum consilia & regni cum reliquis proceribus administrationem Episcopis, juxta monitum quod Remigius Episcopus dederat Clodoveo Regi, æquum erat ut invito & repugnante Principe non assumerentur ad eam dignitatem aut incogniti aut suspecti, sed potiùs qui essent illi & vitæ meritis, prudentia, ac fide undecunque probati; præcipuè cùm ex ministerio sibi commisso magnam in populos sibi subditos auctoritatem consequantur.

Remig. in epist. ad Clodoveum: *Sacerdotibus tuis honorem debitis defer, & ad eorum consilia semper recurrat.*

V. Aurelianense Concilium quintum habitum anno quingentesimo quadragesimo nono hanc Regibus auctoritatem tribuit canone decimo, ut in eligendo Episcopo, post cleri ac populi decretum, eorum voluntas expectaretur: *Vt nulli episcopatum præmiis aut comparatione liceat adipisci. Sed cum voluntate Regis, juxta electionem cleri ac plebis, sicut in antiquis canonibus tenetur scriptum, à Metropolitano, vel quem in vice sua præmiserit, cum comprovincialibus Pontifex consecretur.* Confirmatum hoc canone jus istud dici potest potiùs quàm institutum; si fides adhibenda narrationi Fortunati Pictavensis & Gregorij Turonensis, qui Reges Francorum hac potestate usos disertè testantur ante annum quingentesimum quadragesimum nonum. Ille quidem in vita sancti Medardi anno DXX. *Peractis*, inquit, *non sine multo fletu Episcopi sui exequiis, Regis & optimatum assensu sanctissimum sacerdotem Medardum plebs omnis illa Veromandensis & omnes ejusdem provinciæ adjacentes Episcopum sibi unanimiter acclamabant consecrari.* Gregorius verò in vita patrum cap. XVII. de Nicetio, ait à Rege Theodorico accersitum anno DXXVI. ut Trevericæ urbis Episcopus ordinaretur. *Dato autem consensu populi, & decreto Regis*, inquit, *ad ordinandum adducebatur.*

VI. Si quis inquirere velit penitiùs an ipsi Reges auctores fuerint hujusce consuetudinis, aut eam aliunde hauserint, dici potest Romanorum Principum exempla præcessisse: qui quidem non passim & in omnibus Ecclesiis, sed in Constantinopolitana præcipuè, aliisque insignioribus aliquando, ad vitandam tumultuum occasionem, electionum summam ad se revocarunt. Quod autem fit aliquando, & ob causas speciales, trahi non debet in consequentiam, nec vim legis aut juris quæsiti obtinere. Eo consilio, varias in partes distractis Episcoporum studiis, Theodosius senior, ut tranquillitati Ecclesiæ Constantinopolitanæ consuleret, quam perturbaverant Gregorij & Maximi ordinationes, Nectarium elegit; ita tamen ut synodi Constantinopolitanæ & plebis consensus statim accederet; teste Sozomeno lib. VII. cap. VIII. & Socrate lib. V. cap. VIII. Eandem ob causam ἀφ' τὰς κενοσπουδίας (ut loquitur Socrates lib. VIII. cap. XXIX.) post Sisinnij obitum, Nestorium ex Antiochia à se accitum Theodosius secundus, malis licèt auspiciis, ad sedem Constantinopolitanam evexit. Idem quoque Princeps, post obitum Maximiani Constantinopolitani, antequam corpus illius sepulturæ daretur, mandavit Episcopis præsentibus ut Proclum constituerent; συθρονισαι τὸν Πρόκλον ἐπέτρεψαν, inquit Socrates lib. VII. cap. XXXIX. Sed facti hujus rationem subjungit, ne rursus de electione, ut nuper acciderat, seditiones excitatæ Ecclesiam illam concuterent: ἵνα μὴ πάλιν περὶ ἐπιλογῆς ἐπισκόπου ζήτησις ᾖ, καὶ ταραχὴ τῇ ἐκκλησίᾳ κινήσηται.

Vide supra lib. 1. cap. 21.

VII. Religiosiùs se gessit Arcadius Imperator: qui per Nectarij obitum vacanti Ecclesiæ Constantinopolitanæ cùm clerus ac populus Ioannem Chrysostomum, licèt ab ea extraneum, utpote Antiochiæ Presbyterum, præfici postularet, eorum desideriis consensit, teste Sozomeno: ψηφισαμένων δὲ τοῦτο τοῦ λαοῦ καὶ τοῦ κλήρου, καὶ ὁ βασιλεὺς συνήνει, καὶ τὰς ἀξούσας αὐτὸν πέμψαι: *Cùm populus ac clerus hoc censerent, Imperator consensit, misítque qui eum adducerent.* Vbi est manifestum regij assensus exemplũ dati post electionem cleri ac populi.

VIII. Aliquando autem conjungebantur duo illi actus, & eodem tempore desiderium Principis & Ecclesiæ ad electionem agendam concurrebat. Cujus quidem consensionis mutuæ duo supersunt exempla clarissima. Primi testimonium locuples habetur inter epistolas Hormisdæ Papæ; ad quem Epiphanius Constantinopolitanus scribit de electione sua anno quingentesimo vigesimo his verbis: *Post obitum Ioannis sedem sacerdotalem sanctæ Ecclesiæ catholicæ regiæ urbis Deus mihi conferre dignatus est, sententia & electione Christianissimi & justissimi Principis nostri Iustini & piissimæ Reginæ, quæ ei ad omne studium communicat divinum, sequentiúmque eorum, his quibus bona est conversatio, & qui regiis honoribus sunt sublimiores, simul & sacerdotum, & monachorum, & fidelissimæ plebis consensus accessit.*

Alterum exemplum suppeditat epistola

Agapeti Papæ ad Hierosolymorum Episcopum, qui ait post depositionem Anthimi consecratum à se Menam in sede Constantinopolitana. *Cui simul atque serenissimorum Imperatorum*, inquit, *præter ceteros electio favit, tanta omnis cleri ac populi consensio facta est, ut meritò ab omnibus electus visus fuerit:*

Act. 1. Concilij Cp. sub Mena. ὥστε καὶ τοὺς λοιποὺς τῶν χαλκηδονιτῶν βασιλέων ἐπεγέλασεν ἡ ἐπιλογὴ, ὅμως τοσαύτη ἦν τε κλήρου παντὸς καὶ τοῦ δήμου συνεύνοια συμφερόντως, ὥστε παρ' ἑκάστου ἐπαινεῖσθαι πράξεσιν.

IX. Sed nihil est quod Gallicanorum Episcoporum animos ad sanciendam Regibus auctoritatem de expectando in electionibus eorum assensu vehementiùs inclinare potuerit quàm Romanæ Ecclesiæ exemplum. Pulsis enim per Narsetem ex Italia Gothis, cùm Roma vetus iterum Imperio adjuncta fuisset temporibus Vigilij, ejúsque, ut putatur, conniventia, constitutum fuit à Iustiniano, qui exemplum in eo sequebatur Theodorici Italiæ Regis, ut electus à clero non antè ab Episcopis ordinari posset quàm ejus electio ab Imperatore Constantinopolitano confirmata fuisset; ut docet Onuphrius Panuinius. Vnde postea Gregorius magnus, ut se onere regendæ Ecclesiæ liberaret, scripta epistola ab Imperatore Mauricio petivit ne electioni assentiretur. quod observavit ante Ioannem Diaconum & Aimoinum Gregorius Turonensis: *Scripserat Mauricio Imperatori, conjurans ne unquam consensum præstaret populis.* Mox: *Data præceptione ipsum jussit institui.*

Vide Baluzij Notas ad Agobard. pg. 122.

Ion. Diac. lib. 1. cap. 39. & 40. Aimoinus lib. 3. c. 74. Gregor. Tur. lib. 10. cap. 1.

X. Constantinus quidem Pogonatus, post Concilium sextum, indulsit petitionibus Ioannis Episcopi Portuensis ut libera esset Ecclesia Romana à solutione quantitatis quæ solvenda erat pro confirmatione Pontificis Romani; sed confirmationis necessitas tunc non est sublata. Quin potiùs additum fuit illi divali jussioni, teste Anastasio, *quòd non debeat ordinari qui electus fuerit, nisi priùs decretum generale introducatur in regiam urbem, secundùm antiquam consuetudinem; & cum eorum conscientia & jussione debeat ordinatio provenire.* Idem Princeps postea concessit, Benedicto secundo petente, ut absque mora post electionem fieret ordinatio Pontificis. Quod locum habuit in electione Ioannis quinti. Sed successoris Cononis electio missa fuit ad Theodorum Exarchum, *ut mos est*, inquit Anastasius. Vnde inferri potest liberatos fuisse Romanos ab onere mittendi decreti Constantinopolim, sed obnoxios fuisse Exarcho rum examini, donec ipsi tandem Exarchi defecere.

XI. Sanè Reges Francorum jure illo usi sunt cum bona Episcoporum & populi gratia. Editus fuerat Aurelianensis ille canon anno quingentesimo quadragesimo nono. Anno sequenti Nicetius *pleno Regis & populi suffragio Episcopus Lugdunensis ordinatus est*, ut loquitur Gregorius Turonensis in vita patrum capite octavo. Quam verò rationem sequerentur in eliciendo Regis consensu docet formula septima apud Marculfum. Fiebat decretum electionis à clero & à populo, eligentium manibus subscriptum, quod per legatos mittebatur ad Regem à corpore civitatis; quod à Marculfo *commune* vocatur, ut apud Iurisconsultos τὸ κοινὸν. Adjungebant libellum supplicem, cujus verba concepta referuntur in formula: *Ne destitutæ sint oves decedente pastore, in loco ejusdem suppliciter postulamus ut instituere dignemini illustrem virum illum.* Decretum illud, consensus civium vocabatur; cujus plerunque rationem habebant Principes, ut patet ex Gregorio Turonensi lib. III. cap. II. de Quintiano à Gotthis ejecto à civitate Ruthena, dein ab Arvernis electo anno DXXVI. quem jussit Rex Theodoricus inibi constitui. Ait idem auctor lib. IV. cap. XV. *Turonici audientes regressum fuisse Regem Clotarium de cæde Saxonum, facto consensu in Euphronium Presbyterum, ad eum pergunt.* Mox: *Et data præceptione Euphronius ordinatur Episcopus.* Hujus Præcepti formula habetur apud Sirmondum in appendice tomi secundi Conciliorum; ubi hæc sunt verba: *Cum consilio & voluntate Pontificum procerúmque nostrorum, juxta voluntatem & consensum cleri & plebium ipsius civitatis, in supradicta urbe pontificalem in Dei nomine vobis commisimus dignitatem.*

XII. Sed aliquando electum à populo Principes respuebant; ut patet ex Gregorio Turonensi lib. VIII. cap. XXIII. de Valdone qui Episcopatum Burdegalensem petebat: *Cum muneribus & consensu civium ad Regem properat; sed nihil obtinuit. Tunc Rex data præceptione jussit Gundegisilum Santonicum Comitem, cognomento Dodonem, Episcopum ordinari. gestúmque est ita.*

XIII. Quare cùm pro innata rerum humanarum conditione supremæ auctoritatis arbitrium suis limitibus difficillimè contineri possit, Reges aliquando assensum vertebant in merum imperium, & sublata à clero & à populo electionum libertate, rescriptis suis episcopatus concedebant, etiam invitis & repugnantibus populis, adversùs decreta sedis apostolicæ. Si gratum & acceptum clero & plebi designarent, ut fecerat de Mena Iustinianus, inversus quidem erat

canonicus ordo, sed non eversus. Quare nullus desiderio Principis refragabatur. Ejus ordinis exemplum insigne apud Gregorium Turonensem lib. VI. cap. XXXIX. de Sulpitio, quem reliquis competitoribus Rex Guntramnus prætulit: *Sulpitius in ipsa urbe Biturigum ad sacerdotium Guntramno Rege favente prælegitur. Nam cùm multi munera offerrent, hæc Rex episcopatum quærentibus respondisse fertur: Non est principatus nostri consuetudo sacerdotium venumdare sub pretio, sed nec vestrum cum præmiis comparare; ne & nos turpis lucri infamia notemur, & vos mago Simoni comparemini. Sed juxta Dei præscientiam Sulpitius vobis erit Episcopus.* Ex eodem auctore didicimus Ruthenum episcopatum vacantem obitu Dalmatij, (qui Regem tabulis testamenti adjurabat ne personam ab ea Ecclesia extraneam præficeret) cùm multi eum sibi conferri peterent, Theodosio Archidiacono illius Ecclesiæ à Rege donatum, post relectum Dalmatij testamentum *in præsentia Childeberti Regis ac procerum ejus.* Quando Turonicæ urbis cives ad Catonem Presbyterum Ecclesiæ Arvernæ accesserunt ut ejus consensum poscerent pro Turonensi episcopatu, ille tumido animo hanc gratiam respuit. Cui cives dixerunt: *Non enim te nostra voluntate expetivimus, sed Regis præceptione.* Quare cùm postea à Turonicis peteretur Euphronius, respondit Rex: *Præceperam ut Cato Presbyter illic ordinaretur. Et cur est spreta jussio nostra? Responderunt ei: Petivimus eum, sed noluit venire.*

Gregor. Tur. lib. 5. c. 47.

Idem lib. 4. c. 11.

Ibid. cap. 15.

Enimvero intra modum illum Principes, petitorum molestiis oppressi, sese non continebant; sed à se solis electum ab aliis ordinari præcipiebant quàm à Metropolitano proprio & à provinciæ Episcopis, quod erat canonibus Nicænis & Romanorum Pontificum decretis & canonibus Gallicanis omnino contrarium. Quod acciderat in Cautino jussu Regis Theodebaldi ad Arvernæ civitatis episcopatum electo, & à convocatis sacerdotibus apud Metensem civitatem ordinato; ut testis est Gregorius Turonensis lib. IV. cap. VII. Ideo Concilium Parisiense tertium anno DLVII. can. VIII. cavit ut libera relinqueretur electio, nec Principis imperio violaretur; vetitis etiam provincialibus Episcopis ne per regiam ordinationem electum, & ab aliis ordinatum, admitterent. *Nullus*, inquit, *civibus invitis ordinetur Episcopus, nisi quem populi & Clericorum electio plenissimâ quæsierit voluntate; non Principis imperio, neque per quamlibet conditionem, contra metropolis voluntatem vel Episcoporum provincialium ingeratur. Quòd si per ordinationem regiam honoris istius culmen pervadere aliquis nimia temeritate præsumpserit, à comprovincialibus loci ipsius Episcopus recipi nullatenus mereatur quem indebitè ordinatum agnoscunt.* De anteactis autem ordinationibus Metropolitanus jubetur decernere cum Episcopis provincialibus, juxta antiqua statuta canonum.

XIV. Attamen hujus constitutionis rationem non habuit Rex Clotarius, qui Emerium Ecclesiæ Santonicæ præfecit; cavítque decreto suo *ut absque Metropolitani consilio benediceretur, qui non erat præsens*, scilicet in commitatu, teste Gregorio Turonensi lib. IV. cap. XXVI. qui hæc addit. *Apud urbem Santonicam Leontius Burdegalensis, congregatis provinciæ suæ Episcopis, Emerium ab episcopatu depulit, asserens non canonicè fuisse hoc honore donatum.* Ceterùm Episcopi Heraclium Presbyterum Burdegalensem elegere, *consensumque suum* ad Regem *direxerunt*, ut ejus judicio *probaretur.* Nitebatur Lontius auctoritate Concilij Parisiensis, quod ordinationum adversùs canones actarum discussionem & judicium synodo provinciæ commiserat. Verùm Rex Charibertus injuriam sibi fieri caussatus, quòd se inconsulto Episcopum à patre suo Clotario delectum & admissum expulisset, Emerium sedi suæ restituit & ab Episcopis mulctam exegit anno circiter quingentesimo sexagesimo tertio.

XV. Postea variè se habuit negotium istud electionum; quæ, præmissa cleri & populi electione, & decreto regio subsecuto, fiebant; ut docent promotiones circiter annum sexcentesimum factæ Bertharij ad Ecclesiam Carnotensem, Gaugerici ad Cameracensem, Licinij ad Andegavensem, & Lupi ad Senonensem; ut patet ex auctoribus qui vitas illorum scripsere. Quandoque verò electiones fiebant ex mero Principis imperio. Hanc labem canonum reficere conabatur Concilium Parisiense quintum habitum anno DCXV. die XV. Kal. Novembris. Quippe canone primo aliquid ex antiquo jure repetivit, ut pondus aliquod adderet electionibus; quas fieri constituit à Metropolitano, cum consensu cleri atque civium, & ab eodem ordinationem fieri cum Episcopis provinciæ; vetátque ne quis per potestatem subrepat. Eadem illa die Rex Clotarius condidit edictum generale, habito Pontificum & optimatum consilio qui huic synodo intererant, pro confirmatione canonum: *Quicunque hanc deliberationem, quam cum Pontificibus vel tam magnis viris optimatibus aut fidelibus nostris in synodali Concilio instituimus, temerare præsumpserit &c.*

Itaque refert magnopere ut sciatur quid

de primo illo canone constituerit. Ac primò quidem Metropolitano ac provincialibus ordinationem reliquit; secundò, clero ac populo electionem; tertiò, Principi approbationem electi. Quæ quidem juxta canonis Aurelianensis præscriptum rectè decrevit; nec interim probavit jus illud ex vetere novum, quod Metropolitano electionem tribuebat cum consensu cleri ac populi. Sed quod ultimum adjecit, canonicæ libertati ut detrahebat, ita majestatis regiæ dignitatem augebat permaximè. Quippe regiam electionem, quæ sola consuetudine nitebatur, jure constituto munivit ex Pontificum & procerum assensu. Quare cùm Episcopi duplicem personam sustinerent, soli in synodis canones vetustos sequi se profitebantur, eósque renovabant; sed in Principis Consistorio οἰκονομικῶς, sive per dispensationem, regiæ voluntati non reluctabantur, in iis scilicet quæ fidei contraria non essent, licèt adversa exactæ canonum observationi reperirentur; quamvis interim Reges officij sui admonerent, ne jus derelictum videretur; exemplo Gregorij magni, qui similem regulam sequebatur in variis negotiis, ut ejus epistolæ docent. Hæc sunt edicti verba: *Definitionis nostræ est, ut canonum statuta in omnibus conserventur, & quod per tempora ex hoc prætermissum est, vel dehinc perpetualiter observetur. Ita ut Episcopo decedente, in loco ipsius, qui à Metropolitano ordinari debet cum provincialibus, à clero & populo eligatur; & si persona condigna fuerit, per ordinationem Principis ordinetur. Vel certè si de palatio eligitur, per meritum personæ & doctrinæ ordinetur.* Clausulæ ultimæ sententia hæc est, ab electione cleri & populi excipi viros eximios, qui in palatinis obsequiis, lateri Principis adhærentes, hanc gratiam promeriti essent, ut ex Lupo Ferrariensi & aliis testimoniis inferiùs probabimus. Quamvis intra hos limites non continuerit sese regia potestas.

XVI. Qua verò ratione fieri solerent electiones in palatio, seu decreta regia, docent Præceptum de episcopatu & Indiculus apud Marculfum formula quinta & sexta. Ecclesia quippe vacante, qui præficiendus est Episcopus, non solius Regis arbitrio designatur, sed eligitur in palatio ab Episcopis & proceribus qui lateri Principis adsident, ac si cleri & populi vices in se susciperent. Decretum verò Principis ad Metropolitanum dirigitur, ut eum unà cum Episcopis provinciæ ordinet; prævio scilicet examine canonico. Hoc ultimum conservat ordinem canonum in articulo necessario consecrationis. Electio verò, quæ tunc nullum jus electo acquirebat, supplebatur per Episcopos & proceres palatinos; decretúmque regium erat vice nominationis hodiernæ, ad proprium Metropolitanum directum.

Subjiciemus verba formulæ sextæ, quæ brevior est quinta: *Domino sancto, sedis apostolicæ dignitate colendo in Christo patri illi Episcopo ille Rex. Credimus jam ad vestram reverentiam perveniſſe sanctæ recordationis urbis illius antistitem evocatione divina de præsentis seculi luce migrasse. De cujus successore, sollicitudine integra, cum Pontificibus vel primatibus populi nostri pertractantes, decrevimus inlustri viro illi, aut venerabili viro illi, ad præfatam urbem pontificalem regulariter Christo auspice committere dignitatem. Et ideo salutationum jura digno debita honore solventes, petimus ut cùm ad vos pervenerit, ipsum, ut ordo postulat, benedici vestra sanctitas non moretur, & junctis vobis cum vestris provincialibus, ipsum in suprascripta urbe consecrare Christo auspice debeatis. Agat ergo almitas vestra ut & nostræ voluntatem devotionis incunctanter debeatis implere, & tam vos quàm ipse pro stabilitate regni nostri jugi invigilatione plenius exoretis.* Ex hujus formulæ verbis addiscimus quam Reges adhibebant observantiam erga Episcopos in rescriptis suis, de qua nudiustertius disputatum fuit, quíque esset in regio Consistorio consessus ordo inter Episcopos & proceres, ut loquitur formula quinta, sive *primates populi nostri*, ut loquitur sexta. Demum ostenditur persuasisse sibi palatinos regiam illam designationem fieri *regulariter*, id est, juxta regulas canonicas; quoniam electio fiebat in palatio ab Episcopis & à primatibus populi, & de persona quæ per canones promoveri poterat.

Sed illud perpetuum non fuit ut in palatio prima fieret electio. Sæpe cleri & populi desideria expectata sunt, quæ assensu regio perficiebantur. Sic Austregisilus obtinuit anno DCXXI. Ecclesiam Bituricensem, *omnium unanimi consensu, Rege quoque annuente*, teste auctore vitæ illius. Eadem ratione Arnulfus episcopatum Metensem adeptus est anno sexcentesimo vigesimo tertio. Sic Audomarus *à Dagoberto Rege & ab omni populo electus est* ad Tarvanensem Ecclesiam. Et populi voto, ac Regis consensu, Sulpitius consecutus est Ecclesiam Bituricensem circiter annum sexcentesimum trigesimum.

XVII. Attamen quoniam in palatio quoque, spreta cleri & populi electione, episcopatus decernebantur Regis imperio, Remense Concilium habitum anno DCXXX. duo sancivit. Alterum, ut capitula canonum Parisiensis superioris synodi, quam generalem vocat, custodiantur. Alterum, ut Clo-

tarij Regis edictum dominicum obſervetur. Sed ſtatim addunt in ultimo canone ut electiones Epiſcoporum fiant univerſali totius populi voto & provincialium aſſenſu, & ut indigenæ loci eligantur. Scilicet, ut antea dicebamus, teſtantur de ſervandis canonibus; ut ne illis nocere poſſet aliquando quòd ex jure ſibi reſervato Reges electiones quandoque agebant in palatio. Eadem mente Concilium Cabilonenſe habitum anno DCL. decrevit canone decimo à comprovincialibus, clero, & civibus ſuis electionem Epiſcopi faciendam. Vt antiquiſſima illa forma ſynodi Nicænæ exactè reſtitueretur, non ſoli Metropolitano, ut conſtitutum in ſynodo Pariſienſi, ſed etiam provincialibus Epiſcopis cum clero & populo electionem tribuit, ut fecerat Remenſe Concilium. Sanè Conciliorum repetita ſollicitudo non fuit omnino inutilis. Conjunctis enim cleri & populi ſtudiis cum Regis deſiderio, digni ſacerdotio viri eligebantur. Sic in Modoaldo Treverenſi Eccleſiæ præficiendo *Rex & Dux ille æquiſſimus Pipinus, aliique optimates, clerus & populus concurriſſe* dicuntur in Modoaldi vita. Eligium Noviomenſis Eccleſia & Audoënum Rotomagenſis eodem electionis genere acceperunt anno ſexcenteſimo quadrageſimo ſexto. De Audoëno hæc verba uſurpat auctor illius vitæ: *Illum enim ſolum ea ſede dignum tam Rex quàm proceres itémque clerus & populus teſtabantur.* Nec omittendus inſignis locus qui legitur in vita Theodardi: in quo, juxta Cabilonenſis Concilij decretum, Epiſcoporum provincialium electio cum Regis electione conjungitur, non omiſſo cleri & populi conſenſu: *Pari conſenſu Eccleſiæ & palatij, & unanimi applauſu cleri & populi, Theodardus electus, & à Cuniberto Epiſcopo in Epiſcopum conſecratus, præſedit Eccleſiæ Trajectenſi*, ſcilicet anno ſexcenteſimo quinquageſimo quarto. De Farone in epiſcopatum Meldenſem promovendo circiter annum DCLX. hæc habentur in ejus vita: *A viris religioſiſſimis hujus provinciæ miſſa eſt ſuggeſtio de eo ad Regem Clotarium, ut ſuo aſſenſu præberet conſtituendum Pontificem in populo. Qui gratulatione digna ex hoc valde placidus, non ſolum conſenſioni animum inclinavit, ſed etiam fieri ſine ſcrupuloſitate ulla adjudicavit.* Conſenſum ſcilicet civium Præcepto dato firmavit.

XVIII. Quandoque verò contentionum ſubortarum occaſione Reges, neceſſario veluti remedio, ad Eccleſiæ quietem electione ſua palatina utebantur. Quod probatur diſertè ex auctore antiquo vitæ Leodegarij. *Incubuit*, inquit, *cauſſa neceſſitatis ut in Auguſtodunenſi urbe Leodegarium ordinare deberent Epiſcopum. Siquidem nuper inter duos contentio de eodem epiſcopatu exorta fuerat, & uſque ad ſanguinis effuſionem certatum. Cumque unus ibidem occubuiſſet in morte, & alter pro perpetrato ſcelere datus fuiſſet in exilij truſionem, tunc Bathildis Regina, quæ cum Clothario filio Francorum regebat palatium, divino, ut credimus, inſpirata conſilio, ad memoratam urbem hunc direxit virum, ut ibidem eſſet Epiſcopus.* Circa idem tempus, id eſt, anno ſexcenteſimo ſexageſimo quarto, *optimates & rectores palatij* conſilium dederunt Childerico Regi ut Landebertum præficeret Eccleſiæ Trajectenſi: *cui Regis imperio plebs omnis conſenſit*, inquit auctor vitæ. Id tamen non impediebat quin alibi eodem anno libera electio, ab Epiſcopis & populis facta, locum haberet ante Regis aſſenſum, ut patet ex auctore vitæ Amati: *Senecio Senonenſium Epiſcopo è vita ſubſtracto, ab Epiſcopis & populis ſanctus Amatus eligitur.* Præjectus urbis Arvernæ fit Epiſcopus *decreto Regis populi petitionibus annuente* anno ſexcenteſimo ſeptuageſimo. Defuncto Audoëno anno ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſexto, *cuncti Rothomagenſis urbis cives miſſa petitione ad Theodoricum Regem, cum ejus permiſſu & auctoritate beatum Ansbertum ſibi elegerunt conſecrari antiſtitem.* Mox: *Tunc eligentibus civibus præfatæ urbis metropoleos, cum unanimi voto ſanctorum Sacerdotum, Regis, & Principum, eligitur, trahitur, atque in palatio à ſancto Lamberto Epiſcopo ſedis Lugdunenſis aliiſque ſanctis Præſulibus, qui ad hoc placitum convenerant, in Pontificem conſecratur Eccleſiæ Rothomagenſis.* Hæc omnia geſta ſunt juxta præſcriptum Concilij Aurelianenſis. Sed Lamberti illius Lugdunenſis electio facta fuerat paucis annis antea juxta edictum Clotarij Regis; ut colligitur ex eodem auctore vitæ Anſberti: *Defuncto ſancto Geneſio ejuſdem urbis Lugdunenſis Præſule, illico pius Rex Theodoricus & inclytus Princeps Pippinus cum proceribus palatij ſalubre agentes conſilium, divina utique providente juſſione, in præfata urbe cum unanimi ejuſdem regionis populi voto Lansbertum conſtituerunt antiſtitem.*

Rurſus libertas electionis conceditur anno DCLXXX. Eccleſiæ Ambianenſi. *Audiens*, inquit auctor vitæ Salvij, *Theodoricus Rex Francorum ſanctum Honoratum migraſſe Epiſcopum à ſeculo, legatos ſuos direxit ad urbem Ambianicam, ſanctum ſcilicet Antgarium Noviomenſis Eccleſiæ Pontificem, ei intimans ut urbani dignum Deo ſibíque ſalutiferum eligerent Epiſcopum.*

CAPVT X.

Synopsis.

I. In Hispaniis quoque Regis assensus adhibebatur in electionibus Episcoporum jam inde à temporibus Recaredi Regis. Duorum aut trium designatio fiebat, ex constitutione Concilij Barcinocensis in Hispania Tarraconensi. Quod petitum ex suspicacibus gentis illius animis.

II. Synodus Toletana quarta canonicum electionum ordinem disertè restituit. Sed non excluſit apertè interventionem regiam. Quod probatur variis argumentis ex illa antiquitate.

III. Illum usum apud Hispanos ex Gallia propagatum fuisse vero simile est.

IV. Reges Hispani indulgentiam Concilij verterunt in merum imperium, & plenum jus electionum statim ad se traxerunt. Probatur ex canone sexto Concilij duodecimi Toletani, qui explicatur.

V. Garsias Loaïsa notatus, qui sensum istius canonis in diversum trahit. Hallucinationis hujus viri origo indicatur.

ADDITIO.] *Duodecimo seculo illud tantùm invaluerat in Hispaniæ citeriori ut electio Episcopi celebrari non posset absque consilio & assensu Regis. Sed id quoque sustulit Petrus primus Rex Aragonum. Jussit tamen ut postquam electio facta fuerit, electus Regi præsentetur in signum regiæ fidelitatis. Quod ab Innocentio tertio confirmatum est.*

I. ANTEQUAM ad ulteriora progrediamur, non alienum erit ab instituto de consuetudine quæ invaluerat in Hispaniis post receptam à Recaredo Rege catholicam fidem paucis disserere. Eam nobis insinuat canon tertius Concilij habiti anno Recaredi XIV. & Christi DXCIX. ab Episcopis Tarraconensis provinciæ, in urbe Barcinonensi, in Ecclesia sanctæ Crucis: quæ quidem ab usu Regum nostrorum non abhorrebat. Permittebatur scilicet, juxta canones, electio libera clero & plebi, & judicium integrum Metropolitano & coëpiscopis. Attamen regius quoque assensus intercedebat, qui designatur in canone illo per *sacra regalia*, id est, sacras literas regias; quarum rationem haberi prohibet si laïcos, omisso tempore à canonibus præstituto, ad episcopatum statim provehi mandent; etiamsi *consensio cleri ac plebis* & Pontificum *electio assensióque* accesserit. Quod in eo canone subjungitur de duorum aut trium designatione, *quos consensus cleri & plebis elegerit*, non est petitum ex lege Iustiniani, qua Hispani non tenebantur, sed ex prudentia Episcoporum ingenio provincialium accommodata, quæ trium eligendorum formam desiderabat. Ex Leonis primi præscripto à Metropolitano is aliis præferendus erat qui majoribus juvaretur meritis & studiis. Sed huic Concilio placuit ut negotium sorti committeretur, quod tantùm ad provinciam Tarraconensem pertinet. *Ita tamen ut duobus aut tribus, quos autè consensus cleri & plebis elegerit, Metropolitani judicio ejúsque coëpiscopis præsentatis, quem sors, præeunte Episcoporum jejunio, Christo Domino terminante monstraverit, benedictio consecrationis adcumulet.* Ea est provinciæ illius indoles, etiammum hodie, ut suspecta habeant hominum judicia; ideóque magistratuum municipalium electiones non ordinis aut plebis judicio, sed sorti committere solent. Quod institutum quoque fuit ad tollendas, quæ ex repulsa oriri solebant, graves inimicitias apud homines injuriarum impatientes.

II. Cæterùm synodus Toletana quarta à Sisenando Rege ex omnibus Hispaniarum provinciis congregata anno DCXXXIII. disertis verbis canonicum ordinem in Episcoporum electionibus restituit can. XIX. *Sed nec ille deinceps sacerdos erit quem nec clerus nec populus propriæ civitatis elegerit, vel auctoritas Metropolitani vel comprovincialium Sacerdotum assensio exquisivit.* Quibus verbis non excluditur apertè regiæ voluntatis interventio; per quam præficiebantur sedibus episcopalibus illi quos auctoritate sua Rex foveret, ut patet ex Braulionis Cæsaraugustani epistola ad Isidorum Hispalensem, qua eum rogat ut suggerat Regi quatenus metropolitanæ Tarraconensi Ecclesiæ *illum præficiat cujus doctrinæ sanctitas ceteris sit vitæ forma.* Isidorus respondet, Regi *manere incertum ubi certiùs convertat animum.* Quæ testimonia citat Loaïsa in Notis ad Concilium Toletanum duodecimum. Quibus addi potest illustris locus Iuliani Toletani in expeditione Vvambæ Regis. Loquens enim de Ranimiro contra jus in episcopatum Nemausensem evecto ait: *In cujus electione nullus ordo attenditur, nulla Principis vel Metropolitani definitio præstolatur.*

III. Illum usum apud Hispanos ex Gallia propagatum credere par est. Quippe cùm Hispanicæ Ecclesiæ illa tempestate uterentur codice canonum qui, præter veteres, continebat etiam Gallicanos, (ut patet ex antiqua collectione quam propediem in lucem daturi sumus cum aliis veteribus collectionibus tum Græcis tum Latinis) faciles fuerunt Hispani in admittendo assensu regio, qui decretus erat in Concilio Aurelianensi.

IV. Sed statim Concilij indulgentiam verterunt in merum imperium, & ad se jus electionum plenum Reges Hispaniarum traxerunt. Quod discimus ex canone sexto

Concilij Toletani duodecimi habiti anno primo Ervigij Regis, id est, anno sexcentesimo octuagesimo primo, quo canone confirmatur usus ille electionum à Regibus usurpatus; non autem de novo instituitur, ut quidam sibi persuaserunt. Illud unum novum decernitur, quod dignitatem Episcopi Toletani augebat, & faciliorem præstabat regiæ electionis executionem, scilicet ut electus à Rege, judicióque Toletani Episcopi probatus, ab eo ordinaretur, ea lege, ut intra trium mensium spatium à die ordinationis suæ Metropolitano suo se consecratus sisteret, ab eóque monita pro regenda diœcesi opportuna susciperet. Is autem ordo antea servabatur ut Rex non priùs successorem deligeret quàm de obitu decessoris certior factus esset & consultus de persona præficiendi; consultus scilicet à clero & plebe, & à Metropolitano & coëpiscopis, qui consensionem suam mittentes, regium decretum pro electo suis suffragiis, aut pro alio ex Regis arbitrio, expectabant. Hæc omnia, quæ non poterant brevi temporis spatio expediri, molestiam creabant Episcopis provincialibus, quorum vota vel admittere vel spernere penes Regem erat; ideóque ferè inutilis erat eorum æquè ac cleri plebísque consenso. Regis dignitas & potestas erat in suspenso. Ecclesiarum interim vacatio contra canones protrahebatur. Ideo maluerunt Episcopi omnia permittere Regis electioni & judicio Toletani Episcopi. Hic est sensus Concilij, cujus verba retulit Gratianus dist. LXIII. *Dum longè latèque diffuso tractu terrarum, commeantium impeditur celeritas nuntiorum, quò non queat Regis auditibus decedentis Præsulis transitus innotescì, aut de successore morientis Episcopi libera Principis electio præstolari, nascitur semper & nostro ordini de relatione talium difficultas, & regiæ potestati, dum consultum nostrum pro subrogandis Pontificibus sustinet, injuriosa necessitas.* Fatentur Episcopi liberam fuisse Principis electionem ante hunc canonem, sed suspensam donec consultatio seu relatio missa fuisset è provincia à Metropolitano & Episcopis.

Vide Baluzij præfationem ad appendicem libri Marcæ de Primatibus.

V. Fallitur vir eruditus Garsias Loaïsa in Notis ad hunc canonem, in eo quòd existimat Regem ante Concilium Toletanum electionem suam ad Concilium generale Hispaniæ retulisse, Concilium autem inquisivisse an nominatus dignus esset eo munere, & postea nominatum confirmasse. Hallucinationis occasio sumpta ex Concilio Toletano XVI. quod laudat: in quo agitur de Felice Spalensi Episcopo, quem Egica ad Toletanum episcopatum elegerat, eíque ejus Ecclesiæ curam interim commiserat, reservans eam translationem decreto Concilij generalis firmandam. Quare Concilium cum consensu cleri ac populi Toletani Felicem de Spalensi sede in Toletanam se *canonicè transducere* declarat canone duodecimo. Translatio non poterat juxta canones decerni à Rege, sed à synodo generali: cujus auctoritati eam Egica rectè permisit, & præterea translationem Bracarensis ad Hispalensem sedem, & Portucalensis ad Bracarensem, quas Concilium hoc eodem canone decernit. Quod non debuit trahi in consequentiam pro electionibus omnibus. Id autem ex alio capite perspicere poterat Loaïsa, quòd temporibus Concilij duodecimi immutata electionum forma, omnia ad merum Regis arbitrium relata erant. Quomodo ergo poterat usum antiquiorem illo Concilio duodecimo interpretari ex usu Concilij decimi sexti anno sexcentesimo nonagesimo tertio habiti, quod erat posterius duodecimo annis tredecim.

ADDITIO
STEPHANI BALUZII.

AT pia posteritas multum remisit de hac severitate. Quippe duodecimo seculo illud tantùm in Hispania Tarraconensi invaluerat, ut post Episcopi obitum alius eligi non posset absque consilio & assensu Regis. Parum id conducere ecclesiasticæ libertati censuit Petrus Rex Aragonum. Itaque post peractam Romæ coronationem suam ab Innocentio III. anno MCCVI. æterna lege sancivit ut deinceps libera esset Episcoporum electio, *assensu regio minimè requisito*, id est, inexpectata etiam eligendi licentia. nam antea id quoque obtinebat. Ne tamen prorsùs abjiceret jus illud regium, edicit ut postquam electio facta fuerit, electus Regi præsentetur *in signum regiæ fidelitatis*. Quod adeo gratum fuit Innocentio Pontifici ut hoc Petri Regis edictum confirmaverit literis datis ad Episcopos in regno Aragonensi constitutos, quæ extant in archivo monasterij Rivipullensis in diœcesi Ausonensi & in regesto ejusdem Innocentij, cujus mihi copiam fecit vir illustrissimus Franciscus Bosquetus Episcopus Monspelienſis. Sic ergo habent.

Innocentius Episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopis & Episcopis & aliis Ecclesiarum Prælatis & universis Clericis in regno Aragonensi constitutis salutem & apostolicam benedictionem.

Solet annuere sedes apostolica piis votis, & honestis petentium desideriis favorem benivolum impertiri. In literis siquidem carissimi in Christo filij nostri Petri illustris Regis Aragonum sic de verbo ad verbum perspeximus contineri. PETRVS Dei gratia Rex Aragonum, Comes Barchinonensis, & dominus Montispessulani venerabilibus in Christo Terrachonensi Archiepiscopo, & universis Episcopis, Abbatibus, ceterisque Ecclesiarum Prælatis, & eorum

eorum conventibus in regno & dominio noſtro conſtitutis, æternam in Domino ſalutem. Regi Regum, per quem Reges regnant, reverentiam debitam exhibentes, & ſponſæ ejus, ſanctæ videlicet Eccleſiæ, integram libertatem conſervare volentes, peſſimam conſuetudinem à nobis hactenus obſervatam, qua electionem Prælatorum ſine noſtro conſilio & aſſenſu procedere non permittebamus, amore Dei & ſanctæ Eccleſiæ, & pro remedio animæ noſtræ & parentum noſtrorum, relaxamus; vobiſque & univerſis ſucceſſoribus veſtris & conventibus in omni juriſdictione noſtra conſtitutis liberam eligendi facultatem per nos & per omnes ſucceſſores noſtros, aſſenſu regio minimè requiſito, in perpetuum indulgemus. Hoc ſolum nobis & ſucceſſoribus noſtris reſervantes, ut liberè & canonicè electus, in ſignum regiæ fidelitatis nobis & ſucceſſoribus noſtris debeat præſentari. *NOS igitur devotionem regiam in Domino commendantes, & approbantes in hac parte ſtatutum ipſius, illud auctoritate apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Corneti III. Kal. Novembris, pontificatus noſtri anno decimo.*

Poſt Innocentij tamen pontificatum, Ferdinandus Rex Caſtellæ contendebat Epiſcopos eligi non poſſe abſque aſſenſu regio; ut colligitur ex epiſtola Honorij III. ad Epiſcopum Burgenſem, quæ extat in quinta collectione Decretalium, Titulo *de reſtitutione ſpoliatorum.*

CAPVT XI.

Synopſis.

I. Carolus Martellus epiſcopatus pro arbitrio dabat. Lux tamen quædam electionis affulſit per illas tempeſtates.

II. Tum laïci fruebantur epiſcopatibus, ob ſummam vivendi licentiam. Qua de re Zachariam Pontificem graviter monuit Bonifacius Archiepiſcopus Moguntinus. Præcipua verò mali labes fuit Eccleſiæ Remenſi, quæ per multos annos ſine Epiſcopo fuit.

III. Sub Carlomanno, Martelli filio, inſtituti Epiſcopi Principis arbitrio, cum conſilio Epiſcoporum & procerum. Qua de re Francis gratulatur Papa Zacharias in epiſtola ad eos data.

IV. Idem prorsus actum eſt à Pippino, Carlomanni fratre, in parte regni quæ imperio ejus ſuberat. qua de re ad Zachariam retulit. Is verò lætabundus, ejus acta laudavit.

V. Lupus Ferrarienſis dicere videtur Pippinum ita egiſſe ex privilegio ſibi indulto à Zacharia. Sed verba ejus intelligenda ſunt de ratihabitione Zachariæ, non autem de mandato aliquo antecedenti. Bonifacius Moguntinus agnoſcebat Principum in hoc electionum negotio auctoritatem.

VI. Pippinus, poſt adeptum regnum, eundem ordinem tenuit in conſtituendis Epiſcopis.

I. INeunte autem ſeculo octavo, cùm Dux Francorum Carolus cognomento Martellus omnia bona eccleſiaſtica invaſiſſet, epiſcopatus quoque pro arbitrio tradebat. Attamen inter denſas illas tenebras electionis lux quædam affulſit in Aurelianenſi civitate anno DCCXVII. quando Eucherius illi Eccleſiæ præfectus eſt. *Quippe omnis ejus loci plebs congregata*, inquit auctor vitæ ejus, *ad Carolum inclytum Francorum Principem legatos cum muneribus & humili prece mittit*, pro Eucherio ſcilicet. *Ille diſponente Domino ratum habuit quod ab eo humiliter poſcebant.*

II. Piget ſequentis temporis turpitudinem patefacere, quando nulla in Epiſcopis dignitas, nulla in Eccleſiis diſciplina, ſed in rerum civilium perturbatione, eccleſiaſtici quoque ordinis ſola vigebat deploranda confuſio; adeo ut laïci epiſcopatibus fruerentur. Qua de re Zachariam Papam monuit Bonifacius his verbis anno ſeptingeteſimo quadrageſimo ſecundo. *Franci, ut ſeniores dicunt, pluſquam per tempus octoginta annorum ſynodum non fecerunt, nec Archiepiſcopum habuerunt, nec Eccleſiæ canonica jura alicubi fundabant vel renovabant. Modò autem maxima ex parte per civitates epiſcopales ſedes traditæ ſunt laïcis ad poſſidendum, vel adulteratis Clericis, ſcortatoribus, & publicanis ſeculariter ad perfruendum.* Hæc pernicioſa dilapidatio afflixit præcipuè Eccleſiam Remenſem, quæ tunc & poſtea *per multos annos ſine Epiſcopo fuit, & res Eccleſiæ de illo epiſcopatu ſunt ablatæ, & per laïcos diviſæ, ſicut & de aliis epiſcopatibus*, ut loquitur Hadrianus primus in privilegio dato Eccleſiæ Remenſi apud Flodoardum. Addit autem Bonifacius Carlomannum Ducem Francorum cogitare de ſynodo congreganda; ut quæ collapſa eſt vel potiùs, ut ille loquitur, calcata & diſſipata religio poſſit in aliquo corrigi & emendari; petitque à Zacharia ejus habendi Concilij licentiam, quam iſte libentiſſimè conceſſit.

III. Carlomannus verò ſtatim Concilium coëgit in Germania, præſente Bonifacio Legato Papæ: cujus acta confirmata ſunt in frequentiore ſynodo habita apud Liptinas anno ſeptingenteſimo quadrageſimo tertio. Primo autem prioris illius ſynodi canone (pulſis, ut par erat, laïcis ab epiſcopatuum poſſeſſione, imò verò & infamibus Clericis, qui reditus ſuos faciebant) docet Carlomannus ſe *per civitates ordinaſſe Epiſcopos per conſilium ſacerdotum, religioſorum, & optimatum ſuorum, & conſtituiſſe ſuper eos Archiepiſcopum, qui eſt Miſſus ſancti Petri.* Hácque ratione eccleſiaſtica diſciplina emergere cœpit ex priori colluvie, conſtitutis ſcilicet Epiſcopis juxta edictum Clotarij

Regis & formulas quæ sunt apud Marculfum, id est, Principis arbitrio, cum sacerdotum & procerum consilio. Qua de synodo, post missam relationem à Bonifacio, Francis gratulatur Zacharias epistola ad eos data, quæ habetur libro quinto Capitularium capite primo. At verò in epistola data ad Bonifacium ait actam synodum *mediantibus Carlomanno & Pippino excellentissimis filiis nostris juxta nostrarum syllabarum commonitionem, peragente nostras vices tua sanctitate.*

IV. Non omisit quoque Pippinus ad eundem Pontificem referre quæ à se de consilio Episcoporum constituta erant in Concilio Suessionensi anno DCCXLIV. ubi profitetur canone secundo se constituisse Episcopos *per consilium sacerdotum & optimatum, & super eos Archiepiscopum Abel.* At verò lætabundus hæc illi & Episcopis Zacharias rescripsit: *Gaudio magno gaudemus in Domino, addiscentes per relationem sublimissimi atque à Deo servati prædilecti filij nostri Pippini vestram omnium bonam conversationem, & quòd ut in bonis & Deo placitis dispositionibus unanimes & cooperatores estis.* Quamvis ejectus postea fuerit Abel ab episcopatu Remensi per summam injuriam, teste Hadriano in superiore privilegio.

V. Quare quod Lupus Abbas Ferrariensis epist. LXXXI. scripsit de facultate concessa Pippino à Zacharia, ut delectos à se laudabilis instituti viros Ecclesiis vacantibus Episcopos præficeret, referri debet ad ratihabitionem Zachariæ, de qua jam locuti sumus, potiùs quàm ad mandatum aliquod antecedens, cujus nulla memoria extat inter epistolas illius Pontificis ad Gallos & ad Bonifacium datas. Hæc sunt Lupi verba: *Nam Pippinus, à quo per maximum Carolum & religiosissimum Ludovicum Imperatores duxit Rex noster originem, exposita necessitate hujus regni Zachariæ Romano Papæ, in synodo cui martyr Bonifacius interfuit, ejus accepit consensum, ut acerbitati temporis, industria sibi probatissimorum, decedentibus Episcopis, mederetur.* His verbis respexit synodum Liptinensem, cui vice Papæ Bonifacius interfuit: in qua Carlomannus suo & Pippini fratris nomine, qui Dux erat quoque ac Princeps Francorum, constituit Episcopos. Hæc quippe synodus, teste Zacharia, Pippini & Carlomanni studio acta est. Præterea quod geri incepit in Liptinensi Concilio de constituendis Episcopis, perfecit Pippinus in Suessionensi. Quod acceptum quoque fuit Summo Pontifici; qui laudabili Principum opera Episcopos præfici Ecclesiis in commodum fidelium, non autem laïcos illorum reditibus frui in religionis ipsius perniciem, ut antea, perspiciebat. Sanè Bonifacius agnoscebat Principum in hoc electionum negotio auctoritatem. Quippe satagens de successore sibi in Ecclesia Moguntina deligendo, cujus rei sibi gratiam fieri à Zacharia petebat, addit hoc fieri tamen non posse *si Princeps contrarius fuerit* in epistola ad Zachariam data anno septingentesimo quadragesimo primo.

Vide Notas Baluzij ad Epist. St. Lupi Ferrar. & in appendice earundem Notarum.

VI. Quam deinde formam secutus fuerit Pippinus in regnum evectus, inquirere superfluum videtur. nec enim à semel assumpta auctoritate recessit. Quod insinuat in Concilio Vernensi anno DCCLV. canone secundo, ubi ait se constituisse Episcopos qui vicem Metropolitanorum agerent.

CAPVT XII.

Synopsis.

I. Transmissam ab avis ad se potestatem exercuit Karolus Magnus. Hadrianus primus probare videtur interventionem Principis in constituendis Episcopis.

II. Carolus Magnus non renuntiavit huic juri, tametsi antiquos canones observari jusserit. Nihil interim turbarum excitatum est ob electiones Episcoporum.

III. Suspicari posset aliquis eum neglexisse jura electionum, auctoritate synodi Romanæ fultum. Hanc synodum falsam esse scripsit Baronius. Primus omnium Sigebertus mentionem illius fecit.

IV. Referuntur duo præcipua argumenta quibus utitur Baronius ad convincendam falsitatem hujus Concilij.

V. Tertium argumentum à Baronio allatum, parvi momenti est; eique nullo negotio responderi potest.

VI. Refellitur quartum illius argumentum.

VII. Fallitur Baronius, cùm existimat vocem Investituræ nondum fuisse repertam ævo Carol. magni.

VIII. Sextum argumentum robustum est. Petitur autem ex Romani Pontificis electione.

IX. Falsitas ejusdem synodi tribus aliis argumentis probatur, quæ sunt magni momenti.

X. Attamen licèt de falsitate hujus synodi constet, impostor dici non potest Sigebertus. Laudare enim hujus rei auctorem potest Leonem octavum sedis apostolicæ invasorem. Sed hanc auctoritatem falsi quoque arguere nititur Baronius, irrito conatu.

XI. Sigebertus epocham sive temporis consignationem addidit de suo, itémque numerum Episcoporum & Abbatum.

I. TRANSMISSAM ab avis ad se potestatem exercuit Carolus magnus. Invasas enim à laïcis possessiones episcopatus Remensis, sede illa per aliquot annos vacante, restitui curavit Tilpino, quem illi Ecclesiæ præfecerat, & ab Hadriano Pallium illi concedi postulaverat, ut patet ex Privilegio superiùs laudato; in quo Papa probare quoque videtur Principis interventionem in constituendis Episcopis. Quippe idem Ha-

drianus dat in mandatis duobus Episcopis ut discutiant Lulli Moguntini, quæ facta jam fuerat de consensu Pippini Regis, ordinationem, *adjunctis sibi Missis glorioſi ac ſpiritalis filij noſtri Caroli Francorum Regis*.

II. Neque verò Carolus illi potestati renuntiavit, quandiu superstes fuit, liberam electionem Clericis & civibus relinquendo juxta canones hac de re editos; quorum nullam facit mentionem in solenni illo Capitulari Aquisgranensi, quod conditum fuit anno septingentesimo octuagesimo nono, & relatum est postea in librum primum Capitularium. Illa quidem constitutione renovat omnes canones qui disciplinam episcopalis status respiciunt, adductis canonum verbis Nicæni, Antiocheni, Sardicensis, & Chalcedonensis Conciliorum. Sed canones qui de ordinationibus Episcoporum decernunt omnino omittit. In Conciliis autem quæ per Gallias ad restaurandam disciplinam acta sunt anno DCCCXIII. ex ejus admonitione, ne vestigium quidem ullum extat querelæ pro restituendis aut conservandis electionibus. quod tamen negotium in singulis ferè anterioribus synodis summa cura discutiebatur.

III. Suspicari poterit aliquis Carolum auctoritate synodi Romanæ, cujus meminit Gratianus, sultum, electionum jura neglexisse. Sed cùm synodi illius veritas ab illustrissimo Cardinale Baronio vocetur in dubium, necesse est ut nostram hac de re sententiam proferamus. Certum quidem est primum qui ejusce synodi meminerit fuisse Sigebertum Gemblacensem in Chronico ad annum DCCLXXIII. ex quo transcripsit Gratianus dist. LXIII. Docet itaque auctor ille Carolum ex obsidione Papiæ Romam contendisse, & Paschæ festo ibidem peracto, rediviſſe in castra, Papiámque cepisse, statim verò secundum iter Romam instituisse; ubi Hadrianus primus Papa cum synodo universali CLIII. Episcoporum & Abbatum Carolo *dedit jus eligendi Pontificem & ordinandi apoſtolicam ſedem, dignitatem quoque Patriciatus. Inſuper Archiepiſcopos & Epiſcopos per ſingulas provincias ab eo inveſtituram accipere definivit. Et ut niſi à Rege laudetur & inveſtiatur Epiſcopus, à nemine conſecretur. Omnéſque huic decreto rebelles anathematizavit; & niſi reſipiſcerent, bona eorum publicari.* In Chronico Sigeberti legitur *principatus*, nullo sensu. Sed in variis MSS. & apud Gratianum è Sigeberto legitur, *Patriciatus*.

IV. Commentitium istud Concilium à Sigeberto confictum ut Henrici Imperatoris partes, cui favebat, hac auctoritate muniret adversùs Paschalem secundum, conqueritur atrocibus verbis Baronius. Impostruram autem ex eo probat, quòd hujus synodi altum silentium sit apud Eginhardum & ceteros coævos annalium scriptores. Deinde quòd secundum istud post Papiam captam institutum à Carolo iter confinxerit Sigebertus contra apertum testimonium Eginhardi, qui quater tantùm Romam advenisse Carolum testatur. Primus ejus adventus fuit hoc anno septingentesimo septuagesimo quarto, secundus anno septingentesimo octuagesimo, tertius anno septingentesimo octuagesimo sexto, quartus anno octingentesimo. Concidit ergo quintus ille excogitatus à Sigeberto. Duo istháec argumenta vim non exiguam habent; qua planè carent tertium & quartum.

V. Tertiò contendit impossibile fuisse ut Concilium celebraretur, ob temporis angustias quæ intercedebant inter deditionem Ticini & properatum reditum in Gallias ad reprimendos Saxones; intra quod intervallum non poterant evocari Romam CLIII. Episcopi è locis longè dissitis. Sed respondeti potest numerum illum conflatum fuisse ex Episcopis & Abbatibus qui frequentes fuerunt Romæ unà cum Carolo è Gallia & Italia; à quibus subscripta fuit donatio luculenta provinciarum quam Romanæ Ecclesiæ contulit Carolus, teste Anastasio in vita Hadriani. Si vera esset inveſtiturarum concessio, tunc fieri potuisset ad rependendum ingens illud à Carolo collatum sedi apostolicæ beneficium. Si novam synodum ponamus cum Sigeberto, poterant facilè convenire iidem illi Episcopi qui primum adventum Caroli honestaverant. Nec enim statim ab urbe capta Italiam deseruit Carolus; qui novum regnum legibus & præsidiis firmavit, missis interea copiis adversùs Saxones.

VI. Quartum argumentum ceteris præstare videtur, scilicet confirmatum fuisse jus electionum à Carolo, nec meminisse ullius privilegij ab Hadriano in contrarium indulti cui derogaretur. Sed corruit omnino. Etenim electionum episcopalium libertas, quæ constituitur libro primo Capitularium, quem citat, non pertinet ad Carolum, sed ad Ludovicum ejus filium, qui constitutionis est auctor, ut postea ostendemus. Vide Notas Baluzij ad Concilia Galliæ Narbon. pag. 33.

VII. Addit quintum argumentum, petitum à nomine *Inveſtituræ*. quam vocem illa tempestate contendit fuisse incognitam. Attamen, ut notat Lindenbrochius in Glossario ad leges antiquas, *vox illa etiam temporibus Caroli magni uſitata erat. Vt mirum ſit*, inquit, *virum multæ & variæ lectionis id negare auſum*. Loquitur de Baronio. Sed ad episco-

patuum concessionem significandam nondum erat instituta, ut suo loco dicetur.

VIII. Sextum argumentum robustum est: quod petitur ex Romani Pontificis electione, quæ Caroli ætate & in exordio principatus Ludovici Pij libera fuit ab interventu Principis. Non moror edictum Ludovici Pij, quod adducit, quoniam illo non excluditur necessitas consensus regij post electionem. Solo testimonio Flori Magistri nitor, cujus verba describit ad annum DCCCXIII. *In Romana Ecclesia*, inquit, *usque in præsentem diem cernimus absque interrogatione Principis, solo dispositionis* (adde *divinæ*) *judicio, & fidelium suffragio, legitimè Pontifices consecrari.* [*Vide Baluzij Notas ad hunc locum Flori, post Notas ad Agobardum pag. 152.*]

IX. Nos verò hujus synodi falsitatem ostendi posse putamus tribus aliis argumentis. Primum est, quòd isto decreto tribuatur Carolo patriciatus dignitas, quam tamen jure hereditario possidebat ex pactis initis inter Pippinum Regem & Stephanum Papam. Quare à Stephano quarto, & antea à Paulo primo Hadriani decessoribus, in literis ad eum datis dicitur Patricius Romanorum. Vnde Romam accedens isto anno DCCLXXIV. fuit susceptus ab Hadriano *cum venerandis crucibus & signis, sicut mos est Exarchorum aut Patriciorum Romanorum*; ut observavit Anastasius. Secundum petitur ex testimonio Flori Magistri in tractatu de electione Episcoporum, quem scripsit circa annum octingentesimum vigesimum, ubi consensum Regis consuetudine inductum docet. Incognita ergo fuit illi erudito viro hæc constitutio Hadriani & universalis synodi. Adde Lupi Ferrariensis epistolam: qui de jure Regum in electionibus stabiliendo tractans, omne robur trahit à concessione Zachariæ; ut ostensum fuit superiùs. Recentior erat & firmior auctoritas Hadriani & synodi universalis: quam, si extitisset unquam, Lupus non omisisset. Tertium argumentum suppeditant duæ Hadriani epistolæ datæ ad Carolum; ex quarum altera anno DCCLXXXIV. scripta docemur Episcoporum in regno Longobardico constitutorum ordinationes ab Hadriano factas post cleri & plebis decretum ad se missum. Ex altera anni DCCLXXXVII. addiscimus Caroli desiderium ut Episcopi Ravennatis electio non fieret absque Missorum suorum interventu. Cui respondet Hadrianus, id nunquam factum; sed morem istum observatum etiam temporibus Pippini Regis, ut decreto cleri atque plebis ad sedem apostolicam perlato, proprium antistitem sibi consecrandum Ravennates peterent.

X. Attamen licèt de vitio seu potiùs falsitate hujus synodi constet, nolim Sigebertum impostoræ reum facere. Etenim ille habet auctorem, quem laudet, Leonem octavum sedis apostolicæ invasorem. Ejus constitutio, in Romana synodo edita in gratiam Ottonis primi, extat apud Gratianum & apud Theodoricum Nihemum: quam falsi quoque arguere nititur vir summus, sed nullo argumento. Quin potiùs vix de illius veritate dubitare licet, si rei tunc gestæ ordo consideretur. Otto Imperator Romam accessit anno nongentesimo sexagesimo tertio: cujus adventu territus Ioannes XII. Papa, clam ex urbe discessit. Quid post hæc gestum fuerit narratur apud Luitprandum lib. VI. cap. VI. *Cives verò*, inquit, *sanctum Imperatorem cum suis omnibus in urbem suscipiunt, fidelitatémque promittunt, hæc addentes & firmiter jurantes, nunquam se Papam electuros aut ordinaturos præter consensum atque electionem Domini Imperatoris Ottonis Cæsaris Augusti filiique ipsius Regis Ottonis.* Coacta dein synodo, Ioannes evocatus cùm huic conventui sistere se noluisset, depositus est per summam audaciam, & Leo octavus ejus loco substitutus. Cùm autem Otto se recepisset Spoletum, Ioannes in urbem rediit; Leone fuga sibi consulente, quem deposuit Ioannes; & ipsemet paulò pòst infeliciter periit. Ejus loco Romani elegerunt Benedictum quintum. Sed Imperator comparato exercitu Romam repetiit. Statímque collecta synodo, Benedictus damnatur, perjurij crimine inter cetera illi exprobrato, ut testis est idem continuator Luitprandi. *Numquid inficiari potes*, aiebat Leo Papa, *præsenti Domino Imperatori juramento promisisse nunquam te cum ceteris Romanis Papam electurum aut ordinaturum absque illius filiique sui Ottonis Regis consensu?* Quid aliud expectandum erat post ista quàm ut Romanorum promissio, pœna Benedicti jam sancita, ipsius quoque Leonis pontificatum gerentis auctoritate in synodo confirmaretur; ut factum docent constitutionis tunc editæ verba concepta apud Gratianum. Ceterùm Leo dignitati suæ consulere volens, ostendit nihil novum à se in Ecclesiam inferri, sed sequi se Hadriani exemplum, qui similem prærogativam Carolo contulit. *Ad exemplum*, inquit, *beati Hadriani apostolicæ sedis antistitis, qui Domino Carolo victoriosissimo Regi Francorum & Longobardorum patriciatus dignitatem & ordinationem apostolicæ sedis & investituram Episcoporum concessit.*

XI. Post Leonis octavi testimonium Sigebertus non poterat dubitare de facti veritate. Epocham sive temporis consignatio-

nem addidit de suo. Patriciatus collatio adegit illum ut, quantum fieri posset, rem promoveret ad exordia regni Carolini. Potuisset ponere synodum in primo adventu Caroli. Sed Ticinum tunc obsessum erat, nondum captum. Porrò juxta Leonis verba concessæ fuerant electiones Carolo Regi Francorum & Longobardorum. Quare expectandum fuit tempus adepti regni Italiæ, post deditionem Ticini & Desiderij Regis. Itaque ut omnia congruerent, commentus est secundum Caroli adventum post Papiam captam. Habitam quoque synodum ab Hadriano scripsit, ex eodem Leonis rescripto, quod integrum extat apud Theodoricum Nihemum; licèt mentio synodi desit apud Gratiani compendium. Quod autem Sigebertus addit de numero Episcoporum & Abbatum, necessum est ut è penu sua deprompserit, volens synodo auctoritatem quandam ex illo numero centum quinquaginta trium Episcoporum & Abbatum addere. Sed de Leonis constitutione ejúsque sententia dicendum erit suo loco, cùm ex verbis ejus investiturarum episcopalium usus manaverit.

CAPVT XIII.

Synopsis.

I. Ludovicus Pius Imperator in integrum restituit electionum formam. Notatus Ansegisus Abbas, qui leges Capitularium confudit.

II. Oppressa enim antea erat electionum libertas. E proprio clero eligi debere Episcopos constituit, & absque pecuniæ datione. Olim lege generali Episcopi eligebantur è clericis diœceseos. Cur ita placitum.

III. Leo primus præcipit ut ex Presbyteris ejusdem Ecclesiæ, vel ex Diaconis, Episcopus eligatur. Subdiaconos quoque eligi permisis Vrbanus secundus, utémque Innocentius tertius. Presbyteros quoque rusticanarum paræciarum eligi posse docet Ludovicus Pius.

IV. Tum præcipit ut electiones in futurum peragantur absque datione munerum. Quod anlam præcipuè respicit, quæ pretio plerunque sacerdotia addicebat. Probatur ex Gregorio Turonensi.

V. Veteres illam sacerdotiorum nundinationem severissimè prohibuerunt.

VI. Sub pretio enim redigi non debet gratia quæ vendi non potest; ut inquit Concilium Chalcedonense. Illa tempestate χαριτονία complectebatur electionem personæ & consecrationem & in Ecclesia certa institutionem. Explicatus canon Chalcedonensis. Vnde commercium vendendorum sacerdotiorum, simoniaca hæresis dicta est à Gregorio magno.

VII. Electionem & ordinationem obnoxias esse crimini simoniæ probatur auctoritate Leonis Imperatoris.

VIII. Iustinianus quoque venalitatem suffragiorum in electionibus & ordinationibus prohibuit. Usum tamen enthronisticorum approbauit. Explicatur ejus Novella. Notatus Gothofredus I. C.

IX. Clerici pro insinuatione persolvebant emphanistica. Iustinianus explicatus in Novella 56.

X. Auctoritate Gregorij magni vetitum est ne quid ordinatoribus aut Clericis ministrantibus daretur pro ordinatione, neque Notariis ob traditionem chartarum.

XI. Florentini Iurisconsulti publicè olim docuerunt Præbendas vendi posse absque simonia. Sed Summorum Pontificum decretis jugulata est sententia illa.

XII. Ævo Caroli magni, Presbyteri sine titulo ordinati, pretio comparabant Ecclesias. Quæ audacia repressa tum fuit in Concilio Turonensi.

ADDITIO.] Emendatum caput A multis. *ext. de ætate & qualit. ordin. Subdiaconos quoque ad episcopatum eligi posse pronuntiavit Vrbanus secundus in Concilio Beneventano. Notantur Correctores Romani, qui hanc Beneventanam synodum interpretantur de ea quæ sub Victore tertio habita est. Eduntur acta Concilij Beneventani sub Vrbano secundo habiti.*

I. POST propagatam feliciter per diversas provincias victricibus Caroli armis Christianam fidem, & constitutam in plerisque capitibus ecclesiasticam disciplinam, Ludovicus Imp. ejus filius in exordio regni obscuratam vel potiùs extinctam electionum formam, petentibus Episcopis, in integrum restituit. Quod ille præstitit anno DCCCXVI. edicto suo quod Aquisgrani edidit post habitam eo loco celeberrimam Episcoporum synodum; nuncupavítque Capitulare, usitato illa ætate vocabulo, eò quòd decisiones illo comprehensæ per capita sive capitula digestæ essent. Confuderat Ansegisus Abbas, qui quatuor libros Capitularium collegit, hoc Ludovici Capitulare cum alio quod Aquisgrani editum fuerat à Carolo anno septingentesimo octuagesimo nono. Sed ista discrevit subtiliter vir eruditissimus Iacobus Sirmondus tomo secundo Conciliorum Galliæ. Quæ distinctio magnam lucem adfert iis quæ de electionibus à Carolo neglectis superiùs disputata sunt & postea dicentur.

Ludovicus itaque capite tertio Capitularis, quod est caput octuagesimum quintum libri primi Capitularium, precibus Episcoporum exoratus, seu, ut ille loquitur, ordini ecclesiastico assentiens, electionum veterem usum restauravit: *Sacrorum canonum non ignari, ut in Dei nomine sancta Ecclesia suo liberiùs potiretur honore, adsensum ordini ecclesiastico præbuimus; ut scilicet Episcopi per electionem cleri & populi secundùm statuta canonum de propria diœcesi, remota personarum & munerum acceptione, ob vitæ meritum & sapientiæ donum eligantur, ut verbo & exemplo sibi subjectis usquequaque prodesse valeant.*

II. Oppressam antea fuisse significat electionum libertatem. Quippe quod hîc decernit, id agere se profitetur ut Ecclesia suo liberiùs potiretur honore. At verò non solam votorum libertatem restituit; sed etiam

singularum Ecclesiarum & Clericorum in eis ministrantium dignitati consuluit, juxta veterum canonum præscriptum. E proprio clero eligi debere, & absque pecuniæ datione, constituit. Quibus verbis priorum temporum perturbationem suggillat. Vetus est & recepta in Ecclesia regula, Clericos post emerita plurium annorum in presbyterij aut diaconij gradibus stipendia ad suarum Ecclesiarum episcopatus evehendos, nec Clericis extraneis, neglecto proprio clero, eas dignitates conferendas. Quam formam ad Apostolorum canones, id est, ad consuetudinem antiquam à temporibus Apostolorum ductam, refert Iulius primus apud Athanasium apologia secunda. Conqueritur de Gregorij ordinatione contra canones facta, non solùm quòd Athanasio viventi superpositus esset ab orientalibus, sed etiam quòd extraneus esset ab Ecclesia Alexandrina, illíque penitùs ignotus; addens, ne canones Apostolorum solverentur, oportuisse ab Episcopis provinciæ constitui aliquem ex ipso sacrario, ex ipso clero: ἀπ' αὐτῆς ἱερατείας, ἀπ' αὐτῆς τοῦ κλήρου: καὶ μὴ νῦν τοὺς ἀπὸ τῶν Ἀποστόλων κανόνας φθαλύεσθαι. Cujus instituti ratio una afferri potest è Gregorio Nazianzeno, oratione quando assumptus est in concordia patris; quoniam noto & familiari gregi præesse jucundius est quàm externo & alieno, addam etiam & Deo carius.

III. Sed potior est Celestini ratio, qui gravem injuriam fieri Clericis docet si peregrini illis præferantur. Hæc enim sunt ejus verba in epistola ad Episcopos Viennenses & Narbonenses: *Tunc alter de altera eligatur Ecclesia si de civitatis ipsius Clericis cui est Episcopus ordinandus, nullus dignus, quod evenire non credimus, poterit reperiri. Primùm enim illi reprobandi sunt, ut aliqui de alienis Ecclesiis meritò præferantur. Habeat unusquisque Clericorum suæ fructum militiæ in Ecclesia in qua suam per omnia officia transegit ætatem. In aliena stipendia minimè alter obrepat; nec alij debitam alter sibi audeat vendicare mercedem.* Quare Leo primus decernit epistola LXXXVIII. ut ex Presbyteris ejusdem Ecclesiæ, vel ex Diaconis, optimus eligatur. Vrbanus secundus & Innocentius tertius in hunc numerum adlegerunt etiam Subdiaconos. Idem Leo primus epistola centesima hortatur Gennadium Constantinopolitanum ut enitatur quatenus *Alexandrinis ex clero suo catholicus Episcopus consecretur, juxta veterem morem.* Gratianus in hanc sententiam testimonia adducit, præter Celestinum, Gregorij & Pelagij dist. LX. & LXI. Ex quorum auctoritate hausit Concilium Remense anno DCXXX. ut desideret *loci indigenam* eligi, canone ultimo. Quod ita explicuit Ludovicus Pius in hoc Capitulari, ut ad diœcesim integram hoc porrigat, id est, ad Presbyteros quoque rusticanarum parœciarum, nec ad solum civitatis clerum restringat. Quod secutum est Concilium Valentinum tertium anno DCCCLV. can. VII. cum aliqua explicatione: *Vt in clero, aut in diœcesi certè ipsa, vel si opus sit, in vicinia ipsius, probata persona quæratur, & eligatur.* Hoc remedio & jus vetustum restitui & aulicorum cupiditates reprimi posse non desperabant.

IV. Altera hujus capituli clausula spondet electiones in futurum absque munerum datione peragendas. Quod aulam præcipuè respicit, quæ pretio plerunque sacerdotia addicebat. Observatum illud à Gregorio Turonensi capite sexto de vitis patrum: qui cùm scripsisset Arvernos Galli electionem à se factam, à Theodorico Rege ut confirmaretur muneribus emeruisse, ait *tunc germen istud iniquum cœpisse pullulare ut sacerdotium aut venderetur à Regibus, aut compararetur à Clericis.* Exemplum ductum fuit à Regibus Gothorum in Italia: qui confirmationes electionum ad se cùm traxissent, fisco suo certam solidorum quantitatem ab electis, quæ antea pauperibus erogabatur, inferri jusserunt, apud Cassiodorum lib. IX. epist. XV. Quod secutus est Iustinianus, & reliqui Imperatores, saltem in Romanæ Ecclesiæ ordinatione. Etenim decreto suo electionem non confirmabant nisi soluta auri quantitate consueta; à qua necessitate Constantinus Pogonatus, petente Agathone Papa, sedem illam liberavit, apud Anastasium; ex quo Gratianus: *ne turpissimi lucri cupiditate allectus, sponsam Christi captivam faceret*, ut conquerebatur de vitiosa illa exactione Gregorius magnus in psalmum quartum.

Vide Notas Baluzij ad Layum Form. pag. 181. & ad Concilia Galliæ Narbon. pag. 1.

V. Complectitur quoque clausula illa Capitularis quoscunque qui ad ordinationem concurrunt, Clericos, populum, & Episcopos. Integras enim & puras à pecunia & muneribus quibuscunque ordinationes esse plerisque canonibus, decretis, & legibus publicis, atque pœnis infictis, antiqui sanciverunt. Vetustissima est quæ habetur in apostolicis canonibus constitutio can. XXX. ex versione Dionysij: *Si quis Episcopus aut Presbyter aut Diaconus per pecunias hanc obtinuerit dignitatem, dejiciatur & ipse & ordinator ejus, & à communione modis omnibus abscindatur, sicut Simon magus à Petro.* Basilius quoque hanc nefandam avaritiam corripuit epistola sua canonica. Sed locum habere non potuit nisi in provinciis Diœceseos Ponticæ. Quare in

Diœceſi Aſiana mos iſte invaluerat ut pecuniis ordinationes omnes redimerentur. Quod cùm ab Antonino Epheſino Epiſcopo, Diœceſeos illius Exarcho, impudenter gereretur, qui pro modo redituum pecunias exigebat teſte Palladio, Ioannes Chryſoſtomus Epheſum ſe contulit, ut caſtigatis ejus criminis reis, morbo mederetur in poſterum. Sex itaque, Antonino cognitione pendente defuncto, Epiſcopos depoſuit: qui cùm *juxta morem receptum* pecunias à ſe datas docuiſſent, obtinuerunt jus repetendi eas ab heredibus Antonini. Alioqui enim non fuiſſet illis data condictio ob turpem cauſam. Sed Concilium Chalcedonenſe canone ſecundo tantum nefas Eccleſiæ univerſalis auctoritate confodit, prolata & extenſa pœna depoſitionis in gradus omnes clericatus & in officiorum eccleſiaſticorum promotiones, ſi fiant per turpem lucri negotiationem, & adhibito anathemate in monachos & laïcos criminis participes.

Vide lib. 6. cap. 10. §. 2.

VI. Ratio prohibitionis deſignatur in canone illo his verbis; *ſub pretio redegerit gratiam quæ non poteſt vendi*, τὴν δωρεὰν τοῦ θεοῦ. Quod ſignificare vult, hoc eſt. Cùm illa ætate ordinatio ſive χειροτονία complecteretur electionem perſonæ atque illius conſecrationem per impoſitionem manuum ipſámque in Eccleſia certa inſtitutionem, (unde neceſſarium eſt ex canone ſexto Chalcedonenſi ordinandos ad aliquam Eccleſiam ſpecialiter *pronuntiari*, ἀναχειρίζεσθαι) totum illud negotium à digniori parte nomen ſumpſit χειροτονίας ſive ordinationis, quæ manu impoſita ordinem confert. Quare cùm pars illa principalis, ad quam duæ aliæ referuntur per connexionem neceſſariam, Spiritus ſancti gratiam donet, non potuit cadere in commercium, ut docuit Petrus in repulſa Simonis. *Vivit Spiritus ſanctus omnipotens Deus noſter*, inquit Sidonius in Concione libro ſeptimo epiſtolarum, *qui Petri voce damnavit in Simone mago cur opinaretur gratiam benedictionis ſeſe poſſe pretio mercari.* Rejectæque ſunt cavillationes Antonini Epheſini, qui reditus Eccleſiarum ſuæ negotiationis cauſſam prætendebat, cùm *pro modo redituum* pretia conſtitueret. Neque enim Eccleſiæ tradebantur niſi ratione ordinis, neque etiam electio antecedebat niſi ad ordinem poſtea conſequendum. Quare omnia comprehendebantur damnatione illa quæ gratiam commercio exponebat. Vnde ſimoniaca pravitas imò etiam hæreſis dicta eſt à Gregorio primo paſſim; qui in electione perſonæ eam committi docet, ne quis eam in ſola manuum impoſitione venali verſari ſibi perſuadeat. Vnde in elegantiſſima epiſtola ad Syagrium *lib. 7. epiſt. 110.* data anno DXCIX. hæc ſunt illius verba, *In ſacerdotibus ordinandis ſinceritas vigeat, ſit ſimplex ſine venalitate conſenſus, pura præferatur electio, ut ad ſumma ſacerdotij non ſuffragio venditorum provectus ſed Dei credatur eſſe judicio.* Probat autem vetitam hanc negotiationem, quoniam Dei donum vendi non poteſt; deinde quoniam quod gratis acceptum eſt, gratis ex dandum. Quem Matthæi quoque locum ſumptum ex capite decimo urſerat in hac cauſa Gennadius Patriarcha CP. in Concilio Conſtantinopolitano anno CCCCLXIX. libro tertio Iuris Græco-Romani. Decreto ſuo vafram illorum interpretationem excludit qui fraudem faciebant Concilio Chalcedonenſi, pecuniis datis poſt ordinationem. De utroque enim tempore antecedenti & ſubſequenti docet intelligendum eſſe canonem. Et conſuetudinem contrariam abolet, quæ in provincia Galatiæ invaluerat.

VII. Planè utramque partem & electionis & ordinationis obnoxiam eſſe huic crimini ſimoniæ docent diſerta Leonis Imperatoris verba. *Nemo gradum ſacerdotij pretij venalitate mercetur. Quantum quiſque mereatur, non quantum dare ſufficiat, æſtimetur---- nec pretio ſed precibus ordinetur antiſtes.* Infrà: *Si quis hanc ſanctam & venerandam antiſtitis ſedem pecuniæ interventu ſubjiſſe, aut ut ſi quis ut alterum ordinaret, vel eligeret, aliquid acceptiſſe detegitur, ad inſtar publici criminis, & læſæ majeſtatis accuſatione propoſita, à gradu ſacerdotij retrahatur.* L. *Si quemquam.* C. de Epiſc. & Cleric.

VIII. Iuſtinianus quoque conſtitutionibus aliquot venalitatem ſuffragiorum in electionibus & ordinationibus prohibuit. Vſum tamen quendam ante ſuam ætatem inductum de enthroniaſticis ſolvendis, quibuſdam adhibitis cautionibus approbat in Novella CXXIII. cap. III. cujus loci genuinum ſenſum, non omnibus obvium, patefaciemus. Epiſcopi ordinati, etiamſi Patriarchæ eſſent, ſive Metropolitani, certam pecuniæ ſummam Archipreſbytero ſive Archidiacono ordinatoris tradebant, illis exolvendam quibus competebat ex more; tripli pœna decreta in eos qui pretium conſtitutum excederent. Modus illius in Patriarchis non excedit viginti libras auri; in tenuioribus verò epiſcopatibus, trecentos aut ducentos ſolidos vel circiter pro modo redituum. Putabat Gothofredus in uſum Eccleſiæ & pauperum hanc quantitatem conferendam: quoniam eorum curam gerebant Archipreſbyter & Archidiaconus, quibus erat tradenda. quod poteſt juvari ex ſeptima ſynodo, quæ Eccleſiis dandi, & Vide ſupra lib. 6. cap. 10. §. 4.

ex Gregorio in dicta epistola, qui pauperibus erogandi morem ab ordinatis servatum commemorant, licèt damnent. Sed non opus est conjecturis, cùm sint aperta Novellæ verba; quæ partem quantitatis illatæ Episcopis ordinatoribus, alteram verò partem Clericis ministrantibus & Notariis attribuit. Ius illud dicitur à Iustiniano συνήθεια, sive specialiùs *Inthronisticum*, quod Iulianus Antecessor vertit *Cathedraticum*; differtque toto genere à Cathedratico, id est, à duorum solidorum præstatione quam in synodis Presbyteri subditi Episcopo deferebant, cujus meminit Concilium Bracarense secundum canone secundo. Vnde Ioannes Scholasticus Patriarcha Constantinopolitanus hoc caput Novellæ rectè inscribit περὶ συνηθείας ἤτοι ἐνθρόνων ἐκάστης ἐκκλησίας. Ex nomine apparet color quæsitus huic pecuniariæ præstationi. Inthronisticum dabatur ratione throni sive cathedræ adeptæ. Missio enim illa in possessionem dicitur à Græcis ἐνθρονιασμὸς; quam recentiores in Canonicis à stallo chori dicunt installationem. Sanè videbatur æquum à sumptibus itinerum Episcopos relevari, qui è dissitis civitatibus ad metropolim accedebant, ibique dies aliquot transigebant ad ordinationes peragendas, & honorarium aliquod Clericis ministris tribui. Ceterùm Iustinianus non induxit has præstationes, sed potiùs ad legitimum modum coërcuit: *Ne ex talibus occasionibus, debitis Ecclesiæ prægraventur, & sacerdotia venalia fiant*; ut loquitur in Novella.

IX. Nec omittendum hac Novella cap. XVI. concedi quoque Clericis ab Episcopo ordinatis ut consueta salaria solvant, emphanisticorum sive insinuativorum nomine, Clericis quibus dari solitum erat, ὑπὲρ τῆς ἰδίας ἐμφανείας, *pro insinuatione sua*, id est, quòd Clericorum in matricula nomina describi curassent & insinuassent actis ecclesiasticis. Ea tamen lex est adjecta, *ut anni unius diaria*, sic vertit Iulianus, *non excedentes summas præstent*. Quam insinuativorum solutionem tolerat Iustinianus in majori Ecclesia Constantinopolitana, sed non in ceteris Ecclesiis, Novella quinquagesima sexta. Quod ultimum non intelligitur de omnibus omnino Ecclesiis, (id enim contrarium esset Novellæ CXXIII.) sed de Oratoriis urbis Constantinopolitanæ; ut colligi potest ex verbis Iuliani Antecessoris num. CXCI. *Si quis in Constantinopolitana civitate Clericus fuerit factus, siquidem magnæ Ecclesiæ Clericus sit, emphanistica præstet quæ ex consuetudine præstari oportet. Sin autem alterius Oratorij Clericus fuerit, nihil ab eo emphanisticorum nomine exigatur.* Illud etiam hinc probatur, quòd Iustinianus Defensores Ecclesiæ Constantinopolitanæ hortatur ut hujus legis executioni invigilent, scilicet in urbe. Neque enim in aliis episcopatibus aliquid poterant. Vetus scholion Græcum ad Novellam istam in collectione Ioannis Scholastici observat *has præstationes legitimo jure fieri postquam Imperator, qui secularium rerum est dominus, illas approbavit. Non enim ob ordinationis gratiam pecunia accipitur, neque propterea indigni admittuntur; sed honorary & beneficentiæ vice præbetur modicum illud quod lege definitum est.*

X. Sed auctoritate Gregorij magni in synodo Romana vetitum fuit commoda ulla ordinatoribus aut Clericis ministrantibus pastelli nomine, vel Notariis ob traditionem chartarum, aut alia quacunque occasione præberi. Cujus constitutionis occasione de simonia evellenda scripsit ad Episcopos & ad Reges Galliæ, ad Metropolitanum Corinthi & provinciæ Hellados Episcopos, ad Episcopos Epiri, ad Hesychium Episcopum Hierosolymorum, & ad Eulogium Alexandrinum. Præjudicij istius rationem quandam habuisse videntur orientales, cùm decimo capite mandatorum quæ Patriarchæ tradunt ordinatis à se Metropolitis statuant ut ἐνθρονισμὸς (sic enim vocant præstationes illas) non detur Episcopo ordinatori, sed Clericis pauperibus, libro sexto Iuris Græco-Romani. Ceterùm in Occidente & Chalcedonensis synodi canon & Gregorij magni decretum à sequentibus Pontificibus & à posterioribus Conciliis Gallicanis & Hispanicis sæpissime confirmata sunt. Greg. lib. 6. ep. 11. 51. 55. 56. lib. 7. ep. 7. lib. 7. ep. 6. 113. 114. lib. 9. ep. 40 et pak. 14. lib. 11. ep. 40.

XI. Emersit tandem nova Florentinorum Iurisconsultorum opinio sexcentis abhinc annis, postquam ordinatio à Beneficiorum datione distingui cœpit; qui nullum simoniæ vitium Præbendarum emptioni subesse apertè docebant: quod crimen in sola gratiæ spiritualis, quæ jam in ordinatione tradita erat, nundinatione constituebant; cùm reditus Præbendarum seculares essent, & in commercio positi. Quod meritò decretis Pontificum statim & postea confutatum fuit. Ius enim fruendi his reditibus pendet ex gratia spiritali collata in ordinatione; cui fit injuria, si pecuniæ vi ad exercitium redigatur. Porrò addici alicui speciali Ecclesiæ est pars ordinationis, ut superiùs diximus; ac proinde institutio illa, sive *pronuntiatio*, non potest emi, nec vendi, juxta Concilium Chalcedonense; éstque vera & manifesta simonia. Quod Abbo Floriacensis demonstrabat exemplo vinculi quod est inter animam & corpus, animæ ordinationis gratiam & corpori Præbendam comparans.

XII.

XII. Temporibus Caroli magni morbus ille invaluerat, ut à Presbyteris sine titulo ordinatis Ecclesiæ pretio compararentur. Sed qui facinus illud aggrediebantur, non docebant legitimè fieri, ut tentatum postea à Florentinis. Ceterùm audacia emptorum repressa est canone XV. Concilij Turonensis habiti anno octingentesimo decimo tertio.

ADDITIO

Stephani Baluzii.

I. Vetus Ecclesia, ut adnotatur in hoc capite, Presbyteros tantùm & Diaconos admittebat ad episcopatum, exclusis prorsùs Clericis inferioris ordinis. Primus omnium, ut vulgò existimant, Vrbanus secundus (non autem primus, ut perperam habetur in capite *A multis*. extra de ætate & qualitate ordinandorum.) Subdiaconos quoque eligi permisit, opportunitate exigente, si tamen consensus accesserit Metropolitani Ecclesiæ vacantis vel Romani Pontificis. Decretum id in *Beneventana synodo Vrbani Papæ, capitulo primo*, adnotat Ivo Carnotensis Episcopus in parte quinta Decreti cap. LXXII. & libro III. Pannormiæ cap. v. Verùm cùm Concilium illud esset ignotum iis qui sub Gregorio XIII. emendationi librorum Iuris Canonici operam dederunt, Concilium Beneventanum ab Ivone laudatum admonuerunt intelligendum esse de synodo Beneventana quæ tempore Victoris tertij, cui Vrbanus secundus successit, habita est. Falsi sunt autem illi vehementer. Nam in actis Concilij illius Beneventani, quæ extant apud Leonem Ostiensem, nulla istius rei mentio reperitur. Sed ea constitutio legitur in plurimis codicibus manu scriptis sub nomine Vrbani secundi in Concilio Beneventano, tum etiam apud Ivonem & Gratianum & in libris Decretalium. Quod evincit conjecturam Correctorum Romanorum esse vanam, omninóque caput istud esse restituendum Vrbano secundo.

II. Hic locus me admonet ut captata occasione emendem breviarium canonum synodi Claromontanæ quod extat in libro nono historiæ ecclesiasticæ Orderici Vitalis. Nam ille describens canones illius Concilij in epitomen à se redactos, cùm ventum est ad constitutionem de electione Episcoporum, his omnino verbis reddidit canonem Concilij Claromontani: *Nemo in Episcopum eligatur nisi aut Presbyter aut Diaconus aut Subdiaconus, & cui dignitas natalium suffragetur, nisi maxima necessitate & licentia Summi Pontificis.* Non cepit Ordericus sensum verborum Vrbani, à quo longissimè recedit. Quippe Vrbanus Subdiaconos non aliter eligi permisit quàm in casu maximæ necessitatis, & cum licentia Romani Pontificis vel Metropolitani; ut patet ex canone primo Concilij Beneventani. Ordericus autem refert illum statuisse uti nemo in Episcopum eligeretur nisi qui Presbyter esset, vel Diaconus, aut Subdiaconus. Itaque Ordericus Subdiaconos ponit in regula, cùm illos Vrbanus ponat in exceptione. Deinde, Vrbanus omnino prohibet inferioris ordinis Clericos, id est, eos qui infra Subdiaconos sunt, eligi in Episcopos. Sed Orderici breviarium illos quoque eligi finit *maxima necessitate & licentia Summi Pontificis.* Quod alienum esse à mente Vrbani & res ipsa clamat, & docet præterea manifestè vel unicum caput *A multis*. Cur enim etiam Innocentij tertij pontificatu dubitatum adhuc esset an Subdiaconi eligi possent in Episcopos, si Clerici quoque inferioris ordinis eligi poterant auctoritate constitutionis Vrbani? Denique in eo etiam peccavit Ordericus, quòd heic omisit personam & dignitatem Metropolitani, cuncta ad Summum Pontificem referens; cùm tamen Vrbanus Subdiaconorum causam tractans, eos ita eligi permiserit, si consensus eorum Metropolitani accederet. Attamen quamvis Ordericus à sententia sensúque Vrbani multùm receesserit in hoc loco, ejus testimonio habemus renovatum in synodo Claromontana fuisse hunc canonem Beneventanum, adeóque verissimum esse quod adnotatum est in veteri codice M S. monasterij Anianensis, confirmata nimirum in eodem Concilio fuisse capitula superiorum omnium Conciliorum quæ per eundem Papam aut Melphiæ aut Beneventi aut Trojæ aut Placentiæ celebrata sunt. vide supra pag. 286.

III. Puto autem Vrbanum ad condendum istum canonem permotum esse ex eo quòd videret Subdiaconos ac sequentes Clericos interdum eligi in Episcopos absque Romani Pontificis auctoritate; ideóque decretum ea de re sanciendum esse existimavit, ut quoties ista deinceps tentarentur, fieri viderentur auctoritate Romani Pontificis. Quam conjecturam ut adjuvem, ostendendum est aliquot exemplis veterum temporum Subdiaconos & inferioris ordinis Clericos interdum ad episcopalem dignitatem vocatos esse ante constitutionem Vrbani. Initium autem faciemus à Iordano Episcopo Lemovicensi. Cùm Geraldus vacuam fecisset sedem Lemovicensem anno vigesimo supra millesimum, avaritiáque & ambitio irreperet in animos eorum penes quos erat aliqua vis & auctoritas in eligendo novo Episcopo, Guillielmus Aquitaniæ Dux, ut his malis occurreret, summam electionis in se trahens, habito conventu apud sanctum Iunianum in Lemovicibus, *ibi Dei nutu*, inquit Ademarus Cabanensis, *elegit in episcopatu honore Jordanum Præpositum Ecclesiæ sancti Leonardi, magnæ nobilitatis & simplicitatis virum*, tum in subdiaconatu constitutum; eáque electio summo omnium applausu excepta, nullius querelam provocavit, nemo questus est illam factam esse contra canones, neque licuisse eum eligi qui nondum Diaconus erat. *Sabbato dein medio Quadragesimæ*, ut ait idem Ademarus, *Diaconus & Presbyter ordinatus est, crastina Dominica consecratus est ab Islone Episcopo Santonensi &c.*

IV. Ista sanè tolerari potuerunt; quia Subdiaconi, quamvis olim non essent in sacerdotio constituti, sacris tamen altaribus administrabant, quemadmodum loquitur Vrbanus. Sed contra regulas omnino fiebat cùm simplices Clerici ad episcopatum eligebantur. Quod Vrbani secundi seculo non semel factum esse reperio. Primum quod profero exemplum, editum fuit in persona Geraldi Episcopi Lemovicensis, cui Iordanus successit. Is ergo electus Episcopus anno millesimo & duodecimo, *consecratus est*, ut ait Ademarus Cabanensis, *Pictavis apud sanctum Hilarium mense Novembri pro omnibus gradibus ecclesiasticis à Gisleberto Episcopo, & in gradu pontificali à Signino monacho Archiepiscopo Burdegalensi.* Adnotat idem Ademarus gravem controversiam fuisse excitatam inter Episcopos qui interfuerunt consecrationi istius Episcopi, *contradicentibus omnibus Episcopis non esse auctoritatem patrum ordinationes*

graduum ab Oſtiario uſque ad Preſbyterum fieri debere niſi per jejunia quatuor temporum anni, & tota Quadrageſima per dies ſabbatorum uſque in Palmis. Itaque contradictio fuit, non ob electionem aut ordinationem hominis qui nondum erat in ſacris ordinibus conſtitutus quo tempore electus erat in Epiſcopum, ſed quia ille à primo gradu eccleſiaſtico uſque ad preſbyteratum una die promotus fuerat contra canones, non ſervatis nimirum temporum intervallis quæ præſcripta ſunt poſt ſuſceptum unum gradum eccleſiaſticum antè quàm ſequens ordo ſuſcipi poſſit.

V. Secundum quod reperio exemplum, editum fuit anno MLXXIII. in viro celeberrimo, Hugone videlicet Epiſcopo Dienſi, qui dein Legatus fuit apoſtolicæ ſedis & Archiepiſcopus Lugdunenſis. Electus ille in Epiſcopum Dienſem *de Dei & Chriſti ejus*
Cyprian. epiſt. 52. *judicio*, ut Cypriani verbis ait Hugo Flaviniacenſis, *de Clericorum penè omnium teſtimonio, de plebis quæ tunc affuit ſuffragio, de ſacerdotum & bonorum virorum collegio*, quamvis primam tantùm tonſuram haberet, approbatus tamen eſt à Gregorio ſeptimo, & ab eo ordinatus Epiſcopus. Teſtatur illud idem Hugo Flaviniacenſis his verbis: *Non multò poſt ipſe qui commendabatur advenit. Et quia ſolam clericatus tonſuram habebat, in menſe Decembris per manum ejus* (id eſt, Gregorij ſeptimi) *uſque ad preſbyteratus gradum promotus eſt; cùm hoc aliqui calumniarentur Romanorum, & promerent morem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, neminem, licèt electum antiſtitem, à Papa ordinandum niſi in eadem deſerviret Eccleſia. Quod tamen in ipſo Domnus authentica poteſtate ſua fecit. Complacuerat enim ſibi in illo anima ejus. In Quadrageſima verò, ſabbato in Preſbyterum & ſequenti Domini a ad Miſſas in Epiſcopum conſecratus eſt.* In iſta Romanorum querela adverſus hoc Gregorij ſeptimi facinus non arguitur præcipitata ordinatio, quæ peracta erat ſervatis interſtitiis. Nihil adversùs electionem ſimplicis Clerici. Illud tantùm indignantur Romani, quòd Gregorius Hugonem ordinaſſet abſolutè, hoc eſt, nulli Eccleſiæ addixiſſet cùm eum ad eccleſiaſticos ordines promovit. Moris quippe eſſe in Eccleſia Romana, neminem, licèt electus ſit in Epiſcopum, à Papa ordinari poſſe niſi in Eccleſia aliqua, in qua miniſterium ſuum exequatur, intituletur. Quod Gregorius non fecerat; qui Hugonem ea tantùm de cauſa eccleſiaſticis gradibus inſigniverat ut deinceps conſecrare Epiſcopum poſſet.

VI. Ex his quæ dicta huc uſque ſunt colligitur invidioſam per ea tempora viſam non fuiſſe electionem eorum qui nondum erant in ſacris ordinibus conſtituti, & Subdiaconos inferioríſque ordinis Clericos ad epiſcopatum vocatos fuiſſe ante decretum Vrbani. Ea fortaſſis de cauſa, ut antea dixi, conſtitutionem ille ſuam edidit in Concilio Beneventano, qua Subdiaconos eligi approbavit, non vulgò tamen, ſed rariſſimè, & non ſine Romani Pontificis vel Metropolitani licentia. Secundùm hanc porrò inſtitutionem, cùm anno MXCV. Sanſon quidam Subdiaconus electus eſſet Epiſcopus Eccleſiæ Vvigornenſis, & ad Anſelmum Archiepiſcopum Cantuarienſem Metropolitanum ſuum veniſſet, iſte electionem ejus pro jure ſuo approbans, primùm eum ad diaconatum & preſbyteratum promovit, dein ad epiſcopa-
Eadmer. pag. 35. tum, ut narrat Eadmerus in libro ſecundo hiſtoriæ novorum. Contrà, cùm anno milleſimo centeſimo Belvacenſes Clerici elegiſſent Stephanum de Gar-
Ivo Carnot. ep. 89. landa, Ivo Carnotenſis de electione illa ſcribens ad Paſchalem ſecundum, indignabundus illam exagitat, inter alia electionis vitia objectans electum eſſe hominem *procul à ſacris ordinibus inventum, utpote nondum Subdiaconum.*

VII. Licèt autem Vrbanus ſecundus iſta declaraſſet, adhuc tamen ſub Innocentio tertio, hoc eſt, centum & ampliùs poſt Vrbanum annis, dubitatum eſt an Subdiaconus in Epiſcopum eligi poſſet. quam dubitationem ſuſtulit Innocentius in capite *Amultis.* in quo ſancit *ut Subdiaconus liberè valeat in Epiſcopum eligi ſicut Diaconus vel Sacerdos.* Data eſt autem illa Innocentij conſtitutio anno milleſimo ducenteſimo ſeptimo; extátque in libro decimo regeſti ejuſdem Pontificis apud illuſtriſſimum virum Franciſcum Boſquetum Epiſcopum Monſpelienſem.

Nunc edendi ſunt canones Concilij Beneventani ab Vrbano ſecundo celebrati, cujus occaſione digreſſi ſumus ad explicationem iſtarum rerum. Sic ergo habent in veteri codice MS. monaſterij Anianenſis in diœceſi Monſpelienſi, emendati ex aliis codicibus manu ſcriptis.

CONCILIVM BENEVENTANVM

HABITVM ANNO MXCI.

ANno dominicæ incarnationis MXCI. v. Kal. Aprilis celebrata eſt ſynodus Beneventi, præſidente Domino Papa Vrbano, præſentibus Epiſcopis & Abbatibus, quorum numerus facilè adnotari non potuit. Secundo igitur die hoc capitulum editum eſt.

Ap. Gratian. diſt. 60. cap. Nullus in Epiſcopum.

Nullus deinceps in Epiſcopum eligatur niſi in ſacris ordinibus religioſè vivens inventus eſt. Sacros autem ordines dicimus diaconatus atque preſbyteratus. Hos ſiquidem ſolos primitiva legitur Eccleſia habuiſſe; ſuper his ſolis præceptum habemus Apoſtoli. Subdiacones verò, quia & ipſi altaribus adminiſtrant, opportunitate exigente concedimus, ſed rariſſimè; ſi tamen ſpectatæ ſint religionis & ſcientiæ. quod ipſum non ſine Romani Pontificis vel Metropolitani licentia fieri permittimus.

Item die ſecundo. Capellanos qui contra ſtatutum numerum in curiis ſuis ſine conſenſu ſui Epiſcopi militaverint, & decimas à laïcis ſine permiſſione Epiſcoporum obtinuerint, nos ſancti Spiritus judicio ſanctorúmque Apoſtolorum auctoritate ab officio & beneficio interdicimus. Adclamatum eſt ab univerſis: Fiat. Fiat.

Item die tertio. Nullus omnino Epiſcopus tranſalpinum, vel tranſmarinum, vel quemlibet alienum Clericum ſine formata epiſtola & commendatitiis ſui Epiſcopi literis recipere aut in ſua Eccleſia eum ordinare præſumat. Quod qui præſumpſerit, ut canonum contemptor, periculum ſentiat gradus ſui.

Præceptum eſt etiam in ejuſdem ſynodi die ultima. Nullus omnino laïcus poſt diem cineris & cilicij, qui caput jejunij dicitur, carnibus veſci audeat. Et omnes, tam Clerici quàm laïci, viri quàm mulieres, die illo cinerem ſupra capita ſua accipiant. A die Septuageſimæ uſque in octavam ſancti Paſchæ, vel à die dominici adventus uſque in octavam Epiphaniæ, matrimonia nullo modo contrahantur.

CAPVT XIV.

Synopsis.

I. Investigandum nunc an restituta à Ludovico Pio electionum libertas regij assensus necessitatem excluserit. Non abolitum fuisse probatur ex Floro, qui sub eodem Ludovico floruit.

II. Referuntur ejus verba quoad electionem canonicam.

III. Tum etiam quoad assensum regium.

IV. Ex Floro colligitur consultationem Principis tunc adhiberi solitam in electionibus Episcoporum. Debere porrò Principes assentiri electioni rite factæ, nisi grave aliquid obsistat.

V. Perstringit autem Florus conatum Ludovici; qui clero & populo eos qui sibi grati erant commendabat, ab illis eligendos; sicque vota electorum antevertebat.

VI. Consultationem ad Regem missam post electionem probatur etiam ex causa Ecclesiæ Senonensis; quæ explicatur. De dignitate Archicapellani.

VII. Cùm itaque summam electionum ad se traheret Ludovicus, à Concilio Parisiensi monitus est ut bonos rectores in Ecclesia constitueret.

VIII. Regium assensum in Italiam quoque intulit, contra morem Karoli magni. Tum electio Romani Pontificis subjecta erat ordinationi Imperatorum.

I. SVPEREST non inelegans quæstio ad plenam Capitularis explicationem, an restituta electionum libertas regij assensus necessitatem excluserit. Sanè verbis edicti non est reservata, sed neque empta. Quare cùm assensus ille non solùm consuetudine nitatur, sed canone quoque à Concilio Aurelianensi sic probatus fuerit ut cum electionum libertate misceatur, proclivius est ut dicamus non abolitum hac lege. In quo non solis conjecturis agendum, cùm habeamus disertum Flori Magistri testimonium. Florebat hac ætate auctor iste, à Walfrido Strabone valde laudatus: qui sententiam suam de electionibus in fragmento quodam descripsit circiter annum DCCCXX. quod edidit Papirius Massonus, & ex eo illustrissimus Baronius; ex quo decerpenda sunt aliqua.

II. Ac primùm quæ pertinent ad canonicam electionem, deinde quæ pertinent ad consensum Principis. *Manifestum est*, inquit, *omnibus qui in Ecclesia Dei sacerdotale officium administrant quæ sunt illa quæ in ordinatione episcopali & sacrorum canonum auctoritas & consuetudo ecclesiastica juxta dispositionem divinæ legis & traditionem apostolicam jubeat observari. Videlicet ut pastore defuncto, & sede vacante, unus de clero Ecclesiæ, quem communis & concors ejusdem cleri & totius plebis consensus elegerit, & publico decreto celebriter ac solenniter designaverit, legitimo Episcoporum numero consecratus locum decedentis antistitis rite valeat obtinere, nec dubitetur divino judicio & dispositione firmatum quod ab Ecclesia Dei tam sancto ordine & legitima observantia fuerit celebratum. Hæc sunt quæ & in Conciliis patrum & in decretis apostolicæ sedis Pontificum statuta reperiuntur & comprobantur.* Mox laudato Cypriani loco de electione Cornelij, subjungit: *Iuxta hæc verba beati Cypriani ordinatos fuisse constat & legitimè præfuisse universo populo deinceps omnes Ecclesiarum Dei antistites absque ullo consultu mundanæ potestatis à temporibus Apostolorum & postea per annos ferè quadringentos. Ex quo autem Christiani Principes esse cæperunt, eandem Episcoporum ordinationibus ecclesiasticam libertatem ex parte maxima permansisse manifesta ratio declarat. Neque enim fieri potuit, cùm unus Imperator orbis terræ monarchiam obtineret, ut ex omnibus latissimis mundi partibus, Asiæ videlicet, Europæ, & Africæ, omnes qui ordinandi erant Episcopi ad ejus cognitionem deducerentur. Sed fuit semper integra & rata ordinatio quam sancta Ecclesia juxta traditionem apostolicam & religiosæ observationis formam celebravit.*

III. Quid autem sentiat de Regis assensu, qui tunc adhibebatur, sic explicat: *Quod verò in quibusdam regnis postea consuetudo obtinuit ut consultu Principis ordinatio fieret episcopalis, valet utique ad cumulum fraternitatis, propter pacem & concordiam mundanæ potestatis; non tamen ad complendam veritatem vel auctoritatem sacræ ordinationis, quæ nequaquam regio potentatu, sed solo Dei nutu, & Ecclesiæ fidei consensu, cuique conferri potest. Quoniam episcopatus non est munus humanum, sed Spiritus sancti donum, sicut ostendit Apostolus &c.* Mox: *Vnde graviter quilibet Princeps delinquit si hoc suo beneficio largiri posse existimat quod sola gratia divina dispensat; cùm ministerium suæ potestatis in hujusmodi negotium peragendo adjungere debeat, non præferre.* Deinde rem concludit his verbis: *Quæ omnia non ideo dicimus quasi potestatem Principum in aliquo minuendam putemus, vel contra religiosum morem regni aliquid sentiendum persuadeamus; sed ut clarissimè demonstretur in re hujusmodi divinam gratiam sufficere, humanam verò potentiam, nisi illi consonet, nihil valere. Quapropter in sacris canonibus patrum, ubi plurimæ causæ commemorantur sine quibus episcopalis ordinatio irrita habenda est, de hac re nihil invenitur insertum.*

IV. Non existimavi superfluum hujus auctoris verba proferre: quæ duo eximiè probant, & *consultum*, ut ille loquitur, sive consultationem Principis tunc adhibitam in electionibus Episcoporum, & modum quem ille desiderabat à Principibus servari. Nempe ut rite & legitimè factæ electioni assentirentur, nisi grave aliquid obsisteret, & ab

ingerendis personis abstinerent, sive, ut Florus loquitur, ministerium suum in hoc negotio adjungerent, non autem præferrent.

V. Perstringit non obscurè quod Ludovicus ipse, assensum suum amplificans, tentabat hoc tempore adversùs libertatem electionum edicto suo firmatam. Commendabat enim eos qui sibi grati erant, Clericis & populis, ut decreto suo illos eligerent; sícque electorum vota suis literis antevertebat. Extat ejus rei illustre exemplum in vita Friderici Episcopi Trajectēsis. Anno quippe DCCCXXI. aut circiter, *Riefridi obitu comperto, per Legatos suos mandavit Trajectenſis Eccleſiæ ſenioribus ut Fridericum ſibi Epiſcopum deligerent, & electum cum ſummo honore ad ipſius palatium adducerent, neſciens omnes Trajectenſes id antè decreviſſe quod ipſe & primates ejus percuperent.*

VI. Enimvero præter Flori testimonium, quo docemur consultationem ad Regem missam post electionem, adducendæ sunt epistolæ Senonensis Ecclesiæ ad Iudith Imperatricem, ad Hilduinum Archicapellanum, & Einhardum, apud Sirmondum in appendice ad tomum secundum Concil. formula decima. Vacabat sedes Senonensis ex obitu Hieremiæ Episcopi, qui acciderat anno DCCCXXVII. die VII. Decembris. Ecclesia licentiam à Ludovico obtinuit eligendi Episcopum è suo clero. Sed electum sibi oblatum Imperator rejecit; concesso tamen beneficio secundæ electionis. Alter eligitur; qui repulsus est à Missis Dominicis. Vnde Senonensis Ecclesiæ Clerici postulant ab Imperatrice ut causa suspendatur donec electum ipsi deducant ad Imperatoris præsentiam; & tunc *discutiatur ac probetur*, inquiunt, *si nobis prodeſſe valeat, & in ſervitio veſtro aptus eſſe poſſit, an minùs.* Idem suppliciter postulant ab Hilduino Archicapellano, *ut dignationis ejus judicio aut ſuſcipiatur, aut reprobetur.* Pro jure enim sui muneris ecclesiasticas causas in palatio distringebat Archicapellanus; ut docet Adalardus apud Hincmarum, & inscriptio hujus epistolæ ad Hilduinum *ſacris negotiis à Deo prælatum.* Ex hujus causæ serie discimus electionum formam cum regio assensu duplici conjunctam. Primus dabatur pro gerenda electione. Secundus pro admittenda electi persona; sic tamen ut repelli posset. Porrò inter ceteras causas repulsæ canonicas hæc quoque civilis erat examini regio subjecta, *ſi minùs aptus eſſet ſervitio Regis*, ut loquuntur Senonenses.

Vide lib. 4. cap 7. §. 3. & Baluz. Notas ad Lupum Ferrar. pag. 388. 433. 443.

VII. Itaque cùm ad se traheret electionum summam Ludovicus, prudenter monetur anno DCCCXXIX. à Concilio Parisiensi lib. III. cap. XXII. (quod refertur in Addit. ad Capitul. lib. II. cap. XXIII.) ut magnum studium & solertissimam curam adhibeat in bonis rectoribus Ecclesiæ constituendis. *Quia ſi aliter factum fuerit*, inquiunt, *& ordo eccleſiaſticus ſuam non habebit dignitatem, & religio Chriſtiana in multis labefactanda detrimenti ſui jacturam patietur, & animæ veſtræ, quod non optamus, periculum generabitur.*

VIII. Neque verò se intra Gallias continuit in exercendo assensu suo; quin potiùs eum in Italiam quoque protulit, contra morem Caroli magni, qui à negotio electionum episcopalium in regno Longobardorum abstinuerat, ut superiùs monuimus. Fortasse tamen post adeptum Imperium potestatem illam regiam in Italiæ regno Carolus usurpavit; ut colligi posse videtur ex Floro, qui solam Ecclesiam Romanam & subjectas illi Ecclesias, id est, quæ pendent à metropoli Romana, ab interrogatione Principis, id est, ab ejus assensu electionibus præstando immunes esse scribebat anno octingentesimo vigesimo. Obnoxiæ ergo erant ceteræ. Sed quæ liberæ relictæ fuerant ab ea necessitate in Romana metropoli, factæ sunt postea illi obnoxiæ à Ludovico Pio. Ille quidem liberam electionem Romani Pontificis reliquit clero & populo edicto suo, quod tamen non pugnat apertè cum assensu regio. Post annum DCCCXX. electus Gregorius quartus, *non priùs ordinatus eſt quàm Legatus Imperatoris Romam venit, & electionem populi qualis eſſet examinavit*, ut legitur in annalibus Bertinianis. quod Platina etiam observaverat. Asserta quidem est tandem in libertatem posterioribus seculis Romana Ecclesia. Sed quod in ea tunc inductum est à Ludovico, in ceteris Ecclesiis Italiæ, non excepta etiam metropoli Romana & subjectis, locum habuit etiam Lotharij & sequentium Imperatorum temporibus; qui electiones canonicas, quas suo assensu & præsidio juvare tenebantur, potestate sua turbarunt, sibíque solis, conniventibus quoque Pontificibus Romanis, vindicarunt. cujus rei testimonia extant apud Gratianum & passim in epistolis Ioannis octavi.

Vide Baluz. Notas ad Agobard. pag. 114.

CAPVT XV.

Synopsis.

I. In Galliis ſpecies quædam electionum ſervata eſt. Nam Princeps electionem fieri concedebat. Dein, electione facta, facultates Eccleſiæ committebat diſpoſitioni electi, ſuiſque literis ad Metropolitanum & cōpiſcopos ordinandum tranſmittebat.

II. Adferuntur verba Hincmari, quibus respondet ineptis quorundam sermonibus, qui eligendum illum dicebant quem Rex vellet. Ait autem, in electione Episcoporum assensionem Regis esse, non autem electionem, quæ pertinet ad Episcopos.

III. Ait præterea Hincmarus Bellovacenses amisisse jus electionis, quoniam tres incongruos elegerant, ab Episcopis postea reprobatos. Utitur autem auctoritate canonis Laodiceni.

IV. Eodem sensu canonem illum explicuerat idem Hincmarus in epistola ad Bellovacenses. Ob electionem indigni, jus eligendi devolvitur ad Metropolitanum.

V. Attamen Rex Ludovicus non cessit monitis Hincmari; sed Odacri electionem pertinaciter propugnavit adversùs Hincmarum.

VI. Idem Hincmarus apertè docet alibi quidnam Principi competat in electione Episcoporum, consensus videlicet.

VII. Describuntur ritus electionum, prout obtinebant ævo Ludovici Pij & Karoli Calvi.

I. SED in Galliis constantia Episcoporum factum est ut species saltem electionum, etsi non vis integra, permaneret; temperata regia auctoritate, & conciliata, quantum fieri potuit, cum jure canonico.

Quænam essent Ecclesiæ & Principis partes in electionibus, post Capitulare Ludovici Pij, juxta illius sententiam eleganter docet synodus congregata anno DCCCLXXXI. apud martyrium sanctæ Macræ, in literis quas per Episcopos transmisit ad Ludovicum III. Regem; cujus verba recitat Hincmarus in epistola duodecima editionis Sirmondi. Sed priùs ponenda est species. Vacante Ecclesia Belvacensi, clerus & plebs elegit Fromoldum, insipientem & improbum hominem; quem synodus sibi oblatum repulit. Clerus verò & plebs ejusdem Ecclesiæ in Odonis eo munere indigni personam decreto suo consensit, quam ab ista synodo probari contendebat. Rex Ludovicus non solùm consensum suum adhibuerat, sed Odonem quoque suggesserat eligendum. Synodus autem vetusta Episcoporum jura industriè accersit, Metropolitano & Episcopis provincialibus electionem deberi, consensum verò clero & plebi. Ad Principem duo pertinere. Tum ut electionem fieri petentibus clero & plebi concedat. Tum, electione facta, ut facultates Ecclesiæ, quæ sub illius sunt tuitione, electi dispositioni committat, suisque literis ad Metropolitanum & coëpiscopos ordinandum transmittat. Hæc sunt verba literarum synodi de causa Belvacensi apud Hincmarum: *Vt sicut sacræ leges & regulæ præcipiunt, Archiepiscopis & Episcopis conlimitancarum diœceseon electionem concedere dignemini; ut undecunque, secundùm formam regularem electionis, Episcopi talem eligant qui & sanctæ Ecclesiæ utilis, & regno proficuus, & vobis fidelis ac devotus* * *cooperator existat; & consentientibus clero ac plebe eum vobis adducant, ut secundùm ministerium vestrum res & facultates Ecclesiæ, quas ad defendendum & tuendum Dominus vobis commendavit, suæ dispositioni committatis, & cum consensu ac literis vestris eum ad Metropolitanum Episcopum ac coëpiscopos ipsius diœceseos, qui eum ordinare debent, transmittatis, & sic sine scandali macula ad sanctum sacerdotium provehatur.*

* Vide lib. 2. Capitular. c. 3. supra lib. 4. cap. 7. §. 7.

II. Ceterùm respondet Hincmarus ineptis quorundam sermonibus, qui eligendum illum dicebant quem Rex vellet: *Nam si quod à quibusdam dicitur, ut audivi, quando petitam apud vos electionem conceditis, illum debent Episcopi & clerus ac plebs eligere quem vos vultis & vos jubetis; (quæ non est divinæ legis electio, sed humanæ potestatis extorsio) si ita est ut dici à quibusdam audivi, ille malignus spiritus, qui per serpentem primos parentes nostros in paradiso decepit, & inde illos ejecit, per tales adulatores in aures vestras hæc sibilat; quia hoc in Scripturis tam veteris quàm novi Testamenti non continetur, neque in catholicorum dictis, vel sacris canonibus, nec etiam in legibus à Christianis Imperatoribus & Regibus promulgatis hoc scriptum vel decretum invenitur; sed talia dicta infernus evomuit.* Mox: *Sic enim atavus vester Carolus & abavus Ludovicus Impp. intellexerunt. Et ideo in libro primo Capitularium suorum promulgaverunt scribentes.* Adducit caput LXXXIV. cui subjungit decretum Celestini & canonem XIII. Laodicenum; & mox concludit: *Attendendum est igitur qualiter hoc imperiale capitulum sacris regulis & antiquorum Imperatorum legibus congruat, ostendens quoniam sicut & leges & regulæ dicunt, in electione Episcopi assensio Regis sit, non electio, in Episcoporum verò executione sit electio, sicut & ordinatio.* Solum assensum tribuit Regi post electionem, ut fecerat Florus.

III. Quoniam verò Rex gratissimum Belvacensi Ecclesiæ Odacrum esse Hincmaro scripserat, respondit iste Belvacenses decidisse à jure electionis, quoniam tres incongruos elegerant ab Episcopis postea reprobatos. *Perdiderunt*, inquit, *electionem, sicut ostensum est illis in synodo, & per sacras regulas, non ulteriùs illorum, sed Episcoporum esse electionem, quam non præire, sed subsequi, & non se ab ea debere excidere. Et nunc contra regulas & leges, sine Visitatore præsumpserunt electionem.* Cùm ex Laodiceno canone didicissent Episcopi electiones judicio Metropolitani & provincialium Episcoporum committi, alium verò usum inductum viderent, nempe ut electio priùs fieret à clero & à plebe, conabatur synodus apud sanctam Macram, exemplo Cabilonensis Concilij

habiti anno sexcentesimo quinquagesimo, electiones episcopales revocare ad Episcoporum provincialium arbitrium. Ad quos eos maximè impellebat, ni fallor, Græcorum usus, qui canone edito in synodo contra Photium anno DCCCLXX. (cujus acta Latinè publicaverat Anastasius) disertè firmatus fuerat. Licèt enim illis canonibus nondum uterentur Episcopi Galli, ut factum postea, attamen præjudicio illo majores concipiebant animos ad vindicandam synodo provinciali Episcoporum electionem. Sed cùm difficilis esset veteris illius juris plena restitutio, sic interpretatus est Hincmarus canonem illum Laodicenum, ut saltem locum haberet quando clerus & plebs indignum elegissent; quo casu devoluta esset electio ad Metropolitanum & Episcopos.

IV. Eodem sensu canonem hunc explicuerat Hincmarus epistola ad Bellovacenses in formula quarta in appendice tomi secundi Conciliorum Galliæ. *Prænoscere vos denique volo*, inquit, *quia si personam à sacris canonibus deviam scienter nobis adduxeritis, non solùm ex ea Pontificem non habebitis, verùm etiam pro illicita electione, ut contemptores canonum, judicium incurretis. Sed & nostro ac coëpiscoporum nostrorum judicio refutata rationabiliter electione vestra incongrua, talem secundùm Laodicenses canones studebimus eligere qui vestris vitiosis voluntatibus non valeat consentire.* Hinc trahi potest origo juris similis quod confirmatum est *cap.* VII. & XX. *De election.* ubi ob electionem indigni jus eligendi devolvitur ad Metropolitanum.

V. Quare quod in fine epistolæ duodecimæ concludit Hincmarus, de casu speciali cleri & populi Belvacensis, qui electionis jure privati erant, intelligendum est: *Conveniant, sicut statutum secundùm sacros canones fuit, in synodo, Episcopi, clerus, ac plebs Belvacensis Ecclesiæ, cum libero consensu vestro, sicut regium ministerium vestrum decet, & juxta legalem ac regularem formam electio exequatur, & ordinatio prosequatur.* Attamen Rex Ludovicus non cessit monitis Hincmari; sed potiùs auctoritate sua Odacrum elegit; neque se ab hoc proposito discessurum scripsit Hincmaro, donec in synodo universali conflata ex suo & regnis fratrum suorum aliter definiatur. Quod epistola sua ad Regem data graviter damnat Hincmarus, ut canonibus & legibus contrarium; & tandem, ut Ecclesiæ invasorem, excommunicatione plectit.

VI. Pro Carolomanno Rege, qui Ludovico successerat, Hincmarus admonitionem scripsit ad Episcopos; hæcque adnotavit capite quinto: *Qualiter autem consensu Principis terræ, qui res ecclesiasticas divino judicio ad tuendas & defensandas suscepit, electione cleri ac plebis quisque ad ecclesiasticum regimen absque ulla venalitate provehi debeat, & Dominus in evangelio & sacri canones apertè demonstrant, dicente Domino: Qui non intrat per ostium in ovile ovium, ille fur est & latro.*

VII. Ceterùm non erit inutile modum illum perscrutari quem temporibus Ludovici Pij & Caroli Calvi ejus filij sequerentur in electionibus clerus & populus, Episcopi, atque Principes, ut salva esset canonum auctoritas, cum bona Regum gratia. Illud verò non potest certiùs addisci quàm ex variis epistolis & formulis quas in appendice tomi secundi Conciliorum retulit Sirmondus. quem modum, ex illis collectum, hîc contrahemus in pauca.

De obitu Episcopi monendus erat Metropolitanus à clero & à populo Ecclesiæ vacantis, ut à Regis clementia liberam ac regularem electionem illis obtinere satageret. Form. 1. & 2. Enimvero quoniam Visitator Ecclesiæ vacanti dandus erat, qui electionis canonicè faciendæ curam susciperet, Metropolitanus, priùs admonito Principe, gratum illi Episcopum pro eo munere gerendo delegabat. Visitatori verò per literas suas dabat in mandatis ut ageret cum clero & plebe Ecclesiæ quatenus, remotis studiis, uno consensu virum aliquem probatum eligerent; forma electionis à canonibus præscripta publicè antea prælecta. Form. 2. Conventus autem ad faciendam electionem constabat non tantùm ex Clericis civitatis, sed etiam ex monachis monasteriorum parœciæ sive diœceseos, tum etiam ex delegatis à Presbyteris rusticanarum parœciarum, qui Possessorum quoque mandata deferebant; præter eos, laïci nobiles (qui Vassalli quoque dicuntur formula quinta) & cives urbis adesse debebant. Visitator verò conventum adloquebatur. Ac primò quidem concessam illi à Principe eligendi potestatem denuntiabat, (ut factum tempore Ludovici Imperatoris docet formula sexta) & dein hortabatur ad opus istud sincerè obeundum. Si vota consensissent in aliquem regularem virum, id est, cujus actus & vita à canonibus non discreparent, tunc urgente Visitatore decretum ab omnibus subscriptum de ejus electione fiebat: quod Visitator per se, aut per literas suas, ad Metropolitanum referebat; adjunctis aliquot è clero & plebe, qui omnium vice testimonium electo ferre possent. Tandem Metropolitanus decretum illud, à se priùs probatum, ad Regem mittebat, ejúsque consensum expectabat. Quo suscepto, literis suis evocabat coëpiscopos loco & die constituto ad ordinationem celebrandam: ubi fiebat examinatio canonica

ordinandi, juxta formulam undecimam & duodecimam. Ceterùm ex formula illa undecima constat consensum regium de persona electi hac conditione temperatum, *si Episcopi eum dignum ad onus episcopale invenire valerent.*

CAPVT XVI.

Synopsis.

I. Consensum regium suis quoque decretis disertè confirmarunt Concilia Galliarum temporibus Caroli Calvi & Lotharij Imp. habita.

II. Dein palatini Clerici à solo Principe designabantur ad episcopatus, absque ulla electione. Quod probatur duobus exemplis.

III. Aliud electionis palatinæ exemplum habetur apud Lupum Ferrariensem in causa Æneæ Episcopi Parisiensis.

IV. Sed ex eo Regum usu proficiscebantur ingentia incommoda. Plerunque enim promovebantur viri rudes atque imperiti & vitæ inexploratæ. Itaque Concilium Valentinum edixit ut si quis è palatio mitteretur, priùs diligenter examinaretur, ut sciri posset an episcopatu dignus esset.

V. Quandiu se Reges continuerunt intra terminos consensus, Pontifices quoque Romani ejus rationem habendam esse existimarunt.

VI. Non adeo tamen se demittebant Romani Pontifices in hoc electionem negotio quin aliquando sui loci memores essent. Quod probatur auctoritate Ioannis octavi, qui Lausanensis Episcopi institutionem in se traxit, ac tamen consensum à Carolo Crasso supplicitèr petit.

VII. Carolus Crassus quasdam Ecclesias libertate canonicæ electionum in perpetuum donavit, exempli causa, Genevensem, & Cabilonensem.

VIII. Sub Carolo Simplice, tametsi respublica variis motibus concussa fuerit, remansit tamen necessitas assensus regij in electionibus Episcoporum. Probatur auctoritate Ioannis decimi Papæ.

IX. Continuata est hæc potestas à sequentibus Regibus; ut ostenditur pluribus exemplis.

X. Initio tertiæ Regum nostrorum dynastiæ perseveravit prior illa consuetudo assensus regij.

I. CONSENSUM regium suis quoque decretis disertè confirmarunt Concilia Galliarum temporibus Caroli Calvi & Lotharij Imp. habita. Anno DCCCLIV. petunt à Carolo patres in synodo apud Theodonis-villam ut viduatis Ecclesiis quantocyus præficiantur Episcopi à Deo dati, & *à vobis regulariter designati.* Si omissus esset Principis consensus, irrita quidem non erat ordinatio, ut sapienter docuit Florus, attamen discordiæ seminarium erat. Quod ut averteret à capite Vvenilonis Senonensis, qui Rege non monito electum à clero & populo Agium Presbyterum Aurelianensi Ecclesiæ ordinaverat, Concilium Vernense anno DCCCXLIV. à Carolo postulat, quoniam rei illius alium exitum non videbat, ut ejus pietas quod à tantis viris actum est, ratum esse permittat.

II. Ceterùm non potuit his limitibus coërceri potestas regia; quæ aulicorum cupiditatibus incitata, electiones in aliis conservando, palatinos Clericos à solo Principe designari posse contendebat. Quod apertè docet Vvenilonis & Gerardi Comitis epistola apud Lupum Ferrariensem LXXXI. ad Amulum Archiepiscopum Lugdunensem. Hujus Amuli sedes cùm esset in parte regni Lotharij, prolixiùs à clarissimis illis viris Caroli nomine exorandus fuit ut Bernum Regis propinquum, & ab eo de Consiliariorum suorum consensu electum, in Augustodunensi Ecclesia ordinaret. Quod ut impetrent, addunt non esse novum ut à Rege nobilioribus Ecclesiis ex palatio deligantur antistites: *Idque vestræ prudentiæ Dominus noster jussit suggerere, non esse novitium aut temerarium quòd ex palatio honorabilioribus maximè Ecclesiis procurat antistites.* His subjungunt concessionem à Zacharia factam Pippino, de qua superiùs actum. Poterant edictum Clotarij Regis proferre, si fuisset illis obvium; cujus verba de hac specie intelligenda suo loco monuimus. Nec contenti Bernum commendare, eadem quoque ratione Godelsadum, à Rege electum, Cabilonensi Ecclesiæ admoveri petunt: *Godelsadum etiam, quem ex palatio suo more prædecessorum Regum majorum suorum, ut antè monstratum est, Cabilonensi Ecclesiæ præfici flagitat idem Rex, in hac Quadragesima non gravemini ordinare.* Quæ petitio locum habuit saltem in Godelsado, qui subscripsit Concilio Suessionensi anno DCCCLIII. sex annis post epistolam illam, quæ data est anno octingentesimo quadragesimo octavo.

Vide Notas Baluzij ad epist. 81. Lupi Ferrar.

III. Aliud electionis palatinæ exemplum habetur apud eundem Lupum ep. 98. & 99. in Ænea Parisiensi Episcopo, quem anno DCCCLIII. Carolus elegerat. Sed eum postea clerus quoque Ecclesiæ Parisiensis & fratres cœnobiorum sua quoque electione honestarunt, rogantes literis suis Senonensem Archiepiscopum & provinciæ Episcopos ut quantocyus ejus ordinatio perficiatur, ne dilatione divini & regij beneficij torquerentur. Ratio verò est in promptu cur Rex electionem Æneæ sibi assumpsisset: quoniam unus erat è Clericis aulicis, ut colligitur ex epistola Episcoporum ad clerum Ecclesiæ Parisiensis: *Quis enim vel leviter tetigit palatium cui labor Æneæ non innotuit, & fervor in divinis rebus non apparuit?*

IV. Quoniam verò non omnes episcopatibus admoti referebant Æneæ istius mo-

res, sed inexploratæ vitæ & rudes atque imperiti passim promovebantur, saltem in regno Gallicano Lotharij Imperatoris, qui omnia agebat pro arbitrio, ideo Concilium Valentinum anno DCCCLV. congregatum, quid agendum esset in his angustiis præscripsit canone septimo. Ac primùm quidem constituit ut post obitum Episcopi statim à Principe peteretur ut canonicam electionem clero & populo permitteret. *Sed etsi à servitio pij Principis nostri*, inquiunt, *aliquis Clericorum venerit ut alicui civitati præponatur Episcopus, timore casto sollicitè examinetur, primùm cujus vitæ sit, deinde cujus scientiæ. Et vigore ecclesiastico sub oculis omnipotentis Dei agat Metropolitanus in hac parte, Episcopis sicut Dei ministris adjutorium ferentibus, ne maculatæ vitæ, & pompis seculi turbidus, & simoniaca hæresi pollutus, humilibus & mundis membris Christi Ecclesiæque ipsius superponatur Episcopus, nec præsumat illiteratum, & cupiditate nimia cæcatum, redditurus facti sui rationem, populo Dei præficere.* Sanè in regno Caroli examen ordinandi mansit integrum penes Metropolitanos, ut diximus. Quod in regno Lotharij aliter se habebat. Ideóque Concilium hortatur Episcopos ut si rudis & improbatus ingeratur è palatio Episcopus, adeant Imperatorem cum clero & populo, ut *Ecclesiam Dei gloriosus Imperator digno honoret ministro.*

V. Quando intra consensus terminos Reges se continebant, Pontifices quoque Romani ejus rationem habendam docebant; ut patet ex epistola Ioannis octavi ad Aripertum Ebredumensem Episcopum anno DCCCLXXVIII. Hic Valdenum, *quem clerus & populus civitatis Vencensis elegerat, piæque memoriæ Imperator suo consensu firmaverat*, noluit consecrare post mortem Imperatoris, sed alium absque Ecclesiæ consensu. Quare Ioannes Archiepiscopo & partibus præcipit ut Romam veniant pro tanti negotij discussione.

VI. Ceterùm non adeo se demittebant Romani Pontifices in hoc electionum negotio quin aliquando sui loci memores essent. Cùm divisio ex gravi partium contentione exorta esset in Ecclesia Lausanensi, de Episcopi electione, Ioannes octavus severè interdicit Theodorico Archiepiscopo Bisuntinensi quatenus *ibi Episcopum neque jussu Regis, neque ex petitu plebis, consecrare præsumat*, donec *communi consulto* quem utiliorem præviderint, consecrari permittant de more. Hieronymum huic Ecclesiæ Ioannes præfici voluit: sed, qui ab initio non intervenerat, Regis consensum à Carolo Crasso ipse Pontifex suppliciter petivit, testatus illum Regi *fidelem in omnibus propriùmque esse, sicut ceteri regni Episcopi existunt.*

VII. Attamen reticenda non est Caroli Crassi erga quasdam Ecclesias benigna propensio, quas libertate canonica electionum in perpetuùm donavit. Hoc beneficium contulisse Ecclesiæ Genevensi scribit Ioannes VIII. epist. 281. Eidem Ecclesiæ electionem perenniter de proprio clero donaverat. Profert quoque vir clarissimus Sirmondus, tomo tertio Conciliorum Galliæ, ejusdem Caroli Præceptum Cabilonensi Ecclesiæ indultum anno DCCCLXXXV. *ut obeunte pastore proprio, omni deinceps tempore canonicam habeat electionem.* *Vide Notas Ieannis ad Concilia Galliæ Carolin. pag. 34.*

VIII. Temporis progressu non est imminuta potestas regia in electionibus, licèt per bella domi forísque gesta valde debilitata fuerit in rebus civilibus sub Carolo Simplice. Ejus rei fidem facit Ioannis Papæ decimi epistola anno DCCCCXXI. scripta ad Herimannum Colonienſem, quæ edita est tomo III. Conciliorum Galliæ. Hilduinus Ecclesiæ Tungrensis episcopatum ab Henrico Rege Germaniæ, bellum adversùs Carolum gerente, precibus & pretio impetravit; séque consecrari ab Herimanno Colonienſi vi metúque compulso per Gislebertum obtinuit. Quod factum apertè contra jus Caroli; in cujus regno sita erat civitas Leodium, sive Legia, (utroque enim nomine dicitur à Ioanne) ubi erat sedes Ecclesiæ Tungrensis. Vacanti sedi præficiendum Carolus elegit Richerium Abbatem, adjuncto quoque cleri & populi consensu. Delata dissidij istius querela ad Ioannem decimum illíque à Berengario Imperatore consanguineo Caroli commendata, præcipit Herimanno Ioannes ut Romam cum Hilduino & Richerio accedat ad definiendam hanc controversiam. Interim illum objurgat ob spretam Caroli auctoritatem. *Valde mirari non distulimus*, inquit, *cur contra rationem absque Regis jussione agere pertentastis; cùm vobis reminiscentibus hoc nullo modo esse debeat ut absque regali præceptione in qualibet parochia Episcopus sit consecratus.* Hujus antiqui moris originem à Romanorum Pontificum auctoritate profectam docens, usum illum in posterum observari jubet: *Vt prior antecessorum suorum Regum mos fuit, eum ita illibatam atque inconcussam dominationem obtinere delectamur. Et sicut priores suos antecessores, nostrorum antecessorum auctoritate, Episcopum per unamquamque parochiam ordinare probabiliter statutum est, ita ut Carolus Rex faciat confirmando jubemus.* In epistola ad Carolum ad priscam consuetudinem & regni dignitatem hoc refert: *De hoc quòd*

quòd Gislebertus contra vestra sceptra inutiliter gessit, valde doluimus, eò quòd prisca consuetudo & regni nobilitas censuit ut nullus Episcopum ordinare debuisset absque Regis jussione. Necessitatem assensus regij apertè prædicat. Neque enim de nominatione electioni prævia intelligendum puto.

IX. Continuata est hæc potestas à sequentibus Regibus; ut fidem facit Artaldus Episcopus Remensis apud Flodoardum lib. III. historiæ Remensis cap. XXXV. 'qui se electum ait à clero & populo, dante illis Rodulfo Rege *id agendi facultatem ad Dei honorem & sui fidelitatem.* In Chronico Frodoardi anno DCCCCLXII. eligitur Odolricus ad Remensem episcopatum, *favente Lothario Rege.* Quam ob rem non dubitat Adalbero Remensis in decreto suo de reformatione cœnobij Mosomensis anno DCCCCLXXXIII. profiteri *sibi episcopium gratia Dei & benignitate regia conraditum.* His addi potest apertum testimonium Gerberti in epistola LXXX. ad Virdunensem Ecclesiam: *Pastorem tuum voluntate hereditariÿ Regis*, (id est, Ludovici filij Lotharij) *consensu & favore comprovincialium Episcoporum electum, ac insuper episcopali benedictione donatum, adhuc pertinax minimè recognoscis.* Mox: *Ideo Pastorem non recognoscis, quia Regem tuum regno privare moliris.* Vnde colligi quoque potest Episcopos tunc persuasum habuisse, cum Regis assensu Episcopos provinciales, non expectata cleri & plebis voluntate, potuisse Episcopum eligere atque ordinare.

X. Initio tertiæ Regum nostrorum dynastiæ perseveravit prior illa consuetudo assensus regij. Quod testatur decretum electionis Arnulfi in Episcopum Remensem, factum ab Episcopis provinciæ *cum omni clero, acclamante populo, orthodoxis Regibus Hugone & Roberto consentientibus*, anno nongentesimo octuagesimo nono. Iidem Episcopi, post abdicationem Arnulfi, elegerunt Gerbertum, *favore & conniventia utriusque Principis Domini Hugonis Augusti & excellentissimi Regis Roberti, assensu quoque eorum qui Dei sunt in clero & in populo.*

CAPVT XVII.

Synopsis.

I. Ventum est tandem ad Tractatum de jure Regali. Materia isthæc omnino bene tractata est quoad quæstiones quæ in foro occurrunt. Nemo tamen ejus juris originem hactenus assecutus est. Referuntur in aversione variæ plurimorum sententiæ.

II. Itaque visum est inquirere accuratè ac diligenter in hanc materiam; quæ valde nobilis est.

III. Pasquierius censebat difficilè ostendi posse originem juris Regaliæ. Plurimùm autem conferet ea investigatio ut agnosci possit quid statuendum sit in lite quæ ab Agentibus generalibus in rebus cleri mota est pro asserenda libertate quarundam Ecclesiarum.

IV. Jus illud non successit in locum investiturarum. Diversum enim non est ab investituris.

V. Consilium operis explicatur.

I. AGENDUM itaque deinceps nobis est de jure Regaliæ, quòd ea sit præcipua libri hujus scribendi causa. Et in antecessum quidem admonendus est lector eam materiam prorsùs bene tractatam esse à viris perquàm eruditis, quoad quæstiones quæ in foro occurrunt, de modis videlicet acquirendi & conservandi Beneficij juri Regaliæ obnoxij. Nondum tamen repertus est quisquam qui ejus originem assecutus sit, neque ipsius vocabuli quo jus illud significatur. Id unum pertinaciter asseritur, jus Regaliæ ab ipsis regni initiis exortum, regiæ majestati connexum vinculis arctissimis; sive ita visum Episcopis in gratiam Clodovei Regis ad Christianam fidem conversi, ut placuit quibusdam; sive tandem quòd ea auctoritas ita principatui competat ut necessarius non fuerit prævius Episcoporum consensus. Tum jus illud ideo Regaliam vocari, quòd merè regium sit, & vel inter nobiliores regiæ dignitatis partes recensendum, adeo ut cùm soli Regi competat, cum nemine alio communicari possit; exclusis etiam ab eo jure iis penes quos sub Rege puero administrandæ Reipublicæ cura est, quos *Regentes regni* recepto jamdiu vocabulo nominamus. Eò enim tantùm tendit eorum sententia qui materiam istam omnium accuratissimè tractaverunt.

II. Verùm quoniam illi in limine substiterunt, neque ad originem juris pervenere quod à suis haud dubiè initiis profectum est, cùm tamen adeo illustre sit argumentum, ob dignitatem Regis & Episcoporum, quos ea res tangit, ut credi vix possit ita obscuram esse hanc materiam quin deprehendi possint hujusce juris initia & progressus, facturum me operæ pretium existimavi si in eam curam diligenter & accuratè incumberem; præsertim cùm ex ea causa regnum & sacerdotium non semel dissociata sint, atque ad institutum meum omnino pertineat.

III. Deterrebat me tamen, fateor, ab ea investigatione viri clarissimi Stephani Pasquierij auctoritas, qui in suis illis Disquisitionum Francicarum libris adnotavit nondum à quoquam proditam fuisse origi-

nem Regaliæ. neque id iujuriâ. nam si quid in nostra historia obscurum est, id in primis prædicandum esse de hac materia. Referam autem ipsa viri verba: *Qui ait donné l'ancienneté de la Regale, je ne l'ay encore veu; non sans cause. Car s'il y a obscurité en nostre histoire, c'est en celle-cy.* Sed præterquam quòd instituti mei ratio postulat ut inquiram in originem juris, quæ adhuc sub judice lis est, an jus illud Regaliæ porrigatur ad universas regni Ecclesias, id quoque exigere videtur. Deprehensa enim semel origine hujus juris, faciliùs intelligemus quidnam videatur statuendum in causa quam in sacrum consistorium attulerunt Agentes generales in rebus cleri, qui quamplurimas regni Ecclesias ab eo jure exemptas & immunes esse contendunt.

Recherches de Pasquier liv. 2. ch. 35.

IV. Itaque procul ab eorum sententia recedo qui ævo Ludovici XI. nomine Parlamenti Parisiensis apud Regem orantes, pronuntiarunt jus illud Regaliæ successisse in locum investiturarum. Nam contendo diversum illud non esse ab investituris, quin imò ipsas esse investituras, prout cum consensu Regum nostrorum modificatæ fuerunt in Conciliis Claromontano & Remensi & à Calisto secundo Papa anno millesimo centesimo vigesimo secundo, & prout usu ipso explicatæ sunt post tempora ejusdem Pontificis.

V. Ad explicandam autem opinionem meam necessarium videtur ostendere quid antiqui canones in Gallia recepti præceperint quoad fructus episcopatuum vacantium, quid dein ex vetusto illo jure immutatum sit, & quæ tandem causæ fuerint harum immutationum. Tum de investituris instituenda quæstio, quæ per multum ævi Ecclesiam commoverunt. Quo loco docendum erit quid eo nomine intelligerent majores nostri, quinam esset earum usus in Gallia, ubi primùm titulo concessionis usurpatæ sunt, ac dein investiturarum, demum verò sub vocabulo Regaliæ.

CAPVT XVIII.

Synopsis.

I. Vetus Ecclesia nullos reditus habebat præter oblationes fidelium. Post Constantinum, Ecclesiæ locupletatæ sunt pluribus latifundiis, liberalitate fidelium. Quarto demum seculo inter ordinarios cleri reditus numerabantur fructus ex agris & possessionibus Ecclesiæ.

II. Quoniam verò agri illi maximam habebant invidiam, plebem eorum curam in se suscipere rogabat Augustinus, vitandæ invidiæ. Verùm id obtinere non potuit à laïcis; ut docet Possidius.

III. Eandem ob causam, & ne suspicioni avaritiæ paterent Episcopi, quibus bonorum ecclesiasticorum cura incumbebat, Concilium Chalcedonense statuit ut in unaquaque Ecclesia cathedrali Oeconomus institueretur, è clero illius Ecclesiæ eligendus. Quæ institutio legibus quoque Principum confirmata est.

IV. Eam renovarunt Concilia Hispaniæ: quam in usum revocavit Gregorius magnus. Septima synodus Oecumenica edicit ut si Episcopus fuerit negligens in instituendo Oeconomo, negligentiam ejus suppleat Metropolitanus. quod & à Patriarcha fieri jubetur quoad Ecclesias Metropolitanas. Ætate Zonaræ hæc institutio non observabatur in Oriente.

V. Oeconomus ergo bona Ecclesiæ administrabat vivente Episcopo, itemque post mortem ejus, ex præscripto Concilij Chalcedonensis, quo jubetur ut bona Ecclesiæ vacantis futuro antistiti conserventur ab Oeconomo. Explicatur canon Chalcedonensis.

VI. Propria Episcopi bona pertinent ad eos quos ipse heredes suos testamento esse jusserit. quod probatur variis auctoritatibus. Si verò decesserit intestatus, tum propinquos ejus heredes esse oportet, secundùm canonem apostolicum itémque Antiochenum. quod Balsamoni quoque placitum.

VII. Eadem est sententia canonis XXII. synodi Chalcedonensis, qui explicatur. Notatus Innocentius secundus Papa, qui sensum hujus canonis non cepit.

VIII. Notati etiam Zonaras & Balsamo, qui prorsùs malè ceperunt sensum ejusdem canonis Chalcedonensis.

IX. Bona Episcopi ex reditibus Ecclesiæ comparata pertinent ad Ecclesiam, ex canone XXIV. Antiocheno. Vniversa Episcoporum morientium bona in suos usus vertebant Metropolitani in Oriente. quam consuetudinem sustulit Concilium Trullanum.

X. In Occidente quoque Clerici intervertere tentabant bona mobilia Episcopi mortui. Vetitum id à Concilio Ilerdensi. Idipsum, quoad laïcos, prohibuerunt Vrbanus secundus & Innocentius secundus.

XI. Antiqua Concilia Gallicana decreverunt bona Ecclesiarum vacantium ac spolia Episcoporum decedentium servari debere, expendenda in utilitatem Ecclesiæ & pro futuro successore. Potestates pervadere cœperunt res Ecclesiæ post mortem Episcoporum paulò ante Concilium Trosleianum.

ADDITIO.] *Bona morientium Episcoporum à laïcis diripi prohibuerunt Vrbanus secundus & Innocentius secundus, itémque Callistus secundus. Referuntur canones Concilij Tolosani sub Calisto habiti, antehac non editi. Raimundus Comes Barcinonensis pollicitus est se deinceps non invasurum bona Episcoporum provinciæ Tarraconensis. Exemplum illud sequuta est Ermengardis Vicecomitissa Narbonensis, laudata ob hoc ab Hadriano quarto Papa. Attamen in Gallia Narbonensi perseverabat ea consuetudo ævo Gregorij noni & Innocentij quarti.*

I. VETUS Ecclesia nullis aliis reditibus ad suppeditandas expensas alendis Episcopis & Clericis sive etiam pro juvanda inopum paupertate necessarias fruebatur præter oblationes fidelium: quæ, ut adnotavit Irenæus, eò usque as-

quòd Gislebertus contra vestra sceptra inutiliter gessit, valde doluimus, eò quòd prisca consuetudo & regni nobilitas censuit ut nullus Episcopum ordinare debuisset absque Regis jussione. Necessitatem assensus regij apertè prædicat. Neque enim de nominatione electioni prævia intelligendum puto.

IX. Continuata est hæc potestas à sequentibus Regibus; ut fidem facit Artaldus Episcopus Remensis apud Flodoardum lib. III. historiæ Remensis cap. XXXV. 'qui se electum ait à clero & populo, dante illis Rodulfo Rege *id agendi facultatem ad Dei honorem & sui fidelitatem.* In Chronico Frodoardi anno DCCCCLXII. eligitur Odolricus ad Remensem episcopatum, *favente Lothario Rege.* Quam ob rem non dubitat Adalbero Remensis in decreto suo de reformatione cœnobij Mosomensis anno DCCCCLXXXIII. profiteri *sibi episcopium gratia Dei & benignitate regia conraditum.* His addi potest apertum testimonium Gerberti in epistola LXXX. ad Virdunensem Ecclesiam: *Pastorem tuum voluntate hereditariÿ Regis*, (id est, Ludovici filij Lotharij) *consensu & favore comprovincialium Episcoporum electum, ac insuper episcopali benedictione donatum, adhuc pertinax minimè recognoscis.* Mox: *Ideo Pastorem non recognoscis, quia Regem tuum regno privare moliris.* Vnde colligi quoque potest Episcopos tunc persuasum habuisse, cum Regis assensu Episcopos provinciales, non expectata cleri & plebis voluntate, potuisse Episcopum eligere atque ordinare.

X. Initio tertiæ Regum nostrorum dynastiæ perseveravit prior illa consuetudo assensus regij. Quod testatur decretum electionis Arnulfi in Episcopum Remensem, factum ab Episcopis provinciæ *cum omni clero, acclamante populo, orthodoxis Regibus Hugone & Roberto consentientibus*, anno nongentesimo octuagesimo nono. Iidem Episcopi, post abdicationem Arnulfi, elegerunt Gerbertum, *favore & conniventia utriusque Principis Domini Hugonis Augusti & excellentissimi Regis Roberti, assensu quoque eorum qui Dei sunt in clero & in populo.*

CAPVT XVII.

Synopsis.

I. Ventum est tandem ad Tractatum de jure Regali. Materia isthæc omnino bene tractata est quoad quæstiones quæ in foro occurrunt. Nemo tamen ejus juris originem hactenus assecutus est. Referuntur in aversione variæ plurimorum sententiæ.

II. Itaque visum est inquirere accuratè ac diligenter in hanc materiam; quæ valde nobilis est.

III. Pasquierius censebat difficilè ostendi posse originem juris Regaliæ. Plurimùm autem conferet ea investigatio ut agnosci possit quid statuendum sit in lite quæ ab Agentibus generalibus in rebus cleri mota est pro asserenda libertate quarundam Ecclesiarum.

IV. Jus illud non successit in locum investiturarum. Diversum enim non est ab investituris.

V. Consilium operis explicatur.

I. AGENDUM itaque deinceps nobis est de jure Regaliæ, quòd ea sit præcipua libri hujus scribendi causa. Et in antecessum quidem admonendus est lector eam materiam prorsùs bene tractatam esse à viris perquàm eruditis, quoad quæstiones quæ in foro occurrunt, de modis videlicet acquirendi & conservandi Beneficij juri Regaliæ obnoxij. Nondum tamen repertus est quisquam qui ejus originem assecutus sit, neque ipsius vocabuli quo jus illud significatur. Id unum pertinaciter asseritur, jus Regaliæ ab ipsis regni initiis exortum, regiæ majestati connexum vinculis arctissimis; sive ita visum Episcopis in gratiam Clodovei Regis ad Christianam fidem conversi, ut placuit quibusdam; sive tandem quòd ea auctoritas ita principatui competat ut necessarius non fuerit prævius Episcoporum consensus. Tum jus illud ideo Regaliam vocari, quòd merè regium sit, & vel inter nobiliores regiæ dignitatis partes recensendum, adeo ut cùm soli Regi competat, cum nemine alio communicari possit; exclusis etiam ab eo jure iis penes quos sub Rege puero administrandæ Reipublicæ cura est, quos *Regentes regni* recepto jamdiu vocabulo nominamus. Eò enim tantùm tendit eorum sententia qui materiam istam omnium accuratissimè tractaverunt.

II. Verùm quoniam illi in limine substiterunt, neque ad originem juris pervenere quod à suis haud dubiè initiis profectum est, cùm tamen adeo illustre sit argumentum, ob dignitatem Regis & Episcoporum, quos ea res tangit, ut credi vix possit ita obscuram esse hanc materiam quin deprehendi possint hujusce juris initia & progressus, facturum me operæ pretium existimavi si in eam curam diligenter & accuratè incumberem; præsertim cùm ex ea causa regnum & sacerdotium non semel dissociata sint, atque ad institutum meum omnino pertineat.

III. Deterrebat me tamen, fateor, ab ea investigatione viri clarissimi Stephani Pasquierij auctoritas, qui in suis illis Disquisitionum Francicarum libris adnotavit nondum à quoquam proditam fuisse origi-

nem Regaliæ. neque id iujuriâ. nam si quid in nostra historia obscurum est, id in primis prædicandum esse de hac materia. Referam autem ipsa viri verba: *Qui ait donné l'ancienneté de la Regale, je ne l'ay encore veu; non sans cause. Car s'il y a obscurité en nostre histoire, c'est en celle-cy.* Sed præterquam quòd instituti mei ratio postulat ut inquiram in originem juris, quæ adhuc sub judice lis est, an jus illud Regaliæ porrigatur ad universas regni Ecclesias, id quoque exigere videtur. Deprehensa enim semel origine hujus juris, faciliùs intelligemus quidnam videatur statuendum in causa quam in sacrum consistorium attulerunt Agentes generales in rebus cleri, qui quamplurimas regni Ecclesias ab eo jure exemptas & immunes esse contendunt.

Recherches de Pasquier liv. 2. ch. 35.

IV. Itaque procul ab eorum sententia recedo qui ævo Ludovici XI. nomine Parlamenti Parisiensis apud Regem orantes, pronuntiarunt jus illud Regaliæ successisse in locum investiturarum. Nam contendo diversum illud non esse ab investituris, quin imò ipsas esse investituras, prout cum consensu Regum nostrorum modificatæ fuerunt in Conciliis Claromontano & Remensi & à Calisto secundo Papa anno millesimo centesimo vigesimo secundo, & prout usu ipso explicatæ sunt post tempora ejusdem Pontificis.

V. Ad explicandam autem opinionem meam necessarium videtur ostendere quid antiqui canones in Gallia recepti præceperint quoad fructus episcopatuum vacantium, quid dein ex vetusto illo jure immutatum sit, & quæ tandem causæ fuerint harum immutationum. Tum de investituris instituenda quæstio, quæ per multum ævi Ecclesiam commoverunt. Quo loco docendum erit quid eo nomine intelligerent majores nostri, quinam esset earum usus in Gallia, ubi primùm titulo concessionis usurpatæ sunt, ac dein investiturarum, demum verò sub vocabulo Regaliæ.

CAPVT XVIII.

Synopsis.

I. Vetus Ecclesia nullos reditus habebat præter oblationes fidelium. Post Constantinum, Ecclesiæ locupletatæ sunt pluribus latifundiis, liberalitate fidelium. Quarto demum seculo inter ordinarios cleri reditus numerabantur fructus ex agris & possessionibus Ecclesiæ.

II. Quoniam verò agri illi maximam habebant invidiam, plebem eorum curam in se suscipere rogabat Augustinus, vitandæ invidiæ. Verùm id obtinere non potuit à laïcis; ut docet Possidius.

III. Eandem ob causam, & ne suspicioni avaritiæ paterent Episcopi, quibus bonorum ecclesiasticorum cura incumbebat, Concilium Chalcedonense statuit ut in unaquaque Ecclesia cathedrali Oeconomus institueretur, è clero illius Ecclesiæ eligendus. Quæ institutio legibus quoque Principum confirmata est.

IV. Eam renovarunt Concilia Hispaniæ: quam in usum revocavit Gregorius magnus. Septima synodus Oecumenica edicit ut si Episcopus fuerit negligens in instituendo Oeconomo, negligentiam ejus suppleat Metropolitanus. quod & à Patriarcha fieri jubetur quoad Ecclesias Metropolitanas. Ætate Zonaræ hæc institutio non observabatur in Oriente.

V. Oeconomus ergo bona Ecclesiæ administrabat vivente Episcopo, itemque post mortem ejus, ex præscripto Concilij Chalcedonensis, quo jubetur ut bona Ecclesiæ vacantis futuro antistiti conserventur ab Oeconomo. Explicatur canon Chalcedonensis.

VI. Propria Episcopi bona pertinent ad eos quos ipse heredes suos testamento esse jusserit. quod probatur variis auctoritatibus. Si verò decesserit intestatus, tum propinquos ejus heredes esse oportet, secundùm canonem apostolicum itémque Antiochenum. quod Balsamoni quoque placitum.

VII. Eadem est sententia canonis XXII. synodi Chalcedonensis, qui explicatur. Notatus Innocentius secundus Papa, qui sensum hujus canonis non cepit.

VIII. Notati etiam Zonaras & Balsamo, qui prorsùs malè ceperunt sensum ejusdem canonis Chalcedonensis.

IX. Bona Episcopi ex reditibus Ecclesiæ comparata pertinent ad Ecclesiam, ex canone XXIV. Antiocheno. Vniversa Episcoporum morientium bona in suos usus vertebant Metropolitani in Oriente. quam consuetudinem sustulit Concilium Trullanum.

X. In Occidente quoque Clerici intervertere tentabant bona mobilia Episcopi mortui. Vetitum id à Concilio Ilerdensi. Idipsum, quoad laïcos, prohibuerunt Vrbanus secundus & Innocentius secundus.

XI. Antiqua Concilia Gallicana decreverunt bona Ecclesiarum vacantium ac spolia Episcoporum decedentium servari debere, expendenda in utilitatem Ecclesiæ & pro futuro successore. Potestates pervadere cœperunt res Ecclesiæ post mortem Episcoporum paulò ante Concilium Trosleianum.

ADDITIO.] *Bona morientium Episcoporum à laïcis diripi prohibuerunt Vrbanus secundus & Innocentius secundus, itémque Callistus secundus. Referuntur canones Concilij Tolosani sub Calisto habiti, antehac non editi. Raimundus Comes Barcinonensis pollicitus est se deinceps non invasurum bona Episcoporum provinciæ Tarraconensis. Exemplum illud sequuta est Ermengardis Vicecomitissa Narbonensis, laudata ob hoc ab Hadriano quarto Papa. Attamen in Gallia Narbonensi perseverabat ea consuetudo ævo Gregorij noni & Innocentij quarti.*

I. VETUS Ecclesia nullis aliis reditibus ad suppeditandas expensas alendis Episcopis & Clericis sive etiam pro juvanda inopum paupertate necessarias fruebatur præter oblationes fidelium: quæ, ut adnotavit Irenæus, eò usque as-

surgebant ut decimam redituum partem egrederentur; quò manifestum omnibus esset caritatem Christianorum longè esse supra Iudæorum pietatem. At postquam Constantinus magnus Imperator Christianis fecit potestatem relinquendi quandam bonorum suorum partem clero, quem lex vocat *sanctissimum Concilium*, tum liberalitate fidelium locupletatæ sunt Ecclesiæ pluribus latifundiis. Præterea Episcopi ex pecunia publica augebant patrimonia Ecclesiarum, metuentes videlicet ne refrigescente paulatim caritate Christianorum, pauperum tandem nulla cura esset; quemadmodum adnotavit Chrysostomus, qui plebis crudelitatem acriter exagitat, quòd parsimonia sua Episcopos adegisset ad curam rerum secularium. Itaque quarto seculo inter ordinarios cleri reditus numerabantur fructus ex agris & latifundiis Ecclesiæ collecti, ut patet ex canone XXV. Concilij Antiocheni, quo statuitur ut ij proventus ex decreto Episcopi & ex sententia Presbyterorum & Diaconorum impenderentur ad alendum Episcopum & clerum, & ad juvandos pauperes.

L. 1. Cod. de sacros. Eccles. *Unusquisque sanctissimo venerabilique Concilio discedens bonorum quod optavit possit relinquere.*

Chrysostomus hom. 86. in Matth. hom. 11. in 1. Cor. & hom. 37. ad populum Antioch.

II. Secundùm hanc institutionem legimus apud Possidium in vita Augustini cap. XXII. Episcopum illum Hipponensem pauperibus erogare solitum aliquid ex reditibus patrimoniorum Ecclesiæ, vel ex oblationibus fidelium. Quoniam verò agri illi Ecclesiæ maximam habebant invidiam, & ob id Clerici acerbè traducebantur malevolorum quorundam linguis & sermonibus, huic malo mederi cupiens Augustinus plebem horum latifundiorum curam in se suscipere rogabat, ut ea ratione Clerici ab ea administratione liberarentur, quò vivere deinceps cogerentur ex solis oblationibus Christianorum. Verùm id obtinere non potuit à laïcis. *Pauperibus erogabat*, inquit Possidius, *vel ex reditibus possessionum Ecclesiæ, vel etiam ex oblationibus fidelium. Et dum fortè, ut assolet, de possessionibus ipsis invidia Clericis fieret, alloquebatur plebem Dei malle se ex collationibus plebis Dei vivere quàm illarum possessionum curam vel gubernationem pati. --- Sed nunquam id laici suscipere voluerunt.* Idem conatus infeliciter quoque cessit magno illi viro Ioanni Chrysostomo Episcopo Constantinopolitano: qui ut administrationem patrimonij ecclesiastici à se removeret, populum Constantinopolitanum orabat eam curam suscipere. *Quare rogo & obsecro*, inquit ille in homilia LXXXVI. in Matthæum, *aream & torcular vestram devotionem fieri. Sic enim & pauperes facilius alentur, & Deus glorificabitur.*

III. Enimvero quoniam necessaria erat cura extraordinaria in recipiendis & expendendis reditibus universæ diœceseos, ac præterea ne hinc adversùs Episcopum oriri posset suspicio avaritiæ, vel fortean is dilapidasse crederetur pecuniam publicam, canone XXVI. Concilij Chalcedonensis statutum est ut in unaquaque Ecclesia episcopali Oeconomus institueretur, è clero illius Ecclesiæ eligendus. Id postea confirmatum est ab Imperatoribus; quorum leges extant in Nomocanone Photij Tit. X. cap. 1. & in Codice Iustiniani. Iubent enim Principes ut Episcopi ministros hujuscemodi constituant; ac nonnulla statuunt observanda circa eorum administrationem, tum pro referendis rationibus.

IV. Concilium Hispalense secundum & Toletanum quartum renovarunt constitutionem Concilij Chalcedonensis. In usum autem eam revocans Gregorius magnus quendam Episcopum compelli jubet ad instituendum Oeconomum. Synodus verò Nicæna secunda, quæ est septima Oecumenica, jubet in canone undecimo ut si Episcopus quispiam negligat instituere Oeconomum, Metropolitanus illius suppleat hanc negligentiam. quod & ipsum observari à Patriarcha jubet, quoad Ecclesias metropolitanas, si negligentia similis fuerit in Metropolitanis. At Zonaras adnotat in commentario ad hunc canonem, institutionem illam in usu non fuisse ætate sua apud Ecclesiam orientalem; quemadmodum in Occidente quoque omissa est, postquam bona Ecclesiarum inter Episcopos & Capitula fuere divisa.

Concil. Hispal. 2. c. 9. Tolet. 7. c. 47. Gregor. l. lib. 2. ep. 22. & lib. 9. ep. 66.

V. Non solùm autem diœceseos bona vivente Episcopo administrabat Oeconomus, sed etiam postquam is abierat è vita. Nam in eo casu Concilium Chalcedonense præcipit canone XXV. ut reditus Ecclesiæ viduatæ conserventur integri apud Oeconomum: τὰ μὲν τοι παρόντων τῶν χηρευούσης ἐκκλησίας σῶα καὶ τῷ οἰκονόμῳ τῆς αὐτῆς ἐκκλησίας φυλάττεσθαι. Hunc canonem ex versione Dionysij Exigui refert Gratianus dist. LXXV. his verbis: *Reditus verò viduatæ Ecclesiæ integros reservari apud Oeconomum ejusdem Ecclesiæ.* Sed ex eo capite laborat hic canon quòd non doceat præcisè quamnam ob causam reditus illi conservandi sint ab Oeconomo: quam tamen colligere licet ex canone secundo Concilij Valentini, in quo statuitur ut Metropolitanus Oeconomum instituat in Ecclesia vacante, qui & redituum administrationem suscipiat, & sumptus suppeditet Clericis Ec-

cleſiæ ; ea tamen lege, ut rationem eorum redituum futuro Epiſcopo reddere teneatur. *Vt ſede epiſcopali vacante*, inquit canon, *Metropolitanus ex ea Oeconomum deputaret ; qui Clericis ſtipendia diſpenſaret, & bona adminiſtraret, futuro Epiſcopo rationem redditurus.* Eadem ratione, & quidem apertiùs, canonem XXV. Chalcedonenſem explicat Zonaras in ſuis commentariis. Ait enim, ſi fortè contingat ordinationem Epiſcopi differri per trimeſtre aut etiam longius ſpatium temporis, tum futuro Epiſcopo ſervandos eſſe reditus apud Oeconomum, qui impendia neceſſaria præſtabit, onera epiſcopatus ſuſtinebit, reliquum verò ſervabit: ἡ τοῦ ὁσίου φυλάττειν ὀφείλει τῷ χειροτονηθησομένῳ ἐπισκόπῳ τῶν τοῦ οἰκονόμου ἐκκλησίας, ποιοῦντος τὰς ἀναγκαίας ἐξόδους τοῦ ἐπισκοπῆς, καὶ ὑπομένοντα ἴσως φυλάττοντος.

Zonaras in can. 25. Conc. Chalced.

VI. Præter fructus verò qui ſede vacante colliguntur, aliud quoque bonorum genus eſt quæ in controverſiam deducuntur poſt obitum Epiſcopi, bona nimirum ejus, ſive ea mobilia ſint, ſive immobilia. Cui difficultati proviſum eſt in canone XXIV. Concilij Antiocheni, juxta canones apoſtolicos. Nam diſtinguens hic canon bona propria Epiſcopi ab iis quæ ex reditibus Eccleſiæ profecta erant, præcipit ut ſumma penes Epiſcopum libertas ſit heredes eorum bonorum teſtamento ſcribendi in quorum poſſeſſione fuerat ante ordinationem, ſive etiam eorum quæ dein ad eum donatione, ſucceſſione, aut emptione pervenerint ; modò ne nomen aut reditus Eccleſiæ ad eam emptionem inſumpti fuerint. quod & leges etiam Imperatorum ſancivere, ac præterea Concilium Agathenſe canone XXXIII. & Toletanum octavum canone quarto. At ſi Epiſcopus moriatur inteſtatus, tum propinquos ejus heredes eſſe oportet, ſecundùm canonem apoſtolicum itémque Antiochenum. Quod Theodoro quoque Balſamoni placitum ; cujus ea ſunt verba in commentario ad canonem XXII. Concilij Chalcedonenſis: ὑπογεγραφὼς ὁ γνωμοδότης, ἐὰν ἀδιαθέτος ὁ ἐπίσκοπος τελευτήσῃ, νομίζω ὅτι κατὰ νόμους ὑπὸ τῶν ἐξ ἀδιαθέτου καλουμένων τὰ ὑπάρχοντα αὐτοῦ κληρονομηθήσεται.

VII. Addam verò, videri prorsùs eam eſſe veram mentem canonis XXII. Concilij Chalcedonenſis : in quo prohibetur ne poſt deceſſum Epiſcopi, Clerici invadant bona quæ propria erant Epiſcopi, id eſt, in detrimentum heredum aut propinquorum ipſius Epiſcopi. Docet præterea canon ille reditus Eccleſiæ ſervandos eſſe in uſus Eccleſiæ, non autem à Clericis vertendos in propria commoda. Quæ explicatio confirmatur auctoritate horum verborum Latinæ verſionis: *ſicuti præcedentibus regulis conſtitutum habetur.* Nam ſuperiorum Conciliorum canones diſcrimen adhibuerunt inter propria Epiſcopi bona, quæ ad propinquos ejus pertinere decernunt, & bona eccleſiaſtica, quæ cedere debent in utilitatem Eccleſiæ. Quare integrum & perfectum hujus Chalcedonenſis canonis ſenſum non cepit Innocentius ſecundus in Concilio Lateranenſi ; qui exiſtimat eam legem, quæ pervadi Epiſcopi mortui bona vetat, capiendam tantùm eſſe de bonis quæ ad Eccleſiam & futurum Epiſcopum pertinere debent.

VIII. Inutile porrò non erit heic per tranſennam adnotare peſsimam eſſe lectionem à Zonara & Balſamone adductam in ſuis commentariis ad canonem hunc XXII. Chalcedonenſem, eámque adverſari ei quæ extat in editionibus Græcis, qnam ſecutus eſt Dionyſius Exiguus : καθὼς δὲ τοῖς τὰ τῶν λαμβάνουσιν ἀπηγόρευται. quod illi explicant de Clericis ſive Metropolitanis qui ſuſceperunt cuſtodiam bonorum mobilium Epiſcopi defuncti. Eam autem interpretationem hauſerunt ex canone XXXV. ſextæ ſynodi: quæ tamen Chalcedonenſi poſterior eſt, & abuſum noviter emergentem emendat, cui nulla ſuperiorum ſynodorum providerat. Vnde ſequitur eam patribus Chalcedonenſibus mentem eſſe non potuiſſe ut abuſum illum abolere cogitaverint qui nondum fuerat uſurpatus.

IX. Ceterùm quoad bona Epiſcopi ex reditibus Eccleſiæ comparata, Concilium Antiochenum in eodem canone XXIV. apertè pronuntiat ea pertinere ad Eccleſiam : τὰ μὲν τοῦ τῆς ἐκκλησίας αὐτῇ φυλάττειν. Metropolitanorum nihilominus avaritia peſſimam quandam conſuetudinem invexerat in Orientem. Nam prætextu curæ quæ eis incumbebat in procuranda electione Epiſcopi in ſede vacante, invadebant bona propria decedentis Epiſcopi atque etiam ea quæ ad Eccleſiam ejus pertinebant, eáque vertebant in ſuos uſus. Id ſeverè prohibuit ſynodus in Trullo canone XXXV. quo decernitur ut ea bona à clero illius civitatis conſerventur uſque ad ordinationem futuri Epiſcopi ; vel certè ſi Clerici illic nulli forent, ea Metropolitanum jubet ſervare ſucceſſori.

X. In Occidente quoque Clerici intervertere tetabant bona mobilia Epiſcopi mortui. Quod fieri deinceps vetuit Concilium Ilerdenſe canone XVI. in quo decernitur ut *omnia uſque ad tempus ſubſtituendi Pontificis conſerventur his qui in domo inveniuntur, Clericis conſuetam alimonium miniſtrando.* Cap. hoc tit. q. 2

Idipsum quoad laïcos qui bona mobilia decedentium Episcoporum invadebant prohibuit Vrbanus secundus in Concilio Claromontensi anno MXCV. itémque Innocentius secundus in Concilio Lateranensi anno MCXXXIX. quorum decreta adfert Gratianus 12. q. 2.

XI. Ideo autem antiquas regulas canonicas adducere heic placuit, ut omnes intelligerent reditus patrimoniorum Ecclesiæ vacantis, ac spolia Episcoporum decedentium, nunquam pertinuisse ad Principes, quin imò universa hæc emolumenta servari debuisse expendenda in utilitatem Ecclesiæ, & pro futuro successore. Quod adeo placuit vetustis illis Episcopis Gallicanis ut jus illud in canonibus eorum fuerit constitutum, in Concilio nempe Reiensi habito anno CDXXXIX. canone quinto, in Francofordiensi anno DCCXCIV. can. XLI. in Pontigonensi anno DCCCLXXVI. can. XIV. & in Trosleïano anno nongentesimo nono can. decimo quarto, ex quo colligere licet tum cœpisse invalescere usum illum occupandi spolia Episcoporum: *Quia inter nostrates hic pessimus inolevit mos ut defuncto Ecclesiæ Episcopo mox à quibuscunque potentioribus pervadantur res Ecclesiasticæ.*

ADDITIO

STEPHANI BALUZII.

PESSIMAM illam consuetudinem, qua receptum ubique in Occidente erat ut bona morientium Episcoporum diriperentur à laïcis, coërcitam esse ab Vrbano II. & ab Innocentio II. rectè adnotat illustrissimus Archiepiscopus. Et Vrbani quidem decretum in synodo Claramontana factum à nobis editum est suprà in Additione ad cap. XXXI. lib. VI. ex veteri codice MS. monasterij Anianensis. Post Vrbanum, & ante Innocentij tempora, Callistus secundus idem statuit anno MCXIX. in Concilio Tolosano; ut testatur Bernardus Guidonis Episcopus Lodovensis his verbis à Catello relatis in libro quinto Memoriarum historiæ Occitanicæ pag. 877. *Primitiæ quoque, & decimæ, oblationes, & bona cetera deficientis Episcopi & Clericorum fuerunt Principibus & quibuscunque laïcis sub pœna sacrilegij interdicta.* Sed extant in eodem codice Anianensi canones synodi illius à Callisto secundo in cathedrali Ecclesia sancti Stephani celebratæ; quos, cùm nondum editi fuerint, heic addere visum est, quò major sit hujus institutionis auctoritas. Plura porrò de hoc argumento dicturi alias sumus Deo juvante.

CONCILIVM TOLOSANVM

HABITVM ANNO MCXIX.

ANNO ab incarnatione Domini MCXIX. octavo Idus Iunij, præsidente venerabili Calixto Papa II. anno pontificatus sui primo, in Concilio Tolosano, unà cum Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus Provinciæ, Gotiæ, Gasconiæ, Hispaniæ, & citerioris Britanniæ, hæc sunt capitula recitata, & assensu totius Concilij confirmata. Videto. VI. Spicilegij pag. 35.

I. Sanctorum patrum vestigiis insistentes ordinari quemquam per pecuniam in Ecclesia Dei vel promoveri auctoritate sedis apostolicæ omnibus modis prohibemus. Si quis autem sic ordinationem vel promotionem acquisiverit, acquisita prorsùs careat dignitate.

II. Nullus etiam in Præpositum, nullus in Archipresbyterum, nullus in Decanum, nisi Presbyter, nullus in Archidiaconum, nisi Diaconus, ordinetur.

III. Porrò eos qui religionis speciem simulantes, dominici corporis & sanguinis sacramentum, baptisma puerorum, sacerdotium, & ceteros ecclesiasticos ordines, & legitimarum damnant fœdera nuptiarum, tanquam hæreticos ab Ecclesia Dei pellimus & damnamus, & per potestates exteras coërceri præcipimus. Defensores quoque ipsorum eodem damnationis vinculo, donec resipuerint, innodamus.

IV. Primitias, decimas, oblationes, & cimiteria, domos etiam, & bona cetera deficientis Episcopi & Clericorum à Principibus vel quibuslibet laïcis diripi & teneri penitùs interdicimus. Qui verò pertinaciter ista præsumpserint, ab Ecclesiæ liminibus tanquam sacrilegi arceantur.

V. Liberos homines, Clericos, seu laïcos nulla omnino ecclesiastica secularisve persona vinculo servitutis addicat.

VI. Nullus Clericorum pro ecclesiasticis Beneficiis servire laïcis compellatur.

VII. Quartam decimarum & oblationum partem ad Episcoporum pertinentem nullus auferre præsumat.

VIII. Nullus Episcopus, nullus Presbyter, nullus omnino de clero ecclesiasticas dignitates & Beneficia cuilibet quasi jure hereditario derelinquat.

IX. Illud etiam adjicientes præcipimus, ut pro sacri olei & chrismatis & sepulturæ acceptione nullum venditionis pretium exigatur.

X. Si quis ecclesiasticæ militiæ titulo insignitus, monachus, vel Canonicus, aut etiam quilibet Clericus, primam fidem irritam faciens, retrorsum abierit, aut tanquam laïcus comam barbámque nutrierit, Ecclesiæ communione privetur, donec prævaricationem suam digna satisfactione correxerit.

POST habita illa Concilia, Raimundus Comes Barcinonensis scripto pollicitus est anno millesimo centesimo trigesimo septimo, biennio ante Concilium Lateranense Innocentij, se deinceps invasurum non esse bona Episcopi Barcinonensis. quod postea porrectum est anno MCL. ad omnes cathedrales Ecclesias provinciæ Tarraconensis, laudabili exemplo.

Illud enim paulò pòst secuta est religiosissima femina Ermengardis Vicecomitissa Narbonensis; quæ similem sponsionem Petro Narbonensi Archiepiscopo fecit anno MCLV. confirmatam dein ab Hadriano quarto Summo Pontifice. Sed præstat heic describere ipsa eorum acta, partim ex Chartulario Ecclesiæ Barcinonensis, partim etiam ex Chartulario Archiepiscopi Narbonensis.

Ex Chartulario Ecclesiæ Barcinonensis.

Privilegium quod Raimundus Comes Barchinonæ & Marchio dedit, promisit, & vovit Deo & Episcopo Barcinonensi, se non emperare de aliquid sui episcopatus in morte vel vita.

AD æterni Regis honorem, necnon ad sanctæ Crucis sanctæque Eulaliæ sedis utilitatem. Ego Raimundus Dei gratia Barchinonensis Comes & Marchio, æquo animo, sincero affectu dono, voveo, offero omnipotenti Salvatori nostro Deo, atque Arnallo Barchinonensis sedis electo, & omni ejusdem Ecclesiæ Canonicorum venerabili cœtui, quòd ab hodierna die inantea bona Episcopi ejusdem sedis, aut res quæ possessioni ejus pertinere videantur, sive in vita, sive post mortem, nullius personæ consilio imparem, nec imparari faciam, neque auferam, neque auferri faciam, nec alicujus occasionis ingenio defraudem, vel defraudari faciam. Sed deinceps ea sub tuitione mea recipio; ut semper omnia sub defensionis meæ auxilio tueantur, & potenter regantur. Adjicio iterum, quòd Arnallo Barchinonensis Ecclesiæ electo adjutor sum & defensor ad omnem sui episcopatus honorem habendum, tenendum, & possidendum, & quòd omnia suprascripta fideliter impleam; exceptis tantummodo castellis in quorum causis sive stabilimentis fuerim necessarius. Hoc autem devotionis meæ propositum nullus successorum meorum transgredi vel violare præsumat; sed omnis progenies mea hæc in perpetuum fideliter impleat. Quod est actum II. Kal. Iulij anno dominicæ incarnationis CXXXVII. post millesimum, Regisque Francorum junioris primo.

Ex Chartulario Ecclesiæ Barcinonensis, & ex archivo Episcopi Gerundensis.

Privilegium quod Raimundus Comes Barchinonensis & Princeps Aragonum & Marchio in exercitu Almeriæ promisit Deo, quòd in morte Episcoporum nil raperet vel acciperet de rebus defuncti.

AD notitiam omnium fidelium volumus pervenire qualiter ego Raimundus nutu Dei Comes Barchinonensis, Princeps Aragonum, ac Marchio, dum olim essem in procinctu itineris Almeriæ, divina mihi inspirante clementia votum vovi Domino Deo, atque in manu Domini B. Tarraconensis Archiepiscopi aliorúmque Episcoporum, videlicet G. Barchinonensis, B. Gerundensis, P. Ausonensis, qui tunc ibi aderant, donavi, quòd quandam nefariam consuetudinem, quæ quondam extiterat in cathedralibus Ecclesiis nostri regiminis, extirparem & abolerem. Erat enim consuetudo ut decedentibus Episcopis bona pontificalia quæ in palatiis & in castris & in dominicaturis ipsorum inveniebantur, à Bajulis & Vicariis patris mei & aliorum prædecessorum meorum diriperentur & distraherentur. Quod quia agnovi alienum esse à divinis legibus & humanis, supradictam detestabilem consuetudinem, sicut tunc verbo delevi, sic nunc præsenti scripto in perpetuum evacuo & derelinquo, sicut meliùs ad utilitatem & dignitatem ipsarum sedium intelligi potest; ita videlicet quòd nec ego, nec ullus de filiis vel successoribus meis, nec aliquis vivens per nostram vocem in cathedralibus Ecclesiis & in earum castris & dominicaturis hoc deinceps possit exigere, expetere, vel habere. Sed omnia, quæcunque tam in pane, quàm in vino, pecoribus, & pecudibus, & omnibus domorum utensilibus, omnibúsque ad jus ipsorum episcopatuum pertinentibus à decedentibus Episcopis fuerint congregata, cum omni integritate successoribus Episcopis tradantur profutura. Hanc diffinitionem & evacuationem facio propter amorem Dei & remedium animæ meæ & parentum meorum, & ut omnipotens in hoc & in futuro seculo mihi indulgeat. Hoc decretum nostræ diffinitionis & evacuationis si quis infringere tentaverit, nisi resipuerit & satisfecerit, iram Dei omnipotentis incurrat. Quod est actum VIII. Idus Augusti, anno dominicæ incarnationis MCL. apud Gerundam, in anno regni Ludovici junioris XIV.

Ex Chartulario Archiepiscopi Narbonensis.

IN nomine Domini Iesu. Anno ab incarnatione ejus MCLV. Notum sit omnibus ad quorum auditum ista devenerint quòd ego Ermengardis Narbonensis Vicecomitissa recognoscens injuriam quam parentes mei & ego in possidendis honoribus & bonis diripiendis decedentium Archiepiscoporum Narbonensis Ecclesiæ huc usque perperam fecimus, justitiæ instinctu & pietatis intuitu, pro remedio animę meæ & parentum meorum, per bonam fidem, & sine malo ingenio, solvo, guirpisco, derelinquo, & cum hac charta omnino desanparo Domino Deo & beatis martyribus Iusto & Pastori, & tibi Petro Narbonensi Archiepiscopo, & successoribus tuis in perpetuum, quicquid videlicet rapere vel aliqua occasione accipere solebam ego seu aliquis pro me Narbonæ, sive in alio aliquo loco, in honore aut in bonis decedentium Archiepiscoporum perceptis vel percipiendis. Hæc, inquam, omnia ego jamdicta Ermengardis Narbonensis Vicecomitissa per me & per heredes meos solvo atque omnimodo Narbonensi Ecclesiæ in pace derelinquo, ita quòd nunquam amplius liceat mihi sive heredibus meis per se vel per alios in toto honore & in ceteris rebus ad prælibatam Ecclesiam pertinentibus ad læsionem ipsius Ecclesiæ ulla occasione aliquid accipere. Ceterùm si aliquis Narbonæ, sive apud Cruscadas, in quibus locis ego defuncto Archiepiscopo hanc injuriam exercere solebam, in his quæ ad Archiepiscopum pertinent, sive sint honores, sive sint fructus percepti vel percipiendi, aut aliqua alia res, occasione defuncti Archiepiscopi aliquid amparaverit vel abstulerit, ego Ermengardis jamdicta Vicecomitissa ad id quod in jamdictis locis ablatum esset recuperandum bona fide & sine enganno supradictam Ecclesiam juvarem & defenderem. Hac igitur ratione ego Petrus supra memoratus Narbonensis Ecclesiæ Archiepiscopus pro hac diffinitione & suprascriptæ injuriæ remissione, consilio Aldeberti Nemausensis, Petri Lodovensis, Artaldi Elenensis Episcoporum, & Bertrandi Abbatis sancti Ægidij, & Poncij & Rotguerij Narbonensium Archidiaconorum, dedi tibi præfatæ Ermengardi Narbonensi Vicecomitissæ duo millia solidos Melgorienſis monetæ. Præterea ego Ermengar-

dis Narbonensis Vicecomitissa recognosco me juras-se cum charta de sacramentali tibi Petro memorato Archiepiscopo hæc omnia sicut superiùs scripta sunt me observaturam ; & mando atque obligo heredes meos in perpetuum ut hoc idem sacramentum sem-per Archiepiscopo, sicut in charta de sacramentali scriptum est, faciant. Factum est autem hoc apud Montempessulanum, mense Ianuarij, XVIII. Kal. Fe-broarij, die Sabbati, sub Lodoïco Francorum Rege de sancto Iacobo redeunte, in præsentia Petri Lodo-vensis Episcopi & Artaldi Elenensis Episcopi & Pon-cij & Rotguerij Narbonensium Archidiaconorum &c.

Ex Chartulario Archiepiscopi Narbonensis.

ADRIANUS Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Berengario Archiepiscopo & dile-ctis filiis Archidiaconibus & universo cleto Narbo-nensi salutem & apostolicam benedictionem. Quo-niam apostolicæ sedis curam Deo, prout ipsi placuit, disponente suscepimus, quieti & paci universarum Ecclesiarum sollicita nos convenit attentione prospi-cere, & quæ pro earum tranquillitate acta videri-mus, auctoritate apostolica confirmare ; ita ut quæ semel ad honorem Dei, decorem domus ejus, & sa-lutem fidelium fuerint constituta, nulla diuturnita-te temporis in oblivionem neglectúmque deveniant, nulláque machinatione pravorum à sua valeant sta-bilitate moveri. Dilecta verò in Christo filia nostra nobilis mulier Ermengardis Narbonæ domina pra-vam quandam consuetudinem, quæ contra Deum & Ecclesiam vestram antiquitus inoleverat, divinæ legis amore ac tuæ, frater Archiepiscope, dilectio-nis intuitu abolere desiderans, ad remissionem pec-catorum suorum instituit ut te vel tuorum succes-sorum quolibet obeunte, nullus Princeps, nullus Ca-stellanus, nulla omnino secularis persona, episcopa-lia bona invadere, diminuere, aut perturbare præ-sumat, sed omnia futuro antisti inconcussa & integra conserventur. Ejus itaque nos pium comprobantes affectum, & renuntiationem ipsius ratam habentes, eam auctoritate apostolica confirmamus & firmam & illibatam perpetuis temporibus decernimus per-manere. Archiepiscopo itaque, quicunque pro tem-pore fuerit, decedente, nec terræ Princeps, nec Ca-stellanus aliquis, sive Miles, nec secularis aliqua laïcáve persona, sub obtentu alicujus consuetudinis, Narbonensis Ecclesiæ bona diripere vel direpta au-deat retinere. Si quis autem attentare præsumpserit, & infra quadraginta dies præsumptionem suam sa-tisfactione congrua non correxerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apo-stolorum ejus incurrat, & tanquam sacrilegus fide-lium communione privatum & vinculo se noverit ex-communicationis adstrictum, & à nemine sine licen-tia Romani Pontificis aut Legati ex ejus latere de-stinati possit absolvi. Data Laterani v. Idus Decem-bris.

ATTAMEN pessima illa consuetudo non adeo abolita fuit in Gallia Narbonensi, tametsi illic sub pœna sacrilegij prohibita fuerit à Callisto secundo & Hadriano quarto Summis Pontificibus, ut non & Gre-gorij noni ævo perseveraverit. Extant enim in archivo Archiepiscopi Narbonensis literæ illius Pontificis ad Archiepiscopum Narbonensem & ad Episcopos Ma-galonensem & Helenensem, quibus acerbè exagitat morem illum, & invasoribus bonorum episcopalium pœnam excommunicationis intentat. Paritum est for-tassis præcepto Gregorij. Sed dein alio titulo hunc morem retinere conati sunt laïci, prætextu videlicet conservationis bonorum Ecclesiæ, donec successor Episcopus fuerit ordinatus ; ut constat ex epistola In-nocentij quarti ad Archiepiscopum Narbonensem & Episcopum Helenensem, quæ extat in eodem archi-vo, & ex epistola Clementis quarti ad Episcopum Biterrensem, quam descripsimus olim ex archivo Ecclesiæ Tolosanæ. Epistolas illas heic subjicere visum est, cùm spectent ad materiam Regalium, de qua agitur in hoc libro.

GREGORIUS Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Archiepiscopo Narbonensi & Magalonensi & Elenensi Episcopis salutem & apostolicam benedictionem. Ad audientiam nostram fama referente pervenit quòd Senescalli & Balivi carissimi in Christo filij nostri illustris Regis Fran-ciæ in Narbonensi provincia constituti, decedentibus Ecclesiarum Prælaris in eadem provincia, castra, villas, & alia bona Ecclesiarum vacantium contra juris debitum usurpare ac id de novo in Ecclesia-rum juribus attentare præsumunt quod nullo tem-pore à prædecessoribus ipsius Regis vel aliis occasio-ne Regalium vel alia extitit attentatum. Vnde ip-sis nostris dedimus literis in mandatis ut à prædicto-rum excessuum præsumptione omnino desistant. Ideóque fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus si dicti Senescalli & Balivi man-datum nostrum neglexerint adimplere, vos eos ab hujusmodi præsumptione cessare monitione præmis-sa per censuram ecclesiasticam appellatione remota cogatis. Proviso ne in terram dicti Regis excommu-nicationis vel interdicti sententiam proferatis, nisi super hoc à nobis mandatum receperitis speciale. Quòd si non omnes iis exequendis potueritis interes-se, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Laterani XVII. Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno undecimo.

INNOCENTIUS Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Archiepiscopo Narbonensi & Episcopo Elnensi salutem & apostolicam benedi-ctionem. Ad aures nostras Ecclesiæ Gallicanæ que-rela perferente pervenit quòd nonnulli regni Fran-corum Barones, Ballivi, Præpositi, ac eorum & alio-rum nobilium ejusdem regni officiales eandem Eccle-siam contra libertatem ipsius graviter comprimen-tes, aliquando per se, aliquando ad mandatum do-minorum seu majorum suorum, & interdum motu proprio, res & bona Ecclesiarum, hominum earun-dem, & ecclesiasticarum personarum capiunt, & in-terdum capi faciunt per eos qui suas contra ipsas Ec-clesias vel personas exerunt actiones, ut per adver-sarios graviùs infestentur, & capta, ut sic ab ipsis aliquid extorqueant, detinent pro suæ arbitrio volun-tatis. Eorum autem aliqui jus talia faciendi sibi ex eo vendicare nituntur, quòd cùm Ecclesiæ vel per-sonæ ecclesiasticæ sub eorum custodia sive advoca-tione consistant, ex frequenti exercitio hujusmodi captionis se fore in possessione jurisdictionis hujus-modi exercendæ per ipsos in Ecclesias vel personas ec-clesiasticas, homines & res ipsarum, licèt peccandi diuturnitas non jus eis sed damnationem afferat, & in subversionem privilegij ordinis Clericorum talis actus frequentia in consuetudinem convalescere ne-queat, asseverant. Habebat insuper Ecclesiæ præfa-tæ querela quòd vacantibus interdum Ecclesiis seu

monasteriis regni prædicti, si super provisione ipsorum duratura discordia oriatur, iidem Barones & alij Barones prætextu guardiæ seu advocationis ad bonorum temporalium eorundem custodiam dissipatores & consumptores deputant, non custodes, in enormem Ecclesiarum & monasteriorum sæpius læsionem. Feruntur etiam quidam esse Ballivi, Præpositi, & officiales eorum, qui multò cariùs solito sua emunt officia, spem damnabilis lucri ponentes in servitiis seu exactionibus quæ ab Ecclesiis, hominibus earum, & personis ecclesiasticis extorquent quodammodo violenter, dum ratione guardiæ seu advocationis hujusmodi eorum nomine, à quibus hujusmodi emunt officia, ecclesiastica bona capiunt, vel capi mandant aliquando eo tempore, agriculturæ videlicet, messium, ac vindemiarum, quo eisdem majora damna noscuntur, etsi vexationem suam ab ipsis redimant, imminere. Super quibus præfata Ecclesia apostolicum petiit remedium adhiberi. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus præfatos Barones, Ballivos, Præpositos, officiales, & alios Narbonensis provinciæ, quotiens opus fuerit, ut ab hujusmodi Ecclesiarum & ecclesiasticarum personarum gravaminibus conquiescant, attentè monere ac efficaciter inducere studeatis: & si ad monita fuerint pertinaces, ipsos super iis per excommunicationem in personas & interdictum in terras eorum, appellatione remota, veritate per vos vel per alios cognita, compescatis. Non obstante si eisdem à sede apostolica sit indultum quòd excommunicari nequeant vel eorum terræ ecclesiastico subjici interdicto absque speciali sedis ejusdem mandato plenam vel expressam seu de verbo ad verbum faciente de indulto hujusmodi mentionem, sive constitutione de duabus dietis edita in Concilio generali, aut statuto Concilij Lugdunensis de aliquibus per generalem clausulam *Quidam alij* ultra tres vel quatuor auctoritate literarum nostrarum in judicium non trahendis. Nam cùm privilegia mereantur amittere abusores eisdem, ecclesiasticæ immunitatis eversoribus, quò minùs disciplinalis disciplinæ meritos patiantur aculeos, nulla volumus privilegia vel indulgentias seu constitutionis beneficia suffragari. Quòd si non ambo iis exequendis potueritis vel nolueritis interesse, alter vestrum, non expectato reliquo, ea nihilominus exequatur. Datum Perusij VIII. Kal. Augusti, pontificatus nostri anno decimo.

Concil. Lugdun. sub Innoc. 4. c. 1.

Clemens Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Episcopo Bitterrensi salutem & apostolicam benedictionem. Significavit nobis venerabilis frater noster Episcopus Tolosanensis quòd cùm fama volante in illis partibus mendaciter diceretur quòd ipse viam fuerat universæ carnis ingressus, Vicarius in Tolosa dilecti filij nobilis viri Comitis Tolosæ, prætextu regalium quæ in bonis episcopatus Tolosanensis eidem Comiti indebitè vendicare contendit, domos, bona, & cameras episcopales temerario ausu intrare ac bona ipsius Episcopi ibidem inventa nequiter occupare præsumpsit, certis tandem custodibus ad præmissorum domorum, bonorum, & camerarum custodiam deputatis. Verùm cùm hujusmodi præsumptionis excessus adeo esset notorius quòd nulla posset tergiversatione celari, Officialis Tolosanensis in dictum Vicarium & omnes dantes ei super hoc auxilium & favorem, canonica monitione præmissa, excommunicationis sententiam exigente justitia promulgavit. Quare dictus Episcopus nobis humiliter supplicavit ut sententiam ipsam robur faceremus firmitatis debitum obtinere. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus sententiam ipsam, sicut rationabiliter est prolata, facias auctoritate nostra usque ad satisfactionem condignam appellatione remota inviolabiliter observari. Datum Viterbij XIII. Kalendas Novembris, pontificatus nostri anno tertio.

CAPVT XIX.

Synopsis.

I. Principibus dein permissus est ususfructus redituum Ecclesiæ vacantis. Inquiritur in causas hujus innovationis factæ adversùs canones. Profectum id ex collatione feudorum. Explicantur jura feudorum.

II. Primus omnium Clodoveus Rex jura regia contulit Ecclesiis. Beneficus quoque in Ecclesias fuit Rex Pippinus. Prudens Caroli magni consilium in distribuendis feudis in gratiam Episcoporum. Affluentia donationum orta est ex liberalitate Episcoporum; qui de antiquæ pœnitentiæ rigore pro modo liberalitatis remittebant in eorum gratiam qui liberales erant erga Ecclesias.

III. Jus illud Principibus quæsitum in bona ecclesiastica ob conditionem feudorum, auctum deinde fuit ob necessitatem assensus regij in electionibus Episcoporum. Quæ consuetudo introducta à Concilio quinto Aurelianensi, vires accepit ab edicto Clotarij secundi.

IV. Reges nostri in Præceptis suis episcopalem dignitatem committebant electis.

V. Hincmarus rectè explicat quò referenda sit illa Principum concessio. Illam enim intellexit de assensu regio & de administratione facultatum Ecclesiæ quam Rex committebat electo.

VI. Concessio illa bonorum ecclesiasticorum, & consensus electioni adhibitus, explicantur vocabulis laudandi & investiendi in decreto Hadriani primi in Synodo Romana facto, quod decretum esse suppositium affirmant viri eruditissimi.

VII. Refellitur Baronius, qui existimavit leges Capitularium derogare huic concessioni & investituris. Investituræ feudorum fiebant cum quadam solennitate, veluti per festucam, per ramos arborum, & alia similia. Concessio verò episcopatus fiebat per annulum & baculum.

VIII. Sanctus Romanus Rothomagensis Episcopus in pontificali sede institutus est post acceptum à Ludoveo secundo baculum pastoralem. Probabile est ita à sequentibus Regibus usurpatum. Idipsum usurpabatur à Regibus Angliæ.

IX. Gregorius septimus ferre non potuit hunc investiturarum usum. Itaque eum prohibuit in variis Conciliis. Primus autem omnium, ut adnotat Vuillelmus Malmesburiensis, Episcopos excommunicavit, si investituram à laicis acciperent per baculum & annulum. Tum laicos etiam excommunicat si eam concedere præsumpserint.

X. Inquiritur in causas hujus prohibitionis.

XI. Spreta tamen hac prohibitione Principes retinuerunt usum investiturarum.

XII. Nam jussa illa Gregorij efficere non potuerunt ut Reges antiqua majestatis privilegia aboleri sinerent. Ac præterea repugnabant Episcopi huic novitati.

novitati. Probatur ex Vualtramo Episcopo Naumburgensi, illorum temporum scriptore.

XIII. Eam prohibitionem renovavit Vrbanus secundus, laudabili tamen adhibito temperamento inter abruptam pervicaciam & deforme obsequium.

XIV. Explicatum temperamentum illud adductis verbis Ivonis Episcopi Carnotensis. Juvatur explicatio ex facto Paschalis secundi, qui Ludovici Francorum Regis præsidium imploravit adversùs Henricum quintum Imperatorem investituras acriter retinentem.

I. ITAQUE permissus est deinceps Principibus ususfructus redituum Ecclesiæ vacantis, contrà quàm priscæ regulæ statuerant; ut in capite superiori diximus. Si quis verò inquirat in causas tam magnæ immutationis, is reperiet eam esse profectam ex immutatione quæ facta est in conditione & qualitate bonorum ab Ecclesia possessorum. Quemadmodum enim in republica quoddam bonorum genus extat quod vulgò *feudum* vocant, incognitum Romano Iuri, ideóque novis constitutionibus & antiquarum legum dispositioni contrariis inductum, sic, cùm Ecclesiæ Regum beneficio donatæ fuissent bonis hujuscemodi, necessarium prorsùs fuit ut illæ possiderent feuda iis conditionibus quas in prima feudorum origine invexit publica utilitas. Ergo personæ ecclesiasticæ quæ feuda possidebant, per consequentiam fiebant vassalli Regum, illíque præstare tenebantur homagium & juramentum fidelitatis itémque certum militum numerum juxta valorem feudorum. Præterea Regi tradere tenentur arces & castra quoties id Regis utilitas postulabit. Vnde sequitur necessariò Regem post obitum Episcopi, quòd eo casu feudum vacet, illud ad se recipere posse ac retinere donec novus Episcopus investituram feudi receperit homagiúmque ac juramentum fidelitatis præstiterit. Interim tamen Regi competit jus quoddam fruendi reditibus, dum custodia durat.

II. Primus omnium Clodoveus Rex jura regia Ecclesiis manu liberali concessit; ut constat ex testamento sancti Remigij apud Flodoardum. Cujus exemplum imitati sunt Reges primæ stirpis. Pippinus quoque, qui secundæ stirpis auctor fuit, eandem liberalitatem exercuit, exempli causa, data Narbonensi Ecclesiæ medietate comitatus Narbonensis, ut apud Carellum testatur Carolus Calvus. Beneficus quoque fuit in alias regni sui Ecclesias; quò constaret eum haud minùs curasse de augendis bonis Ecclesiarum regni quàm Romanæ, cui exarchatum Ravennæ contulerat. At Carolus magnus, ut observat Vvillelmus Malmesburiensis in libro quinto de gestis Regum Anglorum, præter causas pietatis, motus etiam fuit ad distribuenda liberali manu bona Ecclesiis ob utilitatem reipublicæ, existimans nimirum Episcopos sanctiùs observaturos fidem promissam, ac præterea, si res ita postularet, Principem adversùs rebelles adjuvaturos ope feudorum datorum & excommunicationum pondere. *Carolus magnus*, inquit Vvillelmus Malmesburiensis, *pro contundenda gentium illarum* (id est, Germanorum) *ferocia omnes penè terras Ecclesiis contulerat, consilioſissimè perpendens nolle sacri ordinis homines tam facilè quàm laicos fidelitatem domini rejicere. Præterea si laici rebellarent, illos posse excommunicationis auctoritate & potentiæ severitate compescere.* Posteriores Reges decessorum exemplo illustria feuda contulerunt Ecclesiis & monasteriis, id quod Duces & Comites imitati sunt postquam feuda facta fuerunt hereditaria. Sed tum præcipuè ea liberalitas viguit quando Episcopi, in eorum gratiam qui liberales erant erga Ecclesias, de rigore antiquæ pœnitentiæ remittebant pro modo liberalitatis. Quem morem ante hos sexcentos annos invaluisse docet in quadam epistola Petrus Damiani Cardinalis. *Cùm à pœnitentibus terram accipimus*, inquit, *juxta mensuram muneris eis de quantitate pœnitentiæ relaxamus; sicut scriptum est: Divitiæ hominis, redemptio ejus.*

III. Ius illud Principibus quæsitum in bona ecclesiastica, ob conditionem feudorum, auctum deinde fuit ob adjunctionem & concursum auctoritatis quam Reges Francorum à prima statim eorum stirpe possederunt, assentiendi nimirum electioni Episcoporum à clero & populo factæ, ut dein ordinari possent à Metropolitano. Consuetudo hæc introducta anno quingentesimo quadragesimo nono canone decimo Concilij quinti Aurelianensis, vires postea accepit ex edicto Clotarij secundi in synodo Parisiensi deliberato anno sexcentesimo decimo quinto. Statuit enim Clotarius ut Episcopus recens electus à clero & populo, si condigna persona fuerit, à Metropolitano consecretur, postquam ita Princeps jusserit. Ac tamen sibi reservat potestatem eligendi cum consilio Episcoporum & procerum Consilij regij eos ex ministris aut Clericis palatinis quos ad episcopatum promovendos esse existimaverit. Sic enim explicanda est ultima illa clausula edicti; *Si de palatio eligitur.* En ipsa verba: *Si persona condigna fuerit, per ordinationem Principis ordinetur. Vel certè si de palatio eligitur, per meritum personæ & doctrinæ ordinetur.*

IV. Formulæ Marculphi, itémque anti-

Flodoard. l. 2. hist. Rem. c. 8.

Vide Baronium ad ann. 1055. §. 8. & seqq.

quæ formulæ electionem Episcopalium quæ editæ sunt in tomo secundo Conciliorum Galliæ, continent verba quæ tum in usu erant quoad electiones & ordinationes Episcoporum, magnifica illa quidem pro jure Principum, sed quæ tandem gravissimos motus excitarunt in Ecclesia. Nam Rex in Præcepto suo ait committere se dignitatem episcopalem ei qui electus est: *Cum consilio & voluntate Pontificum procerúmque nostrorum, juxta voluntatem & consensum cleri & plebis ipsius civitatis, in supradicta urbe pontificalem in Dei nomine vobis commisimus dignitatem.* Tum clerus ac populus Principem orant ut eum qui electus est, instituere dignetur in episcopatu. *Postulamus*, inquiunt, *instituere dignemini illustrem virum.*

V. At Hincmarus Remensis Archiepiscopus, cui disciplinæ canonicæ nota erant omnia, optimè admodum explicat quò referenda sit hæc Principis concessio. Nam si verba ejus paulò accuratiùs expendantur, manifestum erit regiam in hac materia auctoritatem ad duo quædam capita porrectam fuisse; quorum unum in eo versabatur, ut Rex electioni consensum suum adhiberet, eámque approbaret; aliud verò respiciebat facultates & patrimonia Ecclesiæ, quarum rerum administrationem Rex illi committebat. Hæc enim sunt verba Hincmari in epistola ad Ludovicum tertium Francorum Regem. *Episcopi talem eligant*, inquit, *qui & sanctæ Ecclesiæ utilis, & regno proficuus, & vobis fidelis ac devotus cooperator existat; & consentientibus clero & plebe, eum vobis adducant, ut secundùm ministerium vestrum res & facultates Ecclesiæ, quas ad defendendum & tuendum vobis Dominus commendavit, suæ dispositioni committatis; & cum consensu ac literis vestris eum ad Metropolitanum Episcopum & coëpiscopos ipsius diœceseos, qui eum ordinare debent, transmittatis.* Ex quibus verbis mirificè probatur id quod paulò antè observabamus, nimirum quoddam jus novum in patrimonium ecclesiasticum Regibus quæsitum fuisse, ob necessitatem assensus regij pro ordinatione Episcopi electi, & ob naturam bonorum quibus Ecclesia fruebatur.

Vide suprà cap. 25. §. 1.

VI. Concessio illa bonorum ecclesiasticorum quam Rex faciebat, & consensus electioni adhibitus, explicantur vocabulis *laudandi* & *investiendi* in decreto Papæ Hadriani, quod in synodo Romana decretum est in gratiam Caroli magni. Decretum illud refertur à Gratiano cap. *Hadrianus*, dist. 63. ex historia ecclesiastica, id est, ex Sigeberto: cujus sensus hic est: *Ut nisi à Rege laudetur & investiatur Episcopus, à nemine consecretur.* Illustrissimus Cardinalis Baronius, ac post eum Binius, affirmant decretum illud suppositum fuisse à Sigeberto in gratiam Imperatoris Henrici, ut titulus legitimus videretur quæsitus ad propugnandum morem investiturarum, qui adversùs Summos Pontifices usurpatus fuerat ab Imperatoribus. Quoad decretum verò Papæ Leonis octavi, qui Privilegij ab Hadriano concessi mentionem facit, illúdque renovat in gratiam Ottonis primi Imperatoris, contendunt illud quoque esse supposititicium, ac præterea Leonem fuisse schismaticum. Transversos egit illos viros persuasio hæc, investituras non esse diversas ab electione, & jus illud esse quid extraordinarium. Attamen certissimum est Carolum magnum eo jure usum ante synodum illam Romanam. Vnde sequitur nihil in eo decreto novum esse præter juris illius extensionem, nempe ut eo uti possit in regno Italiæ, quemadmodum antea faciebat in provinciis regni Francici. Tum illud quoque novum conceditur, quòd Carolo potestas tribuitur eligendi Pontificem Romanum.

Baron. an. 774. §. 13. & seqq. & an. 964. §. 2. & seq.

Vide suprà cap. 12. §. 3. & seqq.

VII. Constitutiones quæ extant in Capitularibus Caroli, relatæ etiam in Decretum Gratiani, non derogant hujuscemodi concessionibus & investituris, ut visum est Cardinali Baronio: quoniam nihil aliud heic præcipitur quàm ut electione cleri & plebis personæ idoneæ promoveantur ad episcopatus. Verùm illud non impedit quin post electionem, & ante ordinationem, necessarius fuerit assensus regius, itémque concessio seu investitura.

Et lib. 1. Capitul. 29. Caroli. c. Sanct. dist. 63.

Investituræ porrò illæ, quæ effectus erant assensus regij, & concessio episcopatus, fiebant adhibitis quibusdam solennibus. Lex enim Salica, qua sola Rex utebatur, ceremonias quasdam introduxerat in quorumlibet fundorum traditione usurpandas; quæ in libris Capitularium vocantur *vestituræ*, fiebántque *per festucam*, *per ramos arborum*, & alia similia. Quamobrem Reges nostri, quando episcopatum committebant electo, investituram illius ei dabant *per baculum & annulum.*

VIII. Hinc factum ut antiquus scriptor vitæ sancti Romani Episcopi Rothomagensis doceat eum circa annum DCXXIII. baculum pastoralem accepisse à Clodoveo secundo Rege, statímque in sede pontificali institutum fuisse. *Rex*, inquit, *convocatis tam Episcopis quàm Abbatibus, baculum illi contulit pastoralem. Inthronizatur ergo pontificali apice.* Par est existimare eadem solennia adhibita in investituris Regum qui post

hunc regnarunt. Illud sanè certum est, Imperatores ante Gregorij septimi tempora eo jure usos fuisse, & tradidisse investituras per annulum & baculum, idque ante consecrationem, non solùm in Germania, sed etiam in regno Italiæ & in Arelatensi, eóque jure in regnis suis usos esse Reges Franciæ & Angliæ. Quare Matthæus Parisius refert Regem Edvvardum, qui ante Gulielmum Conquestorem vivebat, virgam episcopalem dedisse Vlstano Vigornienſi Episcopo. Ivo autem Carnotensis Episcopus de se scribit in epistola octava sibi vim quodam modo factam ut episcopatum acciperet, Clericos ipsum Regi præsentasse, hunc verò sibi tradidisse pastoralem virgam: *Cùm Clericorum primò ingenio*, inquit, *postea violentia, Regi fuissem præsentatus, & inde cum virga pastorali à Rege mihi intrusa ad Ecclesiam Carnotensem adductus.*

IX. At Gregorius septimus ferre non potuit hunc investiturarum usum, quòd is Episcopos Principibus nimiùm obnoxios esse cogeret, atque adeo minùs subjectos esse faceret apostolicæ sedi. Itaque illum deinceps prohibuit in variis Conciliis, arrepta occasione abusûs Henrici quarti Imperatoris, quem fama erat investituras infamibus tantùm personis dare, aut iis qui dato pretio illas emebant. Adnotat Vvillelmus Malmesburiensis primum omnium Gregorium septimum excommunicasse Episcopos electos, si à manu laïca investituram Ecclesiarum acciperent per baculum & annulum. *Hic quod alij mussitaverant*, inquit, *palam extulit, excommunicans electos qui investituras Ecclesiarum de manu laïci per anulum & baculum acciperent.*

Vvillelm. Malmesb. de gestis Reg. Anglor. in Vvillelmo 1.

Diserta porrò sunt Gregorij verba in synodo Romana habita anno millesimo septuagesimo octavo. *Quoniam* * *investituras Ecclesiarum*, inquit, *contra statuta sanctorum patrum à laïcis personis in multis partibus cognovimus fieri, & ex eo perturbationes plurimas oriri, ex quibus religio Christiana conculcatur, decernimus ut nullus Clericorum investituram episcopatus, abbatiæ, vel Ecclesiæ de manu Imperatoris vel Regis vel alicujus laïcæ personæ viri vel feminæ suscipiat. Quod si præsumpserit, recognoscat investituram illam apostolica auctoritate irritam esse, & se usque ad condignam satisfactionem excommunicatum.* Hæc prohibitio non solùm adversùs Episcopos, sed etiam adversùs Reges, iterata est anno MLXXX. in Concilio Romano. Hæc sunt decreti verba: *Si quis Imperatorum, Regum, Ducum, Marchionum, Comitum, vel quilibet secularium potestatum, investituram episcopatuum vel alicujus ecclesiasticæ dignitatis dare præsumpserit, ejusdem sententiæ vinculo se obstrictum esse sciat.*

*Vetus codex MS. S. Albini Andegav. habet investituram

X. Ratio autem una hujus prohibitionis hæc fuit, quoniam Principes contendebant episcopatum vi hujus investituræ dari electo, cùm tamen auctoritas episcopalis non pendeat à Regum gratia. Nam Gregorius ob eam causam, & ut odia universorum concitet adversùs investituras, eas multoties nominat *donum episcopatus*. Et hauddubiè formulæ harum concessionum iis verbis conceptæ erant, quemadmodum suprà adnotavi, ut viderentur Reges dare dignitatem episcopalem. Atque id eò magis probabile erat, quòd illa investituræ solennitas fieret per traditionem annuli & baculi. Baculus autem, signum erat auctoritatis pastoralis; ut inquiunt patres Concilij octavi adversùs Photium in actione sexta: βακτηρίου ὄντι σημείου ἀξίας ποιμαντικῆς.

Altera prohibitionis Gregorianæ ratio petitur à statutis sanctorum patrum, ut apertè scribitur in ipso canone. Alludit autem ad canonem XXII. ejusdem Concilij octavi adversùs Photium sub Hadriano secundo celebrati. Quod colligitur ex epistola ejus ad Hugonem Diensem Episcopum, Legatum suum; in qua ei præcipit ut synodum habeat apud urbem Lingonensem, in eóque conventu renovet prohibitiones factas Metropolitanis ne manus imponant eis qui donum episcopatus à laïcis acceperint, sub pœna privationis suæ dignitatis, Potestatibus verò qui hæc deinceps usurpabunt pœnam excommunicationis intentet, prout in Concilio octavo statutum est. *Nullus Metropolitanorum*, inquit, *aut quivis Episcoporum, alicui qui à laïca persona donum episcopatus susceperit, ad consecrandum illum manum audeat imponere, nisi dignitatis suæ honore officióque carere ipse velit. Similiter etiam ut nulla potestas aut aliqua persona de hujusmodi honoris donatione vel acceptione ulteriùs se intromittere debeat. Quod si præsumpserit, eadem sententia & animadversionis censura quam beatus Hadrianus Papa in octava synodo de hujusmodi præsumptoribus statuit, se astrictum fore cognoscat.* Canon porrò secundus itémque vigesimus Concilij octavi, in versione Anastasij Bibliothecarij, sanciunt juxta canones apostolicos *neminem laïcorum Principum vel potentum semet inserere electioni vel promotioni Patriarchæ vel Metropolitæ aut cujuslibet Episcopi.* At Ivo Carnotensis adnotavit canonem illum intelligendum esse de electionibus, non autem de concessionibus aut investituris; ut ostendam inferiùs §. XIV.

Greg. 7. lib. 4. ep. 22.

XI. Nihilominus, spreta hac prohibitione, quæ adversùs jura regia tentabatur, non solùm Imperatores, sed etiam Reges

Francorum & Anglorum, usum illum concedendarum investiturarum retinuerunt. Quod probatur ex regesto ejusdem Gregorij Papæ; qui Legatis suis præcepit ut cognitionem causæ suscipiant Episcopi Ambianensis, quem aliquot Episcopi consecraverant absente Metropolitano, postquam à manu laïca investituram receperat. quæ manus laïca alia intelligi non potest præter Regem Francorum: *Et præsertim si idem Ambianensis contra Romanæ synodi & apostolicæ sedis decretum de manu laïci, nefanda ambitione, & temerario ausu, investituram suscipere præsumpsit.*

XII. Nam jussa illa Gregorij efficere non potuerunt ut Reges antiqua majestatis privilegia aboleri sinerent; & Episcopis recti amantibus persuaderi non poterat ut novitates illas prorsùs amplecterentur. Intelligebant enim Gregorium, prætextu cujusdam solennitatis & odiosæ explicationis, Regibus adimere velle auctoritatem ipsis legitimè quæsitam. Quo factum est ut ea tempestate Waltramus Episcopus Naumburgensis Tractatum de investituris scripserit: in quo concludit investituram à Regibus concedi ratione bonorum temporalium ad Ecclesias pertinentium, & parum referre an à Principe fiat verbo, diplomate, aut baculo quem præ manibus habuerit; quoniam Episcopus in die consecrationis suæ baculum & annulum ponit super altare, unde illos dein recipit tanquam ab auctoritate beati Petri. Quapropter cùm baculus ille congruat aliquatenus rebus temporalibus & spiritualibus, congruum esse ait ut investitura ante omnia concedatur à Rege, quòd ea ratione tuta futura sint Episcopi bona adversùs vim tyrannorum & raptorum. *Nihil refert*, inquit Vvaltramus, *sive verbo, sive Præcepto, sive baculo, sive alia re quam in manu tenuerit, investiat aut inthronizet Rex & Imperator Episcopum. Quia die consecrationis veniens, annulum & baculum ponit super altare, & in curam pastoralem singula accipit à stola & auctoritate sancti Petri. Sed congruum magis est quòd per baculum, qui est temporalis & spiritualis, præcedens investitura per Regem in fundis & rebus Ecclesiæ contra tyrannos & raptores quieta & pacifica reddat omnia.*

Vide Eadmerum lib. 4. hist. Novor. pag. 94. & lib. 5. pag. 132. 133.

XIII. Victor III. Gregorij successor eam prohibitionem renovavit anno MLXXXVII. itémque Vrbanus secundus in synodo Claromontana anno MXCV. can. XVI. *Interdictum est ne Reges vel alij Principes aliquam investituram de ecclesiasticis honoribus faciant.* Quoniam verò Concilium illud habitum fuit in Gallia, probabile est Gallos se primos omnium accommodasse ad voluntatem & desiderium Vrbani Papæ: qui cùm Regis Philippi rationes non esse spernendas intelligeret, temperamentum invenit quo regia auctoritas conservaretur ac tamen prædecessorum suorum statuta manerent. Illud addiscemus ex epistola sexagesima Ivonis Episcopi Carnotensis, modò ea secundùm verum ejus sensum accipiatur.

Vide canonem integrum supra pag. 229. col. 2.

XIV. Scribens itaque Ivo ad Hugonem Archiepiscopum Lugdunensem sedis apostolicæ Legatum, qui Episcopo cuidam recens electo exprobrat quòd à Rege accepisset investituram episcopatus, hoc factum excusare nititur hac ratione. Distinguit enim electionem Episcoporum à concessione episcopatuum quam Principes faciunt iis qui electi sunt. Tum fatetur Concilium octavum prorsùs arcuisse Principes à jure electionis, sed non prohibuisse quin illi concessionem episcopatuum facere possint iis qui fuerint electi. Tantum autem abesse ut id sedes apostolica vetuerit ut etiam Summi Pontifices oraverint Reges nostros episcopatus concedere electis. Addit intellexisse se eam solùm Vrbano Papæ mentem fuisse in Concilio Claromontano, ut impediret ne Reges darent investituram corporalem, id est, concessionem quæ fiebat per baculum & annulum, quòd ea fieri videretur in contemptum sacrorum. Quamquam Ivo nihil heic incommodum esse arbitrabatur; quòd Reges non contenderent quicquam spirituale à se dari, sive illa concessio manu fieret, sive lingua, sive virga; sed ea tantùm mente id ab eis usurpari ut constaret eos annuere votis eorum qui electionem peregerant, aut ut electis concederent bona quæ liberalitate Regum Ecclesiæ possidebant. Demum ait optandum esse ut aut supersedeatur hac controversia, aut mala hæc sopiantur. Hæc sunt ejus verba: *Cùm hoc nullam vim sacramenti gerat in constituendo Episcopo, vel admissum vel omissum quid fidei, quid sacræ religioni officiat ignoramus, cùm post canonicam electionem Reges ipsos apostolica auctoritate à concessione episcopatuum prohibitos minimè videamus.* Infrà: *Domnus quoque Papa Vrbanus Reges tantùm à corporali investitura excludit, quantum intelleximus, non ab electione, in quantum sunt caput populi, vel concessione: quamvis octava synodus solùm prohibeat eos interesse electioni, non concessioni. Quæ concessio sive fiat manu, sive lingua, sive virga, quid refert, cùm Reges nihil spirituale se dare intendant, sed tantùm aut votis petentium annuere, aut villas ecclesiasticas & alia bona exteriora, quæ de munificientia Regum obtinent Ecclesiæ, ipsis electis concedere.* Vtcunque se res habeat, apparet Ivonem, cùm Papæ Vrbani prohi-

bitiones sic interpretatur ut solennitatem baculi & annuli vetitam esse pronuntiet, apparet, inquam, eum innuere Regem Franciæ Philippum eo temperamento adhibito paruisse decreto synodi Claromontanæ. Idipsum colligi potest ex eo quòd Paschalis secundus in Galliam venit ut Ludovici Crassi Regis præsidium imploraret adversùs Henricum quintum Imperatorem, qui usum investiturarum acriter retinebat. Nam hic agendi modus omnino intempestivus & absurdus fuisset, si Ludovicus quoque tum temporis in usum revocare solitus esset solennitatem investiturarum quæ damnata erat à Papa Vrbano, & de qua tum maximè disceptabatur inter Paschalem & Henricum. Sed præterea discimus ex epistola CCXXXVIII. ejusdem Ivonis, schisma quod in regno Germaniæ vigebat ob investituras, in Francico non fuisse. Sanè cùm usus solennitatis hujuscemodi desierit, par est existimare cessatum ab ea fuisse in consequentiam synodi Claromontanæ.

Vide Hessonem scholastic. apud Tengnagelium pag. 319.

CAPVT XX.

Synopsis.

I. Investiturarum controversia recruduit sub Paschale secundo Papa & Henrico quinto Imperatore. Habitum ea de causa colloquium in urbe Catalaunensi; ubi jura Imperij magnificè disseruit Archiepiscopus Treverensis, dicens Episcopum eligi non posse absque consensu Imperatoris, deinde verò Regalia ab eo accipere debere.

II. Respondit Paschalis Ecclesiam fore serviliter subjectam Imperatori si Prælatum absque consilio ejus eligere non possit, mortem verò Iesu Christi irritam esse si Episcopus investiatur per baculum & annulum.

III. Cum Henricus Italiam bello peteret, Paschalis præcepit ut Episcopi Regalia Imperatori dimittant, ipse verò renuntiet juri investituræ & liberas esse sinat Episcoporum electiones.

IV. Tandem urgentibus Romanam urbem fatis, Paschalis in carcerem ab Henrico conjectus, privilegium investiturarum ei concedere adactus est. Ex verbis hujus privilegij colligitur quid juris antea competeret Principibus.

V. Privilegium illud vocatum est pravilegium in Concilio Lateranensi. Disputatum eo tempore an pertinacia illa propugnandarum investiturarum hæresis esset. Refertur sententia Ivonis Carnotensis, qui hæresim esse negat.

VI. Ioannes Archiepiscopus Lugdunensis aiebat investituram exteriorem definere posse in hæresim, si quis pertinaciter contendat eam à laico concedi posse licitè.

VII. Goffridus Vindocinensis distinguit investituram per annulum & virgam ab ea quam laici faciebant absque illa solennitate. Investituram tamen à Principe dandam non esse nisi post electionem & consecrationem. Quod inventum est à Goffrido adversùs vetustam consuetudinem.

ADDITIO.] Datur nova editio Concilij Lateranensis à Paschale secundo celebrati.

I. INVESTITURARUM controversia isthæc duravit tota integra inter Paschalem secundum Vrbani successorem & Henricum quintum Imperatorem. Antequam tamen res in apertum dissidium erumperet, colloquium Rege Francorum Ludovico præsente habitum est anno MCVII. in urbe Catalaunensi inter Summum Pontificem & Legatos Imperatoris. Treverensis Archiepiscopus disseruit jam inde à tempore Gregorij magni jus Imperij circa electiones Episcoporum in eo versari ut antè quàm electio publicetur, secretò Imperator admoneatur quisnam electus sit, Imperatorem verò assensum suum adhibere si persona electa ei grata sit. Post quæ, electio fit publicè à clero, & electus consecratur. Post consecrationem autem redit ad Imperatorem pro Regalibus, quibus ab eo donatur sive investitur per traditionem annuli & baculi; Imperator verò ab eo recipit homagium & juramentum fidelitatis. Quod omnino æquum esse ait hic Archiepiscopus. Neque enim debere electum alia ratione occupare civitates, castella, marchias, telonea, & cetera jura imperialia. Rem gestam narrat his verbis Sugerius in vita Ludovi Grossi: *Consecratum ad Dominum Imperatorem pro Regalibus, ut anulo & virga investiatur, redire, fidelitatem & hominium facere. Nec mirum. Etenim civitates & castella, marchias, telonea, & quæque imperatoriæ dignitatis nullo modo aliter debet occupare.*

II. Papa verò respondit Ecclesiam, quæ pretioso sanguine Iesu Christi redempta, libera facta fuerat, ancillari deinceps non debere aut ad servitutem redigi. Ecclesiam porrò, si Prælatum eligere non possit absque consilio Imperatoris, Imperatori fore subjectam serviliter, ac mortem Iesu Christi irritam & inutilem esse si Episcopus investiatur per baculum & annulum. Cùm enim res illæ ad altaria pertineant, usurpationem hanc esse adversùs Deum. Demum Prælatos suo ordini & sacræ unctioni derogare si manus suas, quæ dominico corpori & sanguini attrectandis destinatæ sunt, sanguinolentis laïci manibus supponant, ut sponsionem ei faciant fidei. *Si Ecclesia*, inquit Paschalis Papa apud Sugerium, *eo inconsulto Prælatum eligere non possit, cassata Christi morte, ei serviliter subjacere, si virga & annulo investiatur, cùm ad altaria ejusmodi pertineant, contra Deum usurpare, si sacratas dominico corpori & sanguini manibus gladio sanguinolentis obligando supponunt, ordini suo & sacræ unctioni derogare.* Sugerius pag. 289. Vide infrà cap. 21. §. 4.

III. Cùm itaque parum ad concordiam

conglutinandam profuisset istud colloquium, Henricus Imperator Italiam bello petiit. Quo factum est ut Paschalis Papa ad pactionem venerit, quæ extat in Chronico Cassinensi lib. IV. cap. XXXVII. & in epistola Paschalis ad Imperatorem, in qua præcipit ut Episcopi Henrico Imperatori successoribúsque ejus remittant *Regalia*, id est, ut ipse explicat, civitates, ducatus, marchionatus, monetas, dominationes, & reliqua feuda ad Imperij servitium pertinentia, néve illa deinceps occupent absque consensu Imperatoris. Sed vicissim, his ita constitutis, dimitti ab Imperatore mandat jus investiturarum Episcoporum, & ut Ecclesias ille liberas esse permittat cum oblationibus earúmque patrimoniis, quæ non pertinent ad regnum. Hæc sunt verba Paschalis in epistola XXII. ad Henricum data: *In vestri regni partibus Episcopi vel Abbates adeo curis secularibus occupantur ut comitatum assiduè frequentare & militiam exercere cogantur.* Infrà: *Ministri verò altaris, ministri Curiæ facti sunt: quia civitates, ducatus, marchionatus, monetas, *turres, & cetera ad regni servitium pertinentia à Regibus acceperunt. Vnde etiam mos Ecclesiæ intolerabilis inolevit ut electi Episcopi nullo modo consecrationem acciperent nisi priùs per manum regiam investirentur.* Infrà: *Tibi itaque, fili carissime, & regno Regalia illa dimittenda præcipimus quæ ad regnum manifestè pertinebant tempore Caroli, Ludovici, Ottonis, & ceterorum prædecessorum tuorum. Interdicimus etiam ne qui Episcoporum vel Abbatum eadem Regalia invadant, id est, civitates, ducatus, marchias, comitatus, monetas, telonium, mercatum, advocatias, jura centurionum, & * turres quæ regni erant, cum pertinentiis suis, *militiam & castra; & ne se deinceps, nisi per gratiam Regis, de ipsis Regalibus intromittant. Sed nec posteris nostris liceat, qui post nos in apostolica sede successuri sunt, aut te aut regnum super hoc inquietare negotio.*

* Leg. *turres*, ex Chronico Cassinensi.

* Leg. *etiam*

* Leg. *militaria castra*, ex Chron. Cassin.

IV. Postquam autem Romam perventum fuit, Henricus pacta & sacramenta sua violans, Paschalem Papam ac nonnullos Episcopos & Cardinales in carcerem conjecit, & ab eo extorsit privilegium investiturarum. Magni porrò momenti illud est, quòd ex eo colligatur vetusta illa consuetudo cui tantopere contradicebant Summi Pontifices. Extat autem apud Florentium Vigornienſem ad annum MCXI. & apud Willelmum Malmeburienſem in libro quinto de gestis Regum Anglorum. *Illam igitur dignitatis prærogativam*, inquit Paschalis Papa in eo privilegio, *quam predecessores nostri vestris prædecessoribus catholicis Imperatoribus concesserunt, nos quoque dilectioni tuæ concedimus & præsentis privilegij pagina confirmamus, ut regni tui Episcopis, liberè præter violentiam & simoniam electis, investituram virgæ & anuli conferas. Post investitionem verò canonicè consecrationem accipiant ab Episcopo ad quem pertinuerit. Si quis autem à clero & à populo præter tuum assensum electus fuerit, nisi à te investiatur, à nemine consecretur. Sanè Episcopi & Archiepiscopi libertatem habeant à te investitos Episcopos & Abbates canonicè consecrandi. Prædecessores enim vestri Ecclesias regni sui tantis Regalium suorum beneficiis ampliarunt ut regnum ipsum Episcoporum maximè & Abbatum præsidiis oporteat communiri, & populares dissensiones, quæ in electionibus contingunt, regali oporteat majestate compesci.*

V. Privilegium illud vocatum est pravilegium & revocatum in synodo Romana quam anno sequenti millesimo centesimo duodecimo Paschalis Papa convocavit. Disputatum autem est ea tempestate an pertinacia illa propugnandarum investiturarum hæresis esset, ut Romæ ferebatur. Ivo sententiam suam apertè explicat ad Ioannem Archiepiscopum Lugdunensem scribens. Contendit autem investituram dici non posse hæresim, cùm ad fidei materiam nullatenus pertineat, & cùm in sola ejus manuali actione versetur qui dat & ejus qui accipit. Si tamen aliquis laïcus reperiretur adeo stolidus & vecors ut sibi persuadeat se, cùm baculum tradit, conferre aliquod sacramentum aut effectum sacramenti cujuspiam ecclesiastici, habendum eum pro hæretico, non quidem ratione investituræ manualis, sed ob diabolicam illius præsumptionem. Addit verò investituram illam manualem à laïcis factam, si res ad vivum & accuratè excutiantur, invasionem esse juris alieni & sacrilegam præsumptionem, quam oporteat omnino rescindere pro libertate & honestate Ecclesiæ, si quidem id fieri possit absque detrimento pacis. Demum concludit tollendam esse investituram, ubi id obtineri poterit absque schismate, sed illic supersedendum esse remediis ubi certum esse cognoscitur periculum schismatis. Quo loco observandum est, Ivonem, tametsi nihil hæreticum esse scribat in investitura quæ fit per traditionem baculi, præsumptionem tamen heic esse & quoddam sacrilegij genus existimare; licèt in epistola sexagesima hunc usum scripserit esse indifferentem. Sed jam se aliquo modo accommodare volebat ad anathemata quæ dicta recenter fuerant in hac materia.

VI. At Ioannes Lugdunensis Archiepiscopus Ivoni respondens, fatetur quidem investituram exteriorem à laïco factam non esse propriè hæresim; sed tamen contendit

Epist. Ioannis Archiep. Lugdun. ad Dalmbert. Senon. inter epist. Ivonis num. 237.

in hæresim desinere si quis pertinaciter contendat eam fieri licitè posse. Cui scriptioni non omnino assentitur Ivo : qui illud tantùm fatetur, eorum opinionem schismati accensendam esse qui propugnant investituras. *Eorum sententiam* (inquit Ivo in epistola CCXXXIII.) *qui investituras laicorum defendere volunt, schismaticam judico.*

VII. Goffridus Abbas Vindocinensis, illorum temporum scriptor, quem vir clarissimus Sirmondus editionis honore donavit, scribens ad Calliſtum secundum Papam, ad quem cum sede transierant prædecessorum animi, hanc investiturarum materiam tractat habita ratione illorum temporum; ac viam quandam aperit opportunam sedandæ huic controversiæ, quæ Ecclesiam turbaverat per quinquaginta annos, & occasionem dederat introducendi in Ecclesiam Pseudopontifices itémque Imperatores excommunicatos. Distinguit enim investituram quæ per annulum & virgam fiebat ab ea quam laïci faciebant absque illa solennitate. Quoad primum investituræ genus, ait virgam & annulum esse velut quoddam sacramentum in Ecclesia, non secus ac salem & aquam, oleum & chrisma, nonnullásque alias res sine quibus peragi non possunt consecrationes hominum aut Ecclesiarum, atque adeo inconcessum aliquid tentari adversùs auctoritatem Iesu Christi quoties laïci Prælatis tribuunt investituram per baculum & annulum, quòd eos à nemine alio recipere debeant quàm à consecratore suo. Quoniam tamen Ecclesia liberalitate Principum locupletata fuerat multis possessionibus, videri prorsùs locum non esse traducendi investituram regiam, quæ fit propter res spirituales. Sed eam tamen cautionem adhiber, ut investituram dari à Principe nolit nisi post electionem & consecrationem. Tum verò ait non referre quonam id signo fiat. Hæc sunt ejus verba in opusculo ad Calliſtum Papam cap. III. & IV. *Investituram per virgam & anulum accipere, nisi à suo consecratore, manifestum est esse damnosum: quia nulli laïco licet illa Ecclesiæ sacramenta dare, sicut ei non licet Episcopum consecrare.* Infrà: *Alia est utique investitura quæ Episcopum perficit, alia quæ Episcopum pascit. Illa ex divino jure habetur, ista ex jure humano. Subtrahe jus divinum, spiritualiter Episcopus non creatur. Subtrahe jus humanum, possessiones amittit quibus ipse corporaliter sustentatur. Non enim possessiones haberet Ecclesia nisi sibi à Regibus donarentur, & ab ipsis, non quidem divinis sacramentis, sed possessionibus terrenis investirentur.* Infrà: *Possunt itaque Reges sine offensione, post electionem canonicam & consecrationem, per investituram regalem in ecclesiasticis possessionibus concessionem, auxilium, & defensionem Episcopo dare. Quod quolibet signo factum extiterit, Regi vel Pontifici seu catholicæ fidei non nocebit.*

Modificationem porrò Ivoni incognitam & vetustæ consuetudini contrariam adfert Goffridus, nimirum non debere Episcopum accipere investituram à Rege nisi post consecrationem, cùm tamen olim consecrari non posset donec approbatus & investitus fuisset à Rege.

ADDITIO
STEPHANI BALUZII.

ADNOTATUM est in paragrapho quinto hujus capitis, privilegium quod Henricus quintus Imperator extorsit anno MCXI. à Paschale secundo Papa, vocatum fuisse anno sequenti pravilegium in Concilio Romano. Certum id quidem. Id enim prorsùs habetur in editis Concilij hujusce actis. Verùm cùm illa sint depravatissima, præsertim in subscriptionibus, ac res tanti momenti sit ut non uno loco referri debeat, facturum me operæ pretium existimavi si heic bona fide exscriberem eadem acta ex pervetusto codice MS. sancti Albini Andegavensis, unde à me descripta sunt anno MDCLXI. mense Septembri. Sunt enim emendatissima. Sic ergo habent.

CONCILIVM LATERANENSE
HABITVM ANNO MCXII.

ACTIO CONCILII CONTRA HÆRESIM DE INVESTITURA.

ANNO ab incarnatione MCXII. Indictione V. anno pontificatus Domini Papæ Paschalis secundi XIII. mense Martio, XV.* Idus Aprilis, celebratum est Concilium Romæ, Lateranis, in Basilica Constantiniana. In qua cùm Dominus Papa Paschalis resedisset cum Archiepiscopis & Episcopis & Cardinalibus & Abbatibus & varia multitudine Clericorum & laïcorum, ultima die Concilij facta coram omnibus professione catholicæ fidei, ne quis de fide ipsius dubitaret, dixit. AMPLECTOR omnem divinam Scripturam, scilicet veteris & novi testamenti, legem à Moïse scriptam, & à sanctis Prophetis. Amplector quatuor evangelia, septem canonicas epistolas, epistolas glorioſi Doctoris beati Pauli Apostoli, sanctos canones Apostolorum, quatuor universalia Concilia sicut quatuor evangelia, Nicænum, Ephesinum, Constantinopolitanum, Chalcedonense, & Antiochenum Concilium, & decreta sanctorum patrum Romanorum Pontificum, & præcipuè decreta Domini mei Papæ Gregorij septimi & beatæ memoriæ Papæ Vrbani. Quæ ipsi laudaverunt laudo, quæ ipsi tenuerunt teneo, quæ confirmaverunt confirmo, quæ damnaverunt damno, quæ repulerunt repello, quæ interdixerunt interdico, quæ prohibuerunt prohibeo in omnibus & per omnia, & in iis semper perseverabo.

* *Leg.* Kal.

Vide supra lib. 5. cap. 21. §. 12.

Quibus expletis, surrexit pro omnibus Girardus Engolismensis Episcopus, Legatus in Aquitania, & communi assensu Domini Papæ Paschalis totiúsque

Concilij coram omnibus legit hanc scripturam.

Privilegium illud, quod non est privilegium, sed verè debet dici pravilegium, pro liberatione captivorum & Ecclesiæ à Domino Paschale Papa per violentiam Regis Henrici extortum, nos omnes in hoc sancto Concilio cum Domino Papa congregati canonica censura & ecclesiastica auctoritate judicio sancti Spiritus damnamus, & irritum esse judicamus, atque omnino cassamus, & ne quid auctoritatis & efficacitatis habeat, penitùs excommunicamus. Et hoc ideo damnatum est, quòd in eo privilegio continetur quòd electus canonicè à clero & populo à nemine consecretur nisi priùs à Rege investiatur, quod est contra Spiritum sanctum & canonicam institutionem.

Perlecta verò hac charta, acclamatum est ab universo Concilio: Amen, Amen. Fiat, Fiat.

Archiepiscopi qui cum suis suffraganeis interfuerunt, hi sunt. Iohannes Patriarcha Veneticus, Sennes Capuanus, Landulphus Beneventanus, Amalphitanus, Regitanus, Idruntinus, Brundusinus, Capsanus, Girontinus; & Græci, Ronsanus, & Archiepiscopus sanctæ Severinæ. Episcopi verò, Cencius Sabinensis, Petrus Portuensis, Leo Ostiensis, Cono Prænestinus, Girardus Engolismensis, Galo Leonensis Legatus pro Bituricensi & Viennensi Archiepiscopis, Rogerius Vulturnensis, Gaufridus Senensis, Rollandus Populonensis, Gregorius Terracinensis, Guillelmus Trojanus, Guillelmus Siracusanus Legatus pro omnibus Siculis, & alij ferè centum Episcopi. Bruno Signinus & Iohannes Tusculanus Episcopi, cùm essent illa die Romæ, Concilio non interfuerunt; qui postea lecta damnatione privilegij, consenserunt & laudaverunt. Cardinales verò. Bonifacius tituli sancti Marci, Robertus tituli sancti Eusebij, Romanus tituli sanctæ Priscæ, Gregorius tituli sanctorum Apostolorum, Benedictus tituli sancti Petri ad vincula, Anastasius tituli sancti Clementis, Boso tituli sancti * Mauricij in Damaso, Iohannes tituli sanctæ Cæciliæ, * Divizo tituli sancti Martini, Theobaldus tituli sanctorum Iohannis & Pauli, Gregorius tituli sancti Grisogoni. Rainerius tituli sanctorum Petri & Marcellini, Vitalis tituli sanctæ Albinæ. Petrus verò tituli sancti Xisti & Albericus tituli sanctæ Sabinæ, cùm essent Romæ illo die, Concilio non interfuerunt. Postea lecta damnatione nefandi privilegij, consenserunt & laudaverunt. Diaconi verò, Abbas Sublacensis, Iohannes Gaietanus, Abbas sancti Andreæ, Leo sanctæ Crucis, Gregorius, Aldo, Theobaldus, Roscemannus, hi omnes in damnatione prædicti privilegij consenserunt cum Abbatibus & innumera multitudine tam Clericorum quàm laïcorum.

Hæc charta dictata est à Girardo Engolismensi, Leone Ostiensi, Gregorio Terracinensi, Galone Leonensi Episcopis, à Roberto Cardinale tituli sancti Eusebij, Gregorio tituli sanctorum Apostolorum, communi aliorum consilio.

* *Leg.* Laurentij.

Leg. Domnizo

CAPVT XXI

Synopsis.

I. Investiturarum materia retractata est in Concilio Remensi, cui præsedit Callistus secundus. Propositæ tum Henrico Imperatori conditiones satis æquæ; quarum pleraſque recepit. Sed cùm investituram rerum ecclesiasticarum dimittere nollet, excommunicatus fuit.

II. Ei excommunicationi consensit Ludovicus Francorum Rex, qui Concilio intererat. Vnde sequitur eum, dimissa bonorum ecclesiasticorum investitura, solam feudorum investituram retinuisse.

III. Ea controversia finita est anno MCXXII. *in Concilio Lateranensi; in quo statutum est ut Episcopi Regalium investituram accipiant per sceptrum, non autem per baculum & annulum. Expenduntur verba Callisti.*

IV. Rescripto tamen Callisti abolitum est jus homagij & juramenti fidelitatis quod Episcopi præstare tenebantur. quod antea quoque vetitum à Gregorio septimo & Vrbano secundo. Cur ita visum Pontificibus illis.

V. Verùm his prohibitionibus obsequuti non sunt Galli, neque Angli, neque etiam Germani. Quod Galliam, probatur ex Ivone Carnotensi.

VI. Quoad Angliam verò, auctoritate Vuillelmi Malmesburiensis.

VII. Emicuit in hoc negotio pietas & reverentia Regum nostrorum erga apostolicam sedem. Dimiserunt enim solennitatem homagy. Istud verò non exegerunt nisi ab iis Episcopis qui feuda possidebant. A ceteris verò nihil exactum prater juramentum fidelitatis.

VIII. Veteri constitutione inductum ut Episcopi juramentum fidelitatis præstent Regibus. Innocentius tertius in Concilio Lateranensi censuit æquum esse ut Clerici qui bona temporalia possident, juramentum fidelitatis præstent Principibus.

IX. Callistus secundus investituras confirmavit, tametsi immutationem attulerit in solennitate. Fridericus tertius Regalium investituram per sceptrum dedit Episcopo Tullensi.

X. Gallia jam antè dimiserat solennitatem investituræ per annulum, & jus illud in feudis tantùm retinuerat.

XI. Ævo divi Bernardi investitura feudorum sive Regalium in usu erat.

XII. Ex his quæ dicta sunt colligitur investituram Regalium ac juramentum fidelitatis publica auctoritate convaluisse post diuturnas contentiones.

ADDITIO.] *Datur nova editio Conciliorum Remensis & Lateranensis sub Calisto secundo habitorum. Cujas fuerit Burdinus, qui adversus Callistum sedit. Quid sit Hispanicum iter in canone decimo Concilij Lateranensis. Non est simplex peregrinatio religionis ergo, sed bellum sacrum adversus Sarracenos. De parochialibus Ecclesiis quas monachi tenent.*

I. ANNO dein millesimo centesimo decimo nono Callistus secundus Papa, qui cum Imperatore Henrico cognatione conjunctus erat, Concilium Remense celebravit, cui interfuit Ludovicus sextus Francorum Rex. In eo examinata fuit controversia illa de investituris, ac dein decreta Concilij missa sunt ad Henricum, qui tribus quibusdam capitibus consensit, liberas nimirum futuras electiones Episcoporum & Abbatum, consecrationes peractum iri ab iis ad quos id jus spectat, deinceps verò nullam investituram factum iri per virgam & annulum

annulum. Verùm concoquere non potuit quartum caput quod proponebatur. Eo autem decernebatur, teste Rogerio de Hoveden, ut *investituram rerum Ecclesiarum nihil omnino sibi laicalis exigat persona.* Itaque ob repulsam illam excommunicatus fuit contra sententiam plurimorum.

II. Mirum videri potest Regem Francorum huic excommunicationi consensisse, qua ipse æquè involvebatur ac Imperator. Nam Reges nostri investituram quoque dabant, non quidem episcopatuum, neque cum solennitate baculi & annuli, sed investituram rerum & possessionum ecclesiasticarum; ut ex Hincmaro & Ivone suprà docuimus. Vt ea difficultate nos expediamus, observandum est bona Ecclesiarum bifariam accipi. Quædam enim vocantur *Regalia*, id est, feuda quæ Regi debent servitium velut à vassallo. Alia verò sunt latifundia & domania quæ Ecclesiæ data fuerunt. Olim autem Reges concessiones & investituras universi patrimonij ecclesiastici dabant. Sed in pactis inter Paschalem & Henricum initis antè quàm Paschalis in carcerem conjiceretur, reperta est nova distinctio, quæ potestatem imperatoriam coërcebat ad solam feudorum investituram quæ immediatè pertinerent ad Imperium. Quoad alia verò bona, Ecclesiis conservabatur antiqua libertas; ut constat ex epistola XXII. ejusdem Paschalis: *Porrò Ecclesias cum oblationibus & hereditariis possessionibus, quæ ad regnum manifestè non pertinebant, liberas manere decrevimus.* Adhibenda ergo est distinctio illa propositioni Concilij Remensis. Vnde concludendum est Regem Ludovicum sese accommodasse ad voluntatem Papæ Callisti, dimissa bonorum ecclesiasticorum investitura, solámque feudorum investituram retinuisse. Vno verbo, & quidem apertiùs, responderi potest discordiam illam fuisse inter Papam & Imperatorem, de investitura corporali disputantes, quæ jam abolita erat in Gallia à tempore Concilij Claromontani.

III. Magnus tandem dies ingenti illi controversiæ, quæ quinquaginta per annos imperium & sacerdotium inter se commiserat, impositus est in Concilio generali Lateranensi à Callisto secundo Papa celebrato anno millesimo centesimo vigesimo secundo, cui interfuit Sugerius Abbas sancti Dionysij, Legatus Ludovici Regis Franciæ. Callistus enim, ex sententia Concilij, hunc modum ei rei adhibuit quo aliquatenus satisfactum est iis quorum intererat. Rescriptum ejus, quod refertur apud Abbatem Vrspergensem & Vvillelmum Malmesburiensem, heic ante omnia describendum est: *Ego Callistus servus servorum Dei dilecto filio suo Henrico Dei gratia Romanorum Imperatori Augusto concedo electiones Episcoporum & Abbatum Teutonici regni, quæ ad regnum pertinent, in præsentia tua fieri absque simonia & aliqua violentia; ut si qua inter partes discordia emerserit, Metropolitani & provincialium consilio, vel judicio, sàniori parti auxilium & assensum præbeas. Electus autem Regalia per sceptrum à te recipiat; exceptis omnibus quæ ad Romanam Ecclesiam pertinere noscuntur. Et quæ ex his jure tibi debet faciat. Ex aliis verò partibus Imperij consecratus, infra sex menses Regalia per sceptrum à te recipiat.*

Ceterùm in hoc rescripto quatuor adnotanda sunt. Primùm enim discrimen ponit inter Episcopos Germaniæ & aliarum provinciarum Imperij. Nam Germanos Episcopos præcipit recipere investituram, etiam ante consecrationem. Secus quoad alios; quos ea tantùm lege teneri edicit, ut intra sex mensium spatium à die consecrationis investituram accipiant ab Imperatore. Secundò, mutat solennitatem investituræ; quam fieri per sceptrum jubet, non autem per baculum & annulum. Tertiò, investituras coërcet ad sola feuda sive regalia. Demum Imperatori reservat, in consequentiam investituræ Regalium, omnia jura & obsequia quæ ad eum pertinent quoad feuda ab Episcopis possessa.

IV. Sed magni momenti est ultima clausula. Nam ea comprehendit revocationem juris cujusdam quod ex investiturarum controversia ortum erat, homagij nimirum & juramenti fidelitatis quod Episcopi præstare tenebantur. Nam satis visum non est Gregorio septimo quòd investiturarum usum prohibuisset; sed præterea vetuit ne Clerici homagia Regibus præstarent. *Vt Clericus à laico nunquam justificetur*, inquit, *nec pro terra nec pro aliis rebus quas ab illo teneat, nec sibi hominatum faciat; sed omnino quæ ab eo tenet, sibi, antequàm ullam patiatur injuriam, dimittat.* Hanc prohibitionem in Concilio Claromontano renovavit Vrbanus secundus his verbis: *Ne Episcopus vel Sacerdos Regi vel alicui laico in manibus ligiam fidelitatem faciat.* Hujus autem prohibitionis decernendæ, quam in Concilio Romano idem Vrbanus renovavit, quænam rationes fuerint, aperit Rogerius Hovedenus. Ait enim Papam in ea synodo disseruisse execrabile prorsùs esse ut manus quæ eò honoris & dignitatis pervenere ut ministerio suo Deum creent qui creavit universa, quæque eum offerunt Deo Patri pro omnium hominum salute, quod ipsis quoque Angelis non licet, indignum inquam prorsùs esse ut

Vide Eadmerum lib. 2. pag. 53. & Joannem Bromton pag. 994.

hæ manus ad eam seu socordiam seu ignaviam demittantur ut imperio subjiciantur earum manuum quas noctu & interdiu coinquinant obscœni contactus, rapinæ, & injusta effusio sanguinis humani. Eodem quoque argumento usus est Paschalis secundus in colloquio Catalaunensi, Legatos Henrici Imperatoris alloquens. Nam isdem Papa, prædecessorum suorum statutis æmulatus, eandem prohibitionem renovaverat in Concilio Lateranensi: *Patrum nostrorum decreta*, inquit, *renovavimus, sancientes & interdicentes ne quisquam omnino Clericus hominium laico faciat.* Idem sensisse videntur Episcopi provinciæ Remensis è synodo Carisiacensi anno DCCCLVIII. scribentes ad Ludovicum Regem Germaniæ, dum aiunt: *Nos Episcopi Domino consecrati, non sumus hujusmodi homines seculares ut in vassallatico debeamus nos cuilibet commendare.* Infrà: *Manus enim chrismate sacro perunctæ, quæ de pane & vino aqua mixto per orationem & crucis signum conficit corpus & Christi sanguinis sacramentum, abominabile est quidquid ante ordinationem fecerit, ut post ordinationem, episcopatus seculare tangat ullo modo sacramentum.*

Vide supra cap. 20. §. 2.

Epistola Episcopor. ad Ludovicum cap. 15.

V. Verùm his prohibitionibus nequaquam obsequuti sunt Galli, neque Angli, neque eam Germani. Nam Ivo Carnotensis scribens Paschali Papæ, ait se secundùm Pontificis mandatum de restitutione Radulfi Remensis Archiepiscopi tractasse cum Rege & proceribus regni in Curia sive Parlamento in Aurelianensi urbe habito, sed eam obtineri non potuisse nisi ea lege ut Radulfus Regi sacramentum *per manum* (id est, homagium) præstaret more Remensium Archiepiscoporum prædecessorum ejus & ceterorum Episcoporum regni Francici. Eam enim fuisse optimatum in eo negotio pervicaciam ut planè necessarium fuerit eorum obsequi studiis, tametsi jussa Pontificis omnino contraria forent: *quia ecclesiasticæ paci & fraternæ dilectioni sic expediebat*, ut in epistola CXC. ait idem Ivo. Orat autem Paschalem ut dispensatione utatur in hac causa, meminerítque prudentiæ & pietatis suæ, cùm fas non sit debitam fortitudinem hoc loco exercere.

Vide lib. 4. cap. 13. §. 1.

VI. Non solùm autem in Gallia, sed etiam in Anglia, his Romanorum desideriis contradicebatur; ut colligitur ex Vvillelmo Malmesburiensi in libro primo gestorum pontificalium. Cùm enim acriter inter se contenderent Henricus secundus Rex Angliæ & Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus, qui ob prohibitiones pontificias hominium præstare recusabat, missa est ad Paschalem legatio ad tollendam difficultatem. Sed cùm Papa editis ea de re constitutionibus pertinaciter adhæreret, ejúsque auctoritate se Anselmus tueretur, Rex Henricus in hæc verba prorupit: *Quid ad me de literis Apostolici? Iura regni mei nolo amittere.* Vnde factum ut Anselmus jussus sit *Regi hominium facere, vel absolutis morarum nexibus regno excedere.* Tandem Henricus, jus suum retinendo, consensum Pontificis elicuit; ut in libro secundo eorundem gestorum pontificalium testatur his verbis idem Vvillelmus Malmesburiensis: *Concessit siquidem Papa ut Rex homagia de electis acciperet, sed nullum per anulum & baculum investiret.*

Vide Radmer. lib. 3. hist. Norm. pag. 61. 70.

Vide Eadmerum, pag. 65. 66. 71. 87. 91.

VII. Reges tamen Francorum videntur faciliùs flexisse, ut morem gererent destinatis Pontificum Romanorum, quoad homagia, non secùs ac obsequuti iisdem fuerant quoad solennitatem investiturarum. Dimiserunt enim solennitatem homagij; quæ in eo versabatur ut vassallus manus suas supponere teneretur manibus domini. Retinuerunt tamen homagium quoad Episcopos qui feuda possident, solo fidelitatis juramento ab iis exacto qui nulla feuda possidebant. Hinc orta est distinctio quæ extat in constitutione anni MCCCXXXII. in qua Episcopi qui juramentum fidelitatis & homagium debent, distinguntur ab iis qui juramentum tantùm fidelitatis debent. Quoniam verò solennitas homagij sublata est, utrumque hodie confunditur quoad Episcopos; qui nullum aliud juramentum præstant quàm juramentum fidelitatis, tametsi feuda ad homagium quoque adstringant. Rectè itaque Fridericus primus Imperator respondit Legatis Hadriani quarti Summi Pontificis, qui tametsi consentirent ut Episcopi Italiæ Friderico præstarent juramentum fidelitatis, homagium tamen præstari non debere contendebant: *Episcoporum Italiæ ego quidem non affecto hominium, si tamen eos de nostris Regalibus nil delectat habere. Qui si gratanter audierint à Romano Præsule Quid tibi & Regi, consequenter quoque ab Imperatore non pigeat audire Quid tibi & possessioni?*

VIII. Ceterùm ex hoc loco colligitur juramento saltem fidelitatis consensisse Legatos. Sanè in Conciliis Toletanis quarto & decimo pronuntiatum fuerat ad illud Regi præstandũ æquè teneri Episcopos ac ceteros subditos. Vsurpabatur porrò id ab Episcopis Gallicanis; ut patet ex canone primo Concilij tertij Turonensis habiti anno DCCCXIII. & ex synodo Aquisgranensi secunda habita anno DCCCXXXVI. cujus ea sunt verba in canone duodecimo secundi capituli: *Si quisquam Episcoporum sacramentum fidelitatis illi*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

(id est, Ludovico) *promißum violaverit, & ejus contrariis malevola intentione quolibet modo se copulaverit, gradum proprium canonica atque synodali sententia amittat.* Certè Episcopi apud Carisiacum congregati, quorum epistolæ facta suprà mentio est, non negant præstitum à se fuisse juramentum fidelitatis ante ordinationem; sed recusant ei Principi homagium post ordinationem præstare qui legitimus eorum Rex non erat, sed qui partem regni invadere meditabatur adversùs Carolum fratrem. Tandem Innocentius tertius in Concilio Lateranensi æquum esse existimavit ut Clerici qui bona temporalia possident juramentum fidelitatis ei Principi præstent à quo illa pendent; tametsi prohibeat ne ij juramentum illud præstent qui nulla bona temporalia possident.

IX. Sed ut ad investituras redeamus, eas Callistus secundus confirmavit; tametsi immutationem attulerit in solennitate, quam fieri jussit per sceptrum. Vt non injuria scriptum sit ab Ottone Frisingensi lib. II. cap. V. & VI. episcopatus conferri per sceptrum, regna per ensem, & provincias per vexillum. nam id obtinebat in Imperio. Sanè Fridericus tertius Regalium investituram per sceptrum dedit Episcopo Tullensi; ut patet ex ejus rescripto, quod extat apud Gallandium in Tractatu de Franco-Allodio pag. 246. *Vniversa & singula Regalia, necnon temporalia sive feoda dictæ suæ Ecclesiæ Tullensis, ---- cum sceptro regali & aliis ceremoniis in talibus fieri consuetis conferimus, ac ipsum de eisdem investimus.* Eundem morem in usum revocavit Carolus quintus Imperator anno millesimo quingentesimo vigesimo secundo.

X. At Gallia solennitatem investituræ per annulum jam dimiserat ante pactiones Papæ Callisti; & jus illud investituræ in feudis tantùm retinebat quam post ordinationem concedebant Reges nostri, data rescripto licentia occupandi feuda ad Ecclesiam pertinentia, iisque utendi. id quod Ivo in epistola sexagesima vocat *investire manu, nutu, lingua.* Eam ob causam Reges nostri noluerunt uti solennitate sceptri: sed suam tamen auctoritatem amplificaverunt, arrepta occasione constitutionis Callisti, ut adnotabitur inferiùs.

XI. Quare mirum non est ævo divi Bernardi, qui post Callistum floruit, investituram feudorum sive Regalium in usu fuisse. Hic enim loquens in epistola CLXIV. de quodam qui ad episcopatum electus erat, ait: *Festinavit ad Regem, Regalium investituram accepit.* Quo loco per *Regalia* intelligit feuda quæ liberalitate Principum ad Ecclesiam pervenerant; ut ipsemet alibi explicat his verbis: *Duplex est dominium Prælatorum. Habent enim claves Ecclesiæ, quibus claudunt, & nemo claudit. Habent & Regalia: quia domini sunt urbium, oppidorum. Nec solum episcopatus, sed & consulatus* (id est, comitatus) *habent. Vt meritò eis dicatur: Quid ultra debui facere, & non feci? Sed quod datum est illis in adjutorium, factum est illis in scandalum.* Eodem sensu accipiebatur vox Regalium ab Archiepiscopo Trevirensi in colloquio Catalaunensi apud Sugerium, itémque à Paschale secundo in privilegio quod Imperatori Henrico concessit, & in epistola ejusdem XXII. in Concilio Lateranensi dictata, tum etiam in rescripto Callisti, & in literis Friderici primi ad Hadrianum quartum, quarum suprà meminimus. D. Bernardus in serm. ad Pastorale fine.

XII. Ceterùm ex his quæ dicta sunt colligere licet concessionem sive investituram Regalium, itémque juramentum fidelitatis quod Episcopi præstare tenentur post consecrationem suam, publica auctoritate convaluisse post diuturnas contentiones, Reges verò nostros earum rerum possessionem retinuisse, tametsi aliquid ex suo jure dimiserint ut se ad statuta Conciliorum accommodarent.

ADDITIO
STEPHANI BALUZII.

OMNIS cura mea solet in hoc versari, ut prosim, si quo modo possim, fovendis nostris studiis, & ut libros istos pro mea virili illustrem; additis nimirum, ubi occasio tulit, illustribus aliquot ecclesiasticæ antiquitatis monumentis. Iam enim antea in superioribus capitibus addita sunt nonnulla quæ nemini bene sano stomachum, ut ego quidem arbitror, movebunt; cùm nihil in eis contineatur quod egregium non sit, nobile, ac prorsùs scitu dignum. Neque huic capiti deerit par diligentia; quod illustrare placuit additis duobus præclaris monumentis, Conciliis inquam Remensi & Lateranensi sub Callisto secundo habitis, quorum in hoc capite facta mentio est, editis illis quidem, sed mendosè, quantum colligi potest ex hac nostra editione, si cui libeat eam conferre cum Biniana. Nam quoad Concilium Remense, editum illud fuit ex Rogerio Hovedeno, qui illud transcripsit in annales suos, potiùs sententiam canonum secutus quàm verba, tametsi ea quoque satis fideliter reddiderit. Extat autem ipsum Concilium, addito etiam in fronte breviario canonum, in pervetusto codice Ms. Bibliothecæ Seguierianæ, cujus ætas non admodum remota est ab ævo Callisti. De Concilio autem Lateranensi dicetur infrà in Notis ad illud nostris.

CONCILIVM REMENSE.

HABITVM ANNO MCXIX.

Capitula constitutionum Remensis Concilij, cui præsedit Domnus Calixtus secundus, præsente Ludovico Rege Francorum.

I. De damnatione simoniacæ hæresis.

II. Ne episcopatuum & abbatiarum investitura per manum laïcam fiat.

III. De invasoribus ecclesiasticarum possessionum.

IV. Ne quis Episcopus, Presbyter, aut Clericus ecclesiasticas dignitates vel beneficia cuique hereditario jure dimittat, aut pro sacramentis Ecclesiæ vel sepulturæ pretium exigat.

V. Ne Presbyter, Diaconus, Subdiaconus concubinæ vel uxoris contubernium habeat.

I. QVÆ sanctorum patrum sanctionibus de pravitate simoniaca stabilita sunt, nos quoque Spiritus sancti judicio & auctoritate sedis apostolicæ confirmamus. Si quis ergo vendiderit aut emerit per se vel per aliquam summissam personam episcopatum, abbatiam, decanatum, archidiaconatum, presbyteratum, præposituram, præbendam, altaria, vel quælibet ecclesiastica beneficia, promotiones, ordinationes, consecrationes, Ecclesiarum dedicationes, clericalem tonsuram, sedes in choro, aut quælibet ecclesiastica officia, vendens & emens dignitatis & officij sui ac beneficij sui periculo subjaceat. Quòd nisi resipuerit, anathematis mucrone perfossus, ab Ecclesia Dei, quam læsit, modis omnibus abscindatur.

II. Episcopatuum & abbatiarum investituram per manum laïcam fieri penitùs prohibemus. Quicunque igitur laïcorum deinceps investire præsumpserit, anathematis ultioni subjaceat. Porrò qui investitus fuerit, honore quo investitus est absque recuperationis spe omnimodis careat.

III. Vniversas Ecclesiarum possessiones, quæ liberalitate Regum, largitione Principum, vel oblatione quorumlibet fidelium eis commissæ sunt, inconcussas in perpetuum & inviolatas permanere decernimus. Quòd si quis eas abstulerit, invaserit, aut potestate tyrannica detinuerit, juxta illud beati Symmachi capitulum anathemate perpetuo feriatur.

IV. Nullus Episcopus, nullus Presbyter, nullus omnino de clero ecclesiasticas dignitates vel beneficia cuilibet & quasi hereditario jure derelinquat. Illud etiam adjicientes præcipimus, ut pro baptismatis, chrismatis, olei sacri, ac sepulturæ acceptione, infirmorum visitatione vel unctione, nullum omnino pretium exigatur.

V. Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus concubinarum & uxorum contubernia prorsùs interdicimus. Si qui autem hujusmodi reperti fuerint, ecclesiasticis officiis priventur. Sanè si nec sic immunditiam suam correxerint, communione careant Christiana.

CONCILIVM LATERANENSE

HABITVM ANNO MCXXII.

Ex veteri codice Ms. monasterij Anianensis in diœcesi Monspelienſi.

ANNO ab incarnatione Domini MCXXII. Kalendis Aprilis, præsidente Domino Papa Calixto secundo, anno pontificatus sui quinto, celebrata est magna synodus Romæ diversarum provinciarum Archiepiscoporum, Episcoporum, & Abbatum quamplurimorum; ubi recitata sunt hæc capitula, & totius assensu Concilij confirmata.

I. Sanctorum patrum exempla sequentes, & officij nostri debita innovantes, ordinari quemquam per pecuniam in Ecclesia Dei vel promoveri auctoritate sedis apostolicæ modis omnibus prohibemus. Si quis verò in Ecclesia ordinationem vel promotionem taliter acquisierit, acquisita prorsùs careat dignitate.

II. A suis Episcopis excommunicatos ab aliis Episcopis, Abbatibus, & Clericis in communionem recipi proculdubio prohibemus.

III. Nullus in Episcopum, nisi canonicè electus, consecretur. Quod si præsumptum fuerit, & consecratus & consecrator absque recuperationis spe deponantur. Vide Gratianum dist. 62. cap. 1.

IV. Nullus omnino Archidiaconus, aut Archipresbyter, sive Præpositus, vel Decanus animarum curam vel Præbendas Ecclesiæ sine judicio vel consensu Episcopi alicui tribuat. Immo, sicut sanctis canonibus constitutum est, cura & rerum ecclesiasticarum dispensatio in Episcopi judicio & potestate permaneat. Si quis verò contra hoc facere aut potestatem quæ ad Episcopum pertinet sibi vendicare præsumpserit, ab Ecclesiæ liminibus arceatur.

V. Ordinationes quæ à Burdino hæresiarcha, postquam à Romana Ecclesia est damnatus, quæque à pseudoëpiscopis per eum postea ordinatis factæ sunt, nos irritas esse judicamus.

VI. Nullus etiam in Præpositum, nullus in Archipresbyterum, nullus in Decanum, nisi Presbyter, vel Diaconus, nullus in Archidiaconum, nisi Diaconus, ordinetur.

VII. Presbyteris, Diaconibus, vel Subdiaconibus concubinarum & uxorum contubernia penitùs interdicimus, & aliarum mulierum cohabitationem præter quas synodus Nicæna propter solas necessitudinum causas habitare permisit, videlicet matrem, sororem, amitam, vel materteram, aut alias hujusmodi, de quibus nulla valeat justè suspicio oriri.

VIII. Præterea juxta beatissimi Stephani Papæ sanctionem statuimus ut laïci, quamvis religiosi sint, nullam tamen de ecclesiasticis rebus aliquid disponendi habeant facultatem; sed secundùm Apostolorum canones omnium negotiorum ecclesiasticorum curam Episcopus habeat, & ea velut Deo contemplante dispenset. Si quis ergo Principum aut laïcorum aliorum dispensationem vel donationem rerum sive possessionem ecclesiasticarum sibi vendicaverit, ut sacrilegus videatur.

IX. Conjunctiones consanguineorum prohibemus, quoniam eas & divinæ & seculi prohibent leges. Leges enim divinæ hoc agentes, & eos qui ex eis prodeunt, non solùm ejiciunt, sed maledictos appellant. Leges verò seculi infames tales eos vocant, & ab hereditate repellunt. Nos itaque patres nostros

sequentes, infamia eos notamus, & infames esse censemus.

X. Eis qui Hierosolymam proficiscuntur, & ad Christianam gentem defendendam & tyrannidem infidelium debellandam efficaciter auxilium præbuerint, suorum peccatorum remissionem concedimus, & domos & familias atque omnia bona eorum in beati Petri & Romanæ Ecclesiæ protectione, sicut à Domino nostro Papa Vrbano constitutum fuit, suscipimus. Quicunque ergo ea distrahere vel auferre, quandiu in via illa morantur, præsumpserint, excommunicationis ultione plectantur. Eos autem qui vel pro Hierosolymitano vel Hispanico itinere cruces sibi in vestibus posuisse noscuntur, & eas dimisisse, cruces iteratò assumere & viam ab instanti Pascha usque ad sequens proximum Pascha perficere apostolica auctoritate præcipimus. Alioquin extunc eos ab Ecclesiæ introitu sequestramus, & in omnibus terris eorum divina omnia officia, præter infantium baptisma & morientium pœnitentias, interdicimus.

XI. Sanctorum patrum canonibus consona sentientes, oblationes de sanctissimo & reverendissimo altari beati Petri & Salvatoris & sanctæ Mariæ rotundæ & sancti Nicolai Barensis, sancti Ægidij, aut de aliis omnium Ecclesiarum altaribus, sive crucibus, à laïcis auferri penitùs interdicimus, & sub anathematis districtione prohibemus.

XII. Ecclesias à laïcis incastellari aut in servitutem redigi auctoritate apostolica prohibemus.

XIII. Quicunque monetam falsam se sciente fecerit, aut studiosè expenderit, tanquam maledictus, & pauperum virorum oppressor, & civitatis turbator, à fidelium consortio separetur.

XIV. Si qui Romipetas, & peregrinos, seu mercatores, Apostolorum limina & aliorum sanctorum oratoria visitantes capere, seu rebus quas ferunt spoliare, vel novis teloneorum seu pedagiorum exactionibus molestare tentaverint, donec satisfecerint, communione careant Christiana.

XV. Quiquid verò de pace & trevia Dei, vel de incendio, seu de publicis stratis, ab antecessoribus nostris Romanis Pontificibus constitutum est, nos sancti Spiritus auctoritate confirmamus.

XVI. Sanctorum etiam patrum vestigiis inhærentes, generali decreto sancimus ut monachi propriis Episcopis cum omni humilitate subjecti existant, & eis uti magistris & Ecclesiæ Dei pastoribus debitam obedientiam & devotam in omnibus subjectionem exhibeant. Publicas Missarum solemnitates nusquam celebrent. A publicis etiam infirmorum visitationibus, inunctionibus, seu etiam pœnitentiis, quod ad illorum nullatenus officium pertinet, sese omnino abstineant. In Ecclesiis verò quibus ministrare noscuntur Presbyteros nonnisi per manum sui Episcopi habeant, qui ei de suscepta animarum cura respondeant.

XVII. Ad hæc, sanctæ Romanæ Ecclesiæ possessiones quietas servare per Dei gratiam cupientes, præcipimus & sub districtione anathematis interdicimus ne aliqua militaris persona Beneventinam beati Petri civitatem præsumat invadere aut violenter retinere. Si quis aliter præsumpserit, anathematis vinculo teneatur.

NOTÆ

STEPHANI BALUZII.

CONCILIUM istud Lateranense à Callisto secundo habitum, quanquam alij jam vulgavere, hoc tamen edere visum est, cùm & alius sit canonum ordo quàm in editis, & nonnulla contineat in superioribus editionibus prætermissa, & ejus quidem momenti ut vel ob hoc ipsum procurari debuerit nova hæc editio. Hi verò canones quos nunc damus descripti sunt ex pervetusto codice MS. monasterij Anianensis in prima Narbonensi.

CAN. I.] Descriptus est ad verbum hic canon ex Concilio Tolosano quod idem Callistus in cathedrali Ecclesia sancti Stephani celebravit anno MCXIX. cujus canones supra editi sunt ex eodem codice Anianensi.

CAN. V.] Cujas fuerit Burdinus, dubitatum video etiam ab antiquis auctoribus. Quidam enim veterum memoriæ prodiderunt eum fuisse natione Hispanum. Sed huic sententiæ repugnat Rodericus Archiepiscopus Toletanus, vetustus Hispanicæ historiæ scriptor, qui eum patria Lemovicem fuisse docet, sed in Hispaniam abductum à Bernardo Archiepiscopo Toletano. Sanè Burdinus fuit magnus vir per illas tempestates, adeo ut Lemovices meos pudere non debeat hujus viri, quamvis Callisto cesserit in monumentum victoriæ. Porrò nos olim hominis vitam, Deo dante, describemus in libro primo de vita rebúsque virorum illustrium Lemovicensium.

CAN. VI.] Et hic quoque canon ad verbum sumptus est ex Concilio Tolosano Callisti secundi; nisi quòd in hoc Lateranensi, vitio hauddubiè librarij, post vocem *Presbyter*, additur *vel Diaconus*, prorsùs malè, & contra mentem canonis. Repetitus dein est idem canon in Concilio Lateranensi sub Innocentio secundo.

CAN. X.] Hispanicum illud iter, cujus meminit hic canon, non erat simplex peregrinatio religionis ergò. Sed ad exemplum Vrbani secundi, qui belli sacri in Oriente gerundi auctor fuit, successores ejus bellum quoque sacrum in Hispania fieri adversùs Sarracenos decreverunt, eandémque peccatorum indulgentiam euntibus ea de causa in Hispaniam concesserunt quæ orientalis Ecclesiæ defensoribus concessa fuerat in Concilio Claromontano. Nam in archivo Ecclesiæ Barcinonensis habetur epistola Callisti secundi ad universos Christi fideles, (data fortassis ex isto Lateranensi Concilio, cùm data sit Laterani IV. Nonas Aprilis) qua pugnantibus in Hispania adversùm Sarracenos eandem peccatorum remissionem concedit quæ orientalis Ecclesiæ defensoribus concedi solet. At in Concilio Claromontano sub Innocentio secundo Papa celebrato, quod nondum editum est, mandatur incendiariis, quæ pestis tunc in Occidente grassabatur, ut Hierosolymam vel in Hispaniam pergant, illic anno integro belligeraturi. Præterea, extat in archivo regio Barcinonensi epistola Hadriani quarti, qua Raimundum Comitem Barcinonensem totámque terram ejus sub beati Petri ac sua protectione suscipit quandiu pugnaverit contra Sarracenos. In Concilio autem habito apud Montempessulanum in prima Narbonensi anno MCXCV. (cui præfuit Magister Michaël sedis apostolicæ Legatus) ab usurarum solutione ita liberantur illi qui in Hispaniam pergunt ut etiam fidejussores eorum cogi non possint ad earum solutionem. Concilium illud nos nuper edidimus in Codice Conciliorum Galliæ Narbonensis.

CAN. XVI.] Renovata est hoc canone constitutio Vrbani secundi, qui in Concilio Claromontano statuerat ne monachi in parochialibus Ecclesiis quas tenent absque Episcoporum consensu Presbyteros col-

locent, de plebis cura rationem Episcopis reddituros. Vide porrò quæ à nobis suprà dicta sunt in Notis ad hunc canonem Claromontanum.

CAPVT XXII.

Synopsis.

I. An Reges Francorum ad se traxerint custodiam bonorum ecclesiasticorum sede vacante. Factitatum id ab eis ostenditur variis argumentis.

II. Adeo autem receptum erat jus illud in Gallia ut adnotet divus Bernardus noluisse electum Lingonensem ullam bonorum administrationem suscipere donec eorum investituram accepisset à Rege. in quo laudatur à Bernardo.

III. Rex Philippus Augustus eam bonorum episcopalium retentionem coërcuit ad Regalia. Ea verò reddi debent electo post consecrationem. Dein Episcopus tenetur Regi præstare juramentum fidelitatis. Quòd si id non fecerit, Dominus Rex poterit saisire Regalia sua, & ea tamdiu tenere *donec præstitum juramentum fuerit.*

IV. Fruebantur præterea Reges reditibus Ecclesiæ vacantis; ut colligitur ex privilegio quod Papa Formosus concessit Ecclesiæ Remensi. Explicantur verba hujus privilegij.

V. His tamen reditibus aut collatione Prebendarum non fruebantur Principes ævo Gregorij septimi & sequentium Pontificum. Vsusfructus itaque redituum ecclesiasticorum introductus est post constitutionem Calisti secundi. Inquiritur in rationem hujus novitatis.

VI. Moris hujus originem arcessendam esse à jure feudorum probatur auctoritate Philippi Pulcri Regis.

VII. Prætextu custodiæ Regalium Principes ad se traxerunt usumfructum decimarum & omnium redituum temporalium. Quod ratione non omnino destituebatur. Quoniam verò collatio beneficiorum censetur pertinere ad fructus, ex eo factum ut Reges ad se traxerint collationem Prebendarum. quod jus vetustum est in Anglia.

VIII. In Gallia, jam inde à temporibus Ludovici junioris, Reges fruebantur reditibus episcopatus vacantis.

IX. Omnes reditus episcopatus vacantis ad Regem pertinent, atque etiam omnia mobilia Episcopi, si decesserit intestatus.

X. Ævo Philippi Augusti receptum erat Prebendarum collationem ad Regem pertinere sede vacante.

XI. Hanc esse antiquam & approbatam consuetudinem regni aiebat idem Philippus. Adeo autem solidata erat hæc potestas ævo divi Ludovici ut Clemens quartus revocaverit provisionem à se factam de quadam Prebenda Remensi: quòd idem Ludovicus conquereretur tentatum id fuisse adversùs jura regia. Id jus agnovit Gregorius decimus.

XII. Spolia etiam Episcoporum ad Reges pertinebant in Gallia.

I. SVPEREST itaque ut investigemus an Reges Francorum ad se traherent custodiam bonorum ecclesiasticorum sede vacante. Ac primùm quidem vocabulum ipsum investituræ satis indicat ita prorsùs factitatum fuisse. Neque enim revera potuissent Reges eorum concessionem tribuere, nisi ea habuissent in manibus. Hujus bonorum ecclesiasticorum occupationis introductio extat in capite octavo Capitulorum Caroli Calvi: ubi statuitur anno DCCCLXXVII. ut post Episcopi obitum Metropolitanus ad Ecclesiam vacantem mittat Visitatorem, qui unà cum Comite sive Gubernatore eam custodiat, impediátque ne quid ea detrimenti capiat. *Si aliquis Episcopus interim obierit*, inquit, *Archiepiscopus ipsi sedi Visitatorem secundùm sacros canones deputet, qui unà cum Comite ipsam Ecclesiam, ne prædetur, custodiat, usquedum ipsius Episcopi obitus ad vestram notitiam perveniat.* Argumento autem sequentia erunt solitos Reges ea bona retinere donec electioni consensissent. Extat enim dissertum hujus rei testimonium apud Ivonem Episcopum Carnotensem in epistola centesima quarta. Scribens enim ad Papam Paschalem ait Regem nolle consentire electioni Galonis pro episcopatu Belvacensi, neque etiam bona ecclesiastica dimittere in gratiam electi. *Rex*, inquit, *non vult electioni assensum præbere, nec electo bona episcopalia dimittere.* De bonis loquitur, absque discrimine ullo. Sed post habitum sub Callisto Remense Concilium, ea retentio coërcebatur ad sola Regalia.

II. Adeo autem receptum erat jus illud in Gallia ut divus Bernardus ad Ludovicum septimum Regem scribens de monacho quodam, qui ad episcopatum Lingonensem electus erat, adnotet eum noluisse ullam bonorum administrationem suscipere, donec eorum investituram accepisset à Rege. In quo ait Bernardus testatam eum fecisse fidem suam in Principem, quòd à nemine alio recipere voluerit ea quæ à Rege pendent quàm à Rege ipso. Hæc sunt ejus verba in epistola CLXX. *Electio rite celebrata est. Electus fidelis est. Non autem esset fidelis, si vestra & non per vos habere vellet. Necdum prorsùs se intromisit de aliquo; quanquam invitatio cleri & populi, & oppressorum afflictio, & vota bonorum, id ab eo vehementissimè flagitaverint.*

III. At posteri, tametsi jure regio universa bona episcopalia occupare consueverint sede vacante, veterem tamen loquendi formulam retinuerunt, eam retentionem coërcentes ad Regalia. Rex quippe Philippus Augustus ad bellum sacrum proficiscens anno MCXC. Reginæ matri suæ & avunculo suo Remensi Archiepiscopo regni Regentibus constitutis, præcipit ut Regalia retineant donec electus Episcopus fuerit consecratus. *Regina autem & Archiepiscopus*, inquit, *tamdiu Regalia in manu sua teneant donec*

electus consecratus sit vel benedictus. Et tunc Regalia sine contradictione reddantur. Iam enim antea pater ejus Ludovicus septimus dixerat anno millesimo centesimo sexagesimo primo, post obitum nempe Theobaldi Episcopi Parisiensis: *Episcopatus & Regale in manum nostram venit.* Vnde factum ut Mauricius Episcopus Cenomanensis fateatur anno MCCXXIII. *quòd quando electus Cenomanensis erit confirmatus à Metropolitano, Rex reddet ei Regalia sua.* Electus tamen tenebitur præstare Regi juramentum fidelitatis intra spatium quadraginta dierum. Quòd si id non fecerit, *Dominus Rex poterit saisire Regalia sua, & ea tamdiu tenere quousque Domino Regi fidelitatem fecerit.* Hinc pariter factum ut anno MCCXLVIII. matri suæ id indulgeat ut possit *fidelitates Episcoporum & Abbatum recipere, & eis Regalia restituere.* Verba hæc accommodata sunt ad statuta Conciliorum; tametsi ea tempestate retentio fructuum porrigeretur ad universa bona episcopalia, ut diximus.

To. 1. Libert. Eccl. Gallic. cap. 16.

Tit. 7.

Tit. 12.

IV. Sufficienter, ut opinor, probavimus solitos Reges occupare Regalia sede vacante. Nunc ergo inspiciendum est an iidem fruerentur reditibus, & an Præbendas ullo unquam tempore contulerint. Ac prima quidem fronte occurrit vetustum esse usum illum fruendi reditibus Ecclesiæ vacantis, argumento ducto à privilegio quod Papa Formosus Ecclesiæ Remensi concessit anno DCCCXCII. precibus Fulconis ejusdem Ecclesiæ Archiepiscopi annuens. Prohibet enim ne Reges, Episcopi, aut quilibet Christianorum, sede Remensi vacante, in suam utilitatem convertant episcopatum Remensem aut ejus reditus; sed omnia futuro antistiti reserventur, eligendo intra tempus statutum in canonibus, id est, intra trium mensium spatium, ne diutiùs quàm par est metropolis sit destituta pastore. Testem hujus constitutionis laudo Flodoardum; cujus hæc sunt verba in libro quarto historiæ Remensis capite secundo: *Sanciens insuper auctoritate beati Petri ut nemo Regum, nullus antistitum, nemo quilibet Christianus, decedente Remorum Episcopo, ipsum episcopatum vel res ipsius Ecclesiæ suis compendiis applicet, neque sub suo dominio teneat, præter ipsius civitatis Episcopum, & eandem metropolim non ultra constitutionem canonicam sine regulis conveniente pastore manere cogat, neque aliter Episcopum ibidem nisi ut sacri canones jubent constitui faciat.*

Verùm abusus ille quem hoc loco damnat Formosus confundi non debet cum jure Regaliæ de quo nunc agimus. Nam Regalia desinit post præstitum fidelitatis juramentum. Rescriptum verò Papæ Formosi tradu-

cit pravam quandam consuetudinem quæ in Galliis invaluerat, ubi laïcis non solùm monasteria concedebantur *propter imminentem reip. necessitatem*, (ut habetur in canone quinto synodi apud Theodonis-villam habitæ anno DCCCXLIV. & in canone duodecimo Concilij Vernensis) sed etiam interdum reditus episcopatuum vacantium. Quò alludit canon XXI. Concilij Meldensis anno DCCCXLV. congregati, dum loquitur *de precariis factis ab his qui loca Episcoporum occupaverunt.* Hinc autem fiebat ut Episcoporum electiones retardarentur. Cui incommodo occurrit privilegium Papæ Formosi. Porrò consuetudo hæc interrupta erat ante controversiam investiturarum.

V. Nam si Principes tum soliti essent frui reditibus episcopatuum vacantium & Præbendas conferre, id haudquaquam silentio transmisissent Gregorius septimus, Vrbanus secundus, Paschalis secundus, & Callistus secundus Summi Pontifices, qui severè admodum damnaverunt unicam illam solennitatem investituræ per baculum & annulum & solennitatem juramenti *per manum*, quique investituram coërcuerunt ad sola feuda. Itaque in ea sum sententia ut existimem usumfructum redituum ecclesiasticorum introductum esse post constitutionem Callisti editam anno MCXXII. quæ Regibus tribuit potestatem exigendi à Prælatis universa officia & obsequia quæ ratione feudorum exhibere tenentur: *Quæ ex Regalibus debet faciat.* Vnde factum est ut quemadmodum plurimarum hujus regni provinciarum consuetudo domino feudi addicit usumfructum quoties feudum vacat per mortem vassalli, id quod vulgò * *Relevium* vocant, sic Reges eo feudorum jure, quoad Regalia sive patrimonia episcopatuum, usi sint interim dum eorum custodiam ad se receperant, donec sedi vacanti præfectus esset Episcopus, & donec is investituram à Rege accepisset, juramentúmque fidelitatis præstitisset. Quod jus in primis introductum est in provinciis in quibus mutatio domini necessitatem imponit solvendi commodum aliquod & utile domino superiori, quod relevium vocant, ut dixi; cùm è contrà in illis quæ huic juri relevij obnoxij non sunt, nihil à Regibus tentatum fuerit quoad usumfructum Regalium.

* Relief.

VI. Ius autem illud, tametsi recenter introductum quoad feuda ad Ecclesiam pertinentia, legitimum nihilominus & æquum erat, quòd ea feuda iisdem legibus subjecta esse debeant quibus cetera tenentur. Arbitror autem Reges, resarciendis damnis suis intentos quæ toleraverant dimittendo

jura investiendi Episcopos ante consecrationem, dum Pontificibus Romanis obtemperant ita cupientibus, jure suo usos esse quoad feuda, ut Papa Callistus approbaverat. Ea mihi semper mens fuerat, hujus moris originem arcessendam esse à jure feudorum. Sed in hanc sententiam faciliùs transgressus sum post inspecta mandata à Rege Philippo Pulcro data Archiepiscopo Senonensi & Episcopo Antissiodorensi, quibus jubet ut in controversia quadam exorta in Ecclesia Carnotensi Summo Pontifici repræsentent quænam in ea causa sint jura regia. Extant mandata illa in quodam Regesto Cameræ Computorum Paris. fol. 313. ubi hæc leguntur: *Sicut feodus vassallo vacans, interim cum suis reditibus à domino licitè occupatur, & propter defectum hominis, ut vulgari nostræ patriæ verbo utamur, de jure & generali consuetudine regni nostri per dominum, quousque superveniat persona quæ illi serviat, licitè detinetur, sic nos & nostri antecessores, vacante Ecclesia Carnotensi, & temporalem jurisdictionem & bona temporalia accipimus, & nostros facimus omnes fructus qui proveniunt ex eisdem. Non solùm autem nostram potestatem in bonis episcopalibus exercemus; imò bona temporalia Præbendarum & Dignitatum, sive sit jurisdictio temporalis, sive alia bona temporalia quæ possint ad aliquem pertinere, cum vacante Præbenda vel Dignitate concedimus, & de eis, prædicto tamen modo, disponimus nostro jure.*

VII. Verùm quoniam facilis est excursus ab æquo ad iniquum, quoties privata utilitas urget, hinc factum est ut prætextu custodiæ Regalium auctoritas regia ad se traxerit usumfructum decimarum & in universum omnium redituum temporalium. Cùm itaque reditibus quorundam bonorum, veluti Regalium, optimo jure Reges fruerentur, paulatim factum est ut in Ecclesias quasdam introducta sit consuetudo fruendi universis reditibus. In quo tamen non omnino peccasse videntur Reges nostri; cùm id eo prætextu fieri potuerit, quòd cùm patrimonia episcopatus velut bona nobilia possiderentur ab Episcopo, evecta per consequentiam erant ad dignitatem feudorum. Nam quoad reditus qui vulgò *spirituales* dicuntur, magna Ecclesiarum pars, cum decimis & oblationibus, laïcis in feudum datæ fuerant à Pippino, Carolo magno, & Ludovico Pio, cum consensu Ecclesiæ Gallicanæ, ut alibi ostendo; quæ deinde ecclesiasticis viris concessæ sunt, ex permissu Regum. Itaque Principes non omnino destituti erant ratione, ut contenderent servitia & debita feudorum, in hujuscemodi reditibus imposita, extincta non esse vi consensus regij adhibiti liberalitati laïcorum erga Ecclesias, qui ea ad ipsas omnino transtulerant. Adde quòd licèt jus percipiendi decimas spirituale sit, decimæ tamen sunt temporales; ut aiunt Canonici Iuris interpretes. Quoniam verò collatio Beneficiorum censetur pertinere ad fructus, secundùm quod in libris Decretalium continetur, eo jure prorsùs opportunè usi sunt Reges, ut usum inveherent conferendi Præbendas, quarum provisio ad Episcopum pertinebat. Profectum enim hinc esse jus illud regium, ut collatio Beneficiorum interim dum Regalia aperta est vacantium ad Regem pertineat, probatur ex rescripto Alexandri III. edito in antiqua collectione Decretalium quam publici juris fecit Antonius Augustinus: ex quo rescripto discimus Regem Angliæ Henricum secundum frui solitum reditibus episcopatus vacantis, & in consequentiam hujus possessionis, Præbendarum quoque collationem ad se traxisse. *Episcopo de medio sublato*, inquit Alexander, *& reditibus episcopatus ad fiscum devolutis, cùm quædam Præbenda in jamdicta Ecclesia vacaret, carissimus in Christo filius noster H. illustris Rex Anglorum eam Thomæ Clerico suo contulit; cui etiam aliam postmodum in eadem Ecclesia vacantem, cum archidiaconatu, ad quem dicitur pertinere, concessit. Quas insimul non debet habere, cùm nulli sit licitum in una & eadem Ecclesia duas Præbendas obtinere.*

VIII. Reges nostros reditibus episcopatus vacantis frui solitos jam inde à temporibus Ludovici junioris absoluta est auctoritas. Nam cùm Parisiensis Episcopus è vita excessisset anno millesimo centesimo sexagesimo primo, ait idem Ludovicus episcopatum illum & Regalia in manum suam devenisse, id est, non solùm Regalia sive feuda, sed etiam universum episcopatum. Eam tamen in ea possessione cautionem adhibet, ut declaret nolle se ad suam utilitatem convertere oblationes & reditus altaris Capiceriæ, quos cuidam puellarum monasterio addicit: *Episcopatus*, inquit, *& Regale in manum nostram venit, & similiter Capiceriæ reditus. Sed cùm oblationes & reditum altaris nollemus accipere &c.* To. 2. Libert. c. 181

IX. Episcopus quoque Matisconensis professus est anno MCCI. omnia Regalia regni Franciæ ad Regem pertinere dum sedes vacat, & Regem de reditibus eorum statuere posse non secùs ac Episcopum ipsum. Quòd si Episcopus discesserit intestatus, non solùm ad Regem pertinere reditus episcopatus, sed etiam *omnia mobilia* Episcopi defuncti. *Omnia regalia*, inquit, *& omnes proventus Regalium existentes in regno Franciæ* Tit. 45

eiæ liberè sunt Domini Regis Franciæ, sicut & ea Episcopus liberè possidebat. Et si Episcopus Matisconensis decesserit intestatus, tam omnia mobilia quàm omnes proventus sunt Domini Regis Franciæ liberè & absolutè.

X. Collationem autem Præbendarum jam fuisse introductam anno MCXC. fidem facit testamentum Philippi Augusti, cujus hæc sunt verba: *Si Præbenda vel aliquod Beneficium ecclesiasticum vacaverit quando Regalia in manu nostra venient, Regina & Archiepiscopus viris honestis & literatis consilio fratris Bernardi conferant; salvis tamen donationibus nostris, quas per literas nostras patentes quibusdam fecimus.* Hæc ultima clausula continet donationes anticipatas, quæ prorsùs erant gratiæ expectativæ.

[*Hunc usum conferendi Præbendas Ecclesiæ vacantis, in cujus possessione sunt Reges nostri, antiquiorem esse Philippo Augusto dicamus ad Hildebertum.* Steph. Baluzius.]

XI. Quapropter idem Philippus Augustus apud Innocentium tertium aiebat anno MCCX. se Præbendam quandam sede Laudunensi vacante contulisse Thomæ de Argentolio Clerico suo *secundùm antiquam & approbatam consuetudinem regni*; petebátque à Summo Pontifice confirmationem hujus provisionis. Quod rescripto suo non refutat Innocentius; sed causam ad examen Capituli Laudunensis remittit, ut intelligi possit an provisio à Summo Pontifice facta in gratiam cujusdam Odonis præferenda sit ei quæ à Rege facta est in gratiam Thomæ de Argentolio. Quòd si contingat Odonem præferri Thomæ, Regem orat ut id gratum habere velit ob reverentiam apostolicæ sedis & ipsius Innocentij. Ceterùm potestas illa adeo solidata erat anno MCCLXVII. ut Clemens Papa quartus revocaverit provisionem quandam quæ auctoritate ejus facta fuerat de quadam Præbenda Remensi, quòd Rex Ludovicus nonus conquereretur id tentatum fuisse adversùs jura regia, affirmarétque *quòd vacantes confert in Ecclesia ipsa Præbendas à tempore quo eandem Ecclesiam pastoris regimine contingit destitui, donec substitutus illi Archiepiscopus Regalia recipit à Rege.* De eodem sancto Ludovico refert Nangius eum conferre solitum Præbendas Ecclesiarum cathedralium *ubi sede vacante, ratione custodiæ Regalium, ex consuetudine pertinebat ad eum collatio Præbendarum.* Gregorius verò decimus epistola sua data anno MCCLXXI. approbavit collationem archidiaconatus Senonensis à Rege factam sede vacante; tametsi Beneficium illud vacasset in Curia Romana, ob consecrationem Archidiaconi, quiad archiepiscopatum Senonensem electus fuerat.

Tit. 5. Libert. Eccl. Gal.

Tit. 16.

XII. Præter reditus episcopatus & collationem Præbendarum, spolia Episcoporum defunctorum pertinebant ad Regem; licèt antiqui canones ab iisdem spoliis removissent Clericos & Metropolitanos, ac licèt Vrbanus secundus & Innocentius secundus eorundem spoliorum occupationem laïcis interdixissent. Reges tamen nostri possessionem illam retinuerant quoad quasdam Ecclesias; ut fidem facit Episcopus Matisconensis anno MCCI. cujus auctoritas paulò suprà relata est. Sed idem disertiùs probatur ex epistola Regis Ludovici junioris, quæ extat Tit. 1. cap. XVI. Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, data anno MCXLVII. in qua remittit Episcopis Catalaunensibus veterem consuetudinem quæ ab officialibus regiis usurpabatur, ut caperent omnia mobilia lignea aut ferrea & animalia quæ reperiebantur in domo episcopali. Sed disertis verbis retinet, secundùm veterem consuetudinem, vinum, annonam, aurum, & argentum quæ tum fuerint in episcopatu: *Præter annonam, vinum, aurum, & argentum: quæ omnia, juxta vetustam consuetudinem, & manu & potestate regia retinemus.* Idem Princeps simile privilegium concessit Theobaldo Episcopo Parisiensi, quod à filio ejus Philippo Rege confirmatum est; ut patet ex epistola quadam edita apud Gallandium in Tractatu de Franco-Allodio pag. 338.

Vide Additionem ad caput XVIII. hujus libri.

CAPVT XXIII.

Synopsis.

I. Imperatores quoque fruebantur jure occupandi spolia Episcoporum defunctorum. Sed id jus Ecclesiis remisit Fridericus secundus Imperator. Fructuum autem nomine comprehendebant etiam collationem Beneficiorum. Sed tamen Fridericus non remisit investituram per scepirum, neque jus recipiendi homagij ab Episcopis.

II. Post electionem Ottonis quarti, Principes Germani scripserunt ad Innocentium tertium abolitam ab Ottone fuisse consuetudinem occupandi bona mobilia Episcoporum morientium aut Abbatum Principum, statuisséque ut ea conserventur successoribus.

III. Dubitandum non est quin Ecclesia orientalis reditus episcopatus vacantis conservaverit successori. Gubernatores tamen provinciarum bona mobilia Episcopi mortui dein occuparunt, & immobilium usumfructum in suos usus converterunt. Ratio hujus immutationis investigatur.

IV. Id lege lata prohibuit Joannes Comnenus Imperator. Tum etiam frater ejus Manuel Comnenus: qui præterea edixit ne Gubernatores bona immobilia Ecclesiarum vacantium ad suam administrationem adjungerent fiscóque addicerent.

I. AT non in Gallia solùm viguit consuetudo illa occupandi spolia Episcoporum morientium & fructus episcopatuum vacantium post editam Callisti constitutionem ; sed in Imperium quoque transgressa est, ut patet ex constitutione Friderici II. Imperatoris, qui jus illud Ecclesiis remisit, ac declaravit eam pravam consuetudinem à prædecessoribus suis introductam fuisse. Sed in ea constitutione extat clausula magni momenti, quæ probat Imperatores fructuum nomine collationem quoque Beneficiorum fuisse complexos. Ait enim relinquere se Episcopis dispositionem rerum spiritualium, ut Deo reddantur quæ sunt Dei, & Cæsari quæ sunt Cæsaris. Attamen non abjecit investituram per sceptrum, nec homagium Episcoporum, quæ in usu fuerant temporibus prædecessorum suorum. Data est hæc Friderici constitutio anno millesimo ducentesimo decimo tertio, confirmata dein Bullâ aureâ ejusdem Principis anno MCCXIX. datâ ad Honorium tertium Papam, quæ asservatur in arce Hadriani & in Bibliotheca Vaticana, & à Goldasto edita est. Hæc sunt ejus verba : *Illum quoque dimittimus & refutamus abusum quem in occupandis bonis decedentium Prælatorum aut etiam Ecclesiarum vacantium nostri consueverunt antecessores committere pro motu propriæ voluntatis. Omnia nos spiritualia vobis & aliis Ecclesiarum Prælatis relinquimus liberè disponenda ; ut quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ Dei, Deo recta distributione reddantur.*

II. Eo autem tempore quo electus est Imperator Otto quartus, Principes & Barones Germaniæ Clerici ac laïci Innocentio Papæ tertio significarunt anno millesimo ducentesimo abolitam ab Ottone fuisse pravam illam consuetudinem, à superioribus Imperatoribus introductam, occupandi bona mobilia Episcoporum morientium aut Abbatum Principum, statuisséque illum ut ea bona conserventur futuris successoribus. *Pravam illam consuetudinem*, inquiunt, *quam Imperatores antecessores sui in occupandis rebus mobilibus vel se moventibus decedentium Episcoporum vel Abbatum Principum huc usque servaverunt penitùs extirpans, nos ecclesiasticos Principes ex hac indebita vexatione regali benevolentia liberos dimisit, & decedentium bona suis successoribus servanda liberaliter statuit.*

Ap. Baron. ad an. 996. & in regesto Innocentij. & apud Goldastum.

III. Post explicatum occidentalis Imperij morem res poscere videtur ut Orientem quoque spectemus ; præsertim cùm disquisitio ista multùm conferat ad noscendum quænam fuerit Regibus nostris mens quoad difficultates quæ supersunt tractandæ. Ac primùm quidem certum est Ecclesiam Græcam summo semper studio observasse canones de disciplina latos. Quare dubitandum non est quin juxta Concilium Chalcedonense & Novellas Iustiniani reditus episcopatus conservaverit successori, deductis impendiis necessarijs. Legimus nihilominus Gubernatores provinciarum quandam immutationem introducere illic conatos, exemplo fortassis occidentalium, & bona mobilia Episcopi mortui occupasse, & immobilium usumfructum in suos usus convertere voluisse, quandiu sedes vacabat. Et fortassis id jus Imperatori competere asseverabant quoad regalia quibus dotati erant episcopatus & monasteria Græcorum. Nam legimus in Novella Manuelis Comneni Imperatoris Constantinopolitani, (quæ extat apud Balsamonem in canonem duodecimum septimæ synodi & in libro tertio Iuris Græco-Romani) Ecclesias habuisse villas, census, telonea, jura introïtus & exitus, tam in fluminibus, quàm in mari, & omne redituum genus, quos Latini *Regalia* nominabant, atque etiam castra : Κάστρα ἔν τισι τούτῳ ὠκοδομήθησαν.

IV. At Ioannes Comnenus Imperator prohibuit circa annum MCXX. ne Gubernatores provinciarum occuparent bona mobilia Episcoporum morientium, sive illa argentum essent, annona, aut animalia, sive quippiam aliud ; pœnis gravissimis intentatis adversùs eos, si secùs agerent. Ioannis verò frater, Manuel Comnenus, eam prohibitionem renovavit circa annum MCL. eámque porrexit ad alium abusum qui tunc irrepebat. Gubernatores enim bona immobilia Ecclesiarum vacantium ad suam administrationem adjungebant, fiscóque addicebant. Id fieri deinceps vetuit Manuel Comnenus, jubens ut partes sive membra Ecclesiæ vacantis, id est, Clerici illius Ecclesiæ, eorum bonorum administrationem suscipiant, secundùm statuta canonum, donec successor adveniat. Hunc autem abusum acriter traducit, dicens eum vergere in contemptum Dei & legis naturalis eversionem, ideóque se adactum ad abolendum illum morem, tanquam indignum professione nominis Christiani : τοῖς ἀκινήτοις μοὺ τοι τῆς χρεωκοπίας ἐκκλησιῶν οὐδὲ πόδα ὅλως ἐπιβαλεῖ τις ἢ κτῆμα χώρου δένδρων. Infrà. Πρᾶγμα καὶ εἰς θεοῦ πολεμούμενον βλασφημοῦσι, καὶ εἰς ἀφέτησιν θεσμῶν φυσικῶν. Infrà : ἔνθεν τοι καὶ ὡς πάντη τῶν χριστωνύμων ἀνάξιον ἐπαγγέλματος διορθῶται τοῦτο ἡ βασιλεία μου. Infrà : ἀλλὰ πάντα τοῦτο μερῶν ἢ τοιούτων ἐκκλησιῶν ἐν αὐτοῖς οἰκονομηθήσεται καθὼς ἄρχοντες καὶ ἀρχιερεῖς νενόμισθαι καὶ κανονικῶς διηγόρευται.

An. 1114. in quem incidit Indictio secunda. Hæc pars Constitutionis extat lib. 2. Iuris Græco-Rom. pag. 147.

An. 1151. Indict. IV. mense Septembri.

Lib. 2. Iuris Græco-Rom. pag. 111.

eiæ liberè sunt Domini Regis Franciæ, sicut & ea Episcopus liberè possidebat. Et si Episcopus Matisconensis decesserit intestatus, tam omnia mobilia quàm omnes proventus sunt Domini Regis Franciæ liberè & absolutè.

X. Collationem autem Præbendarum jam fuisse introductam anno MCXC. fidem facit testamentum Philippi Augusti, cujus hæc sunt verba: *Si Præbenda vel aliquod Beneficium ecclesiasticum vacaverit quando Regalia in manu nostra venient, Regina & Archiepiscopus viris honestis & literatis consilio fratris Bernardi conferant; salvis tamen donationibus nostris, quas per literas nostras patentes quibusdam fecimus.* Hæc ultima clausula continet donationes anticipatas, quæ prorsùs erant gratiæ expectativæ.

[*Hunc usum conferendi Præbendas Ecclesiæ vacantis, in cujus possessione sunt Reges nostri, antiquiorem esse Philippo Augusto dicamus ad Hildebertum.* Steph. Baluzius.]

XI. Quapropter idem Philippus Augustus apud Innocentium tertium aiebat anno MCCX. se Præbendam quandam sede Laudunensi vacante contulisse Thomæ de Argentolio Clerico suo *secundùm antiquam & approbatam consuetudinem regni*; petebátque à Summo Pontifice confirmationem hujus provisionis. Quod rescripto suo non refutat Innocentius; sed causam ad examen Capituli Laudunensis remittit, ut intelligi possit an provisio à Summo Pontifice facta in gratiam cujusdam Odonis præferenda sit ei quæ à Rege facta est in gratiam Thomæ de Argentolio. Quòd si contingat Odonem præferri Thomæ, Regem orat ut id gratum habere velit ob reverentiam apostolicæ sedis & ipsius Innocentij. Ceterùm potestas illa adeo solidata erat anno MCCLXVII. ut Clemens Papa quartus revocaverit provisionem quandam quæ auctoritate ejus facta fuerat de quadam Præbenda Remensi, quòd Rex Ludovicus nonus conquereretur id tentatum fuisse adversùs jura regia, affirmarétque *quòd vacantes confert in Ecclesia ipsa Præbendas à tempore quo eandem Ecclesiam pastoris regimine contingit destitui, donec substitutus illi Archiepiscopus Regalia recipit à Rege.* De eodem sancto Ludovico refert Nangius eum conferre solitum Præbendas Ecclesiarum cathedralium *ubi sede vacante, ratione custodiæ Regalium, ex consuetudine pertinebat ad eum collatio Præbendarum.* Gregorius verò decimus epistola sua data anno MCCLXXI. approbavit collationem archidiaconatus Senonensis à Rege factam sede vacante; tametsi Beneficium illud vacasset in Curia Romana, ob consecrationem Archidiaconi, quiad archiepiscopatum Senonensem electus fuerat.

Tit. 5. Libert. Eccl. Gal.

Tit. 16.

XII. Præter reditus episcopatus & collationem Præbendarum, spolia Episcoporum defunctorum pertinebant ad Regem; licèt antiqui canones ab iisdem spoliis removissent Clericos & Metropolitanos, ac licèt Vrbanus secundus & Innocentius secundus eorundem spoliorum occupationem laïcis interdixissent. Reges tamen nostri possessionem illam retinuerant quoad quasdam Ecclesias; ut fidem facit Episcopus Matisconensis anno MCCI. cujus auctoritas paulò suprà relata est. Sed idem disertiùs probatur ex epistola Regis Ludovici junioris, quæ extat Tit. 1. cap. XVI. Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, data anno MCXLVII. in qua remittit Episcopis Catalaunensibus veterem consuetudinem quæ ab officialibus regiis usurpabatur, ut caperent omnia mobilia lignea aut ferrea & animalia quæ reperiebantur in domo episcopali. Sed disertis verbis retinet, secundùm veterem consuetudinem, vinum, annonam, aurum, & argentum quæ tum fuerint in episcopatu: *Præter annonam, vinum, aurum, & argentum: quæ omnia, juxta vetustam consuetudinem, & manu & potestate regia retinemus.* Idem Princeps simile privilegium concessit Theobaldo Episcopo Parisiensi, quod à filio ejus Philippo Rege confirmatum est; ut patet ex epistola quadam edita apud Gallandium in Tractatu de Franco-Allodio pag. 338.

Vide Additionem ad caput XVIII. hujus libri.

CAPVT XXIII.

Synopsis.

I. Imperatores quoque fruebantur jure occupandi spolia Episcoporum defunctorum. Sed id jus Ecclesiis remisit Fridericus secundus Imperator. Fructuum autem nomine comprehendebant etiam collationem Beneficiorum. Sed tamen Fridericus non remisit investituram per scepirum, neque jus recipiendi homagij ab Episcopis.

II. Post electionem Ottonis quarti, Principes Germani scripserunt ad Innocentium tertium abolitam ab Ottone fuisse consuetudinem occupandi bona mobilia Episcoporum morientium aut Abbatum Principum, statuisséque ut ea conserventur successoribus.

III. Dubitandum non est quin Ecclesia orientalis reditus episcopatus vacantis conservaverit successori. Gubernatores tamen provinciarum bona mobilia Episcopi mortui dein occuparunt, & immobilium usumfructum in suos usus converterunt. Ratio hujus immutationis investigatur.

IV. Id lege lata prohibuit Joannes Comnenus Imperator. Tum etiam frater ejus Manuel Comnenus: qui præterea edixit ne Gubernatores bona immobilia Ecclesiarum vacantium ad suam administrationem adjungerent fiscóque addicerent.

I. AT non in Gallia solùm viguit consuetudo illa occupandi spolia Episcoporum morientium & fructus episcopatuum vacantium post editam Callisti constitutionem ; sed in Imperium quoque transgressa est, ut patet ex constitutione Friderici II. Imperatoris, qui jus illud Ecclesiis remisit, ac declaravit eam pravam consuetudinem à prædecessoribus suis introductam fuisse. Sed in ea constitutione extat clausula magni momenti, quæ probat Imperatores fructuum nomine collationem quoque Beneficiorum fuisse complexos. Ait enim relinquere se Episcopis dispositionem rerum spiritualium, ut Deo reddantur quæ sunt Dei, & Cæsari quæ sunt Cæsaris. Attamen non abjecit investituram per sceptrum, nec homagium Episcoporum, quæ in usu fuerant temporibus prædecessorum suorum. Data est hæc Friderici constitutio anno millesimo ducentesimo decimo tertio, confirmata dein Bullâ aureâ ejusdem Principis anno MCCXIX. datâ ad Honorium tertium Papam, quæ asservatur in arce Hadriani & in Bibliotheca Vaticana, & à Goldasto edita est. Hæc sunt ejus verba : *Illum quoque dimittimus & refutamus abusum quem in occupandis bonis decedentium Prælatorum aut etiam Ecclesiarum vacantium nostri consueverunt antecessores committere pro motu propriæ voluntatis. Omnia nos spiritualia vobis & aliis Ecclesiarum Prælatis relinquimus liberè disponenda ; ut quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ Dei, Deo recta distributione reddantur.*

II. Eo autem tempore quo electus est Imperator Otto quartus, Principes & Barones Germaniæ Clerici ac laïci Innocentio Papæ tertio significarunt anno millesimo ducentesimo abolitam ab Ottone fuisse pravam illam consuetudinem, à superioribus Imperatoribus introductam, occupandi bona mobilia Episcoporum morientium aut Abbatum Principum, statuisséque illum ut ea bona conserventur futuris successoribus. *Pravam illam consuetudinem*, inquiunt, *quam Imperatores antecessores sui in occupandis rebus mobilibus vel se moventibus decedentium Episcoporum vel Abbatum Principum huc usque servaverunt penitùs extirpans, nos ecclesiasticos Principes ex hac indebita vexatione regali benevolentia liberos dimisit, & decedentium bona suis successoribus servanda liberaliter statuit.*

Ap. Baron. ad an. 996. & in regesto Innocentij. & apud Goldastum.

III. Post explicatum occidentalis Imperij morem res poscere videtur ut Orientem quoque spectemus ; præsertim cùm disquisitio ista multùm conferat ad noscendum quænam fuerit Regibus nostris mens quoad difficultates quæ supersunt tractandæ. Ac primùm quidem certum est Ecclesiam Græcam summo semper studio observasse canones de disciplina latos. Quare dubitandum non est quin juxta Concilium Chalcedonense & Novellas Iustiniani reditus episcopatus conservaverit successori, deductis impendiis necessarijs. Legimus nihilominus Gubernatores provinciarum quandam immutationem introducere illic conatos, exemplo fortassis occidentalium, & bona mobilia Episcopi mortui occupasse, & immobilium usumfructum in suos usus convertere voluisse, quandiu sedes vacabat. Et fortassis id jus Imperatori competere asseverabant quoad regalia quibus dotati erant episcopatus & monasteria Græcorum. Nam legimus in Novella Manuelis Comneni Imperatoris Constantinopolitani, (quæ extat apud Balsamonem in canonem duodecimum septimæ synodi & in libro tertio Iuris Græco-Romani) Ecclesias habuisse villas, census, telonea, jura introïtus & exitus, tam in fluminibus, quàm in mari, & omne redituum genus, quos Latini *Regalia* nominabant, atque etiam castra : Κάστρα ἔν τισι τούτῳ ὠκοδομήθησαν.

IV. At Ioannes Comnenus Imperator prohibuit circa annum MCXX. ne Gubernatores provinciarum occuparent bona mobilia Episcoporum morientium, sive illa argentum essent, annona, aut animalia, sive quippiam aliud ; pœnis gravissimis intentatis adversùs eos, si secùs agerent. Ioannis verò frater, Manuel Comnenus, eam prohibitionem renovavit circa annum MCL. eámque porrexit ad alium abusum qui tunc irrepebat. Gubernatores enim bona immobilia Ecclesiarum vacantium ad suam administrationem adjungebant, fiscóque addicebant. Id fieri deinceps vetuit Manuel Comnenus, jubens ut partes sive membra Ecclesiæ vacantis, id est, Clerici illius Ecclesiæ, eorum bonorum administrationem suscipiant, secundùm statuta canonum, donec successor adveniat. Hunc autem abusum acriter traducit, dicens eum vergere in contemptum Dei & legis naturalis eversionem, ideóque se adactum ad abolendum illum morem, tanquam indignum professione nominis Christiani : τοῖς ἀκινήτοις μοὺ τοι τῆς χρεωκοπίας ἐκκλησιῶν οὐδὲ πόδα ὅλως ἐπιβαλεῖ τις ἢ κτῆμα χώρου δένδρων. Infrà. Πρᾶγμα καὶ εἰς θεοῦ πολεμούμενον βλασφημοῦσι, καὶ εἰς ἀφέτησιν θεσμῶν φυσικῶν. Infrà : ἔνθεν τοι καὶ ὡς πάντη τῶν χριστωνύμων ἀνάξιον ἐπαγγέλματος διορθῶται τοῦτο ἡ βασιλεία μου. Infrà : ἀλλὰ πάντα τοῦτο μερῶν ἢ τοιούτων ἐκκλησιῶν ἐν αὐτοῖς οἰκονομηθήσεται καθὼς ἄρχοντες καὶ ἀρχιερεῖς νενόμισθαι καὶ κανονικῶς διηγόρευται.

An. 1114. in quem incidit Indictio secunda. Hæc pars Constitutionis extat lib. 2. Iuris Græco-Rom. pag. 147.

An. 1151. Indict. IV. mense Septembri.

Lib. 2. Iuris Græco-Rom. pag. 111.

CAPVT XXIV.

Synopsis.

I. Exemplum orientalium & Friderici secundi occasionem dedit Regibus nostris coërcendi jus suum ad solas Ecclesias in quibus receptum illud erat.

II. Hinc factum ut in vetustis Parlamenti Parisiensis arrestis interdum pronuntietur secundùm Regem, interdum verò adversùs ipsum, habita nimirum ratione possessionis.

III. Explicatur jus quod Regi competebat in episcopatu Aniciensi, sede vacante.

IV. Usufructus redituum episcopalium & collatio Prabendarum nitebatur tantùm consuetudine ante tempora Gregorij decimi. Sed Concilium Lugdunense ea tempestate habitum possessionem Regum in jus vertit.

V. Generali fructuum vocabulo comprehendebatur etiam collatio Prabendarum; quamvis id disertis verbis non definiverit Concilium illud Lugdunense.

VI. Ea tamen reticentia occasionem postea dedit Bonifacio octavo affirmandi collationem Beneficiorum non pertinere ad Philippum Pulcrum. Sed is jus suum tuitus est allegata veteri consuetudine regni sui. Ob eam discordiam Joannes de Parisiis scripsit Tractatum de potestate regia & papali.

VII. In articulis Clementi quinto oblatis adversùs memoriam Bonifacij asseritur Ecclesias cathedrales esse sub tuitione Regis. Earum vacantium reditus, qui de sua Regalia existunt, ad illum pertinere. Eum verò Beneficia ad collationem Episcopi pertinentia conferre cùm sedes vacat.

VIII. Regum rescriptis jus Regalia coërcitum est ad Ecclesias in quibus receptum erat Regem eo jure uti. Enumerantur Ecclesia ei juri subjectæ, itémque illæ quæ ei subjectæ non sunt.

IX. Eo igitur jure uti non potest Princeps nisi in Ecclesiis ubi possessionem habet omni memoria antiquiorem. Quidam tamen contendunt jus Regaliæ esse jus merè regium, atque adeo ad universas regni Ecclesias porrigendum esse sine discrimine. quam opinionem erroneam esse pronuntiat Pasquierius.

X. At cùm dein in edicto anni millesimi sexcentesimi sexti scriptum fuisset Regem nolle uti jure Regaliæ in detrimentum Ecclesiarum exemptarum, data est occasio investigandi quonam modo intelligenda esset exemptio illa. Parlamentum Parisiense eam interpretatus est de exemptione concessa ob titulum onerosum.

XI. Philippus Augustus nonnullas Ecclesias liberavit à jure Regalium; sed Episcopis earum non remisit juramentum fidelitatis. De Regalia Turonensi.

I. EXEMPLUM Imperatoris Friderici, itémque Imperatorum Græcorum praxis, quæ occidentalibus cognita erat ob frequentes nostrorum peregrinationes ad loca sancta, Regibus nostris, ut ego quidem arbitror, occasionem dederunt, non quidem remittendi in universum usumfructum redituum Ecclesiarum & collationes Prabendarum, sed jus illud coërcendi ad solas Ecclesias in quibus receptum illud erat, relicto ceteris antiquorum canonum usu.

II. Hinc factum ut in quamplurimis veteribus arrestis Parlamenti Parisiensis edicatur probandam esse possessionem Regis in Ecclesiis; juxta quam deinde Curia decernebat de jure Regaliæ. Itaque ei in quibusdam Ecclesiis servatur jus, in cujus possessione tunc erat, fruendi omnibus reditibus & conferendi Prabendas; in aliis verò, jus tantùm fruendi Regalibus sive bonis temporalibus, non autem reditibus decimarum; quemadmodum Ruzæus in privilegio LV. adnotavit judicatum fuisse anno MCCLXXXII. senatusconsulto Parlamenti Parisiensis. Quibus addi potest, arresto lato anno MCCLXVI. pronuntiatum fuisse in gratiam Ecclesiæ Morinensis, edictúmque ut Rex & Capitulum futuro Episcopo conservent reditus bonorum spiritualium aut annexorum. Contrà, in arrestis latis anno millesimo ducentesimo sexagesimo secundo & sexagesimo octavo legitur Regem fuisse in possessione percipiendarum decimarum in Ecclesia Biturigensi; ut discimus ex Probo quæstione LX. num. V. Nam eadem quoque diversitas judiciorum reperitur quoad collationem Beneficiorum; quæ Regi adjudicatur in quibusdam Ecclesiis, in aliis verò abjudicatur.

III. Probari istud posset multiplicibus exemplis. Vnicum tamen sufficiet admodum illustre. Petitur autem ex constitutione quadam sancti Ludovici Regis, data in consequentiam arresti cujusdam lati à Parlamento Parisiensi pro Regalibus Ecclesiæ Anicien sis apud Velaunos. Definita enim fuerat hæc causa post factam inquisitionem. Itaque, juxta consuetudinem in ea Ecclesia receptam, Regi ratione Regalium conservata est, interim dum sedes vacaret, jurisdictio temporalis ad Episcopum pertinens, in urbe nimirum, suburbiis, & territorio civitatis, tum etiam jus recipiendorum vectigalium urbis & aliorum redituum ejusdem urbis & territorij; exceptis tamen reditibus altarium, id est, oblationibus & decimis. Cùm autem ostensum fuisset Regem nunquam ad manum suam revocasse domum episcopalem, neque arcem civitatis, aut castra, sive dominationes, neque vectigalia quæ extra urbem sunt, nisi post decessum duorum postremorum Episcoporum, (quod sufficere non poterat ad introducendum jus consuetudinis) neque ipsum aut ejus prædecessores unquam contulisse Prabendas aut Dignitates in Ecclesia Anicien si vacantes, neque ipsam Regibus annuntiasse mortes Episcoporum, aut eligendi facultatem petiisse, vetitum eo ar-

resto fuit ne deinceps aliquid quoad hoc tentaretur adversùs Ecclesiam illam. Datum autem est arrestum illud anno MCCLVIII. extátque in veteribus regestis Parlamenti Parisiensis, unde editum est à Chopino & Corbino. Sed constitutio illa beati Ludovici quam diximus, data anno sequenti, descripta est in veteri regesto quod extat in camera Computorum Paris. hoc titulo : *Regestum Curiæ Franciæ Domini Regis de feudis & negotiis seneschalliarum Carcassonæ, Bellicadri, & Tolosanæ, Caturcensis, & Rutenensis.* Extat autem in ea constitutione clausula quædam magni momenti qua caret arrestum. Rex enim sibi reservat jus occupandi arces & castra jure superioritatis, quoties ita postulabit utilitas Principis, secundùm quod fieri assolet antiquitus; quamvis ea ad manum suam non recipiat jure Regaliæ, cùm sedes vacat.

Excellentissimo Domino suo Ludovico Dei gratia serenissimo Francorum Regi, G. Decanus & Capitulum Anicienses Ecclesiæ, se ipsos ad suæ beneplacita voluntatis. Serenitatis vestræ literas per patrem venerabilem Dominum G. Dei gratia Episcopum nostrum nuper nobis transmissas vidimus in hæc verba. LUDOVICUS DEI GRATIA REX FRANCIÆ. Notum facimus universis quòd inter nos & Ecclesiam Aniciensem super Regalibus quæstione suborta, inquiri fecimus diligenter, de assensu ejusdem Ecclesiæ, quæ sunt illa quæ à nobis & nostris antecessoribus, Regalium nomine, vacante eadem Ecclesia, accipi consueverant ab antiquo. Quia verò per inquestam quam fieri fecimus probatum non extitit seu inventum quòd vacante Ecclesia supradicta nos vel nostri antecessores domum episcopalem, vel fortericia alia civitatis, castra etiam extra civitatem, seu villas alias habuerimus aliquo unquam tempore, sed nec pedagia extra civitatem ad Episcopum pertinentia, nisi à duabus primis vacationibus citra, vel aliquando unquam vacante Ecclesia nos vel nostri antecessores dignitatem aliquam in ea contulerimus seu Præbendam, vel nobis aut nostris antecessoribus denuntiata fuerit mors Episcopi seu cessio, vel petita à nobis ex parte Capituli licentia eligendi, super his ex nunc in perpetuum dictam Ecclesiam nolumus molestari. Sanè licèt ratione vacationis fortalicia civitatis peti nolumus in posterum, prout diximus, jus tamen ea petendi ratione dominij, & recuperandi, nobis & nostris successoribus retinemus in illis casibus in quibus nobis competit ab antiquo. Verùm quia per eandem inquestam invenimus quòd à longis retro temporibus vacante eadem Ecclesia ad nos pertinet, jure Regalium, jurisdictio temporalis in civitate, suburbiis, & territorio ad Episcopum pertinens, pedagium etiam civitatis, & alij reditus in eadem civitate & territorio ad Episcopum pertinentes, exceptis reditibus altarium, ea nobis & nostris successoribus Regibus Franciæ in perpetuum retinemus. Actum apud Corbolium anno Domini MCCLIX. mense Iulio. *Vestræ igitur regiæ majestati referentes quas scimus & possumus gratiarum humillimas actiones, quòd vestræ benevolentiæ placuit jus nostrum & Ecclesiæ nostræ per usurpationes diversas à quibusdam in ambiguo depositum declarare, quæ in eisdem literis continentur habentes accepta, ea advos & successores vestros Reges Franciæ, jure Regalium, vacante Ecclesia nostra, recognoscimus pertinere quæ in vestris prædictis literis vobis & eisdem successoribus vestris retinuistis expressè. In cujus rei testimonium præsentem cedulam Eminentiæ vestræ mittimus sigilli nostri munimine roboratam. Datum Anicij in Capitulo anno quo suprà, mense Augusto.*

IV. Cùm autem ususfructus redituum episcopatus (si reditus feudorum excipias) & collatio Præbendarum ex consuetudine proficiscerentur adversùs canones introducta, optimum factu esse existimarunt Principes ut hujus consuetudinis confirmationem decerni procurarent in Concilio generali Lugdunensi, quod à Gregorio decimo convocatum & celebratum est anno millesimo ducentesimo septuagesimo quarto. Eam ob rem editus est in eo Concilio canon, præsentibus Francorum legatis, quo idem prorsùs decretum est quod Regis auctoritate statutum fuerat arresto Parlamenti Parisiensis. Confirmatum enim est jus recipiendi Regalia in Ecclesiis ubi recepta erat illa consuetudo: cujus introductio vetita est quoad Ecclesias quæ ei non erant obnoxiæ. *Generali constitutione sancimus universos & singulos qui Regalia, custodiam, sive gardiam, advocationis seu defensionis titulum in Ecclesiis, monasteriis, seu quibuslibet piis locis de novo usurpare conantes, bona Ecclesiarum, monasteriorum, aut locorum ipsorum vacantium occupare præsumunt, quantacunque dignitatis honore præfulgeant, ---- eo ipso excommunicationis sententiæ decernimus subjacere.* Infrà : *Qui autem ab ipsarum Ecclesiarum ceterorúmque locorum fundatione vel ex antiqua consuetudine jura sibi hujusmodi vendicant, ab illorum abusu sic prudenter abstineant, & suos ministros in eis sollicitè faciant abstinere, quòd ea quæ non pertinent ad fructus sive reditus provenientes vacationis tempore non usurpent, nec bona cetera, quorum se asserunt habere custodiam, dilabi permittant, sed in bono statu conservent.* Ceterùm adnotandum

Capit. 12. Concilij Lugdun. sub Gregorio X.

est hoc loco vocem *Regalia* heic novè accipi, pro custodia nimirum & usufructu omnium fructuum & redituum provenientium interim dum sedes vacat: *Fructus sive reditus provenientes vacationis tempore.*

V. Dubitandum non est quin generali fructuum vocabulo comprehenderetur etiam collatio Præbendarum, cùm juxta Alexandri tertij constitutionem, quæ ante hoc Concilium edita est, collationes recenserentur in fructibus. Sed tamen maluit Concilium jus illud extraordinarium verbis generalibus, quòd & ipsa validæ rationis loco esse possent, complecti quàm illud disertis verbis explicare. Neque enim probabile est eam fuisse patribus Concilij mentem, cùm hunc canonem conderent, ut collationes Præbendarum adimerent Principibus; cùm Innocentius tertius anno millesimo ducentesimo decimo, Clemens quartus anno millesimo ducentesimo sexagesimo septimo, & Gregorius ipse decimus anno MCCLXXI. hujusmodi Præbendarum collationes à Regibus sede vacante factas approbaverint.

VI. Hæc tamen reticentia occasionem postea subministravit Bonifacio Papæ octavo de hoc jure controversiam movendi adversùs Philippum Pulchrum Regem Francorum; cui scripsit Pontifex eos se pro hæreticis habere qui contendebant collationem Beneficiorum, quòd spiritualia sint, fieri posse à laïca persona. Verùm Rex jus suum tuitus est allegata veteri consuetudine regni sui. Ioannes de Parisiis, temporis illius scriptor, ea occasione scripsit Tractatum de potestate papali & regia; in quo inter alia examinat quæstionem collationis Beneficiorum. Ait autem quòd cùm Ecclesia Patronis concesserit jus præsentationis, contemplatione fundationis Beneficiorum, potuit, quoque ipsa ac debuit in gratiam insignium virorum connivere eorundem Beneficiorum collationibus, velut vices rependens protectioni quam illi impertiuntur Ecclesiæ, & consideratione beneficiorum ab iis præstitorum Ecclesiis; præsertim cùm collatio ac præsentatio non sint propriè res spirituales, sed tantùm spiritualibus connexæ *per antecedentiam*, ut ille loquitur. Significat autem eas antecedere exercitium spirituale & officium quod beneficiatus præstat Ecclesiæ. Nam licèt Episcopo injuria fieri videatur cùm collatione quorundam Beneficiorum sede vacante vacantium privatur, leve tamen illud damnum majore commodo resarcitur, protectione nimirum & donationibus factis & in posterum faciendis in gratiam Ecclesiarum. *Quod annexum est spiritualibus officiis per antecedentiam, ut præsentatio, vel collatio, seu jus conferendi, quia non sic dependet à spirituali, sed è converso, potest competere laico præcipuè, & ex concessione Ecclesiæ, vel ex promissione, & ex longa consuetudine præscripta, potest Rex sibi jus acquirere, cùm sibi non repugnet.* Infrà: *Dicta consuetudo cùm non sit damnosa in ministris Ecclesiæ, sed in pluribus fructuosa, non præjudicat juri publico in genere, licèt videatur præjudicare in specie. Nam licèt videatur præjudicare Episcopis qui privantur collatione Beneficiorum quæ de jure communi eis debetur, tamen Ecclesiæ aliunde ex hoc emolumentum accipiunt præponderans, ratione defensionis & donationis & fundationis. Et ideo non præjudicat simpliciter.* Ioan. Paris. de potest. reg. & pap. c. 21.

VII. In articulis Clementi Papæ quinto à Gulielmo de Nogareto oblatis adversùs memoriam Bonifacij octavi, quam is damnari debere contendebat ob crimen hæreseos, tria quædam proponuntur tanquam certa & manifesta adeóque nota ut nemo contradiceret. Primùm enim asseritur quamplurimas Ecclesias esse sub tuitione Regis, in primis verò omnes Ecclesias cathedrales hujus regni; adeo ut si vis aliqua illis inferatur, Rex auctoritate sua resarciri damna procuret. Secundò, inter jura regia illud quoque recenseri, ad eum nempe pertinere usumfructum omnium fructuum & redituum Ecclesiarum cathedralium vacantium, *qui de sua Regalia existunt*, donec novus Episcopus bona temporalia à Rege receperit, post præstitum videlicet juramentum fidelitatis aut homagium. Tum Ecclesias in quibus Rex fruitur hoc jure Regaliæ, fundatas fuisse à Regibus Francorum. Tertiò, Regem, sede vacante, conferre Præbendas, Dignitates, & Beneficia quorum collatio ad Episcopum pertinebat, etiamsi vacent in Curia Romana.

VIII. Porrò cùm antiqua Parlamenti arresta jus regium consuetudine niti docuerint, illúdque deinceps Concilium Lugdunense approbaverit cum hac modificatione, nullámque aliam ejus asserendi probabilem causam invenerint Doctores Parisienses quàm vetustam consuetudinem ex æquitate profectam, mirum videri non debet si Reges qui primi leges in hac Regalium materia condiderunt ad fori usum accommodatas, jus illud coërcuerint ad Ecclesias in quibus receptum erat Regem eo jure uti. Ita enim anno MCCCII. edixit Philippus Pulcher: *Item, quantum ad Regalias, quas nos & nostri prædecessores percipere assuevimus & habere in aliquibus Ecclesiis regni nostri, quando eas vacare contingit.* Item Philippus Vale-

sius anno MCCCXXXIV. *Ex Egliſes de noſtre Royaume, eſquelles nous avons droict de Regale.* Extat autem in camera Computorum vetus regeſtum, (cujus excerpta referuntur à Paſquierio lib. III. Diſquiſitionum Francicarum cap. XXXVII.) in quo enumerantur Eccleſiæ ſubjectæ huic juri Regaliæ, itémque Eccleſiæ in quibus Reges non utebantur eo jure. Inter ſubjectas autem ponuntur, provincia Senonenſis, excepto epiſcopatu Autiſſiodorenſi; Remenſis provincia, excepta Eccleſia Cameracenſi; provincia Biturícenſis, exceptis epiſcopatu Lemovicenſi, Cadurcenſi, Ruthenenſi, Albienſi, & Mimatenſi; provincia Turonenſis, exceptis Britonum Eccleſiis; & provincia Rothomagenſis. Provinciæ verò quæ ſubjectæ non ſunt, ſunt iſtæ, Burdegalenſis, Auſcitana, Narbonenſis, & Arelatenſis.

Huic regulæ, quæ nobis à majoribus tradita eſt, innititur conſtitutio Ludovici XII. edita anno MCDXCIX. quæ his verbis concepta eſt: *Defendons à tous nos Officiers qu'eZ Archeveſchez, Eveſchez, Abbayes, & autres Benefices de noſtre Royaume eſquels n'avons droict de Regale ou de Garde, ils ne ſe mettent dedans, ſur peine d'eſtre punis comme ſacrileges.*

IX. Qui materiam hanc cum aliqua cura tractarunt, veluti Ruzæus & Probus, ex his conſtitutionibus conſequi aiunt jus Regaliæ non eſſe ubique ſimile, nec in univerſo regno vigere, Regem verò eo uti non poſſe niſi in Eccleſiis ubi poſſeſſionem habet omni memoria antiquiorem. Attamen diſſimulandum non eſt tentaſſe jamdiu quoſdam perſuaſum omnibus facere jus Regalium eſſe jus merè regium & ad Coronam pertinere, ut ipſi loquuntur, atque adeo ad univerſas Regni Eccleſias porrigendum eſſe abſque diſcrimine. Ita enim ante hos trecentos ferme annos ſenſit Ioannes Butillerius in ſua Summa Rurali. At Paſquierius, tametſi Regius in Camera Computorum Advocatus eſſet, opinionem illam erroneam eſſe contendit & dignam potiùs adulatore aulæ quàm Iuriſconſulto Gallo. Addit verò Guidonem Fabrum Pibracium generalem Regis in Parlamento Pariſienſi Advocatum, qui jus Regaliæ generale ubique eſſe urgebat edicto ſtatui, id obtinere non potuiſſe, ac de ſententia fuiſſe dejectum.

Paſquier. lib. 3. c. 37.

X. Nihilominus hinc factum eſt ut vetus loquendi modus in antiquis Regum conſtitutionibus uſurpatus, mutatus dein fuerit. Edictum quippe anni milleſimi ſexcenteſimi ſexti verbis ambiguis & obliquè inflexis conceptum eſt, quæ duplici interpretationi obnoxia ſunt, cùm in eo contineatur Regem nolle uti jure Regaliæ in detrimentum Eccleſiarum exemptarum. Verba enim hæc occaſionem ſubminiſtrarunt inveſtigandi an exemptio illa intelligenda eſſet de exemptione juris & de præſcriptione, aut de exemptione à Principe conceſſa, ſive gratuitò, ſive titulo oneroſo. Viam autem controverſia hæc aperuit arreſto Parlamenti Pariſienſis lato anno MDCVIII. quo edicitur ne Advocati in dubium revocent an Rex jure Regaliæ uti poſſit in univerſis regni Eccleſiis; quòd jam præjudicatum fuiſſet edictum eſſe intelligendum de exemptione conceſſa ob titulum oneroſum. Querelam adversùs hoc arreſtum movit clerus Gallicanus apud regiam majeſtatem.

XI. Conſtat ſanè plurimas Eccleſias fuiſſe exemptas, vel, ut apertiùs loquar, liberatas à jure Regalium, literis Philippi Auguſti, veluti Autiſſiodorenſem, Lingonenſem, Nivernenſem &, alias. Verùm ea conceſſio non liberabat Eccleſiarum illarum Epiſcopos à juramento fidelitatis; ut conſtat ex literis exemptionis Eccleſiæ Atrebatenſis datis anno milleſimo ducenteſimo tertio: *Sed electum ſuum confirmatum nobis præſentabunt, ut fidelitatem nobis faciat, ſicut alij Epiſcopi noſtri nobis facere conſueverunt.* Quoad exemptionem verò Regaliæ Turonenſis, litem accuratiùs diſceptandam eſſe pronuntiatum eſt arreſto lato anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo, eo prætextu, quòd Regina Blancha gratis reſtituerat Regalia electo Archiepiſcopo Turonenſi. Verùm conceſſio illa facta fuerat in gratiam perſonæ, & in eo verſabatur quòd bona temporalia reſtituta fuerint electo ante conſecrationem. Hujuſmodi conceſſionis mentio extat in conſtitutione regia anni milleſimi trecenteſimi trigeſimi ſecundi.

Chopin. lib. 2. de Domanio Tit. 3. §. 8. Paſquierius loco ſupra laudato.

Vide ſepiſſimum Petri Regij Anagogen in Additione ad cap. 2. hujus libri.

CAPVT XXV.

Synopſis.

I. Inquiritur an præter Regem aliqui Galliarum dynaſtæ jure Regaliæ fruerentur in regno. Magni momenti eſt hæc quæſtio ad oſtendendum falſam eſſe eorum opinionem qui jus illud ad ſolum Regem pertinere poſſe contendunt.

II. Duces & Comites inveſtituras olim eodem jure concedebant quo Principes. Probatur ex ſynodo Romana Gregorij ſeptimi & ex regeſto ejuſdem Pontificis.

III. Rotrocus Comes Huberto Abbati ſanctæ Dionyſij Nogenti tradidit baculum paſtoralem, eique curam monaſterij commiſit.

IV. Comites Sabaudiæ ſoliti erant concedere in-

vestituram Regalium episcopatus Sedunensis. Sed eis ablatum est id jus ab Henrico sexto Imperatore.

V. Cùm investitura, mutato nomine, Regalia dici cœpissent, Duces & Comites Regalia quoque retinuerunt. Probatur ex Articulis Clementi Papæ quinto oblatis.

VI. In pactionibus initis inter sanctum Ludovicum Regem & Petrum Ducem Britanniæ jus Regaliæ huic Duci conservatum est in episcopatibus illius provinciæ.

VII. Comes Campaniæ jure Regaliæ fruebatur in Ecclesia Trecensi. Et Vicecomes Combornensis in episcopatu Lemovicensi.

ADDITIO.] *Comes Andegavensis idem jus usurpabat in Ecclesia Lexovien si; & in monasterio sancti Albini Andegavensis investiturarum pleno jure olim utebatur. Reges nostri abbatias olim concedebant viris à se delectis, inexpectata etiam monachorum electione. Probatur ex Præcepto Roduisi Regis pro monasterio Tutelensi in Lemovicibus.*

I. INVESTIGANDUM est deinceps an præter Regem aliqui Galliarum dynastæ jure Regaliæ fruerentur in regno. Plena est hæc quæstio curiosæ eruditionis; ac præterea magni momenti est ad ostendendum falsam esse quorundam persuasionem, qui existimant eam esse Regaliæ dignitatem ut neque transferri in alium possit neque cum quoquam communicari. Sed ut rem ipsam meliùs intelligamus, repetenda est causa investiturarum, unde quoque Regaliæ originem esse scripsimus. Etenim si Duces & Comites, postquam eorum dignitates factæ sunt hereditariæ, investituras Regalium episcopatuum & monasteriorum dabant, probabile videtur eos hunc investiturarum usum retinuisse cum additione quæ facta fuerat usufructus Regalium.

II. Nam quoad investituras, patet ex synodo Romana à Gregorio septimo celebrata anno millesimo octuagesimo solitos quoque Duces & Comites eas concedere eodem jure quo Principes. *Si quis Imperatorum*, inquit synodus, *Regum, Ducum, Marchionum, Comitum, investituram episcopatuum vel alicujus ecclesiasticæ dignitatis dare præsumpserit &c.* Idipsum disertiùs docet Gregorius septimus lib. IV. epist. XIV. ex qua constat Comites Britonum, synodi Romanæ decreto obsequentes, investituras episcopatuum abjecisse, tametsi se vetusta possessione tueri possent. *Cùm enim audivimus*, inquit Gregorius, *Principes illius terræ contra antiquam & pessimam consuetudinem pro reverentia Dei omnipotentis & apostolicæ auctoritatis ulteriùs in ordinandis Episcopis nec dominium investituræ tenere nec pecuniæ commodum quærere velle &c.*

III. Idem investiturarum usus probatur etiam ex Chartulario sancti Dionysij Nogenti-Rotroci; ex quo patet Comitem Rotrocum Abbati Huberto dedisse baculum pastoralem, eique curam monasterij commisisse: *Huberto Comes Rotrocus baculum in manu dedit, & curam monasterij commisit.* Apud Gallandium in Tractatu de Franco-Allodio pag. 328.

IV. In Imperio quoque vigebat idem usus. Etenim Comites Sabaudiæ consueverant dare investituram Regalium episcopatus Sedunensis in Vallesia; ut patet ex epistola quadam Henrici sexti Imp. data anno MCLXXXIX. quæ extat in Chartulario Tullensi. Illic enim legitur Comitem Thomam petiisse restitutionem omnium bonorum suorum, quæ adversùs patrem ejus publicata fuerant decreto Curiæ imperialis, *per justam Principum Imperij sententiam & Parium suorum.* Impetratum id quidem. Sed tamen denegatus ei fuit episcopatus Sedunensis; adjudicatúmque est Imperio jus tribuendi investituram Regalium ejusdem episcopatus, tametsi ea ad Comites Sabaudiæ pertinuisset: *Sedunensem episcopatum ad manum Imperij retinuimus specialiter; cujus Ecclesiæ Episcopi, ante tempora illa, de manu Comitum Sabaudiæ per aliquod tempus recipiebant Regalia. Sub ergo hac forma episcopatum illum Imperio specialiter retinuimus, ut Ecclesia Sedunensis & ejusdem Ecclesiæ Episcopi ad Coronam Imperij jure perpetuo specialiter pertineant, ac de manu Imperij Regalia recipiant. Ad cujus rei certiorem evidentiam Vvillelmum Episcopum, qui tempore illo Sedunensi Ecclesiæ præsidebat, de Regalibus investivimus; qui investituram Regalium Sedunensis episcopatus de manu nostra recepit, eámque omnes ejus successores de manu Imperij sunt recepturi. Ad ampliorem quoque Sedunensis Ecclesia dignitatem & exaltationem, imperiali simul & regali edicto statuimus ut nullus de cetero Sedunensis Episcopus investituram Regalium nonnisi de manu Imperij accipiat.* Apud eundem Gallandium pag. 245.

V. Quoniam verò investituræ, mutato nomine, Regalia dici dein cœperunt, hinc factum ut Duces & Comites, qui investiturarum jure fruebantur, Regalia quoque retinuerint; pro quibus tamen homagium & juramentum fidelitatis Regi præstabant, quòd ea portio quædam & membrum essent feudorum ab ipsis possessorum. Propositio hæc meliùs probari non potest quàm auctoritate articulorum à Gulielmo de Nogareto oblatorum Clementi Papæ quinto, quorum hæc sunt verba in articulo XIV. *Item certum, notorium, & indubitatum existit quòd jura regalia aliquarum Ecclesiarum, quæ habet in Ecclesiis prædictis, Dominus Rex prædictus, progenitores ipsius Domini Regis, & prædecessores ejus in regno, dederunt in feudum aliquibus Baronibus suis tam ecclesiasticis quàm secularibus.*

Qui Barones Regalibus illis utuntur & fruuntur, ſedibus ipſarum Eccleſiarum vacantibus, jure ſuo feudali & regio, à quo jus ſuum movet; & ideo jus regale vocatur. Quo jure dicti Barones utuntur nominibus ſuis & nomine regio, & uſi ſunt tanto tempore de cujus initio memoria non exiſtit.

Ceterùm in his articulis enumerantur Barones eccleſiaſtici qui Regalia Eccleſiarum in feudum tenent à Rege. Adducitur exemplum Eccleſiarum Lugdunenſis & Auguſtodunenſis; ad quas viciſſim pertinet uſus-fructus Regalium, quando ſedes earum vacant. Epiſcopos verò illarum Eccleſiarum in feudum tenere à Rege mutuum hunc Regalium uſumfructum.

Chopin lib. 1. de Dom. Tit. 9. §. 7.

VI. Quoad Barones verò ſeculares; legimus in pactionibus initis anno MCCXXXI. inter ſanctum Ludovicum Regem & Petrum Ducem Britanniæ, jus Regaliæ ei Duci conſervatum fuiſſe in epiſcopatibus illius provinciæ. *Ius Regaliæ, quod in ſuis Eccleſiis cathedralibus habere dicitur.* Ius tamen illud coërcitum erat ad uſumfructum redituum temporalium, excluſo prorsùs jure conferendi Beneficia; ut patet ex conſtitutione Caroli ſexti eam in rem edita.

VII. Nam de Rege Navarræ, qui Comes quoque Campaniæ erat, legimus in arreſto Parlamenti Pariſienſis lato anno MCCLXIX. cum, vacante ſede epiſcopali Trecenſi, Regaliæ jure uſum fuiſſe. Anno dein MCCLXXVI. Regalia duarum villarum ad Epiſcopum Lemovicenſem pertinentium adjudicata fuit Vicecomiti Combornenſi, ſede epiſcopali vacante; repulſóſque eodem arreſto conſtat miniſtros regios, qui harum villarum fructus occupaverant. Quare fallitur Chopinus, dum ait Regaliæ Lemovicenſis fructus eodem Senatus Pariſienſis decreto depoſitos eſſe ſequeſtrò, pendente litigio, penes Vicecomitem Combornenſem; cùm conſtet eos illi adjudicatos fuiſſe, ſed in iis tantùm duobus locis. Regi namque conſervatus eſt uſusfructus quorundam aliorum fructuum.

ADDITIO

STEPHANI BALUZII.

TOT argumentis probavit illuſtriſſimus Archiepiſcopus Comites quoque & Duces jure inveſtiturarum, atque adeo Regalium, uſos fuiſſe in Gallia, ut inutilis futura videatur omnis opera quæ in hoc ponetur. Sed tamen prætermitti non debet inſignis locus Arnulfi Epiſcopi Lexovienſis: qui in epiſtola ad Lucium Papam, edita in tomo ſecundo Spicilegij, docet Comitem Andegavenſem per bienium & ampliùs occupaſſe bona epiſcopalia Eccleſiæ Lexovienſis, eo prætextu, quòd Arnulphus electus ac conſecratus fuiſſet abſque deſignatione Comitis: *Bona omnia epiſcopalia redimere de manu Comitis Andegavenſis angebar, quæ ipſe mihi per duos annos & tres menſes abſtulerat, quia electus canonicè ſine ipſius deſignatione fueram conſecratus.* Et divus Bernardus Abbas Clarævallenſis ad Innocentium ſecundum Papam ſcribens pro Arnulpho Lexovienſi Epiſcopo electo, acriter exagitat Comitem Andegavenſem, quem oppreſſorem pacis & libertatis Eccleſiæ vocat, ob hoc quòd Arnulphum in ovile ingredi non pateretur per viam rectam. Extat autem ea Bernardi epiſtola in tomo tertio Spicilegij pag. 167.

Quoniam verò illuſtriſſimus Archiepiſcopus unicum exemplum attulit quoad inveſtituras monaſteriorum, Rotroci nimirum Comitis, haud inconveniens reor ſi oſtendero Comites quoque Andegavenſes, quorum priſcis illis temporibus magna dignitas erat, eodem jure uſos eſſe in monaſterio ſancti Albini Andegavenſis; cui interdum *delegabant* Abbates propria auctoritate, interdum verò electis *donum rerum temporalium* tribuebant ante conſecrationem. Patet illud ex aliquot veteribus actis quæ extant in Chartulario ejuſdem monaſterij, quæ hic edere viſum eſt.

*Novimus quæ præcepta &c. Quamobrem ego in Dei nomine Gozfredus Comes **** vel etiam nobilium perſonarum fidelium noſtrorum, pro remedio videlicet animæ noſtræ, patriſque, necne ſimul & matris, ſeu etiam pro reliquorum parentum noſtrorum requie, delegamus Abbatem in monaſterio ſancti Albini nomine Gonterium, ſalva voluntate monachorum ibidem degentium; eiſque licentiam concedimus ut poſt ejus obitum quemcunque voluerint Abbatem eligendi habeant poteſtatem &c.*

Omnibus in domo quibus eſt Chriſtus vivere & mori lucrum &c. Notum eſſe volumus quòd anno DCCCCLXXXVIII. *incarnationis dominicæ recedens à loco ſancti Albini Abbas Gunterius, quem pro fidelitate Dei & ſuæ animæ remedio nobiliſſimus inter ſuos Gozfredus Comes eidem loco præfecerat, & Romam, vel, quod majus eſt, matrem civitatum Hieruſalem expetens gratia orationis, ſucceſſorem ſibi præſago ſpiritu providerit, cui animarum ſimul & corporum curam committeret, Rainaldum vitæ & morum probitate decorum, quem ipſe in Chriſti nomine nutrierat, cum conſenſu tamen fratrum præfati loci & elegantiſſimi juvenis filij prædicti Comitis, qui in loco patris feliciter ſucceſſit, nomine Fulconis &c.*

Certum eſt omnibus qui fundamenta catholicæ puritatis noverunt &c. Quare nos fratres pauci in cœnobio ſancti Albini Andecavenſis Epiſcopi Deo propoſſe famulantes, quia vinculum pacis & ſignaculum Chriſtianæ diſciplinæ dilectionem per unitatem cordis vel animæ poſſidere cupimus, elegimus fratrem quendam, morum probitate ornatum, nomine Theodericum, quem nobis vice Chriſti patrem præeſſe volumus, & in diffinitione ejus ſententiarum noſtrarum diverſitatem uniri; ne diverſa ſentientes, à Chriſti doctrina inveniamur extranei. Facta eſt autem iſta electio conſilio atque auctoritate Domni Alberti Abbatis Majoris monaſterij, qui hoc in conventu monachorum ritu celebri peracto obtulit etiam fratrem prædictum Gaufrido præclariſſimo Comiti, ſub cujus ditione locus ipſe conſiſtit, à quo etiam donum rerum

vum temporalium ad idem pertinentium cœnobium susceptit. Deinde præsentavit eum venerabili prudentissimóque Patri Eusebio Andecavensis urbis Episcopo; ut cui Comes exteriùs tradiderat auctoritate sua dominium, Episcopus debita benedictione consecrans, ex more ecclesiastico curam committeret animarum &c. Acta hæc circa annum millesimum sexagesimum.

SED non discedam ab hoc loco quin addam illustre monumentum antiquitatis, cujus auctoritate probabitur Reges nostros, diù ante Concordatorum pactiones, abbatias quoque commendare solitos viris à se delectis, inexpectata etiam monachorum electione. Ademarus Vicecomes Scalarum in Lemovicibus & Abbas laïcus monasterij Tutelensis, ad quem cum hereditate majorum ea abbatia pervenerat jam inde à temporibus Karoli Martelli, monasterium illud, quod à Normannis destructum erat, reædificare cupiebat, eique *veterem abbatiam*, ut ipse vocat, restituere. Tametsi enim iste Abbas esset Tutelensis, & vetusta monasterij bona possideret, adhuc tamen alius Abbas in eo monasterio erat secundùm regulam, qui parvo contentus, ut ferebat illa ætas, inopem vitam tolerabat cum monachis sibi subjectis. Hinc orta distinctio abbatiæ veteris & novæ. Ademarus ergo, ut dixi, monasterium Tutelense restaurare cupiebat. Sed fieri istud non poterat absque consensu Regis. Tum Francis & Aquitanis imperitabat Rodulfus, Burgundionum antea Rex. Is ergo omnem restaurandi Tutelensis monasterij curam in se trahens, Aimoni Abbati eam abbatiam commendavit circa annum DCCCCXXXI. precibus ejusdem Ademari & Ebali Comitis Pictavensis. Post Aimonem, Odo factus est Abbas Tutelensis, decreto hauddubiè Rodulfi Regis. Verùm cùm is Abbas Cluniacensis evasisset, atque adeo curam monasterij Tutelensis gerere non posset, Adacium sibi successorem dari obtinuit ab eodem Rodulfo *ad vicem suam supplendam*; ut Odone vivo, vicarius ejus esset seu coadjutor, in ejus verò locum succederet post mortem ipsius. Ea tamen fuit Rodulfi pietas ut jure illo dandi abbatiam Tutelensem cesserit in gratiam monachorum; qui eo deinceps potiti sunt citra omnem controversiam. Extat autem ejus ea de causa Præceptum in Chartulario Ecclesiæ Tutelensis, dignum profectò quod heic describatur.

Vide Ratpertum in libro de origine monasterij sancti Galli cap. 8. apud Goldast. to. 1. rer. Alamann.

delicet beatissimi Domni Martini constructum. Quo loco prisca reverentia novellis adhuc miraculis Domino largiente servatur. Precibus autem * viri Ademari, qui locum ipsum eatenus tenuerat, suggerente etiam Ebalo Comite, cuidam religiosissimo Abbati nomine Aimoni locum eundem ad restaurandum regulare propositum commendaveram, atque * cœnobium sancti Savini subjectum feceram. Sed quoniam experimento probatum est quòd eadem subjectio religioni obstaret, eidem religioni penitùs consulere volentes, saniore consilio decernimus ut antiquo more solius Regis tuitione, non autem dominatione teneatur. Hoc autem contra jus regni fieri nemo censeat; quandoquidem excellentissimi Imperatores directa sua, quoties causa exegerit, leguntur immutasse; & Apostolo perhibente, necessariò legis translatio fit. Hoc ergo cœnobium, cum omnibus quæ nunc ad eum pertinent, vel quæ deinceps ibidem obvenerint, ita pro auctoritate istius nostri Præcepti manere constituimus ut nullius dominatione nisi tantùm sanctæ regulæ subjaceant. Post discessum verò fidelissimi & amantissimi nostri Domni Odonis, qui prædicto Aimoni venerabili successit, & post Adacium, quem isdem venerabilis Odo sibi ad vicem suam supplendam ordinari petiit, licentiam habeant secundùm regulam sancti Benedicti quemcunque saniori consilio maluerint ex se ipsis eligendi. Et neque Rex, nec Comes, aut Episcopus, aut quælibet alia persona res eorum inquietare aut alicui dare præsumat, sed nec oppido quidem dominari audeant. Partem verò abbatiæ quam prædictus Ademarus Abbate ipso consentiente retinuit, totam post ipsius discessum recipiant: quo decedente, qualem communiter voluerint munburdum & causedicum habeant. Ius quoque immunitatis ac reverentiam quæ sancto illo loco & huic divinitus observatur ita concedimus ut nemo vel ipsi vel rebus ad eum pertinentibus ullam violentiam inferre moliatur. Ceterùm tam Abbas quàm monachi communiter, sicut ante Dei oculos, regulare propositum servent. Vt autem hæc nostra Præceptio indelebilis perseveret, hanc in superni nomine auctoris anulo nostro signavimus.

* Deest heic aliquid.

* Leg. cœnobio.

Hebr. 12.

Signum Rodulfi gloriosissimi Regis.

Gotefredus sacerdos ad vicem Ansigisi Episcopi recognovit, & subscripsit.

Actum * Anatiaco, Idibus Decembris, Indictione III. anno XI. regnante R. gloriosissimo Rege.

* [Actiniaco.]

PRÆCEPTVM RODVLFI REGIS PRO MONASTERIO TVTELENSI.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Rodulfus gratia Dei Francorum & Aquitanorum atque Burgundionum Rex pius, invictus, ac semper Augustus. Sicut non est potestas nisi à Deo, qui collocat, ut scriptum est, Reges in solio, sic utique consequens est ut hi qui in sublimitate sunt, sub potenti manu ejus se humilient, & ut regni ejus ministri juxta ipsius voluntatem suas actiones administrent. Quapropter notum sit omnibus tam præsenti quàm futuro tempore regni munia disponentibus quòd ego de statu religionis redintegrando sollicitus, Tutelense cœnobium in regulari proposito, ut olim fuerat, reparare decrevi. Est autem in Lemovicensi pago super fluvio Correzia situm, in honore vi-

CAPVT XXVI.

Synopsis.

I. Comites Tolosani jure Regaliæ temporalis fruebantur in universa ditione sua. Probatur ex literis Raimundi Comitis Tolosani datis anno millesimo ducentesimo nono.

II. Libertatem provinciæ Narbonensis confirmavit Philippus Pulcer. Emendatur insignis locus ex diplomate ejus; in quo scriptum est Nolumus, *cùm tamen in omnibus editionibus habeatur* Volumus.

III. Recensentur Ecclesiæ cathedrales quæ Raimundi Comitis Tolosani imperio tum parebant quando redditæ est illis ab eo libertas.

ADDITIO.] *Omissa est provincia Auscitana*

in literis Raimundi ; quæ restituenda est ex regesto Innocentij tertij. Quanam occasione concessa hæc immunitas à Raimundo. Factum id post absolutionem ab excommunicatione, jubente Milone Legato sedis apostolicæ. Datur nova editio auctior & emendatior earum Raimundi literarum.

I. COMITES quoque Tolosatium jure Regaliæ temporalis fruebantur in universa ditione sua. Colligitur illud ex literis Raimundi Comitis Tolosani, Ducis Narbonæ, & Marchionis Provinciæ : qui anno MCCIX. personas ecclesiasticas sibi subjectas in provinciis Viennensi, Arelatensi, Narbonensi, Bituricensi, & Burdegalensi exsolvit necessitate contribuendorum tributorum quæ antea ab iis exigebantur ; tum etiam profitetur se deinceps occupaturum non esse spolia Episcoporum morientium, neque administrationem Ecclesiarum vacantium ad se tracturum, abolita consuetudine contraria, & omnia futuro successori conservari jubet. Literæ illæ extant integræ apud Catellum in historia Comitum Tolosanorum. *Defunctis earum Episcopis vel rectoribus aliis*, inquit Raimundus, *ipsos vel domus eorum per me vel per alium nullo modo spoliabo, nec administratione earum seu custodia, occasione alicujus consuetudinis vel aliqua alia, me ullatenus immiscebo ; sed omnia, sine aliqua diminutione, defunctorum successoribus teneantur. Electioni autem Episcopi vel alterius rectoris Ecclesiæ faciendæ per me vel per quamcumque personam me ullatenus immiscebo.*

II. Libertas illa Ecclesiarum à Rege Philippo Pulcro confirmata est, quoad provinciam Narbonensem, literis datis apud urbem Nemausensem anno MCCCIII. his verbis : *Nolumus quòd gentes nostræ occupent Regalia Ecclesiarum vacantium provinciæ Narbonensis.* Earum literarum exemplar vidimus in Præcepto authentico ejusdem Regis, quod præ manibus habuimus, dato anno millesimo trecentesimo decimo. In eo exemplo disertè scriptum est *Nolumus*. Hoc autem ideo visum est admonere, quòd insignis error irrepserit in easdem literas, prout editæ sunt in corpore constitutionum regiarum, ubi editum est *Volumus*. Tanti autem momenti est hæc literarum permutatio ut ob literulæ unius mutationem prorsùs evertantur privilegia provinciæ Narbonensis. Attamen assentiri non possum Syndico illius provinciæ affirmanti mutationem illam imputandam esse artificio Clericorum sanctæ Capellæ Parisiensis, qui eam ab anno millesimo quingentesimo quinquagesimo inseri procuraverint in editionibus Molinæi, Fontanonis, & Guenoisij. Assentiri inquam non possum huic Syndico, quòd videam eundem errorem, gravi hallucinatione, irrepsisse in omnes editiones libri cui titulus est *Stylus Parlamenti*, qui vulgatus est ab Aufrerio Præside Tolosano annis 1512. 1530. & 1542. in quibus omnibus editionibus constanter legitur *Volumus*, non autem *Nolumus*.

Vide Bullam Gregorij IX. in Additione ad caput XVIII. hujus libri.

III. Quoad libertatem verò reliquarum provinciarum in literis Raimundi Comitis Tolosani comprehensarum, non alias Ecclesias sub vocabulo provinciæ Arelatensis intellexit Raimundus præter diœceses Arelatensem, Massilienſem, Avinionensem & aliquot alias in Marchionatu Provinciæ positas, qui per eas tempestates separatus erat à comitatu Provinciæ ad Comites Aragoniæ stirpis pertinente. In provincia verò Viennensi Ecclesiam & pagum Vivariensem tantùm obtinebat ; reliquum provinciæ ad Comites Viennenses pertinebat, qui custodes delegabant administrandis bonis temporalibus episcopatuum Delphinatus. At custodibus illis cura imponebatur conservandi fructus futuro Episcopo ; ut testatur Franciscus Marcus in Decisionibus Delphinatus parte II. §. 556. Nam quoad provinciam Bituricensem, magna illius pars subjecta erat Comiti Tolosano, Cadurci nimirum, Albienses, Rutheni, & Gabalitani, cum eorum episcopatibus. Vnde factum ut in regesto illo Cameræ Computorum quod diximus episcopatus Cadurcensis, Ruthenensis, Albiensis, & Mimatensis, qui ad provinciam Bituricensem pertinent, inter eos recenseantur qui juri Regaliæ obnoxij non sunt. Sed prætermittere hoc loco non possum illustre Parlamenti Parisiensis arrestum latum anno MCCLXXII. in gratiam Ecclesiæ Albiensis, quod extat in veteri regesto ejusdem Parlamenti. *Sabbato post ascensionem Domini restituta fuerunt apud Apamias, & reddita per Dominum Regem procuratoribus Capituli Albiensis, Regalia Ecclesiæ Albiensis, quæ mortuo Episcopo Albiensi Seneschallus Carcassonensis ad manum Domini Regis ceperat & saisinaverat sine causa, cùm Dominus Rex super hoc aliàs nunquam usus fuisset, prout ex aliorum ac ipsius relatione fuit inventum.* Sed in provincia Burdegalensi episcopatum tantùm Agennensem possidebat Raimundus. Nam Henricus Rex Angliæ sororem suam Ioannam in matrimonium collocans cum eodem Raimundo, comitatum & pagum Agennensem dotis nomine contulerat.

ADDITIO
STEPHANI BALUZII.

DECRETUM illud Raimundi Comitis Tolosani, cujus meminit illustrissimus Archiepiscopus in initio hujus capitis, editum jamdiu fuit, ut ipse adnotavit, à clarissimo viro Gulielmo Catello in historia Comitum Tolosanorum. Verùm tam gravibus mendis laborat hæc editio ut res isthæc silentio transmitti prorsùs non debeat. Certè in eo capite graviter peccatum est, quòd inter provincias quibus immunitas conceditur, omissa est Auscitana, ac præterea clausula illa *secundùm statuta canonum & plenissimam libertatem*, quæ tamen extat in regesto Innocentij tertij. Præterea omissa sunt in editione Catelli nomina Episcoporum præsentium, quæ tamen habentur in eodem regesto. Hujus autem immunitatis concedendæ occasio hæc fuit.

Raimundus Comes Tolosanus, nomine hæreseos Albigensium valde suspectus, excommunicatus ob hoc fuerat à Summo Pontifice. Vnde multa damna ei irrogata sunt. Dein pacem desiderans cum Romana Ecclesia faeere, apud fanum sancti Ægidij in prima Narbonensi tractatu habito cum Milone apostolicæ sedis Legato, gratiæ Summi Pontificis restitutus est, & absolutus ab excommunicatione. Sed inter conditiones pacis, hæc quoque præscripta est Comiti, ut libertatem Ecclesiarum restitueret. Extant enim in eodem regesto *Mandata post absolutionem*, in quibus Milo ait inter cetera: *Item præcipio ut Ecclesias & domos religiosas in libertate plenaria conserves; videlicet quòd in eis albergarias, procurationes, vel exactiones quascunque nullatenus exigas vel percipias. Et defunctis earum Episcopis vel earum rectoribus, ipsas nullo modo spolies; nec administrationi earum seu custodiæ, occasione alicujus consuetudinis vel aliqua alia, te immisceas: sed omnia sine diminutione aliqua eorum successoribus reserventur. Electioni etiam Episcopi vel alterius rectoris Ecclesiæ faciendæ per te vel per quamcunque personam nullatenus te admisceas; nec aliquam violentiam facias, vel impedimentum aliquod præstes, quò minus electio liberè & canonicè celebretur &c.* Tum post nonnulla sequitur.

HÆC EST INDULGENTIA. *Ego Raimundus Dei gratia Dux Narbonæ, Comes Tolosæ, & Marchio Provinciæ, pro animæ meæ remedio & progenitorum meorum, omnibus Ecclesiis & domibus religiosis provinciarum Viennensis, Arelatensis, Narbonensis, Auxitanensis, Burdegalensis, & Bituricensis immunitatem secundùm statuta canonum & plenissimam libertatem concedo. Ita videlicet quòd albergarias, procurationes, vel exactiones quascunque, seu tallias, nullo unquam tempore per me vel per alios requiram in eis, & requirentes sive postulantes pro posse meo fideliter coërcebo. Defunctis etiam earum Episcopis vel rectoribus aliis, ipsas vel domos earum per me vel per alium nullo modo spoliabo; nec administrationi earum seu custodiæ, occasione alicujus consuetudinis vel aliqua alia, me ullatenus immiscebo; sed omnia sine diminutione aliqua defunctorum successoribus reserventur. Electioni autem Episcopi vel alterius rectoris Ecclesiæ faciendæ per me vel per quamcunque personam me nullatenus immiscebo; nec aliquam violentiam faciam, vel impedimentum præstabo, quò minus electio canonicè ac liberè celebretur. Præterea possessiones omnes & jura Ecclesiarum, si qua injustè detineo, eis restituo pleno jure. Promitto insuper quòd omnia jura Ecclesiarum & domorum religiosarum, sicut decet catholicum Principem, in præfatis provinciis totis viribus protegam & defendam. Si quis autem contra præfatam immunitatem & libertatem à me indultam Ecclesiis & aliis domibus religiosis venire præsumpserit, ipsum pro posse meo viriliter coërcebo. Istam autem concessionem & promissionem feci apud sanctum Ægidium anno pontificatus Domini Innocentij Papæ tertij duodecimo, XIII. Kal. Julij, ad mandatum & exhortationem Magistri Milonis Domini Papæ Notarij apostolicæ sedis Legati, præsentibus Domino M. Archiepiscopo *, cum Episcopis infrascriptis, videlicet Mayssilienſi, Avinionensi, Cavellicensi, Carpentoratensi, Vasionensi, Tricastrinensi, & Nemausensi, & Agathensi, & Magalonensi, Lodovensi, Tolosano, Biterensi, & Domino Archiepiscopo Aquensi, & Episcopo Aurasicensi, & Vivariensi, & Vticensi.*

* Arelatensi

CAPVT XXVII.

Synopsis.

I. Reges Franciæ nunquam contenderunt jus Regaliæ porrigi debere ad provinciam Burdegalensem. Si jus illud illic in usu fuisset, pertinuisset ad Duces Aquitaniæ. Probatur ex arresto quodam Parlamenti Parisiensis in causa Ecclesiæ Burdegalensis.

II. Privilegia Ecclesiæ Burdegalensi indulta, quorum mentio est in hoc arresto, alia non sunt quàm ea quæ à Ludovico sexto & septimo Regibus provinciæ Burdegalensi concessa sunt. Ex quibus eruditissimi viri falsò collegerunt exemptionem Regaliæ huic provinciæ indultam fuisse ab Regibus illis.

III. Nam ex iis tantùm sequitur usum Regaliæ non esse introducendum in futurum in provinciam Burdegalensem. Sed non remittitur id jus; quod nondum bene receptum erat. Præterea, irrepere illud non potuit in Aquitania, ob statuta Conciliorum Pictavensium.

IV. Privilegium itaque Ludovici Regis obstat ne titulo Regaliæ introduci possit in eam provinciam consuetudo occupandi reditus Ecclesiarum vacantium aut collationes Præbendarum. Rex Philippus Pulcher Ecclesiæ Pictavensi restitui jussit reditus ex bonis illius Ecclesiæ collectos sede vacante.

V. Dubitandum non est quin provincia quoque Auscitana iisdem privilegiis gauderet quibus Burdegalensis.

ADDITIO.] *Libertas provinciæ Burdegalensis confirmata est à Pontificibus Romanis; ut patet ex literis Eugenij tertij & Anastasij quarti, quæ nunc primùm eduntur. Libertas canonica reddita est provinciæ Auscitanæ à Raimundo Comite Tolosano. Rex tamen Angliæ Eduardus contendebat ad se pertinere usumfructum bonorum episcopalium diœceseos Aquensis, sede vacante. Sed Capitulum repugnabat, asserens id tentari adversùs libertatem ecclesiasticam. Ob quod appellavit Regem Francorum.*

I. AQUITANIÆ nunc tractanda causa est : circa quam duo quædam constituere possumus, quæ verissima sunt citra omnem controversiam. Primum, Reges Franciæ nunquam contendisse jus Regaliæ porrigi ad eam provinciam. Secundùm, si jus illud in usu illic fuisset, ad Duces Aquitaniæ pertinere debuisse. Probari illud abundè potest ex arresto Parlamenti Parisiensis lato anno MCCLXXVII. in quo memorantur literæ quædam Regis Angliæ, qui professus fuerat non posse se uti jure Regaliæ in Ecclesia Burdegalensi, id est, ad se non pertinere usumfructum redituum Ecclesiæ Burdegalensis interim dum sedes vacat. Earum præterea literarum vis firmata est declaratione facta à procuratoribus illius Regis, qui publicè professi sunt nolle Regem venire contra illas literas. Regis Angliæ declaratio eò majoris momenti est ad asserendam immunitatem canonicam provinciæ Burdegalensis, quòd jure illo Regalium in regno Angliæ uteretur; ut suprà probavimus ex rescripto Alexandri III. & patet etiam ex consuetudinibus Clarendonæ apud Matthæum Parisium : *Cùm vacaverit vel archiepiscopatus vel episcopatus vel abbatia vel prioratus in dominio Regis, esse debet in manu ipsius; & inde percipiet omnes reditus & exitus, sicut dominicos reditus suos.* Visis itaque literis Eduardi, & audita declaratione procuratorum ejus, visisque privilegiis Ecclesiæ Burdegalensis, pronuntiatum fuit custodiam bonorum ecclesiasticorum pertinere ad Capitulum, sede Burdegalensi vacante. Hæc sunt verba arresti : *Notum facimus quòd sede Burdegalensi vacante, & archiepiscopalibus bonis captis in manu nostra, pro contentione quæ erat inter dilectum consanguineum & fidelem nostrum Regem Angliæ illustrem ex una parte & Capitulum Burdigalense ex altera, super eo quòd dictus Rex dicebat se habere Regalia in eisdem, procuratore dicti Capituli hoc negante, & è contrario pro dicto Capitulo proponente custodiam dictorum bonorum dicta sede vacante ad dictum Capitulum pertinere, & in ipso judicio exhibente quandam literam dicti Regis Angliæ & patris sui, per quam apparebat quòd dictus Rex Regalia non habebat ibidem, tandem hujusmodi negotio in nostra Curia pendente, procuratores dicti Regis Angliæ super dicta litera consulere voluerunt ipsum Regem; qui per procuratores suos Curiæ nostræ significavit quòd contra dictam literam venire non volebat. Visis quibusdam privilegiis Ecclesiæ Burdegalensis, pronuntiatum fuit per Curiæ nostræ judicium custodiam bonorum archiepiscopalium, sede Burdegalensi vacante, ad dictum Capitulum pertinere.*

II. Privilegia Ecclesiæ Burdegalensis, quorum in hoc arresto facta mentio est, intelligenda sunt de literis Ludovici Crassi Regis, ejúsque filij Ludovici junioris, datis in gratiam Episcoporum & Abbatum provinciæ Burdegalensis; ex quibus collegerunt Chopinus & Pasquierius exemptionem Regaliæ indultam esse huic provinciæ ab Regibus illis. Extant autem privilegia illa in regestis Parlamenti Parisiensis itémque in regestis cameræ Computorum sub titulo *De remissione Regaliæ Burdegalensis Ecclesiæ.* At ego contendo nequaquam heic agi de Regalia : quæ nondum introducta erat ævo illorum Regum, neque quoad usumfructum redituum, neque quoad collationem Præbendarum. Vnde factum ut in eis literis nulla mentio eorum facta sit, ususfructus nimirum, neque collationis Præbendarum. Hæc enim omnino sunt verba privilegij à Ludovico Grosso concessi : *Eapropter petitionibus vestris, communicato priùs Episcoporum, Abbatum, & procerum nostrorum consilio, assentiente Ludovico filio nostro jam in Regem sublimato, duximus annuendum, & in sede Burdegalensi & in prædictis episcopalibus sedibus & abbatiis ejusdem provinciæ, quæ defuncto illustri Aquitanorum Duce Comite Pictavensi Guillermo per filiam ipsius Alienoram jamdudum filio nostro Ludovico sorte matrimonij cedit, in Episcoporum & Abbatum suorum electionibus canonicam omnino concedimus libertatem, absque hominij, juramenti, seu fidei per manum datæ obligatione. Porrò decedentis Archiepiscopi & suffraganeorum ipsius Episcoporum sive Abbatum decedentium res universas successorum usibus regia auctoritate servari volumus & concedendo præcipimus illæsas. Hoc quoque adjicientes, ut omnes Ecclesiæ infra denominatam provinciam constitutæ prædia, possessiones, & universa ad ipsas jure pertinentia secundùm privilegia, justitias, & bonas consuetudines suas habeant & possideant illibata. Quinimo Ecclesiis ipsis universis & earum ministris, cum possessionibus suis, canonicam in omnibus concedimus libertatem.*

Chopin. lib. 1. de Dom. Tit. 9. §. 3. Pasquier. lib. 3. cap. 17.

III. Fateor equidem ex eo privilegio sequi usum Regaliæ non esse introducendum in futurum in provinciam Burdegalensem. Veruntamen contendo eo non remitti eum usum. Neque sanè id fieri potuit, cùm ea lex nondum bene recepta esset in regno. Multò minùs probabile est in Aquitania valuisse; ubi pietas Gulielmi Ducis ac nupera Conciliorum Pictavensium edicta obstiterant ne consuetudo illa irreperet. Nam anno millesimo centesimo synodus Pictavensis à Paschali secundo Papa cum consensu Guilielmi Aquitaniæ Ducis coacta prohi-

buerat ne quis Episcoporum, Abbatum, aliúsve è clero donum episcopatus aut abbatiæ à Rege, Comite, aut quovis laïco accipiat. Si verò laïci per vim retinere tentarent, eos synodus excommunicat, & Ecclesias supponit interdicto. Hæc sunt verba canonis primi: *Decrevit sancta synodus ut nullus Episcopus, Abbas, Presbyter, vel quælibet persona de clero accipiat de manu Regis vel Comitis vel cujuslibet laïcæ personæ donum episcopatus, abbatiæ, vel Ecclesiæ.* Infrà: *Si verò laïci, canonicis decretis resistentes, Ecclesias violenter retinere præsumpserint, ipsi excommunicentur.* Non solùm autem Comes consensit adimi sibi auctoritate hujus canonis investituram spiritualem, sed etiam retentionem Ecclesiarum. Has enim retineri receptum erat citra usumfructum redituum, donec investitura temporalis concessa fuisset. Aliud dein Concilium in urbe Pictavensi habitum est à Legatis ejusdem Papæ anno MCIX. in quo prohibitum est ne Clerici laïcis præstarent homagium. Verùm ea constitutio non excludit juramentum fidelitatis; ut suprà ostensum est in capite XXI. hujus libri. Hæc sunt verba canonis Pictavensis: *Ut Clerici nunquam alicui laïco hominium facere præsumant.*

IV. Dubitari ergo non potest quin eæ prohibitiones in executionem missæ sint in Aquitania; quæ in Conciliis Romanis decretæ, in Conciliis dein Pictavensibus renovatæ fuerant præsente & consentiente Duce Aquitaniæ. Itaque privilegium à Ludovico Grosso ejúsque filio Francorum Regibus concessum provinciæ Burdegalensi, quo libertas canonica conceditur provinciæ, & nominatim libertas electionum, quo præterea necessitas homagij remittitur personis ecclesiasticis, & bona Episcoporum mortuorum servantur successoribus, ac patrimonia Ecclesiarum cathedralium & aliarum, cujuscunque tandem conditionis illa sint, tota integra conservari jubentur, privilegium inquam illud, ut superiores canones confirmat, ita obstat ne titulo Regaliæ introduci possit in eam provinciam consuetudo occupandi reditus Ecclesiarum vacantium, aut collationes Præbendarum tentari. Sed tamen nequaquam à lege eximit, quæ nondum reperta erat. Regestum Cameræ Computorum, in quo provincia Burdegalensis inter eas recensetur quæ Regi non solvunt Regalia, interpretationem recipere posset, si ea unquam persoluta fuissent Duci Aquitaniæ. Sed jam docuimus ex arresto anni MCCLXXVII. in causa Ecclesiæ Burdegalensis pronuntiatum fuisse secundùm Capitulum adversùs Regem Angliæ. Sed quod observatione dignum est in hoc loco, Rex Philippus Pulcer Ecclesiæ Pictavensi restitui jussit anno MCCCVI. reditus ex bonis illius Ecclesiæ collectos sede vacante; ut constat ex eodem regesto, in quo leguntur hæc verba: *De Pictavensi computatum fuit anno* MCCCVI. *Sed Rex per literas totum restitui jussit Episcopo.* Id autem factum est in consequentiam libertatis canonicæ qua jam inde à temporibus Ducum Aquitaniæ ea Ecclesia fruebatur; tametsi Pictavensis comitatus Anglis ademptus, regiæ Francorum Coronæ additus fuisset sub sancto Ludovico.

V. Dubitandum non est quin provincia quoque Auscitana, quæ alio nomine Vasconia dicebatur, qúæque jam ab anno millesimo trigesimo secundo ad Duces Aquitaniæ pervenerat, iisdem canonibus Pictavensium Conciliorum teneretur. Vnde sequitur ei quoque provinciæ indultam esse libertatem canonicam à Ducibus Aquitaniæ, & à Ludovico Rege postea confirmatam, non secùs ac libertatem provinciæ Burdegalensis. Quapropter nemini mirum videri debet quòd in eodem regesto cameræ computorum provincia Auscitana in eodem immunitatis gradu collocata est cum Burdegalensi. Quò fit ut verisimile videatur Reges Angliæ ab ea quoque provincia non exegisse jus Regalium. Atque id eò magis probabile est quòd Reges Franciæ, postquam Aquitania ad corpus regni rediit, Ecclesiis illius provinciæ suam immunitatem conservaverunt.

ADDITIO

STEPHANI BALUZII.

DE libertate provinciæ Burdegalensis, quanquam ea materia diligenter isthoc capite tractata fuerit, nonnulla tamen nobis dicenda incumbunt quæ scriptioni non officient illustrissimi Archiepiscopi. Ea libertas, si vetera tempora repetamus, petenda videtur à beneficentia Regum Christianissimorum Ludovici Grossi ejúsque filij Ludovici senioris, quorum Præcepta jam edita sunt. At in archivo Ecclesiæ Sarlatensis in Aquitania secunda extant Bullæ Eugenij tertij & Anastasij quarti Pontificum Romanorum, quibus eadem libertas confirmata est ad exemplum Innocentij secundi & Lucij secundi, qui ante Eugenium & Anastasium sederunt, quíque ei Regum munificentiæ vim apostolicæ auctoritatis addiderant. Quoniam verò epistolæ illæ Eugenij & Anastasij nondum, quod sciam, evulgatæ sunt, visum est eas heic opportunissimo loco exhibere ex archivo Ecclesiæ Sarlatensis, ut dixi, descriptas, & mecum humanissimè communicatas ab amicissimo viro Armando Gerardo Canonico Sarlatensi, ecclesiasti cæantiquitatis peritissimo.

Nam quoad provinciam Auſcitanam, jam adnotatum eſt in Additione ad caput XXVI. hujus libri libertatem canonicam ei redditam fuiſſe à Raimundo Comite Toloſano, non quidem univerſæ provinciæ, quæ ad eum non pertinebat, ſed in ea illius parte quæ Raimundi imperio parebat. Rex tamen Angliæ Eduardus, qui Aquitaniæ quoque Dux erat, contendebat anno MCCLXXV. ad ſe pertinere uſumfructum bonorum epiſcopalium diœceſeos Aquenſis, ſede vacante. Capitulum verò Aquenſe jus ſuum retinere conabatur; vimque miniſtrorum regiorum repellere tentabat, aſſerendo id fieri contra libertatem eccleſiaſticam. Verùm cùm nihil promovere potuiſſet, jámque per triennium Eccleſia Aquenſis ex ea occaſione vacaret, Capitulum appellavit Regem Franciæ; quemadmodum ſuprà uſurpatum in ſimili cauſa vidimus à Capitulo Eccleſiæ Burdegalenſis. Extant enim in quodam regeſto Cameræ Computorum Pariſienſium literæ Capituli Aquenſis quæ id teſtantur, datæ ad Philippum tertium Regem Francorum, quas heic ſubjicere placuit.

BVLLA

EVGENII III.

EVGENIUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus Gaufrido Burdegalenſi Archiepiſcopo ejúſque ſuffraganeis, Epiſcopis videlicet Agennenſi, Engoliſmenſi, Xanctonenſi, Pictavienſi, Petragoricenſi, & univerſis Abbatibus per eandem provinciam conſtitutis tam præſentibus quàm futuris in perpetuum. Privilegia quæ intuitu libertatis ſacroſanctis Eccleſiis à Romanis Pontificibus vel catholicis Regibus conferuntur, nulla debent temeritate convelli, nulla temporum varietate turbari. Quemadmodum enim catholica mater Eccleſia in ſpiritualibus ſine macula & ruga, multimoda virtutum fragrantia & nitore clareſcit, ita in temporalibus nulli ſervituti, nulli mundanæ conditioni eam convenit ſubjacere. Quæ cùm ita ſint, libertatem ab illuſtribus viris Ludovico patre egregiæ recordationis & filio ejus Ludovico Francorum Regibus Eccleſiis Burdegalenſis provinciæ collatam, eorúmque privilegiis roboratam, nos prædeceſſorum noſtrorum bonæ memoriæ Innocentij videlicet & Lucij Romanorum Pontificum veſtigiis inhærentes, noſtri favoris aſſertione firmamus, & ratam & inconvulſam futuris temporibus obſervari præcipimus. Vt videlicet tam in Burdegalenſi ſede quàm in aliis epiſcopalibus Eccleſiis vel abbatiis ejuſdem provinciæ, in Epiſcoporum electionibus vel Abbatum canonicam habeatis libertatem, abſque hominij, juramenti, ſeu etiam fidei per manus datæ obligatione. Porrò, quod à prædeceſſoribus noſtris in generalibus eſt ſtatutũ Conciliis, res & bona & univerſa Burdegalenſis Archiepiſcopi & ſuffraganeorum Epiſcoporum vel Abbatum decedentium, ſucceſſorum uſibus illibata ſervari pariter & inconvulſa apoſtolica auctoritate decernimus. Adjicientes etiam ut omnes Eccleſiæ infra ſupradictam provinciam conſtitutæ prædia, poſſeſſiones, & univerſa ad ipſas pertinentia, ſecundùm privilegia, juſtitias, & bonas conſuetudines ſuas integra & inconvulſa poſſideant, atque, ut dictum eſt, in omnibus Eccleſiis earúmque miniſtris & poſſeſſionibus veſtris canonicam habeatis in omnibus libertatem. Salva ſedis apoſtolicæ auctoritate. Nulli ergo hominum fas ſit vos vel Eccleſias veſtras ſuper hac noſtra conſtitutione temerè perturbare aut aliquam vobis exinde contrarietatem inferre. Si quis autem huic noſtræ conſtitutioni auſu temerario contraire tentaverit, ſi non reatum ſuum congruè emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui careat dignitate, & omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus indignationem incurrat, & excommunicationi ſubjaceat. Conſervantes verò eorundem Apoſtolorum benedictionem & gratiam conſequantur. Amen.

Ego Eugenius catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Conradus Sabinenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Albericus Hoſtienſis Epiſcopus S.
Ego Imarus Tuſculanus Epiſcopus S.
Ego Guido Preſbyter Cardinalis tit. S. Chriſogoni S.
Ego Hubaldus Preſb. Card. tit. S. Praxedis S.
Ego Guido Preſb. Cardin. S S. Laurentij & Damaſi S.
Ego Iordanus Preſb. Card. tit. S. Suſannæ S.
Ego Oddo Diaconus Card. S. Georgij ad velum aureum S.
Ego Guido Diac. Card. S S. Coſmæ & Damiani S.
Ego Octavianus Diac. Card. S. Nicolai in carcere Tulliano S.
Ego Gregorius Diac. Card. S. Angeli S.
Datum Sutrij per manum Roberti S. R. E. Preſbyteri Cardinalis & Cancellarij, VIII. Kal. Maij, Indictione IX. incarnationis dominicæ anno MCXLVI. pontificatus verò Domini Eugenij anno ſecundo.

BVLLA

ANASTASII IV.

ANASTASIUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus Gaufrido Burdegalenſi Archiepiſcopo, ejúſque ſuffraganeis Epiſcopis Agennenſi, Engoliſmenſi, Xantonenſi, Pictavienſi, Petragoricenſi, & univerſis Abbatibus per eandem provinciam conſtitutis tam præſentibus quàm futuris in perpetuum. Quotiens aliqua Eccleſiarum conditionibus ſecularium virorum per catholicorum Principum proviſionem eximitur, & grata ei conceditur libertate potiri, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ univerſorum Chriſti fidelium matri providendum imminet attentiùs & agendum quatenus quod ad honorem Dei & ſalũtem Eccleſiæ ſuæ factum eſſe dignoſcitur, taliter auctoritate apoſtolica roboretur ut non debeat Eccleſia Dei, quæ libertati reddita videbatur, per aliquorum malitiam recidivis denuo conditionibus aggravari. Quemadmodum enim catholica mater Eccleſia &c. nos prædeceſſorum noſtrorum ſe. me. Innocentij videlicet, Lucij, & Eugenij Romanorum Pontificum veſtigiis inhærentes &c. *Cetera ut in ſuperiore.*

Ego Anaſtaſius catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Imarus Tuſculanus Epiſcopus S.
Ego Cynthius Portuenſis & ſanctæ Rufinæ Epiſcopus S.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ego W. Presbyter Cardinalis tit. Calixti S.
Ego Hubaldus Presb. Card. tit. S. Praxedis S.
Ego Manfredus Presb. Card. tit. S. Sabinæ S.
Ego Aribertus Presb. Card. tit. S. Anastasiæ S.
Ego Iulius Presb. Card. tit. S. Marcelli S.
Ego Rodulphus Diaconus Card. S. Luciæ S.
Ego Guido Diac. Card. S. Mariæ in Porticu S.
Ego Oddo Diac. Card. S. Nicolai in carcere Tulliano S.

Datum Laterani per manum Rolandi sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis & Cancellarij, VII. Kal. Maij, Indictione secunda, incarnationis dominicæ anno MCLIV. pontificatus verò Domini Anastasij LV. Papæ anno primo.

EPISTOLA CAPITVLI AQVENSIS AD REGEM PHILIPPVM III.

EXCELLENTISSIMO suo Domino, & Ecclesiæ brachio singulari, Domino Philippo Dei gratia Regi Francorum, Capitulum Aquensis Ecclesiæ cathedralis in Vasconia, salutem cum debita reverentia & honore. Non sine gravi cordis amaritudine dominationi vestræ cogimur intimare quòd præfatâ Ecclesiâ nostrâ jam ferè per triennium pastoris regimine destitutâ, Præpositi & Ballivi Senescalli Regis Angliæ ibi pro tempore existentes, immo, quod est deterius, illorum Garciferi servientes, bona episcopalia Capituli ac aliarum Ecclesiarum de dioceſi temporalia pro suæ voluntatis arbitrio diripiunt & consumunt, invadentes Ecclesias & etiam infringentes, capientes Clericos, & diversa enormia committentes quæ non possemus per singula enarrare, contra libertates Ecclesiasticas venientes, & sententias Ecclesiæ totaliter contemnentes. Cùm igitur Dominus Amanevus de Pomeriis Vicarius ejusdem Ecclesiæ sede vacante & nos ex dictis gravaminibus ad vestram duxerimus audientiam appellandum, & bona ipsa vestræ dominationis præsidio submittendum, majestati vestræ regiæ humiliter supplicamus quatinus eundem Vicarium, quem ad prosequendum prædicta coram vestra regia majestate procuratorem nostrum constituimus, favorabiliter in suis petitionibus audiatis, & eas justè ad exauditionis gratiam admittatis, taliter divino intuitu circa hoc vos habentes quòd honor sanctæ matris Ecclesiæ vestro mediante subsidio non valeat deperire; quia jam in nostris partibus princeps provinciarum quasi facta est sub tributo. Bene & diù valeat vestra regia majestas. In quorum testimonium sigillum nostrum præsentibus duximus apponendum. Datum Aquis die sabbathi post festum sancti Lucæ Evangelistæ anno Domini MCCLXX. quinto.

CAPVT XXVIII.

Synopsis.

I. Ergo fuerunt in Gallia nonnulli dynastæ qui jure Regaliæ temporalis potiebantur quoad episcopatus. Reges tamen illud posteà non adeo facilè communicaverunt; adeo ut etiam illud negaverint fratribus suis. Probatur exemplo sancti Ludovici.

II. Probatur etiam ex Arresto lato anno 1272. adversùs Petrum Comitem Alenconium in causa Episcopi Sagiensis. Vnde constat Reges semper consuevisse retinere Regalia episcopatuum, quando comitatus tradebant in appenagium.

I. CONSTAT igitur ex adductis superiùs exemplis fuisse aliquot dynastas in hoc regno qui jure Regaliæ temporalis potiebantur quoad episcopatus. Fatendum tamen est Reges, postquam illud explicatum fuit, non adeo facilè eam auctoritatem communicasse; adeo ut sanctus Ludovicus, cùm appenagij jure comitatus Andegavensem & Cenomanensem daret Carolo fratri suo, Regalia episcopatuum retinuerit anno MCCXLVII. ut testatur Ruzæus in prima parte suæ Præfationis §. XII.

II. Ego verò addam historiam eorundem temporum; quæ petitur ex arresto Parlamenti Parisiensis lato anno MCCLXXII. in controversia quæ erat inter Petrum Comitem Alenconium, Philippi tertij Regis fratrem, & Episcopum Sagiensem. Contendebat Comes ad se pertinere jurisdictionem quæ vulgò * *Placitum spatæ* appellatur, exercendam videlicet in terris ad Episcopum & ad Ecclesiam Sagiensem pertinentibus, atque id quidem eam ob causam, quòd illæ sitæ essent in comitatu Alenconio aliisque dominationibus sibi à fratre traditis appenagij jure. Contrà, Episcopus aiebat Episcopum & Ecclesiam Sagiensem nulli domino subjectos esse quàm Regi, cui soli Episcopus debebat juramentum fidelitatis. Addidit, Reges semper consuevisse retinere Regalia episcopatuum, quando comitatus tradebant in appenagium. Dictum itaque est in eodem arresto Episcopum & Ecclesiam Sagiensem Regi soli subesse. Tum prohibitum est Comiti ne ullam jurisdictionem exerceret in eorum possessionibus. Æquum tamen visum ut damnum illud beneficio Regis resarciretur. Hæc sunt verba arresti: *Episcopo Sagiensi è contrario proponente quòd dictus Comes super hoc non debebat audiri, cùm ipse Episcopus & Ecclesia sua Domino Regi solum subessent, & pro Regali Ecclesiæ Sagiensis ipse Domino Regi soli unicam fidelitatem faceret, & cùm Reges Franciæ in concessionibus terrarum & comitatuum Regalia episcopatuum sibi retinere consueverint, voluit Dominus Rex dictum Episcopum & Ecclesiam Sagiensem sibi subesse soli.*

* Le Plaid. de l'épée.

ADDITIO

STEPHANI BALUZII.

CùM in hoc capite illustrissimus Archiepiscopus adnotaverit Reges Francorum sic appenagia fratribus suis tradere solitos ut nunquam eis concederent Regalia episcopatuum, quod probavit aliquot exemplis, visum est illud ipsum confirmare alio exemplo. Anno MCCXCII. Rex Philippus istius nominis quartus, cognomento Pulcer, Karolo fratri suo concessit custodiam Ecclesiarum, Capellarum, & monasteriorum in quibusdam comitatibus illi traditis in appenagium. Sed eodem tempore Rex ab ea concessione excepit cathedrales Ecclesias Andegavensem & Cenomanensem ac præterea illas quæ ex speciali privilegio erant de speciali gardia Regis. Eisdem literis Karolum removit à Regalibus episcopatuum, ne quid in duabus illis Ecclesiis à Karolo præsumeretur sede vacante. Lubet autem literas illas heic edere ex veteri codice manuscripto.

PHILIPPVS Dei gratia Francorum Rex. Notum facimus universis tam præsentibus quàm futuris quòd nos deliberamus carissimo ac dilecto & fideli fratri nostro Karolo Valesiæ, Alenconij, Andegaviæ, & Cenomaniæ Comiti gardas omnium Ecclesiarum, Cappellarum, & monasteriorum comitatuum Andegaviæ & Cenomaniæ, exceptis gardis Ecclesiarum cathedralium Andegaviæ & Cenomaniæ & earumque de garda nostra speciali existunt per privilegium speciale earúmque quas gardare consuevimus à tanto tempore quòd jus nobis acquisitum existat gardiandi easdem, exceptóque regali nostro, prout sede vacante in Ecclesiis cathedralibus antedictis per nos aut prædecessores nostros ab ea tempore quo comitatus Andegavensis & Cenomanensis ad bonæ memoriæ quondam Karolum Dei gratia Regem Siciliæ & Comitem comitatuum prædictorum devenerunt, gardari consuevit. Salvo tamen in aliis jure nostro & quolibet alieno. Quod ut verum & stabile permaneat in futurum, præsentibus literis nostrum fecimus apponi sigillum. Actum apud Rochas in die Resurrectionis Domini anno ejusdem millesimo ducentesimo nonagesimo secundo, mense Aprili.

FINIS.

INDEX

INDEX
TOMI SECVNDI.

PRIOR NVMERVS PAGINAM INDICAT, secundus paragraphum in pagina adnotatum; nisi si deficiente paragrapho, columna notetur.

A

ABBATES, etiam exempti, à propriis Episcopis olim ordinabantur. 203. XII. *& seq.*
Abbates vocati *Servi Dei* in Concilio Suessionensi sub Pippino. 260. III.
Abbates laïci. 449. *col.* 1.
Abbatibus olim dati Coadjutores à Regibus Francorum. 449. *col.* 1.
Abbatum præsentatio quoad Beneficia quibus animarum cura imminet, unde sumpserit originem. 288. *col.* 2. 437. *col.* 2.
Abbo Floriacensis mittitur Romam à Rege Roberto in causa Arnulphi Remensis. 368. III.
Absoluta ordinatio olim vetita. 410. V.
Acacius Patriarcha CP. damnatus à felice Papa. 193. V. 330. III.
Acclamationes factæ Principibus, è theatro in senatum commigrarunt. 30. VII. Acclamatum Cœlestino & Cyrillo in Concilio Ephesino. 31. III.
Achaïæ metropolis, Corinthus. 175. VII.
Acholius Episcopus Thessalonicensis. 53. VIII. *& seqq.* 56. III. *& seqq.* 57. VII 65. VI.
Adalardi Abbatis Corbeiensis liber *De ordine Palatij.* 262. I.
Ademarus Vicecomes Scalarum, Abbas laïcus monasterij Tutelensis. 449. *col.* 1.
Adurenses Episcopi olim dicti Vicujulienses. 268. *col.* 1.
Ægidius Cardinalis Legatus in Scotia. 145. VI. 153. X.
Æneas Episcopus Parisiensis. 415. III.
Æonius Episcopus Arelatensis. 106. I.
Ætius Episcopus Thessalonicensis. 53. V. VIII.
Afri antiquiorem ordinatione Episcopum pro Primate habebant. 90. VI.
Afri prohibent ne ad transmarina judicia appelletur. 228. IV. Negant licere Pontifici Romano mittere Legatos in Africam. 284. III. 340. III.
Africa populo Romano relicta ab Augusto. 2. III.
Africæ caput, Carthago. 175. VII.
Africana Concilia universalia. 249. IV. *& seqq.* Vide *Carthaginensis Episcopus.*
Africani Episcopi judicabantur à Primatibus & synodis provinciarum suarum. 351. II. Condemnati autem à Primatibus suis, provocabant ad Concilium universale totius Africæ. *Ibidem.*
Africani Concilij epistola ad Bonifacium Papam. 339. II.
Africanorum consuetudines conservantur à Gregorio magno. 348. VI.
Agapeti Papæ epistola emendata. 110. XIV.
Agathense Concilium. 107. II. *& seqq.* Constitit ex Episcopis regni Gotthorum. 240. I.
Agatho Papa, arcis apostolicæ præ ceteris Pontificibus eminentissimus antistes. 38. IV.
Agius Narbonensis Archiepiscopus. 120. IV.
Agrippinense Concilium adversùs Euphratam generale erat. 237. II. 309. XIII.
Alanus de Coëtivy Cardinalis. 169. III.
Alectensis episcopatus quando institutus. 121. V.
Alexander Episcopus Constantinopolitanus, Metrophanis successor. 10. VII. 12. IV. 52. III. 53. VI.
Alexandria, caput Diœceseos Ægyptiacæ. 318. II. Ægyptiaci regni caput. 176. IX. Ægypti metropolis. 174. IV.
Alexandrinæ Ecclesiæ causæ deferendæ ad sedem apostolicam. 83. IV.
Alexandrini Patriarchæ electionem confirmare recusavit Simplicius Papa. 190. II.
Alexandrini Patriarchæ sacra celebrant cum Phrygio. 15. VI.
Alexandrino Episcopo secundus locus tributus à Concilio Nicæno. 17. II. 33. IV. Ordinabat omnes Episcopos à patriarchatu suo pendentes. 187. IV.
Amandus Episcopus Trajectensis. 257. IX.
Amasea, Ponti metropolis. 174. IV.
Amatus Episcopus Oloronensis. 114. VIII. *& seqq.* Apostolicæ sedis Legatus in Aquitania. 279. III.
Ambrosius ordinatur Episcopus Mediolanensis. 188. VII.
Anacletus II. Antipapa rejectus in Concilio Stampensi. 291. IV.

Anastasius Episcopus Thessalonicensis. 71. IV. 75. I. & seqq. 79. I. & seqq. 97. VIII. Objurgatur à sancto Leone quòd chartulam de obedientiæ sponsione exegisset ab Attico Episcopo. 184. XIII. 198. VI.
Anatolius, Apocrisiarius Discori Episcopi Alexandrini. 44. IV. Fit Episcopus Constantinopolitanus. 19. I. Ejus ordinatio confirmata à Leone Papa. 190. II. Reprehenditur ab eodem Leone, quòd se efferre voluerit super Episcopos Alexandrinum & Antiochenum. 33. IV. Ejus ambitus damnatus à sancto Leone. 82. I. Magna ejus auctoritas. 83. III. & seq.
Ancyra, Galatiæ metropolis. 175. IV. 315. VII.
Andegavensis Comes jure regaliæ fruebatur in episcopatu Lexovienſi. 448. *In Additione.* Et in monasterio sancti Albini Andegavensis. *Ibidem.*
Andegavensis episcopatus regalia. 456.
Andreas Episcopus Nicopolitanus. 74. X.
Angli ægrè ferunt Cardinalem primum locum obtinere in Concilio. 141. II. 152. IV. Item Mediolanenses. 161. V.
Anglia fuit olim ludibrium Legatorum. 144. V.
Anicetus Papa Polycarpum Episcopum Smyrnensem eucharistiæ communione donavit in Ecclesia. 7. VI.
Anicensis Ecclesiæ regalia ad quem pertineant sede vacante. 443. III.
Annatarum origo & progressus. 208. I. & seqq. *capitibus.*
Ansegisus Archiepiscopus Senonensis affectat primatum Galliarum. 277. V.
Anselmus Abbas Legatus in Anglia. 165. V.
Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis homagium præstare coactus Regi Anglorum. 434. VI.
Anthimus Episcopus Trapezuntinus dejectus in Concilio Constantinopolitano sub Mena. 254. IV.
Antiochenæ Ecclesiæ schisma inter Meletium & Paulinum. 42. III.
Antiocheni Concilij canon XII. explicatus. 306. 307.
Antiochenus Episcopus tertium dignitatis locum obtinet in Ecclesia decreto synodi Nicænæ. 33. IV. Ordinabat omnes Episcopos sedi suæ subjectos. 187. IV.
Antiochia, Regina Orientis, & Regum Seleucidarum sedes. 179. IX. Caput Diœceseos orientalis. 318. II.
Antoninus Episcopus Ephesinus venundabat ordinationes Episcoporum. 208. II. 407. V.
Anysius Episcopus Thessalonicensis. 66. I. & seq.
Apiarij Presbyteri Afri causa judicata est in Africa. 226. II. & seqq. Appellavit apostolicam sedem. 339. III.
Apocrisiarij sedis apostolicæ. 43. II. IV. 284. IV.
Apostolicæ Ecclesiæ, magnæ apud veteres auctoritatis. 175. VII. 315. VII. 316. VIII. 342. VI. VII. Earum dignitas tandem coërcita est ad patriarchales. 343. VIII.
Apostolicarum Ecclesiarum prærogativa. 12. VI.
Apostolici vox olim competebat omnibus Metropolitanis. 181. III.
Appellatio & revisio differunt. 311. VI.
Aquensis episcopatus in Vasconia an obnoxius juri regaliæ. 454. *col.* 1. 455.
Aquileiensi Concilio an Acholius præfuerit. 57. VII.
Aquileiensis Concilij acta an germana. 50. IV. Generale erat ex Occidente. 56. VI.
Aquileiensis Episcopi ordinatio pertinebat ad Episcopum Mediolanensem. 188. VII.
Aquitanicæ legationis dignitas & termini. 132. III. & seqq.
Arausicanum Concilium ab Hilario Episcopo Arelatensi celebratum. 94. IV.
Arcadius & Projectus Episcopi, apostolicæ sedis Legati in Concilio Ephesino. 15. V. 16. VIII.
Archicapellanus causas ecclesiasticas distringebat in palatio. 412. VI.
Archidamus & Philoxenus sedis apostolicæ Legati in Concilio Sardicensi. 13. I.
Arelas quomodo facta metropolis. 90. VI. & seqq.
Arelatense Concilium in causa insulæ Lirinensis. 98. II. & seqq.
Arelatense Concilium primum sub Silvestro. 338. II.
Arelatense Concilium secundum quo tempore celebratum. 95. I. 239. IX.
Arelatenses Episcopi, soli Episcoporum Gallicanorum Pallio honestati antiquitus. 195. X. 196. I. Olim contendebant ad se pertinere potestatem congregandæ synodi generalis Galliarum. 238. VI. & seqq. Illis tributa hæc auctoritas à Pontificibus Romanis. 246. VI. Nullum tamen Concilium generale congregarunt intra Gallias. 247. VIII. 350. I. Facti vicarij sedis apostolicæ. 247. VII. & seqq.
Arelatensis Episcopus an suffraganeus olim fuerit Archiepiscopi Narbonensis. 121. III.
Arelatensis vicariatus. 88. I. & seqq. Erat perpetuus. 102. II.
Arelatensis urbis dignitas. 89. II.
Armentarius Episcopus Ebredunensis. 93. II. & seq.
Arnulphus Archidiaconus Sagiensis, dein Episcopus Lexovienſis. 291. *In Additione.*
Arnulphus Episcopus Ausonensis. 78. IX.
Arnulphus Archiepiscopus Narbonensis. 120. IV.
Arnulphus Remensis Archiepiscopus depositus ob proditionem. 366. II. & seqq. Restituitur. 368. XI. Ejus restitutio expenditur. 368. I. & seqq.
Arsenius Episcopus Hortensis. 129. X. & seq.
Artaldus Episcopus Helenensis. 121. IV.
Arvernensis synodus sub Theodeberto Rege prima omnium imminuere cœpit auctoritatem regiam in convocandis Conciliis. 242. VI.
Asia Proconsularis populo Romano relicta ab Augusto 2. III. Ejus metropolis, Ephesus. 175. IV. VI.
Assensus regius in electionibus Episcoporum. Vide *Francorum Reges.*
Assessores, Iuris studiosi, differunt à Legatis. 4. VII.
Athanasius Episcopus Alexandrinus. 53. VI. Ejus electio & ordinatio. 382. I. Damnatur ab Arrianis. 41. I. Post mortem Constantij Imperatoris revocatur ab exilio. 42. III. Recipitur in communionem à Iulio Papa. 310. II. Ejus causa retractata est in Concilio Sardicensi. 307. VIII. 310. II. & seqq.
Atticus Metropolitanus veteris Epiri. 76. IV. & seq. 79. I. 97. VIII.
Atto Episcopus Ausonensis metropoliticum jus sedi suæ asserere conatur, quòd excisa esset Tarraco. 267. *col.* 1.
Augustinus Episcopus Cantuariensis. 119. VII. 122. I. 123. VIII. & seq.
Augustinus invitus à plebe raptus ad presbyteratum.

387. IV. Valerij Episcopi Hipponensis Coadjutor, cum futura successione. 202. VIII. Solitus aliquid erogare pauperibus ex reditibus Ecclesiæ. 419. II.
Aurelianense Concilium primum magni momenti est, quòd exemplar sit posteriorum Conciliorum Gallicanorum. 241. II. 254. III. Confirmatum à Clodoveo Rege. *Ibidem.* VI.
Aurelianus Episcopus Arelatensis. 116. I.
Auscitana provincia non est obnoxia juri regaliæ. 453. V.
Ausona, provinciæ Tarraconensis civitas, vastata à Mauris & Sarracenis, addita fuit diœcesi Narbonensi. 266. *col.* 2.
Auxanius Episcopus Aquensis. 105. XI.
Auxanius Episcopus Arelatensis. 111. II. 114. I. & *seqq.*

B

Babylone ad Euphratem epistolam suam canonicam scripsit sanctus Petrus. 174. IV.
Balsamo refutatur, qui synodum Trullanam contendit esse œcumenicam. 48. IV.
Baptizati à Donatistis ad clerum accedere prohibiti. 6. II.
Barcinonense Concilium sub Recaredo Rege. 399. I.
Barcinonense Concilium sub Arnusto Archiepiscopo Narbonensi in causa Ecclesiæ Ausonensis. 267. *col.* 2.
Barcinonensis Episcopus supremæ voluntatis arbitrio Irenæum quendam Episcopum sibi substitui optavit. 29. V.
Baronius castigatur. 55. I. 86. VI. & *seq.* 140. III.
Basileensis Concilij decreta recepta in Gallia. 229. I.
Basilius eligitur & ordinatur Episcopus Cæsareensis in Cappadocia. 384. VIII.
Basilius Episcopus Gortynæ, Legatus apostolicæ sedis, interest synodo Trullanæ. 47. III.
Basilius Presbyter, Leonis I. Legatus, non admissus à Concilio Chalcedonensi. 20. II.
Benedictus VII. Papa Concilium Romæ celebravit adversùs simoniacos. 111. *In Additione.*
Benedictus XIII. pollicitus est in electione sua se amplexurum esse omnes vias extinguendi schismatis. 295. III.
Benenatus Episcopus primæ Iustinianæ. 86. VIII.
Beneventanum Concilium ab Vrbano II. habitum. 410. *col.* 2.
Berengarius Archiepiscopus Tarraconensis interfuit Concilio Nemausensi sub Vrbano secundo. 267. *col.* 1.
Bernardus Archiepiscopus Toletanus. 156. III.
Bertæ nuptiæ cum Rege Roberto damnatæ in Concilio Romano. 369. V.
Bigamus quis dicendus. 76. III.
Bithyniæ metropolis, Nicomedia. 174. IV.
Biturigense Concilium sub Roma no Cardinale. 282. XII.
Bonifacij VIII. & Philippi Pulcri dissidium. 292. II. 445. VI.
Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus, sedis apostolicæ Legatus in Germania. 124. I. & *seqq.* 259. I. 402. V. *Missus S. Petri.* 259. II. 276. I. 401. III.
Bosquetus Episcopus Monspelienſis. 410. *col.* 2.
Britannia provincia diù habuit suum Metropolitanum. 133. III. & *seqq.* 134. VII. 289. *col.* 1.
Bulgaria ab Illyrico distracta sub Photio, & subjecta patriarchatui Constantinopolitano. 249. III.
Bullæ Pontificum Romanorum non obtinent vim legum in Gallia, donec Regi ostensæ fuerint. 274. X.
Burdegalense Concilium adversùs hæresim Priscilliani. 238. V. 331. VII.
Burdegalense Concilium ab Amato Episcopo Oloronensi convocatum. 280. V.
Burdegalensis provincia non est obnoxia juri regaliæ. 452. I. & *seqq.*
Burdinus damnatus in Concilio Lateranensi sub Calisto II. Papa. 436. *col.* 2. Triumphatus à Callisto. 155. XVI. Cujas fuerit. 437. *col.* 2.

C

Cæsarea, Cappadociæ metropolis. 174. IV. Caput Diœceseos Ponticæ. 318. II.
Cæsarea, Iudææ caput & Palæstinæ metropolis. 176. VIII.
Cæsarius Episcopus Arelatensis. 106. I. & *seqq.* Ejus epistola explicata. 107. V.
Campus Martius mutatus in Campum Maium à Pippino Rege. 261. VI.
Canon ecclesiasticus apud Socratem. 33. III. 35. III. 36. VI.
Canones vim legum obtinent. 253. I.
Canonizari non possunt res Ecclesiæ absque auctoritate Episcopi Romani. 35. II. 41. VIII.
Cantuarienſis Archiepiscopus erat olim Legatus natus sedis apostolicæ. 124. IX.
Capitulare unde dictum. 405. I. & *seqq.*
Cappa rubea Romani Pontificis. 155. XVII.
Cappadociæ metropolis, Cæsarea. 174. IV.
Cardinales dicti Carpinales ab Imperatore Friderico. 140. V.
Cardinalibus rubea vestis concessa. 155. XVIII.
Carlomannus, Karoli Martelli filius, synodum Liptinensem congregat, & ejus decreta confirmat. 256. II. 401. III.
Carnes prohibitæ in Quadragesimæ tempore. 410. *col.* 2.
Carnotenses Episcopi interdum dicti Dunenses. 268. *col.* 1.
Carolo Andegavensi Comiti quid tributum à fratre Philippo Rege, cùm ei assignaret apenagium. 456. *col.* 1.
Carolus magnus, restaurandæ politiæ ecclesiasticæ studiosus. 262. I. 263. VI. Præfuit Concilio Francofordiensi. 264. VII. Retinuit transmissam ad se ab avis auctoritatem in electionibus Episcoporum. 402. I. Prudens illius consilium in distribuendis feudis in gratiam Episcoporum. 425. II. Dictus Imperator diù antè quàm ad imperium perveniret. 266. *col.* 1.
Carolus Martellus episcopatus dabat utendos laïcis. 259. I. 401. I.
Carolus Paschalius laudatur. 5. X.
Carthago, Africæ caput. 175. VII. 304. III.
Carthaginenſia Concilia mittebant Legatos ad Summos Pontifices & ad Imperatores adversùs hæreticos & paganos. 6. III.
Carthaginensis Episcopus jure suo convocare poterat Concilium generale totius Africæ. 236. V. 341. VII.
Carthaginis Episcopum ordinant propinquiores Episcopi. 188. VIII.
Catalaunense colloquium in causa investiturarum. 429. I.

Cathedræ Apoſtolorum apud Tertullianum. 51. II.
Cathedraticum & inthroniſticum differunt. 407. VIII.
Cauſæ criminales Clericorum à quo judicandæ. 256. *col.* 1. 336. VII. *& ſeqq.*
Cauſæ majores ad apoſtolicam ſedem referendæ. 81. III. 251. I. 335. VI. 336. VIII. 364. III.
Cauſæ quæ ad fidem ſpectant definiri non poſſunt abſque auctoritate Summi Pontificis. 321. I.
Cauſæ mediocres Reſponſalibus apoſtolicæ ſedis committebantur. 46. III.
Cauſæ communes diſceptabantur in Conciliis generalibus Africæ, ceteræ in ſynodo uniuſcujuſque provinciæ. 250. VI. Et in Conciliis generalibus Galliarum. 264. IX.
Celeſtini Papæ locus inſignis de reverentia canonum. 71. II.
Celeſtinus Papa damnat Neſtorium. 14. IV. 331. I. 329. II.
Cemelenenſis Eccleſia. 105. XI. epiſcopatus. 268. *col.* 1.
Cencius Cardinalis Legatus in Sicilia. 157. V.
Cenomanenſis epiſcopatus regalia. 456.
Cenſus annuus Epiſcopis conſervatus in Concilio Claromontano. 287. *col.* 1. *& ſeqq.*
Chalcedonenſe Concilium adversùs Eutychem. 19. I. *& ſeqq.* Convocatum à Marciano Imperatore, literis ſcriptis ad Metropolitanos. 245. II.
Charta pura. 48. IV.
Chelidonius Epiſcopus Veſontionenſis deponitur ab Hilario Epiſcopo Arelatenſi. 96. IV. *& ſeqq.*
Chlamys rubea Pontificum Romanorum. 155. XVI.
Chorepiſcoporum munus & dignitas. 269. IV. *Vide Indicem tomi primi.*
Chryſoſtomo vis illata à populo Antiocheno ut preſbyteratum ſuſciperet. 387. VI. Damnat venditionem ordinationum. 208. I. 407. V. Populum orat ſuſcipere curam redituum eccleſiaſticorum. 419. II. Damnatus à Theophilo Epiſcopo Alexandrino, appellavit Concilium œcumenicum. 308. XI. 327. I. *& ſeqq.*
Ciſtercienſes immunes à procuratione Legatorum. 149. XI.
Claromontani Concilij ab Vrbano II. habiti canones nonnulli nunc primùm editi. 286.
Claromontani Concilij canon emendatus apud Ordericum Vitalis. 409. II.
Clericorum cauſæ criminales à quo judicandæ. 256. *col.* 1. 336. VII. *& ſeqq.*
Clero & populo quid conceſſum in electionibus Epiſcoporum. 178. V. *& ſeqq.* 383. IV. *& alibi.*
Clerus & plebs conſulebantur in ordinationibus Clericorum. 387. III. 388. IX.
Clodoveus I. Rex primus omnium jura regia conceſſit Eccleſiis. 425. II. Convocavit ſynodum Aurelianenſem. 241. III. Vide *Aurelianenſe Concilium.*
Clotarij Regis edictum expenditur. 397. XV. Obſervari illud jubet ſynodus Remenſis. 398. XVII.
Coadjutorem cum futura ſucceſſione Epiſcopo dari an ſit licitum. 202. IX. Quanam auctoritate id fieri poſſit. *Ibidem.* X. Rodulfus Rex Coadjutorem hujuſcemodi dedit Odoni Abbati Tutelenſi. 449. *col.* 1.
Cœlibatus Clericorum. 80. II.
Combornenſis Vicecomes jure regaliæ fruebatur in epiſcopatu Lemovicenſi. 448. VII.
Comites quamnam ob cauſam adeſſent olim in Conciliis. 228. VI.
Concilia bis in anno celebranda. 81. III.
Concilia generalia non frequenter neque pro levibus cauſis congreganda. 78. XI. 81. VI.
Concilij œcumenici dignitas. 24. III. Celebrari non poteſt abſque ſententia ſedis apoſtolicæ. 18. IV. 275. XIV. Ejus celebratio neceſſaria, ſi plerique Epiſcopi recuſent unius confeſſionis concordiam. 25. III. Summi Pontificis auctoritas in Concilio œcumenico. *Ibidem.* IV. Datum eſſe non poteſt, niſi ei Epiſcopus Romanus interſit, aut per ſe, aut per Vicarios, aut epiſtolam circularem. 39. I. 40. VIII. Ad Concilium pertinet inquirere an Summorum Pontificum decreta congruant cum ſcripturis & canonibus. 25. V. 27. II. 31. II. Vide *Synodus.*
Concilia generalia Occidentis utplurimum concepta ſunt ſub nomine Pontificis, ſacro approbante Concilio. 29. III.
Concilia nationalia. 233. I. *& ſeqq.* Cedunt auctoritati Conciliorum plenariorum Eccleſiæ univerſalis. 253. VI. Egredi non poſſunt præſcriptum ſibi à Principibus judiciorum ordinem. 254. III. *& ſeqq.* 257. IX. 262. II. 272. II. Vide *Diœceſana Concilia.*
Concilia extraordinaria convocanda ſunt auctoritate Principum. 239. IV.
Conciliorum celebratio commendatur. 76. III.
Conciliorum congregatio an ad Legatos pertineat. 125. V. 132. I. Olim pertinuit ad Reges. 130. I.
Conciliorum provincialium duo genera. 178. I. Varia genera. 223. I. Eorum convocatio pertinet ad Metropolitanum. *Ibidem.* II. Suprema olim erat eorum auctoritas in cauſis diſciplinæ. 226. II. & in deponendis Epiſcopis. 338. III. IV. 306. I. IV. V. An condere poſſent decreta canonica. 231. XII. 253. VI. Cur celebrari deſierint. 233. I. *& ſeqq.*
Concilium generale celebrari non poteſt abſque juſſione ſedis apoſtolicæ. 295. XII.
Concilium plenarium & perfectum in quo adeſt Metropolitanus. 223. II.
CONCORDATA regno magis utilia quàm Pragmatica Sanctio. 206. XI. An aliquid immutaverint quoad judicia canonica Epiſcoporum. 372. *& ſeqq.*
Confirmatio electionum pertinet ad Metropolitanum & ad Epiſcopos comprovinciales. 178. V. Poſterioribus canonibus ad ſolum Metropolitanum tranſlata. 378. I. Appellationes à confirmatione electionum introductæ ævo Ivonis Carnotenſis. 183. IX. 184. XII.
Cono Epiſcopus Prænestinus. 161. VII.
Conradi Marpurgici ſævitia in Germanos. 157. VI. *& ſeq.*
Conradus Epiſcopus Portuenſis. 159. V.
Conſtantia, Cypri metropolis. 186. II.
Conſtantinopolitana prima ſynodus an recepta ab Eccleſia Romana. 58. XI. *& ſeqq.*
Conſtantinopolitani Epiſcopi dignitas aucta in Concilio Chalcedonenſi. 31. IV. 187. IV. 236. IV. 248. I. 320. IX. Aucta etiam reſcripto Theodoſij Imperatoris. *Ibidem.* II.
Conſtantinopolitani Epiſcopi dignitatem augere conatur Theodoſius junior. 68. IX. XI. 70. XV. 85. II.
Conſtantinopolitani Epiſcopi tentamenta. 74. XIII.

Constantinus Imperator Christianis fecit potestatem relinquendi clero quanda m bonorum suorum partem. 419. I. Ejus donatio falsa. 193. VI.
Constantinus Copronymus Imperator synodum septimam congregavit. 38. I.
Constantinus Pogonatus Imperator congregavit sextam synodum. 37. I X. Usum Apocrisiariorum in palatio residentium restituere procuravit. 47. II. Pontificem Romanum liberavit à necessitate solvendi tributi pro electione sua confirmanda. 406. IV.
Constantius Episcopus Vceticensis. 103. I V.
Consuetudo bona obtinet vim legis. 60. I I.
Consulares dicti Legati Cæsaris & provinciarum rectores. 4. V I I I.
Consultationes de rebus dubiis & gravibus mittebantur ad sedem apostolicam. 268. I. & *seqq.*
Contumeliosus Episcopus Reiensis. 110. X I V. 350. I.
Corinthiensis Episcopus factus Vicarius Romani Pontificis. 87. X I.
Corinthus, Achaïæ metropolis. 175. V I I.
Corsica insula quare deferbuerit ab obedientia sedis apostolicæ. 137. I.
Cretæ metropolis, Gortyna. 175. V.
Crux legationis. 143. V I I I.
Cypri metropolis, Constantia. 187. V.
Cyprianus emendatus in vita sancti Cæsarij. 109. X I I.
Cyrillus Alexandrinus præfuit Concilio Ephesino. 14. IV. & *seqq.* 59. X V I.
Cyrillus Episcopus Hierosolymitanus provocavit ad majorem synodum absque rescripto Principis. 308. X.

D

Dalmatiæ metropolis, Salona. 188. V I I.
Damasus Papa damnavit translationem Gregorij Nazianzeni ad Ecclesiam C P. 55. I. Utrum auctor vicariatus Thessalonicensis. 63. I. & *seqq.*
Daniel Archiepiscopus Narbonensis. 266. *col.* 2.
Decimam ecclesiasticorum redituum percipere posse Episcopum Romanum contendunt nonnulli. 220. X.
Decretalis *Super gentes* restituta Bonifacio octavo. 164. I I I.
Delictum personæ non præjudicat Ecclesiæ. 72. V I.
Depositionem Episcoporum jure divino pertinere ad Pontificem Romanum declaravit Innocentius III. Papa. 303. I. 371. 372. Vide *Episcopi.*
Desiderius Episcopus Cadurcensis. 246. V.
Diaconi sedere non possunt inter Episcopos. 224. V I.
Diœcesana Concilia, id est, nationalia. 8. I. 235. I I. Eorum origo. 249. I I. Cedunt auctoritati Conciliorum plenariorum ex universo orbe. 255. V I. Ab una synodo diœcesana ad aliam provocare non licebat. 319. V I. Vide *Concilia nationalia.*
Diœcesis vox accipitur interdum pro plurimarum provinciarum collectione. 235. I. 318. I I. Hodie tribuitur territorio uniuscujusque episcopatus. 235. I I.
Dionysius Exiguus novam collectionem canonum concinnavit. 252. V.
Dioscorus Episcopus Alexandrinus præfuit Conciliabulo Ephesino. 16. I. Damnatus in Concilio Chalcedonensi. 18. I I. In exilium pulsus apud Gangras. 83. II. Ejus damnatio expenditur. 29. I I.
Dispositionis vox significat edictum in legibus Codicis. 243. IX. 276. I I.
Dolensis Archiepiscopus. 134. V I I. Britanniæ Metropolitanus. 286. *col.* 1.
Donatio Constantini falsa. 193. V I.
Donatistarum baptismus rejectus. 6. I I.
Dorotheus Episcopus Thessalonicensis. 72. V I I. & *seq.*
Drogo Episcopus Metensis. 128. V I I. & *seq.* Apostolicæ sedis Vicarius in Gallia factus à Sergio Papa, irrito conatu. 276. I I I.
Dunenses Episcopi, id est, Carnotenses. 268. *col.* 1.
Durandus Episcopus Mimatensis, dictus *Speculator.* 211. X I V.

E

Ebabus de Turena Abbas Tutelensis. 288. *col.* 2.
Ebbo Archiepiscopus Remensis. 359. V I I. 366. V.
Ecclesia est corpus Christi. 40. V I I.
Ecclesiæ apostolicæ. Vide *Apostolicæ Ecclesiæ.*
Ecclesiæ universalis cura commissa Romano Pontifici. 114. I I I. 137. I I. & *seqq.*
Ecclesiastici reditus quinam olim, & quomodo divisi. 220. X. 418. I. Quonam modo regendi. 419. I I I. Ecclesiasticorum bonorum custodia ad Regem pertinet sede vacante. 438. I. & *seqq.* 440. V I I. & *seqq.*
Electiones Episcoporum. Vide *Episcopi.*
Emerius Episcopus Santonensis restitutus decreto Chariberti Regis. 353. XV. 396. X I V.
Emphanistica. 408. I X.
Enthronisticum. Vide *Intronisticum.*
Ephesina synodus convocata à Theodosio Imperatore, literis ad Metropolitanos scriptis. 245. I I.
Ephesina secunda synodus damnatur à Leone primo Papa. 19. I.
Ephesinæ synodo œcumenicæ præfuit Cyrillus Alexandrinus Episcopus, tanquam sedis apostolicæ Legatus. 14. IV. & *seqq.* 59. X V I.
Ephesino latrocinio præfuit Dioscorus Episcopus Alexandrinus. 16. I.
Ephesinus Episcopus, diœceseos Asianæ Exarchus. 318. I I I. 407. V.
Ephesus, metropolis Asiæ proconsularis. 174. IV. Caput Diœceseos Asianæ. 318. I I. I I I.
Epirus distracta à vicariatu Thessalonicensi. 73. IX.
Episcopalium bonorum ususfructus pertinet ad Regem sede vacante. 425. I. & *seqq.* 438. I. & *seqq.*
Episcopalium electionum ritus sub Ludovico Pio & Karolo Calvo. 414. V I I.
Episcopatus unicus est in Ecclesia. 173. I I.
Episcopatus dati utendi laïcis à Karolo Martello Duce Francorum. 259. I.
Episcopatus conferuntur per sceptrum. 435. I X.
Episcopatus olim erat gradus ad crudelissima supplicia. 81. I V.
Episcopatuum cessiones quanam auctoritate peragendæ. 200. I. & *seqq.* Olim vetitæ erant. 201. V I. 366. IV. 367. I X.
Episcopi positi à Spiritu sancto. 174. I I I.
Episcopi magnarum civitatum maximo in honore habiti antiquitus. 53. V I.
Episcopi ne procurationes exigant ab Ecclesiis quas non visitaverunt. 149. V I I.

Episcopi omnes ejusdem sunt meriti, ejusdem sacerdotij. 107. IV.
Episcopi qui ordinati non possint. 80. II.
Episcopi tenentur accedere ad synodos. 79. XII.
Episcopi vocati in partem sollicitudinis apostolicæ. 76. V. & seqq.
Episcopi omnes olim dicti Summi Pontifices. 224. III.
Episcopi eligendi è proptio clero. 406. II. III. 411. III. Eorum electio ad quos pertineat. 173. I. & seqq. 178. III. & seqq. 179. IX. 203. II. & seqq. 378. I. & seqq. 386. I. & seqq. Eligebantur aliquando in palatio. 397. XVI. & seqq. 415. II. & seqq. 425. III. & seqq.
Episcopi veteres subscribebant Conciliorum definitionibus, tametsi synodo non interfuissent. 48. IV.
Episcopis omnibus communicata sancti Petri auctoritas. 295. XV.
Episcopis peregrinis quid tribui suetum. 7. VI.
Episcoporum ordinationes pretio constare non debent. 208. II. & seqq. 406. V. & seqq.
Episcoporum depositiones an ad Summum Pontificem pertineant jure divino. 371. VIII. 372. IX. Prima de crimine Episcopi cognitio pertinet ad synodum provinciæ, secunda ad synodum Diœcesanam. 318. III. 319. VIII. Episcopus deponi non potest nisi ex sententia aliorum Episcoporum. 374. I. An necessarij sint duodecim judices ad decernendam Episcopi depositionem. *Ibidem.* Episcopi dejecti implorabant auxilium Principum, ut causam suam in synodo retractari obtinerent. 307. 308. 309.
Episcoporum magna dignatio apud Reges secundæ stirpis. 397. XVI.
Episcoporum distinctio qui ad consecrationem Episcopi Romani pertinent ab his qui ad aliorum Metropolitanorum consecrationem pertinent. 184. XII. 187. VI. 230. IX.
Episcoporum morientium bona ad quos pertineant. 420. VI. & seqq. Ea laici diripiebant. 421. *In Additione.*
Episcoporum defunctorum spolia pertinebant olim ad Regem. 441. XII.
Episcopos ad comitatum accedere vetuit Iustinianus. 43. IV.
Ermengardis Vicecomitissa Narbonensis remisit Archiepiscopo Narbonensi pessimam consuetudinem invadendi bona Archiepiscoporum morientium. 422. *col.* 2.
Eucharistia Episcopis peregrinis missa domum, dein concessa in Ecclesia. 7. VI.
Eugenio IV. semper adhæsit Gallia, tametsi depositus fuisset à Concilio Basileensi. 300. IV.
Eusebij locus de Polycarpo explicatus. 7. VI. Item alius de Episcopo urbis regiæ. 11. I.
Eusebius Episcopus Cæsarienſis recusavit cathedram Ecclesiæ Antiochenæ. 200. II.
Eusebius Episcopus Vercellensis, apostolicæ sedis Legatus, in exilium pellitur, eò quòd damnationi Athanasij subscribere recusaret. 42. II. Antiqua Legati auctoritate usus est in synodo Alexandrina. *Ibidem.* IV.
Eustathius Episcopus Sebastenus sedi suæ restitutus jussu Papæ Liberij. 322. IV.
Eutychetis hæresis damnata à Flaviano Episcopo Constantinopolitano. 16. I. 323. I. Ejus appellatio ad Pontificem Romanum & ceteros Patriarchas explicatur. 322. V.
Euxitheus Episcopus Thessalonicensis. 82. I. & seqq.

F

Familiaritas apostolicæ sedis, id est, vicariatus, sive legatio. 126. VII.
Faustini Episcopi legatio ad Concilium Carthaginense expenditur. 7. V. VI. 227. III. Tertium locum obtinuit in eo Concilio. 7. VII. Ejus legationem ferre nolunt Afri. 284. III. 339. III.
Faustus Abbas Lirinensis. 99. II.
Felicis Episcopi Vrgellensis hæresis damnata in Concilio Francofordiensi. 264. VIII. Et in Concilio Narbonensi. 265. *col.* 1. 266. *col.* 2.
Felix Episcopus Arelatensis. 119. I.
Feudorum jus antiquo juri contrarium. 425. I.
Fidelitatis juramentum, quod Metropolitano præstant Episcopi suffraganei, introductum est ævo Leonis I. Papæ. 184. XIII. 185. *col.* 2. In gratiam dein Summi Pontificis introductum. 198. VI.
Fidelitatis juramentum Regibus præstitum ab Episcopis. 433. IV. Publica auctoritate convaluit post diuturnas contentiones. 435. XII. Confunditur hodie cum homagio. 434. VII. Petrus I. Rex Aragonum liberam Episcoporum electionem concedens, juramentum tamen fidelitatis retinuit. 400. *In Additione.* Vide *Homagium.*
Flavianus Episcopus Antiochenus electus est ab Episcopis provinciæ & totius Diœceseos orientalis. 384. VIII.
Flavianus Episcopus C P. deponitur in synodo Ephesina sub Dioscoro. 323. I. Appellavit Leonem I. Pontificem Romanum. 324. II. & seqq.
Flavianus Episcopus Philippensium, Legatus Rufi Thessalonicensis Episcopi in synodo Ephesina. 14. I.
Florentini Iurisconsulti docuerunt præbendas emi posse absque vitio simoniæ. 408. XI.
Florus Magister floruit sub Ludovico Pio Imperatore. 411. I.
Formatæ epistolæ accipiendæ ab Episcopo Arelatensi. 89. IV. 109. XI. 113. VIII. 115. VII. 118. III.
Francofordiense Concilium à Karolo magno congregatum. 264. VII. & seqq. Reprobat secundam synodum Nicænam. *Ibidem.* VIII.
Francorum Reges Imperatores aliquando dicti. 266. *col.* 1. Convocabant Concilia Galliarum. 241. VI. & seqq. 244. I. & seqq. 289. I. & seqq. Episcopi autem tenebantur convenire ad synodum à Rege indictam. 243. X. Dare possunt judices ecclesiasticos in causa ecclesiastica. 257. IX. An imperare possint canonum observationem, non expectatâ etiam sententiâ Ecclesiæ Gallicanæ. 301. I. Magna eorum auctoritas in electionibus Episcoporum. 397. XVI. & seqq. 401. III. & seqq. 411. I. & seqq. 413. I. & seqq. 415. I. & seqq. Committebant Episcopis dignitatem episcopalem. 426. IV. Donabant etiam abbatias. 449. *col.* 1. Investiturarum solennitatem abjecerunt. 429. XIV. 433. II. 435. X. Dimiserunt etiam solennitatem homagij. 434. VII. Vide *Ecclesiastici reditus*, & *Episcopalia bona.*
Frithericus Cardinalis, Legatus in Germania. 151. II.

G

Galatiæ metropolis, Ancyra. 174. IV.
Galli non receperunt statim Octavam syno-

dum. 229. VII. 233. II. 414. III.
Galliarum septem provinciæ recensentur. 238. VI.
Galliarum synodus olim separata erat à synodo Romana, & magnæ auctoritatis habebatur. 237. III.
Galliarum synodus generalis semel in anno celebranda. 252. III. Olim congregabatur auctoritate Principum. 238. V.
Gallicana Concilia sub Regibus Francorum habebantur utplurimùm in aula palatij. 264. VII. 295. XV. Gallicanorum Conciliorum auctoritas infracta à Nicolao I. Papa. 274. XI. Sensim abolita, cùm omnem auctoritatem in se traherent Summi Pontifices. 282. XII.
Gallicana Ecclesia non pertinet ad specialem Diœcesim Romanam. 230. X. 233. II. Gallicanæ Ecclesiæ deliberationes spectari non possunt aliter quàm velut consilium Regi datum. 294. II. 301. III. Ejus responsa quonam modo spectanda. 300. V.
Gallicani canones. 253. VII. Cedunt auctoritati Conciliorum œcumenicorum. *Ibidem.* VI.
Gallicani Episcopi implorabant præsidium Principum adversùs vim Legatorum sedis apostolicæ. 285. VII. *Vide Indicem tomi primi.* Si quid adversùs mandata Summorum Pontificum statuissent, vim sibi ab optimatibus illatam aiebant. 291. I. 293. III. In se suscipiunt reformationem disciplinæ. 170. IX.
Galterus Episcopus Trojanus. 77. VII. 157. V.
Garsias Loaïsa refutatur. 400. V.
Gaufridus Episcopus Carnotensis. 136. XI. 161. VIII.
Gebuinus Archiepiscopus Lugdunensis. 135. IX. Illi primatum super quatuor provincias Lugdunenses tribuit Gregorius. VII. Papa. 288. *col.* 2.
Gelasius Cyzicenus collegit acta Concilij Nicæni. 9. IV. Explicatus. 52. IV.
Gennadius Episcopus CP. acriter contradicit vitio simoniæ. 208. II. 407. VI.
Gentiliacense Concilium de processione Spiritus sancti, & de cultu sacrarum imaginum. 261. VII. 263. V.
Geraldus Episcopus Lemovicensis. 409. IV.
Gerardus Episcopus Engolismensis. 112. III. *& seqq.* 152. V. Legatus in Aquitania. 288. *col.* 2. 431. *col.* 2.
Gerardus Episcopus Sabinensis, Legatus in Sicilia. 138. VI.
Gerbertus factus Papa restituit Arnulphum Remensem Archiepiscopum. 368. II.
Germani ad idololatriam reversi sub finem septimi seculi. 259. I.
Giraldus Episcopus Ostiensis, Legatus in Aquitania. 138. VII. 156. II. 280. VIII. 370. IV.
Gladius conditur ubi aurum suscipitur. 160. III.
Γνώμης Episcopi Romani, id est, suffragij prærogativa. 33. I. 34. VI. 39. II.
Gortyna, Cretæ metropolis. 175. V.
Gotthorum Reges in Italia ad se traxerunt confirmationem electionum Episcoporum. 406. IV.
Gratianus Imperator valde amplificavit auctoritatem Episcopi Romani. 330. III. *& seqq.*
Gregorij Episcopi Nysseni electio & ordinatio facta à synodo provinciæ. 384. VIII.
Gregorius magnus, vir prudens, doctus, & politiæ ecclesiasticæ callentissimus. 117. I. 245. IV. Peritissimus jurium sedis apostolicæ. 347. III. Responsalis munere functus apud Principem in urbe regia. 44. VI. 347. III. Synodum in Gallia congregari postulat à Rege. 244. I. 245. IV. Vetuit ne quid ab Episcopis detur pro ordinatione. 210. VIII. 408. X.
Gregorius magnus emendatur. 74. X. Ejus epistola explicata. 118. IV.
Gregorius VII. Papa definivit solum Pontificem Romanum posse Episcopos deponere vel reconciliare. 370. IV. Tum Legatos sedis apostolicæ præcedere debere omnes Episcopos, & adversùs eos sententiam depositionis dare posse. 279. IV. 370. IV. Metropolitanos jurejurando adegit præstare sumptus necessarios Legatis. 281. IX. Interdum Episcopis finitimis delegabat curam judicandi causas Episcoporum. 370. V. Homagium Regibus præstari vetuit ab Episcopis. 202. VIII. 291. I. 433. IV.
Gregorius Nazianzenus ordinatur Episcopus CP. 55. II. Abdicat. 56. V.
Guadaldus Episcopus Ausonensis, depositus in Concilio Romano. 267. *col.* 1.
Gualo Cardinalis Legatus in Anglia. 144. V.
Guido Archiepiscopus Viennensis, Legatus in Anglia. 141. I. 166. IX.
Gulielmus de Montelauduno Iuris Canonici Professor in Academia Tolosana. 190. *col.* 1.

H

HAdriani I. Capitula data Ingilramno Episcopo Metensi. 357. IV.
Hadrianus I. Papa misit in irritum Septimam synodum prædatoriam. 36. II.
Hadrianus II. Gallis exprobrat præcipitationem in depositione Hincmari Laudunensis. 358. II.
Hadrianus Episcopus Thebanus deponitur à Ioanne Episcopo primæ Iustinianæ. 87. IX. Eximitur à jurisdictione sui Metropolitani. 46. III.
Hæresis olim primùm damnabatur in provincia in qua orta erat. 24. II. 266. *col.* 2. Hæreses in synodis damnatæ auctoritate Principum & Romanæ sedis Pontificum. 38. IV.
Helenensis Ecclesia suffraganea Ecclesiæ Narbonensis. 121. IV.
Helenensis episcoparus in Gallia Narbonensi, institutus post excisum regnum Tolosanum. 268. *col.* 1.
Helenensis episcopatus in regno Aragoniæ. 150. XIII.
Helmeradus Episcopus Helenensis. 267. *col.* 2.
Henricus V. Imperator extorquet à Paschali II. Papa privilegium investiturarum. 430. IV. Excommunicatus in Concilio Remensi. 433. I.
Heraclea, metropolis Diœceseos Thracicæ. 318. II. III.
Herchembaldus Archiepiscopus Turonensis. 369. V.
Hermes Episcopus Biterrensis translatus ad cathedram Narbonensem. 103. III. *& seqq.*
Hiacynthus Bobo Cardinalis Legatus in Hispania. 156. IV.
Hieremias Patriarcha CP. damnavit opiniones Calvinistarum. 41. IX.
Hierosolyma, metropolis fidei. 176. VIII. Hierosolymorum Episcopo quartus honoris gradus tributus auctoritate Concilij Nicæni. 33. IV. Subjectus fuit Episcopo Cæsareæ Palæstinæ, donec Hierosolymorum episcopatus in patriarchatum erectus est. 176. VIII.

Hilarius Episcopus Arelatensis. 92. I. *& seqq.* 95. I. *& seqq.*
Hilarus Papa de ordinatione sua scribit ad Leontium Arelatensem, & spondet observationem canonum. 102. I.
Hilgodus Episcopus Suessionensis renuntiavit episcopatui, ut monachus fieret. 202. VII.
Himerius Episcopus Tarraconensis. 315. II. *Ibidem.* V.
Hincmarus Episcopus Laudunensis depositus in Concilio Duziacensi, tametsi Hadrianum Papam appellasset ante judicium. 358 II.
Hincmari Remensis Archiepiscopi ordinationem cur à Sergio Papa confirmari postulent Episcopi Gallicani. 191. IV. Illius privilegium de Pallio quotidiano. 118. V. Hincmarus artium Romanæ curiæ callentissimus. 197. IV.
Hispaniæ confinium. 267. *col.* 2.
Hispaniarum Reges convocabant Concilia generalia Hispaniæ. 258. I. Magna eorum auctoritas in electionibus Episcoporum. 399. I. *& seqq.*
Hispanicum iter quid significet in canone Lateranensis Concilij sub Callisto II. habiti. 437. *col.* 2.
Homagium Regibus præstari ab Episcopis vetuit Gregorius VII. Papa. 199. VIII. 291. I. 433. IV.
Hormisda ad Cæsarium scripsit de sua ordinatione. 110. III.
Hormisdæ Romani Pontificis epistola emendata. 110. XIII. explicata. 122. IV.
Hubertus Archiepiscopus Cantuarensis. 163. XV.
Hugo Episcopus Diensis, dein Archiepiscopus Lugdunensis. 410. V. Acer & vehemens in retinenda dignitate sua. 135. X.
Hugutio Cardinalis Legatus in Anglia. 166. X.
Humbaldus Cardinalis. 162. XIII.
Humbaldus Episcopus Ostiensis. 162. XII.
Hungari detrectant exhibere procurationes Legatis sedis apostolicæ. 139. III.

I

Illyricianæ omnes Ecclesiæ pertinent ad curam Thessalonicensis antistitis. 61. V.
Illyricianorum Episcoporum invidia erga Episcopum Thessalonicensem. 68. X. 74. XIII.
Illyricum Romano Episcopo suberat. 46. *In Additione.* 49. III. Divisum in orientale & occidentale. 50. IV. Episcopus Thessalonicensis jure patriarchico fruebatur in Diœcesi Illyriciana. 191. III. Illyriciana Diœcesis suam synodum constituebat. 236. VI.
Imaginum usus prohibitus à synodo septima. 38. I. Quæstio de cultu imaginum examinata in synodo Gentiliacensi. 261. VII. 263. V. Et in Concilio Francofordiensi. 264. VIII.
Imperatores primo vel ultimo loco, ut lubitum ipsis erat, censebant in senatu. 13. IV. Conciliorum convocatio ad eos pertinebat. 238. IV. 244. II. Olim confirmabant canones Conciliorum. 254. II. *& seqq.*
Incendiarij jubentur Hierosolymam vel in Hispaniam proficisci ad bellum sacrum. 437. *col.* 2.
Indiculus Græcus septem Conciliorum œcumenicorum. 59. XVI.
Ingenuus Episcopus Ebredunensis. 105. XI.
Innocentius III. emendatus. 58. XII.
Insignia Legatorum. 154. XIV. *& seqq.*
Intercessor Episcopus delegandus in Ecclesia vacante. 282. IV. 392. XIII.
Interstitia servanda in ordinationibus. 410. IV.
Inthronisticum, quid. 209. V. 408. VIII.
Investiturarum vocabulum non erat ignotum ævo Karoli magni. 403. VII. Investiturarum solennitas. 426. VII. Earum usum prohibuit Gregorius VII. Papa. 427. IX. *& seqq.* Gravis ob hoc controversia inter Paschalem II. Papam & Henricum V. Imperatorem. 429. I. *& seqq.* Investituras per sceptrum fieri jussit Callistus II. Papa 435. IX.
Investiturarum controversia an hæresis dici debeat. 430. V. *& seqq.*
Ioannes Cardinalis Neapolitanus. 142. VI. 162. XII.
Ioannes Cremensis, Legatus in Anglia. 141. II. *& seq.*
Ioannes Episcopus Arelatensis. 119 I.
Ioannes Episcopus Nicopolitanus. 72. VII.
Ioannes Episcopus primæ Iustinianæ castigandus à sancto Gregorio. 87. IX.
Ioannes Episcopus Tarraconensis, sive Illicitanus. 122. III.
Ioannes Ferentinus apostolicæ sedis Legatus in Anglia. 144. IV. 158. IV.
Ioannes Paparo Cardinalis. 162. XI.
Ioannes Patriarcha Alexandrinus, à Petro Moggo dejectus, appellavit Papam Simplicium. 329. I.
Ioannes Patriarcha CP. titulum universalis Patriarchæ usurpavit. 45. II. 295. XIV.
Ioannes Salernitanus Cardinalis. 144. I.
Iordanis Cardinalis pessimi mores describuntur à sancto Bernardo. 142. IV.
Iordanus Episcopus Lemovicensis. 409. III.
Isidori Mercatoris Collectio. 354. I. *& seqq.*
Italicæ Diœceseos caput, Mediolanum. 188. VII.
Iudæi primæ & secundæ dispersionis. 174. IV.
Iudicia ecclesiastica olim fiebant in synodo provinciæ cum auctoritate Metropolitani. 303. II.
Iudicia Episcoporum in synodis peracta non erant obnoxia appellationi, sed revisioni tantùm. 309. XIII.
Iudicum electorum ea est auctoritas ut ab iis provocari non possit. 341. III. IV. 364. IV.
Iulianus Episcopus Coënsis, Leonis I. Legatus in Concilio Chalcedonensi. 20. II. Legatus ordinarius apud Imperatorem. 42. V. In quo versaretur hæc illius legatio. 44. I. Primus pro Leone responsa egit Constantinopoli. 47. III.
Iulianus Episcopus Puteolanus non interfuit latrocinio Ephesino. 18. III.
Iulius Episcopus Romanus post Silvestrum. 11. VIII. Recepit Athanasium in suam communionem. 310. II.
Iuniores Ecclesiæ. 256. *col.* 1.
Ivo Episcopus Carnotensis consecratus est ab Vrbano II. Papa. 183. X. Refertur illius sententia, an pertinacia in propugnandis investituris hæresis esset. 430. V.
Iurisdictionum limites constituti juxta divisionem Diœceseon Imperij. 318. II. III.
Iustinianæ primæ Archiepiscopus. 63. IX. 85. II. *& seqq.*
Iustiniani Novella explicata. 50. VIII.
Iustinianus Imperator vetuit ne Episcopi ad comitatum accederent. 43. IV. Lege cavit ne sacerdotia fierent venalia. 209. V. Venalitatem suffragiorum in electionibus & ordinationibus Episcoporum

coporum prohibuit. 407. VIII. Ad se traxit confirmationem electionis Episcopi Romani. 406. IV.

L

Laodicenus canon de electionibus Episcoporum explicatur. 179. VI. 386. II. *& seqq.*
Lateranense Concilium sub Paschale II. adversùs privilegium investiturarum. 431. *col.* 2.
Lateranense Concilium sub Callisto II. adversùs investituras. 436. *col.* 2.
Legati sedis apostolicæ plena & integra auctoritate usi sunt in synodo Octava. 40. VI.
Legati apostolicæ sedis quandoque postpositi Metropolitanis in Conciliis. 7. VII. 8. VIII. In Conciliis tamen œcumenicis primum locum obtinebant. 9. III. 21. VI. Id jus postea porrectum est ad omne Conciliorum genus. 279. IV. 54. IX. 141. II. 152. IV. 161. V. 170. IV. Non tamen semper 15. II. Convocabant Concilia generalia suæ legationis. 279. IV. Olim tamen non intererant Conciliis Gallicanis, nisi per occasionem. 270. II. Sed eorum frequentia eorundem Conciliorum auctoritatem postea infregit. 268. I. Posterioribus enim seculis omnem Conciliorum auctoritatem in se traxerunt. 283. I. Eorum procuratio gravis Ecclesiis. 281. IX. X. Hodie non possunt exercere legationem suam in Gallia absque consensu Regis. 283. II. 284. IV. V. 285. VIII.
Legati apostolicæ sedis, tametsi mandata generalia acceperint, continere se debent intra certos limites. 77. VI. Cuncta terrore complebant. 163. I. De facili corrumpi possunt. 141. V. In provinciis debacchantur ac si ad Ecclesiam flagellandam egressus sit Satan à facie Domini. 140. IV. Olim ne minimo quidem sumptui erant provincialibus. 139. I. Debent ostendere Principibus facultates & instructiones suas. 131. V. Nullam muneris sui functionem attingere possunt in Gallia absque consensu Regis. 164. II. *& seqq.* 168. *& seqq.* Interdum patiebantur contradictionem in provinciis. 128. V. 137. III. Interdum spoliati fortunis suis. 145. VIII. Discurrunt ad ditanda marsupia. 158. II.
Legatis dabitur lac ad bibendum, nec bibent ultra tertiam vicem. 147. II. Eis interdum charta pura dabatur, ut in ea scriberent quicquid vellent secundùm occasiones. 140. V. *& seq.*
Legatorum in provincias mittendorum ratio immensum explicavit auctoritatem Summi Pontificis. 274. XI. 276. I. *& seqq.*
Legatorum diversæ species in Ecclesia. 5. I. Mittebantur à synodis ad Episcopum Romanum & ad Imperatores. 5. II. 6. III. IV. Romani Pontifices mittebant Legatos ad Imperatores pro negotiis ecclesiasticis. 41. I.
Legatorum fastus & luxus notatus. 151. I. *& seqq.*
Legatorum frequentes missiones omnem disciplinam everterunt. 132. I.
Legatorum missio pessumdedit auctoritatem Metropolitanorum & Episcoporum. 128. VI. 129. VIII. Eorum auctoritas major erat quàm ut obsisti ei à quoquam posset. 138. VIII. 153. I. Eorum dignitas immensùm excrevit posterioribus seculis. 138. VI. Eorum judicia retractari non poterant. *Ibidem.* VII. *& seqq.*
Legatorum avaritiam semper accusavit antiquitas. 141. I. 143. VII. 144. I. *& seqq.*
Legatos perpetuos in provinciis constituendos esse putarunt Romani Pontifices. 137. I.
Legatus in Angliam mitti non potest absque petitione aut consensu Regis. 154. XIII. *& seqq.* 165. V. *& seqq.*
Legatus munera respuens contra morem Romanorum. 160. II.
Legati dicti Vicarij Episcoporum absentium. 8. I. Proferebant literas suæ legationis in exordio Concilij. 14. II.
Legati Cæsaris. 4. VIII. Dicti etiam Proconsules. *Ibidem.*
Legati municipales, provinciales. 2. II.
Legati Proconsulibus dabantur à senatu. 3. V. Eorum auctoritas & dignitas. *Ibidem.* VI.
Legatoriæ provinciæ. 4. VIII.
Legatio libera. 6. III. 8. I. 45. II.
Legatio sedis apostolicæ nemini concedi potest in Gallia absque consensu Regis. 247. VII.
Legationem suam interdum Romani Pontifices tribuebant caris suis, ut eis gratificarentur. 158. I.
Lemovicensis episcopatus non est obnoxius juri regaliæ. 446. VIII.
Leo I. Papa, caput universalis Ecclesiæ. 29. II. 321. I. Adesse recusat synodo Chalcedonensi. 20. II. Ei tamen præfuit per Legatos suos. 26. I. Iubet ne Dioscorus Alexandrinus illic sedeat inter judices. 28. I. Petri interpres dictus cùm legeretur Epistola ad Flavianum. 27. II. 28. IV. Anastasium Thessalonicensem Episcopum objurgavit quòd ab Attico Episcopo chartulam de obedientiæ sponsione exegisset. 184. XIII. 198. VI. Iratus adversùs Hilarium Episcopum Arelatensem. 96. V. *& seqq.* 98. I.
Leo III. Papa, purgationis canonicæ repertor. 269. II.
Leo Romanus Abbas obtinuit absolutionem Arnulphi Archiepiscopi Remensis. 368. IV.
Leonis primi locus de plenitudine sollicitudinis explicatus. 76. V. *& seqq.*
Leontius Episcopus Arelatensis. 102. I. *& seqq.*
Leontius Episcopus Burdegalensis congregat synodum, in qua depositus est Emerius Episcopus Santonensis. 353. XV.
Leontius Episcopus Forojulienſis. 97. XI.
Libera mandata, id est, nulli formulæ adstricta. 6. III.
Liberius Papa Legatos ad Constantinum Imperatorem misit, ut Concilium Aquileïæ cogendum impetraret. 41. I.
Licerius Episcopus Arelatensis. 117. VI.
Liptinense Concilium à Carlomanno Francorum Duce convocatum & confirmatum. 259. II. 401. III.
Lirinense monasterium. 99. III.
Lorum, imperiale indumentum. 194. VII.
Lotharij Regis & Thetbergæ divortium discussum in Concilio Metensi. 274. IX.
Lucifer Calaritanus Episcopus, Liberij Papæ Legatus ad Constantinum Imperatorem. 41. I. Schisma propagavit in Ecclesia Antiochena. 42. III.
Ludovicus Balbus Rex Francorum nunquam fuit Imperator. 266. *col.* 1.
Ludovicus Pius Imperator Capitula sua condebat in conventibus generalibus. 270. I. Electiones Episcoporum restituit. 405. I. *& seqq.*
Ludovicus IX. Rex Franciæ conferre solitus erat præbendas Ecclesiarum cathedralium sede vacante.

441. XI. Quid juris Regibus competere declaraverit in Ecclesia Aniciensi. 443. III.
Lugdunensi Ecclesiæ primatus super quatuor Lugdunenses provincias collatus à Gregorio VII. Papa. 288. *col.* 2. Serò tamen id observatum est. 289. *col.* 1.
Lugdunensis Ecclesiæ primatus. 135. IX.
Lugdunensis Episcopus Patriarcha dictus in Concilio secundo Matisconensi. 243. IX.

M

Macedoniæ metropolis, Thessalonica. 175. VII.
Macedonij hæresis damnata in secunda synodo. 14. III.
Magalonensis episcopatus. 268. *col.* 1.
Magnardus apostolicæ sedis Legatus in Sclavonia. 138. VII.
Majores causæ ad sedem apostolicam referendæ. 251. I. Vide *Causæ majores.*
Mamerti Viennensis Episcopi temeritas repressa ab Hilario Papa. 105. X.
Marca fit Presbyter apud Barcinonem in Hispania. 387. V.
Marca Hispanica. 268. *col.* 1.
Marcianus Episcopus Arelatensis, Novatiani sectator. 304. V. *& seqq.*
Marcianus Imperator confirmavit definitionem fidei factam in Concilio Chalcedonensi. 27. III.
Martini sedis apostolicæ in Anglia Nuntij impudentia. 154. XII. 166. XII.
Martinus I. Papa Chersonam in exilium projectus. 47. I.
Martinus Cardinalis contra morem à legatione rediens pauper. 162. IX.
Martinus Bracarensis Episcopus novam canonum collectionem adornavit. 349. X.
Mauricius Episcopus Pictavien sis dicit se Papam esse in sua diœcesi. 77. VIII. 139. X.
Maximianus Episcopus Syracusanus. 60. II. 123. VII.
Maximus Cynicus ordinatus Episcopus CP. 53. VIII.
Mediolanensis Ecclesia negat se subjectam esse debere Romanæ. 161. V.
Mediolanensis Episcopi dignitas. 6. II. Ejus ordinatio pertinebat ad Episcopum Aquileiensem. 188. VII.
Mediolanum, caput Diœceseos Italicæ. 188. VII.
Meldensis synodus examinata in conventu Sparnacensi. 272. I.
Meletius Episcopus Antiochenus. 72. III.
Metense Concilium in causa Lotharij & Thetbergæ. 274. IX.
Metrophanes CP. Episcopus. 12. II. *& seqq.* Interesse non potuit synodo Nicænæ ob ingravescentem ætatem. 9. IV. 10. VII.
Metropolitani olim constituti in civilibus metropolibus. 90. VI.
Metropolitani congregant synodos suarum provinciarum. 245. III. Literæ Metropolitanorum & Principum in convocandis Conciliis non sunt dissociabiles. *Ibidem.*
Metropolitanorum institutio ab Apostolis. 174. III. 175. V. 176. VIII. Olim omnes Metropolitani vocabantur *Apostolici.* 181. III. Prima sententia penes eos erat in unaquaque provincia. 34. VI. Ab iis pendebat rerum gestarum confirmatio. 34. VII. 179. X. 303. II. Confirmatio electionis Episcopi pertinet ad Metropolitanum. 178. V. Ad eum pertinet examen electi. 183. VI. Iuramentum fidelitatis recipit ab Episcopis suæ provinciæ. 184. XIII. 185. *col.* 2. Quanta sit vis ejus juramenti. 185. XIV.
Metropolitanorum electio & ordinatio quonam modo fieret. 186. I. *& seqq.* 392. XII. 393. II. Ea paulatim adempta est Episcopis comprovincialibus, & Summo Pontifici servata. 189. *In Additione.* An Metropolitani qui neque à Summo Pontifice neque auctoritate ejus ordinati erant, tenerentur ab eo confirmationem obtinere post consecrationem. 190. I. *& seqq.*
Migrationes Episcoporum vetitæ. 200. II.
Miro Episcopus Gerundensis consecratus jussu Benedicti Papæ. 211. *In Additione.* Ex illustri genere ortus. 213. *col.* 1.
Monarchia, id est, diœcesis, seu provincia. 103. III.
Monothelitarum hæresis damnata in sexta synodo. 20. IV. 37. I. Ejus occasione desivit usus Responsalium in urbe regia. 46. I.
Muneribus olim patebant Legatorum manus animique. 160. II. *& seqq.*

N

Narbonense Concilium sub Karolo magno adversùs hæresim Felicis Episcopi Vrgellensis, & pro finibus diœceseos Narbonensis. 267. *col.* 1.
Narbonensi Ecclesiæ medietatem comitatus Narbonensis dedit Pippinus Rex. 425. II.
Narbonensis provincia olim pertinebat ad regnum Hispaniæ. 237. III. 258. I. Obnoxia non est juri regaliæ. 450. I.
Nationalia Concilia. Vide *Concilia nationalia.*
Nectarius Episcopus CP. 54. VIII. 56. V. *& seqq.* 69. XII. Ejus electio & ordinatio. 225. X. 384. VIII.
Nemausensis Concilij ab Vrbano II. habiti editio multis mendis laborat. 287. *col.* 1.
Neophyti non ordinandi Episcopi. 80. II.
Nestorij Episcopi CP. hæresis damnata in Concilio Ephesino. 14. IV. Damnatus à Celestino Papa. 31. I.
Neutralitas decreta in Gallia, dum Benedictus XIII. & Gregorius XII. certant de pontificatu. 298. IX.
Nicæna synodus primatum Episcopo Romano detulit præ ceteris Patriarchis. 33. III. Ei præfuit Osius Episcopus Cordubensis. 9. III.
Nicæna synodus II. reprobata in Concilio Francofordiensi. 264. VIII.
Nicænse castrum. 105. XI.
Nicetius Regis & populi suffragio Lugdunensis Episcopus ordinatus. 395. XI.
Nicetius Episcopus Treverensis. 394. V.
Nicolaus Episcopus Ostiensis. 171. *In Addendis.*
Nicolaus primus Papa convocavit Concilium Suessionense in Gallia. 273. VI. Item Metense in causa Lotharij & Thetbergæ. 274. IX. Synodorum auctoritatem infregit. *Ibidem.* XI. Immediatam Conciliorum generalium convocationem in se traxit 130. I. Defensus adversùs Blondellum. 55. I.
Nicomedia, Bithyniæ metropolis. 174. IV.
Nicopolitanus Episcopus factus Vicarius sedis apostolicæ per Epirum. 75. IX.
Nominatio regia successit in locum electionis. 207. XIII.

OBlationes fidelium 418. I.
Occidentalibus Episcopis nihil licere circa administrationem Ecclesiarum orientalium contendebant orientales. 317. I.
Octava synodus non fuit recepta statim in Gallia. 233. II. 414. III. Canon vigesimus secundus Concilij octavi explicatus. 427. X. 428. XIV.
Odo Abbas Cluniacensis, antea Abbas Tutelensis. 449. *col.* 2.
Odoricus Raynaldus castigatus. 144. II. *& seqq.*
Oeconomorum institutio in Ecclesia unde orta. 419. III. Eorum officium. *Ibidem*, & IV. V.
Oecumenica synodus celebrari non potest absque sententia sedis apostolicæ. 20. IV. An liceat œcumenicæ synodo de aliquo fidei vel disciplinæ capite decernere absque sententia Summi Pontificis. 31. IV. 35. X.
Omophorion. 193. III. Vide *Pallium.*
Ordericus Vitalis emendatus. 409. II.
Ordinatio olim comprehendebat manuum impositionem & beneficij provisionem. 297. I. 407. VI. Fiebat à synodo provinciæ, cum auctoritate Metropolitani. 300. II. 303. II.
Ordinatio absoluta olim vetita. 410. V.
Orientalis diœceseos caput, Antiochia. 318. II.
Orientalium Conciliorum auctoritas in causis disciplinæ. 318. I. 321. I.
Orientis imperium divisum in quinque Diœceses. 318. II.
Osius Episcopus Cordubensis præfuit Concilio Nicæno. 9. III. Illic fungebatur legationi Romani Pontificis. *Ibidem.* IV. *& seqq.* Præfuit etiam Concilio Sardicensi ut Legatus. 13. I. *& seqq.* Synodi Nicænæ acta detulit occidentalibus. 52. III.
Ostiensis Episcopus ordinat Episcopum Romanum. 188. VIII. An Pallio uti possit in consecratione Episcopi Romani. 196. XI.
Otto Cardinalis Legatus in Anglia. 145. VII. 149. IX. *& seqq.* 153. XI. 158. VII. 160. II. 167. V.

P

PAlæstinæ metropolis, Cæsarea. 176. VIII.
Pallij genium. 189. X.
Pallij usus Virgilio Arelatensi præscriptus. 118. V.
Pallium Cæsario Arelatensi concessum à Symmacho. 109. XII.
Pallium erat genus quoddam imperatorij indumenti, quod tribui non poterat absque consensu Imperatoris. 111. II. Erat vestis quædam eximia. 112. IV.
Pallium Metropolitanis concessum ab apostolica sede. 192. I. *& seqq.* 196. I. *& seqq.* Tribuebatur interdum Episcopis, tametsi Metropolitani non essent. 362. VII. VIII. Simonia committitur, si quis pretium aliquod accipiat ratione Pallij. 211. XI.
Parœcia interdum significat integram Episcopi diœcesim. 235. II. 266. *col.* 2.
Paschalis II. Papa in carcerem conjectus ab Henrico V. Imperatore. 430. IV. Iubet ut Episcopi remittant regalia imperio. *Ibidem.* III. Vide *Investituræ.* Illius epistola emendata. 140. III.
Paschalius Episcopus Lilybetanus, Leonis primi Legatus in Concilio Chalcedonensi. 20. II. Minatur secessionem, si Discorus Alexandrinus intromittatur in Concilium. 28. I. Dioscorum damnat ex auctoritate Papæ Leonis. 29. II.
Patriarchalia Concilia semel in anno habenda esse sancivit Imperator Iustinianus. 233. II. 248. I.
Patriciatus quandonam collatus Regibus Francorum. 404. IX.
Patroclus Episcopus Arelatensis. 89. III. 90. V. 92. *col.* 1. Augendæ dignitatis suæ cupidus. 242. VII.
Paulinus Episcopus Antiochenus. 42. III.
Paulinns, qui Nolanus dein Episcopus fuit, per vim raptus à plebe, ut Presbyter fieret. 387. V.
Pelagianorum damnatio à Zozimo facta ubique viguit. 24. II.
Pelagij Papæ primi epistola explicatur. 116. V.
Pelagius Episcopus Albanensis. 138. V. 153. IX. 155. XVIII.
Peregrinis Episcopis quinam olim honor habitus. 7. VI.
Perigenes Corinthiorum Episcopus. 61. IV. 67. VI. 68. X. 69. XIII. *& seqq.* 85. II. 103. V.
Personæ delictum non præjudicat Ecclesiæ. 72. VI.
Petri auctoritas communicata omnibus Episcopis. 275. XV.
Petrus Leonis Legatus in Anglia. 165. VII. Ejus fastus & arrogantia. 152. VI.
Petrus, Ecclesiæ fundamentum, petra fidei, & cœlestis regni janitor. 29. II. Epistolam suam canonicam scripsit Babylone. 174. IV. Per Leonem locutus est in epistola ad Flavianum. 27. II. 28. IV. Per Agathonem item locutus. 37. II. 38. IV.
Petrus & Paulus dederunt sibi invicem dexteras societatis. 285. VI.
Petrus Damiani Cardinalis Episcopus Ostiensis. 160. V. Legatus in Galliam missus. 279. II.
Petrus de Iudicia Archiepiscopus Narbonensis, metropoliticæ dignitatis conservandæ studiosissimus. 185. *col.* 2.
Petrus Presbyter Cardinalis Tituli sancti Chrysogoni. 162. XIV.
Petrus primus Rex Aragonum liberam esse jussit Episcoporum electionem. 400. *In Additione.*
Phenolium, vestis Patriarcharum. 194. IX.
Philippi Pulchri & Bonifacij VIII. dissidium. 292. II. 445. VI.
Philippus Presbyter, Celestini Papæ Legatus in Concilio Ephesino. 15. V. 16. VIII.
Photius Patriarcha C P. auctor schismatis orientalium. IV. Augendæ dignitatis suæ cupidus. 249. III.
Phrygium, quid sit. 194. VII. Phrygium Alexandrino Patriarchæ tributum antiquitus. 15. VI.
Pileus Cardinalis Legatus in Anglia. 146. IX.
Pippinus Dux Francorum, qui Rex postea fuit, synodum Suessionensem convocat, & ejus decreta confirmat. 260. III. 402. V. Item Concilium Vernense. 260. V. Ecclesiæ Narbonensi dedit mediam partem comitatus Narbonensis. 425. II.
Placentini Concilij statuta repetita in Concilio Claromontano. 289. *col.* 2.
Pœnitentiæ rigor remissus olim ab Episcopis, prout pœnitens liberalis fuerat erga Ecclesias. 425. II.
Polycarpus Smyrnensis Episcopus, Eucharistiæ communione donatus in Ecclesia ab Aniceto Papa. 7. VI.
Ponti metropolis, Amasea. 174. IV.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Præbendæ an vendi possint absque simonia. 408. XI. Præbendarum collatio an pertineat ad Regem sede vacante. 439. IV. & *seqq.* 441. X. & *seqq.* 445. V.
Prærogativa suffragij. 23. IV.
Præsidiales provinciæ. 4. VIII.
Præsidis nomen generale est. *Ibidem.*
Prætextatus Episcopus Rotomagensis. 113. X.
Pragmatica Sanctio Caroli VII. Regis Franciæ. 299. II.
Presbyterorum & Diaconorum ordinationes peragendæ die dominico. 78. X.
Presbyterorum causæ judicandæ sunt in synodis provincialibus. 227. II. & *seqq.* 229. VIII. 264. IX. Eæ referebantur ad sedem apostolicam, quando de fide agebatur. 337. IX. Variant canones Africani quoad causas Presbyterorum. 250. VI. itémque Gallicani. 268. II. Augustinus Presbyterorum causas distinguit à causis Episcoporum. 342. VI. 343. IX.
Primas quis apud Afros. 90. VI.
Primatum duo genera agnoscit Hincmarus Remensis Archiepiscopus. 189. X.
Priscilliani hæresis damnata in Concilio Burdegalensi. 238. V.
Privilegia propter merita concessa, in contractus naturam transeunt. 72. VI.
Privilegium personale, quid. 60. II. 123. VII.
Proclus Episcopus CP. 74. XIII.
Proconsulares provinciæ. 4. VIII.
Proconsules dicti qui provincias populi Romani regebant, tametsi Consules non fuissent. 2. III. Eorum dignitas & auctoritas. *Ibidem.* Proconsules dicti etiam Imperatores. 8. IV. Imperium proconsulare extra urbem. *Ibidem.*
Procurationes Legatorum. 147. I. & *seqq.* 172. *col.* 1.
Projecti Episcopi infirmi querela adversùs Hilarium Episcopum Arelatensem. 96. VII.
Projectus Episcopus, Celestini Papæ Legatus in Concilio Ephesino. 14. V. 15. VII. & *seqq.*
Proterius Episcopus Alexandrinus. 83. II.
Provinciæ proconsulares, legatoriæ, & præsidiales. 4. VIII.
Provinciale Concilium pro ordinando Episcopo. 178. II.
Provincialium Conciliorum duo genera. 178. I. Eorum auctoritas à Concilio Nicæno. 310. Vide *Concilia provincialia.*
Provinciarum ecclesiasticarum distributio fluxit ab Apostolis. 174. III. & *seqq.* Eam tamen veteres consuetudini tribuerunt. 176. IX. Septem provinciæ Galliarum. 238. VI.
Purgationis canonicæ repertor Leo III. Papa. 269. II.
Purpura, vestis ordinaria Pontificum Romanorum. 154. XV. & *seqq.* 172. XIX.

R

RAdulfus Remensis Archiepiscopus homagium Regi præstare coactus. 291. I. 434. V.
Raimbaldus Archiepiscopus Arelatensis. 120. V.
Raimundus Comes Barcinonensis remisit Episcopis, provinciæ Tarraconensis pessimam consuetudinem invadendi bona episcopalia sede vacante. 422. *col.* 1. Susceptus est sub protectione beati Petri quàndiu pugnaret contra Sarracenos. 437. *col.* 2.
Ravennius Episcopus Arelatensis. 98. II. & *seqq.*
Raymundus Episcopus Helenensis. 150. XIII.
Redensis pagus adjudicatus Archiepiscopo Narbonensi in Concilio Narbonensi. Vnde factum ut sequentibus temporibus Archiepiscopi Narbonenses se Redenses quoque nuncupaverint. 266. *col.* 2.
Regalia non successit in locum investiturarum. 418. IV. Sed, mutato nomine, investituræ dein dictæ sunt Regalia. 447. V. Regalia coërcita ad quasdam Ecclesias. 443. I. & *seqq.* Iure regaliæ fruebantur etiam aliqui Galliarum dynastæ, præter Regem. 447. I. & *seqq.*
Regalia, id est, feuda. 435. XI. Paschalis II. Papa jubet ut Episcopi remittant regalia imperio. 430. III.
Regense Concilium generale. 93. II. & *seqq.*
Relatio & consultatio promiscuè accipiuntur. 334. I. Relationis jus magni momenti erat. 22. III. & *seqq.* Relatio Principis longè differt à relationibus quæ fiebant ad Principem. 23. VI. Relationis imperatoriæ conditiones. 25. V. Relationis imperatoriæ & pontificiæ comparatio. 32. IV. Relatio Pontificis Romani in synodis. 25. V. 29. IV. Acceptum referri non debet id jus Imperatori Marciano. 31. I. Illustre hujus pontificiæ relationis exemplum extat in synodo Sardicensi. 32. I.
Relationes ex synodo Illyriciana mittebantur ad Episcopum Romanum. 248. II. Et ex universo orbe. 332. III. & *seqq.*
Remense Concilium adversùs invectituras. 436. *col.* 1.
Remensis & Treverensis Ecclesiæ sorores dictæ. 189. IX.
Remigius Episcopus Remensis. 123. VI.
Reservationes Ecclesiarum cathedralium à Summis Pontificibus introductæ. 204. III. & *seqq.*
Responsales apostolicæ sedis. 43. I. & *seqq.* 45. I. & *seqq.* Responsalium usus in urbe regia desivit occasione hæresis Monothelitarum. 46. I.
Revisio & appellatio differunt. 311. VI. Revisione concessa à Pontifice Romano in causa Episcopi depositi, quis ordo servandus. 412. XI.
Rex solus per procuratorem, non autem nomine proprio, litigat. 45. II.
Regis consensus in electionibus Episcoporum. 181. II. Vide *Francorum Reges.*
Reges tenentur ad tuitionem canonum. 255. VI. *Vide tomum primum.*
Regia jussio excusat Episcopos ne ad synodos accedant. 224. IV.
Richardus Abbas Massilienses. 156. III.
Roberti Regis matrimonium cum Berta. 368. IV. & *seq.*
Rodulfi Francorum Regis præceptum pro monasterio Tutelensi. 449.
Romana Ecclesia, caput omnium Ecclesiarum. 28. I. 349. XI. Caput Occidentis & Ecclesiæ universæ. 230. X. Ecclesia principalis, unde uniras sacerdotalis exorta est. 304. III. Magistra ecclesiasticorum negotiorum. 40. VI. Præcessit inter omnes sedes patriarchales. *Ibidem.* VII. Arx Christianæ religionis in fastigio sedis apostolicæ collocata. 41. IX. Ei adhærebant omnes Christiani in factionibus & dissidiis aliarum Ecclesiarum. 321. I.
Romana sedes quomodo clemens. 144. III.
Romanæ Ecclesiæ avaritia. 172. XIII. & inconstantia. 156. I.

Romanæ Eccleſiæ ea conſuetudo eſt ut non ſoleat neque velit decretis ſuis patenter obviare. 156. I.
Romanorum mos in corrodendis burſis notatus. 144. II.
Romanorum Pontificum indumenta communicata cum Legatis, 154. XV. 155. XVIII. 172. XIX.
Romanos Pontifices interdum pœnituit quòd nimiam poteſtatem conceſſiſſent Legatis. 156. I.
Romanum Concilium ſub Hadriano I. Papa, ſuppoſititium. 403. II. & ſeqq. 426. VI.
Romanus Pontifex, caput univerſalis Eccleſiæ, 29. II. Potiſſimus Sacerdos. *Ibidem.* IV. Vicarius B. Petri. 197. IV. 198. V I. Patriarcha Occidentis. 187. V I. Comparatur oculo. 39. IV. 40. VII. Habet primam & maximam pro veritate ſententiam. 25. V. Præcipua ejus ſollicitudo ad compeſcendas hæreſes & ſchiſmata. 304. V. & ſeqq. Ei primatus in Nicæna ſynodo delatus præ ceteris Patriarchis. 33. III. Sed poſitus eſt in ædificationem Eccleſiæ, non in deſtructionem. 214. V. Non oportet abſque auctoritate ejus decreta Eccleſiis ſancire. 33. I. Nihil abſque ejus ſententia decerni poteſt in Eccleſia. 35. IX. 38. I. 40. VIII. Ad eum tamen non pertinet perſonalis viſitatio ſingularum diœceſeon. 279. II. Ejus electio indigebat olim aſſenſu Imperatoris. 394. VIII. IX. 404. VIII. 412. VIII. Ordinabatur ab Epiſcopo Oſtienſi. 188. VIII. Ipſe verò ordinabat omnes Metropolitanos diœceſeos Vrbicariæ. 187. V I.
Romanus Pontifex convocabat olim Concilia nationalia Galliarum. 245. IV. 246. VI. An convocare poſſit Concilium intra Gallias. 272. IV. Mittebat olim Legatos ad Imperatores pro rebus Eccleſiæ. 6. III. 41. I. Et ad ſynodos œcumenicas. 9. II. Ejus auctoritatem agnoſcunt Afri. 6. II. An clero poſſit imperare tributa. 221. II.
Romanus Pontifex omnibus gravis & ferè intolerabilis. 155. XV.
Roſſilionenſis Epiſcopus Audeſindus. 268. *col.* 1.
Roſtagnus Epiſcopus Arelatenſis. 120. III. & ſeq. Illius legatio caruit effectu. 277. V.
Rothadus Epiſcopus Sueſſionenſis, depoſitus in ſynodo Sueſſionenſi. 360. I. & ſeqq. Reſtitutus auctoritate Nicolai Papæ. 363. I. & ſeqq.
Rotlandus Epiſcopus Arelatenſis. 120. II.
Rufus Epiſcopus Theſſalonicenſis. 66. III. & ſeqq. 71. I. & ſeqq.
Ruricius Epiſcopus Lemovicenſis. 107. III.
Ruſticus Epiſcopus Narbonenſis. 99. IV. & ſeqq.

S

SAccus, veſtis Patriarcharum. 194. IX.
Saffaracus Epiſcopus Pariſienſis. 351. VIII.
Sagienſis Eccleſiæ regalia. 455. II.
Salluſtius Epiſcopus Hiſpalenſis. 122. V.
Salonæ, Dalmatiæ metropolis. 188. VII.
Salonius Epiſcopus Ebredunenſis, & Sagittarius Vappincenſis, damnati in Concilio Lugdunenſi, licentiam appellandi ſedem apoſtolicam petunt à Rege Guntramno. 350. II. 351. V I.
Sanſon Epiſcopus Wigornenſis. 410. V I.
Sapaudus Epiſcopus Arelatenſis. 116. III.
Sarraceni vaſtant Hiſpaniam Tarraconenſem. 266. *col.* 2. Bellum ſacrum adverſùs eos decretum. 437. *col.* 2.
Sardicenſe Concilium non eſt œcumenicum. 311. V.
Sardicenſis Concilij hiſtoria. 13. I. 241. V. 311. V. Ignotum illud erat Afris ævo Celeſtini Papæ. 284. IV. Ejus verò canones recepti in Oriente nondum erant ævo Imperatoris Iuſtiniani. 320. XI. Eos tandem ſynodus Trullana recepit. *Ibidem.* An recepti ab univerſa Eccleſia. 314. I. Laudati à Fauſtino Zozimi Papæ Legato ſub nomine ſynodi Nicænæ. 226. II. Cur ita factum. 341. I.
Saturninus Epiſcopus Arelatenſis excommunicatus in Concilio Pariſienſi. 309. XIV.
Scandala vitanda in cauſis eccleſiaſticis. 72. VI.
Sclavi cupiunt divina celebrare in lingua Sclavonica. 138. VII.
Scoti decernunt in conventu publico deinceps admittendos non eſſe Legatos. 145. VI. 167. III. Non admittebant indifferenter omne genus Legatorum. *Ibidem.* I. & ſeqq.
Secundæ ſynodo non interfuit legatio ſedis apoſtolicæ. 14. III. 59. XVI.
Sedunenſis epiſcopatus inveſtituram olim dabant Comites Sabaudiæ. 447. IV.
Senatuſconſulta auctore Principe facta. 23. V. Item ad orationem Principis. 30. VI. Interdum fiebant ſolis acclamationibus. 30. VIII.
Septem provinciarum conventus apud Arelatem. 92. I.
Servi Dei, id eſt, Abbates, in Concilio Sueſſionenſi. 260. III.
Sextæ ſynodo interfuerunt tria genera Legatorum ſedis apoſtolicæ. 20. IV. Ejus acta non ſunt luxata. 37. II.
Silveſter Epiſcopus Romanus undecim annis ſuperſtes fuit Concilio Nicæno. 10. VII.
Simon de Bria Cardinalis. 144. II.
Simonia in ordinationibus Epiſcoporum damnata. 208. II. & ſeqq. 213. *col.* 1. 406. V. & ſeqq.
Siricius Papa, auctor vicariatus Theſſalonicenſis. 64. IV. 65. I.
Sirmium, caput Illyrici. 50. IV. & ſeq.
Socrates emendatus. 12. IV. Defenſus. 35. I. & ſeqq.
Sozomenus explicatus. 54. IX.
Stampenſe Concilium adverſùs Anacletum II. Antipapam. 291. IV.
Stephani juniores vita nondum edita Græcè. 41. VIII.
Stephanus de Garlanda electus Epiſcopus Belvacenſis. 410. VI.
Subdiaconi olim eligi non poterant ad epiſcopatum. 409. I. & ſeqq.
Subdiaconis prohibitum connubium carnale. 80. II.
Suffragij prærogativa Romano Pontifici quæſita. 29. IV. & ſeqq. 32. I. & ſeqq.
Sugerius Abbas ſancti Dionyſij interfuit Concilio Lateranenſi ſub Calliſto II. Papa. 433. III.
Suggeſtio Vicariorum apoſtolicæ ſedis. 43. VI. 45. II. 47. II.
Sulpitius Biturigum Epiſcopus. 395. XII.
Symmachus Papa, vir Gallicanis Epiſcopis acceptiſſimus. 108. VI. & ſeqq.
Synodi vox interdum uſurpata pro generali regni conventu. 263. V. Synodus regia, & ſynodus eccleſiaſtica. 260. V. Synodi non approbant ſimpliciter acta quæ apud eas proferuntur, ſed cum inquiſitione. 27. II. 31. II.

T

TAlayrandus Epiſcopus Albanenſis. 145. VIII.
Tarraconenſis provincia vaſtata à Mauris & Sarracenis, Archiepiſcopo Narbonenſi ſubjecta

fuit per multum ævi. 266. *col.* 2. Pertinebat olim ad regnum Franciæ. 267. *col.* 2.
Tarraconenſium ſuſpicaces animi. 399. I.
Taraſius Epiſcopus Conſtantinopolitauus coluit auctoritatem Romani Pontificis. 39. III.
Taſſilo Dux Baioariæ ad Pippinum Regem accedit. 261. VI. Ei venia data à Karolo magno in Concilio Francofordienſi. 264. VIII.
Taurinenſis Concilij canon explicatus. 91. VIII.
Taxationes cancellariæ unde ortæ. 208. III.
Theodoretus Epiſcopus Cyri damnatus in Concilio primo Epheſino, dejectus à Dioſcoro, appellavit Leonem Papam. 326. II. III. Admiſſus in Concilium Chalcedonenſe; quia locum ſuum ei Papa reſtituerat, & Imperator ſynodo adeſſe juſſerat. 28. I. 327. IV. Novam canonum collectionem adornavit. *Ibidem.* VI. Idem emendatus. 12. IV. *& ſeq.*
Theodorici Regis Italiæ pulcra vox. 160. III.
Theodorus Epiſcopus Forojulienſis. 99. III.
Theodoſius Imp. baptizatur apud Theſſalonicam. 56. V.
Theſſalonica, metropolis Macedoniæ. 175. VII.
Theſſalonicenſis Epiſcopus, caput & primus Metropolitanus Illyrici orientalis. 345. VII. Iure Patriarchico fruebatur in diœceſi Illyriciana. 191. III. Metropolitani Illyrici orientalis tenebantur ad eum mittere relationem de ſua ordinatione. *Ibidem.* Magna ei auctoritas tributa à ſancto Leone. 279. IV. Illius auctoritas aucta non eſt ob vicariatum ſedis apoſtolicæ. 53. VII.
Theſſalonicenſis urbis & Eccleſiæ dignitas. 13. VI. 50. V. *& ſeq.* 51. I. *& ſeqq.*
Thomæ Cantuarienſi Archiepiſcopo deſtinatur Gallicana legatio. 164. II.
Tilpinus Remenſis Archiepiſcopus. 402. I.
Timotheus Ælurus, ſectator Dioſcori. 83. II.
Toloſani Comites jure regaliæ fruebantur. 450. I.
Toloſanum Concilium à Calliſto II. habitum. 421. *col.* 2.
Toloſanum Concilium an habitum poſt Agathenſe. 108. V.
Tractoriæ literæ. 183. VII. 245. III.
Tranſalpina judicia vetita ſuſcipi in Gallia. 229. VIII.
Tranſlationes Epiſcoporum quanam auctoritate faciendæ. 200. I. *& ſeqq.* Vetitæ. 55. I. 81. IX.
Tranſmarina judicia reſpuunt Afri. 228. IV. 251. VII.
Trever, Galliarum metropolis. 237. IV. 238. VI.
Treverenſis & Remenſis Eccleſiæ ſorores dictæ 188. IX.
Triburienſis Concilij canon laudatus. 149. VII.
Throphimus Epiſcopus Arelatenſis. 91. IX.
Trullana ſynodus rejecta à Romanis. 47. III. IV. Sardicenſes canones recepit. 320. XI.
Tutelenſe monaſterium à Normannis deſtructum, reſtauratum ab Ademaro Vicecomite Scalarum. 449. *col.* 2.

V

VAlentinianus III. Imp. multùm amplificavit auctoritatem Epiſcopi Romani. 345. VI.
Valerianus Epiſcopus Cemelenenſis. 268. *col.* 1.
Vaſenſe Concilium. 94. V.
Vel particula interdum æquivalet conjunctioni *Et.* 306. III. 260. III.
Venerius Epiſcopus Maſſilienſis. 99. V.
Vernenſis ſynodus ſub Pippino Rege. 260. V.
Vicariatus apoſtolicæ ſedis olim commiſſus Epiſcopis illuſtriſſimarum Eccleſiarum. 49. II. Olim tribui non conſueverat abſque Pallio. 112. IV.
Vicariatus Theſſalonicenſis tributus fuit Eccleſiæ. 60. II. *& ſeqq.* 72. V. Quandonam cœpit. 63. I. *& ſeqq.* 75. II. An potuerit adimi huic Eccleſiæ. 72. VI.
Vicarij Epiſcoporum abſentium vicem eorum exhibebant cum literis Tractoriis. 183. VII. Legati interdum dicti. 8. I. An vicarij Epiſcoporum ſuffragij jus haberent in ſynodis. 224. III. Diaconis tribui non poſſe vicariatum Epiſcoporum ſancivit Concilium Emeritenſe. *Ibidem.* V.
Vicarij Præfectorum prætorio inſtituti à Conſtantino magno. 4. IX. 235. I.
Victor Tunnonenſis explicatus. 86. VI.
Vicujulienſis Epiſcopus, id eſt, Aduenſis. 268. *col.* 1.
Vienna, metropolis provinciæ Viennenſis. 90. VI.
Vigilius Papa profeſſionem fidei ſuæ mittit ad Aurelianum Epiſcopum Arelatenſem. 116. II. Noluit intereſſe Quintæ ſynodo. 20. IV. 35. X. Eam poſtea confirmavit. 36. *col.* 2. Primus omnium vices ſuas commiſit Epiſcopis Arelatenſibus. 111. I. *& ſeqq.* Illius & Iuſtiniani concordia quo tempore diſſociata. 86. VI.
Vigilij Papæ epiſtola emendata. 112. VII. 114. IV.
Virgilius Epiſcopus Arelatenſis. 117. I. Vicariatus apoſtolicæ ſedis illi conceſſus explicatur. 248. IX. 352. XII.
Viſitator Epiſcopus delegandus in Eccleſia vacante. 182. IV. 184. XI. 312. XIII. 414. VII. 438. I.
Vito & Vincentius apoſtolicæ ſedis legati in Concilio Nicæno. 9. IV. 11. VIII. 59. XVI.
Vivianus Cardinalis Legatus in Scotia. 166. XI.
Volfadi Preſbyteri Remenſis depoſitio examinata in Concilio Sueſſionenſi. 273. VII. Biturigum antiſtes dein fuit. 274. VIII.
Vrbanus II. Papa Subdiaconos eligi poſſe ad epiſcopatum declaravit. 409. *In Additione.* Prohibuit uſum inveſtiturarum, ſed cum temperamento quodam. 428. XIII. XIV.
Vrgellenſis civitas olim ſubjecta Archiepiſcopo Narbonenſi jure metropolitico. 266. *col.* 2.
Walterus Epiſcopus Albanenſis. 165. V.
Waltramus Epiſcopus Naumburgenſis propugnat inveſtituras in gratiam Principum. 428. XII.
Willelmus Epiſcopus Elienſis. 143. VIII. 153. VIII.
Williſius Archiepiſcopus Moguntinus. 151. II.
Winedurius Epiſcopus Helenenſis. 265. *col.* 1. 268. *col.* 1.
Wlfoledus Epiſcopus Biturigenſis ſuffraganeos ſuos evocat ad ſynodum in alieno regno habendam. 246. V.

X

XEgrotatæ vox ſemper ſignificat ordinationem apud auctores eccleſiaſticos. 179. VII. 180. X. 407. VI.

Z

ZEno Epiſcopus Hiſpalenſis. 122. II.
Zozimus auctor Vicariatus Arelatenſis. 89. III. *& ſeqq.*

FINIS INDICIS TOMI SECVNDI.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ADDENDA AD LIBRVM QVINTVM.

CAP. XLVII. *post illa verba paragraphi* X. mandata exequi non timebit, *adde.*

XI. Quare culpandus aliquo modo videtur Innocentius IV. qui licèt intelligeret Legatorum acta non esse excutienda, ut ipsemet innuit in epistola quam anno sexto sui pontificatus scripsit ad Abbatem sancti Martini Treverensis, attamen confirmare recusavit ea quæ à Legato sedis apostolicæ gesta fuerant in causa Ecclesiæ Vvarmaciensis, donec totum illud negotium apud sedem apostolicam examinatum ac discussum fuisset. Præstat heic describere epistolam integram ex veteri codice Bibliothecæ Colbertinæ. *Ex parte dilecti filij R. electi Vvarmaciensis fuit nobis humiliter supplicatum ut cùm dilectus filius noster P. sancti Georgij ad velum aureum Diaconus Cardinalis, apostolicæ sedis Legatus, electione quam Capitulum Vvarmaciense de Corrado Præposito Vvarmaciensis Ecclesiæ de facto celebraverant rite cassata, de prædicto Ricardo ipsi Ecclesiæ duxerit in Episcopum providendum, provisionem eandem confirmare de benignitate sedis apostolicæ curaremus. Licèt autem vehementer præsumamus pro iis quæ à Legato acta sunt in hac parte, plenius tamen de præmissis, an canonicè omnia processerint, certificari volentes, mandamus quatenus præfatum electum & alios, si qui fuerint qui se provisioni factæ de dicto R. velint opponere, ex parte nostra peremptoriè citare procures ut infra competentem terminum à nobis præfigendum eisdem cum omnibus rationibus & munimentis suis per se vel sufficientes & idoneos procuratores nostro se conspectui repræsentent, facturi & recepturi quod justitia suadebit. Datum Lugduni II. Nonas Augusti anno sexto.*

Cap. LI. § V. post illa verba, appellatione remota teneri decernas, *adde.*

VI. Quinquagesimo pòst anno Raimundus Nemausensis in prima Narbonensi Episcopus parem querelam detulit ad Innocentium quartum, sufficere se non posse solvendis procurationibus Legatorum, quibus non modicùm gravabatur, nisi personarum ecclesiasticarum suæ diœceseos opibus adjuvaretur, quæ se per privilegia sedis apostolicæ prætendebant immunes esse à solutione procurationum. Extat hujus rei testis epistola Innocentij IV. ad Episcopum Vceticensem in veteri codice MS. Bibliothecæ Colbertinæ, quam heic putamus esse describendam. *Ex parte venerabilis fratris nostri Episcopi Nemausensis fuit nobis humiliter supplicatum ut cùm ipse in procuationibus Legatorum & Nuntiorum apostolicæ sedis non modicùm aggravetur, ad contribuendum eidem in hoc Abbates, Priores, & alios Prælatos & Clericos Ecclesiarum subjectarum sibi suæ civitatis & diocesis compelli, prout Ecclesiarum ipsarum facultates exigunt, mandaremus. Attendentes igitur quod onus omnibus competens in plures divisum faciliùs supportatur, mandamus quatenus prædictos Abbates & alios, ut in iis ipsi Episcopo juxta facultates proprias proportionaliter contribuant, monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas. Nonobstante indulgentia si qua est eorum aliquibus ab apostolicæ sede concessa ut interdici, suspendi, & excommunicari non possint per literas apostolicas absque ipsius sedis speciali mandato faciente de hac indulgentia mentionem. Datum Lugduni III. Kal. Decembris anno sexto.*

VII. Quia verò Legati &c.

Ibidem §. *VI. post illa verba*, duæ vel plures conjungantur in unum, *adde.*

VIII. Secundùm jus illud, quod haud dubiè dexteritate dein & industria Legatorum explicatum & amplificatum est, Nicolaus IV. anno MCCLXXXIX. ad Rudolphum Imperatorem mittens internuntium Benevenutum Episcopum Eugubinum, eúmque commendans Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, aliísque Ecclesiarum Prælatis, primùm jubet ut ei *pro suis & familiæ suæ necessariis in tribus libris Turonensium parvorum diebus singulis & securo conductu necnon in evectionibus opportunis, si suæ in via decesserint vel defecerint, liberaliter providere* curent. Deinde decernit *ut si eundem Episcopum in aliquibus locis vel loco interdum moram trahere contigerit, non solùm earundem eísque vicinarum & adjacentium partium sed aliarum etiam remotarum Patriarchæ, Archiepiscopi &c. contribuere in subventionibus hujusmodi teneantur.* Ac ne quis se privilegio tueri posset, privilegia abrogat, ac præterea eos ad eam contributionem cogendos esse edicit auctoritate censuræ ecclesiasticæ. Addit enim: *Alioquin sententiam quam ipse per se vel per alium seu alios rite tulerit in rebelles, super quo plenam ei concedimus auctoritate præsentium potestatem, ratam habebimus & faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam appellatione remota inviolabiliter observari.* Epistola illa, quæ data est XII. Kal. Maij anno secundo, extat in veteri codice MS. Bibliothecæ Colbertinæ. Odor. Raynaldus ad an. 1289. §. 47.

IX. Huic juri is color quæsitus &c.

Ibidem §. *XII. lege.*

XIV. In Gallia quoque noſtra motus interdum aliquos excitarunt illæ Legatorum procurationes, ut ſuprà vidimus in paragrapho ſexto iſtius capitis. Sed præterea illud ipſum colligitur ex epiſtola Innocentij IV. &c.

Ibidem §. *XIV. poſt illa verba*, abolitis nimirum prorsùs illis procurationibus, *adde.*

XV. Addenda neceſſariò eſt in hoc loco notabilis hiſtoria de Ioanne Columna Archiepiſcopo Meſſanenſi, quem anno MCCLVII. Alexander IV. in Angliam miſit cum ampliſſima poteſtate Legati à latere, tametſi eum à nomine Legati abſtinere juſſerit. Præ iſto enim ceteri ferme Legati fuere modeſtiſſimi in exercendo munere ſuo, ſi vera ſunt quæ de illo narrat Matthæus Pariſius. Aſſumptus ille fuerat ad archiepiſcopatum Meſſanenſem ex ſodalitio Dominicanorum; ideóque abjecti, ſed non deſerti, inſtituti memor, magnum fratrum numerum ſecum in provinciam duxit, ut eorum ope & induſtria faciliùs ea perduceret ad effectum quæ tentanda inter Anglos forent. Quanta fuerit ejus avaritia, quanta ſuperbia hominis quem indigenæ ex priore vitæ inſtituto colligebant debere eſſe modeſtiſſimum, quæ crudelitas in exigendis procurationibus, docet idem Pariſius his verbis: *Anno quoque ſub eodem, imminente quadrageſima, miſſus eſt à Domino Papa, neſciebatur ad quid, Archiepiſcopus Meſſanenſis in magno apparatu familiæ & equorum, videlicet fratrum de ordine Prædicatorum. Et cùm habuiſſet literas papales de procuratione exigenda & recipienda cum magna pœna contradictores puniendi, miſit literas imperioſas ad quemlibet Prælatum ut ei, ſecundùm quod eis ſignificavit, in procuratiis providerent, ita quòd ex domo ſancti Albani & ejus cella viginti & unam marcam extorſit. Et cùm veniſſent monachi ſancti Albani ut ipſum in hoſpitio ſuo civiliter viſitarent, non permiſit eos exire, imò ipſos quaſi incarceratos retinuit, donec ſuæ avaritiæ ſatisfeciſſet. Et cùm modeſtè reſpondiſſent monachi ſe nullum ibi habere denarium, iratus Archiepiſcopus reſpondit procaciter: Vt quid tam mendici eſtis? Mittite igitur pro aliquo mercatore qui vobis commodare velit. Et factum eſt ita, quia ſic oportuit. Non enim permittebantur exire monachi, quamvis eſſent de conventu præelecti, videlicet Archidiaconus ſancti Albani, & Dominus Iohannes Abbatis bajulus & procurator. Iſte Archiepiſcopus Meſſanenſis fuit frater de ordine Prædicatorum, in quo humilitatem ſperabamus uberiorem, qui à Domino Papa de procurationibus extorquendis talem literam meruit obtinere.*

Matth. Pariſ. ad an. 1257.

Pag. 172. *col.* 2. *in ultima linea, poſt illa verba*, Et dirigitur ipſi Legato, *adde.*

XX. Inſignia illa, quod toties dictum eſt, fuiſſe rubea, alios porrò Legatos uti eis de jure non potuiſſe niſi eos qui miſſi de latere mare tranſeunt, ut ait Bonifacius octavus, docuit etiam nos epiſtola Innocentij IV. data ad Patriarcham Hieroſolymitanum anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo octavo. Tribuerat ille auctoritatem Legati per Orientem Patriarchæ Antiocheno. Is verò patriarchatum Hieroſolymitanum ingreſſus, ſive quòd ita mos exigebat, ſeu ut magnitudinem ſuam tali modo etiam extra patriarchatum ſuum oſtentaret, legationis inſignia portaverat. Malè id habuit Hieroſolymitanum, qui Legatus quoque erat apoſtolicæ ſedis. Ad hunc ergo leniendum Pontifex hanc epiſtolam ſcripſit, quæ nunc primùm editur ex veteri codice MS. Bibliothecæ Colbertinæ.

Cùm, ſicut ex parte tua fuit propoſitum coram nobis, ob noſtram, præmiſſa tamen proteſtatione, reverentiam toleraveris ut venerabilis frater noſter Patriarcha Antiochenus apoſtolicæ ſedis Legatus, quando fuit in Accon, portare legationis inſignia, incedere cum rubeis, & ſignare populum Acconenſem, cùm talia non competant niſi Legato à noſtro latere deſtinato, nos tuis ſupplicationibus inclinati præſentium tibi auctoritate concedimus ut per hæc nullum Eccleſiæ tuæ præjudicium valeat generari. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis &c. Datum Lugduni IV. *Nonas Decembris anno ſexto.* His ita enarratis de Legatorum inſigniis, perſequamur inſtituti noſtri rationem.

XXI. Redeundum igitur nobis eſt ad faſtum & pompam Legatorum, ut caput iſtud claudamus exemplo valde illuſtri, ſive ad perſonas reſpiciamus de quibus heic agitur, ſive ad gloriam & apparatum tantæ legationis. Anno MCCXC. Nicolaus quartus Legatos in Galliam miſit Gerardum Epiſcopum Sabinenſem & Benedictum Caëtanum tituli ſancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconum Cardinalem, qui deinde factus Pontifex Romanus, Bonifacius dictus eſt iſtius nominis octavus. Illos admodum graves provincialibus fuiſſe reperio in veteri Chartulario ſancti Maglorij Pariſienſis, cujus mihi copia facta eſt beneficio viri clariſſimi & de re literaria optimè meriti Antonij Vionis Herovallij. Extat enim in Chartulario illo vetus Chronicon ab auctore illorum omnino temporum ſcripto rythmis Gallicis; in quo inter cetera agit de iſta legatione. Ait ergo veniſſe in Franciam Cardinales anno MCCXC. cum Rege tractaturos de quibuſdam negotiis quorum cauſa nondum vulgata erat. illos immenſos ac prodigioſos ſumptus feciſſe quacunque iter facerent, hincque factum

Odor. Raynald. ad an. 1290. §. 17 & ſeqq. & ad an. 1294. §. 23.

ut

ut multùm incommodi fuerint Abbatibus & Prioribus. Habuisse enim in comitatu suo, præter domesticos, equites quingentos. scire se pro certo eos non ita splendidè procedere solitos in patria sua, id est, in Italia. Deum sanè, cùm inter homines degeret, istiusmodi satellitio munitum non fuisse. Præstat autem heic describere ipsa hominis verba.

Et cele année sans doutance
Vindrent le Cardenal en France
En mesage parler au Roy.
Mais on ne seut onques pourquoi.
Et outrageus despens fesoient
Par tous les leus où ils aloient.
Dont le Prieur & li Abbé
Se tenoient à mont grevé.
Bien orent en leur compaingnie
Cinq cens chevaux sans leur mesnie.
En leur païs sai-je sans doute
Qu'il ne menoient pas tel route.
Ainsi n'ala pas Dex par terre
Quant il vint ses amis requerre.

XXII. Quanto modestior Legatis illis fuit magister Herlotus, quem Alexander quartus in Angliam proficisci jusserat anno millesimo ducentesimo quinquagesimo octavo. Et tamen illius fastum damnat Matthæus Parisius, licèt verbis non admodum duris. Hæc sunt ejus verba: *Et citò pòst, videlicet septimana proxima ante Paschа, venit in Angliam magister Herlotus Domini Papæ Notarius & Clericus specialis: qui quamvis Legatus non diceretur, non tamen Legati caruit nobilitate. Venit enim Londinum cum viginti equitaturis; cujus familia collateralis octo capis, videlicet quinque clausis, & quinque manicatis, de optimo moreto superbivit redimita.* Verùm, ut liberè dicam quod sentio, puto locum istum emendatione indigere, & pro *viginti* legendum esse saltem *centum viginti*. Nam quo modo fastus hic Herloti notari potest, si modicus iste viginti equitum numerus conferatur cum fastu Legatorum illius seculi ac superioris, qui vigesimum evectionum numerum longè superabant contra instituta Concilij Lateranensis. Præterea equites viginti sufficere non poterant dignitati illius viri qui collaterales saltem octo habebat capis indutos, quorum propterea quilibet habere debuit plures famulos ut omnia congruerent. Itaque omnino puto in editionibus Matthæi Parisij excidisse heic vocem *centum*, quæ restituenda est. Locum autem illum esse alioqui mendosum vel ex eo colligitur quòd primò auctor collaterales illos capis indutos ait fuisse octo, statim verò decem. Hunc autem Herlotum, non secùs ac alios qui frequenter per ea tempora à Romano Pontifice mittebantur in Angliam, illic fuisse in damnum & subversionem totius regni, hauddubiè ob exactionem procurationum & immensos sumptus, adnotat infrà Parisius his verbis: *Unde certatim advenerunt in Angliam Nuncij Papales ultramontani, sterlingorum speciem olfacientes, ad Regem, ut opima munera reportarent; utpote Episcopus Bononiensis, qui ex parte Papæ annulo quodam dictum Edmundum de regno Apuliæ investivit. Messanensis quoque Archiepiscopus, qui non vacuus recedebat. Nunc frater Iohannes de Diva, nunc magister Bernardus, nunc magister Senisius, nunc Rustandus, nunc Herlotus, & multi alij quos longum esset enumerare; quósque omnes & singulos Dominus Rex cum summa reverentia suscepit & honore, in damnum tamen totius regni sui & subversionem.*

Cap. LV. §. XV. post illa verba, salva honestatis conscientia subticere, *adde.*

XVI. Haud ita multò pòst, cum Rex Legionis filiam Regis Castellæ, neptem videlicet propriam, in matrimonium duxisset, Innocentius III. ob eam causam in Hispaniam anno MCXCVIII. legavit fratrem Raynerium cum amplissima potestate, ut patet ex variis ejusdem Innocentij epistolis. De rebus autem ab eo gestis in legatione illa scribens anno sequenti ad Archiepiscopum Compostellanum & ad Episcopos in regno Legionensi constitutos, eum ex eo inter alia commendat, quòd manus suas excusserit ab omni munere. Præstat heic referre ipsa ejus verba. *Quod cùm ad nostram notitiam pervenisset*, inquit, *dilectum filium fratrem Rainerium, virum scientia & religione pariter reverendum, Deo & hominibus obtentu scientiæ & honestatis acceptum, in Hispaniam duximus destinandum, ut juxta verbum propheticum dissolveret colligationes impietatis, solveret fasciculos deprimentes: qui per Dei gratiam ab omni munere manus excussit; ita ut quod legitur, de ipso possit verè referri: Non fuit qui ditaverit Abraham.* Describit ista auctor gestorum Innocentij III. iisdem omnino verbis, ut necesse non sit ea repetere.

Innoc. III. lib. 1. epist. 91. 93. 125.

Idem lib. 2. ep. 75.

FINIS.

PRIVILEGE DV ROY.

LOVIS PAR LA GRACE DE DIEV ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE : A nos amez & feaux Conſeillers les Gens tenans nos Cours de Parlement de Paris, Thoulouſe, Grenoble, Bordeaux, Roüen; à nos Baillifs, Senéchaux ou leurs Lieutenans, & à tous autres nos Juſticiers & Officiers qu'il appartiendra, SALVT. Noſtre cher & bien amé EESTIENNE BALVZE, Chanoine en l'Egliſe Cathedrale de Reins, Nous a fait remontrer que Meſſire PIERRE DE MARCA Archeveſque de Paris, qu'il a ſervy dans ſes Eſtudes pendant pluſieurs années, luy ayant recommandé dans ſa derniere maladie de prendre ſoin de l'Edition de ſes Ouvrages; & voulant executer ſa volonté ſur ce ſujet, il deſireroit faire imprimer le Livre *De Concordia Sacerdotij & Imperij*, avec quelques Additions & la ſuitte, compoſée par ledit Sieur DE MARCA, s'il Nous plaiſoit luy accorder nos Lettres à ce neceſſaires. A CES CAVSES, Deſirant favorablement traitter ledit BALVZE, & l'obliger à prendre ſoin de l'Edition dudit Livre & des autres Oeuvres compoſées par ledit Sieur DE MARCA, dont la publication ſera tres-advantageuſe au public, Nous avons permis & permettons, de noſtre grace ſpeciale, pleine puiſſance, & auctorite Royale, par ces preſentes, audit Expoſant de faire imprimer ledit Livre, *De Concrodia Sacerdotij & Imperij*, avec la ſuite & les Additions, par tel Imprimeur & Libraire que bon luy ſemblera, durant le temps de vingt ans, à commencer du jour & date de l'impreſſion d'iceluy achevée; pendant lequel temps Nous avons fait & faiſons tres-expreſſes inhibitions & défenſes à tous Imprimeurs & Libraires de ce Royaume, Païs, Terres & Seigneures de noſtre obeïſſance, à tous autres d'imprimer ou faire imprimer ledit Livre, ſur peine de confiſcation de l'impreſſion, de deux mil livres d'amende, & de tous dépens, dommages, & intereſts; A la charge de mettre deux exemplaires dudit Livre en noſtre Bibliotheque publique, un exemplaire dans noſtre Cabinet du Chaſteau du Louvre, & un autre dans celle de noſtre tres-chér & feal le Sieur SEGVIER, Chancelier de France, avant que de l'expoſer en vente, à peine de nullité des preſentes : Du contenu deſquelles Nous voulons que vous faſſiez joüir pleinement & paiſiblement l'Expoſant ou ceux qui auront ſon droict, empéchant qu'il ne leur ſoit donné aucun trouble. VOULONS auſſi qu'en mettant au commencement ou à la fin de chaque Volume deſdits Livres un Extraict des preſentes, elles ſoient tenuës pour deuëment ſignifiées, & que foy y ſoit adjoûtée & aux copies collationnées par l'un de nos amez Conſeillers & Secretaires comme à l'original. MANDONS au premier noſtre Huiſſier ou Sergent ſur ce requis, de faire pour l'execution d'icelles tous Exploits, ſans demander autre permiſſion. CAR TEL EST NOSTRE PLAISIR. Nonobſtant Clameur de Haro, Chartre Normande, Edicts, Declarations, Arreſts, Reglemens, Statuts & confirmation d'iceux, Privileges obtenus & à obtenir, ſoit que le temps de ceux qui ont eſté obtenus ſoit expiré ou non, oppoſitions quelconques, & ſans prejudice d'icelles, pour leſquelles Nous n'entendons qu'il ſoit differé, & dont Nous retenons la connoiſſance à Nous & à noſtre Conſeil, & qui ne pourront nuire audit Expoſant; En faveur duquel & du merite deſdits Ouvrages, Nous derogeons à tout ce que deſſus pour ce regard ſeulement. DONNÉ à Paris le troiſiéme jour de Juin mil ſix cens ſoixante-trois, & de noſtre Regne le vingt-uniéme. Signé, Par le Roy en ſon Conſeil, D'EAVBONNE. Et ſcellé du grand Seau de cire jaune.

Le Sieur BALUZE a cedé ſon droict de Privilege à François Muguet Imprimeur & Libraire ordinaire du Roy, pour en joüir pendant le temps porté par iceluy.

Achevé d'imprimer pour la premiere fois le 5. Juin 1663.

Les Exemplaires ont eſté fournis.

ERRATA.

Pag. 51. §. II. *li.* 10. annuntiabat. *Pag.* 89. §. I. *li.* 9. acticata. *Pag.* 98. §. II. *li.* 6. videtur, in Gall. *Pag.* 102. §. I. *li.* 5. ſpopondit. *Pag.* 103. §. V. *li.* 35. *exeramus*. *Pag.* 171. §. X. *li.* ult. ſumen. *Pag.* 172. §. XIX. *li.* 12. negotia. *Pag.* 217. §. XII. *li.* 1. ſeptuageſimo anno. *Pag.* 432. *col.* 1. in margine, pro *Domnizo* lege *Tenzo*. *In Epiſtola illuſtriſſimi Epiſcopi Monſpelienſis ad Baluzium, col.* 2. *linea* 40 *lege*, utere.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


MARCA
DE
CONCORDIA